Admodum Reverendi
ET EXIMII PATRIS

IOANNIS A S. THOMA
CURSUS THEOLOGICUS

TOMUS II.

B765
.T5
C8
v.2
1883

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

1080014391

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ADMODUM REVERENDI ET EXIMII PATRIS

JOANNIS A S. THOMA

CURSUS

PHILOSOPHICUS THOMISTICUS

II

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
ALERE FLAMMAM VERITATIS

PARIS. — IMPRIMERIE Vve P. LAROUSSE ET Cie
19, RUE MONTPARNASSE, 19

ADMODUM REVERENDI ET EXIMII PATRIS

JOANNIS A S. THOMA

ORDINIS PRÆDICATORUM, DOCTORIS THEOLOGI
IN COMPLUTENSI ACADEMIA PROFESSORIS PRIMARII, SUPREMI FIDEI CENSORIS

CURSUS PHILOSOPHICUS THOMISTICUS

SECUNDUM EXACTAM, VERAM ET GENUINAM ARISTOTELIS ET DOCTORIS ANGELICI MENTEM.

NOVA EDITIO

AD LUGDUNENSEM ANNI MDCLXIII ACCURATISSIME EXPRESSA, MENDISQUE EXPURGATA

TOMUS SECUNDUS

PHILOSOPHIA NATURALIS

PARS PRIMA ET PARS SECUNDA : QUÆST. I-VII

PARISIIS
LUDOVICUS VIVÈS, EDITOR
13, VIA DELAMBRE, 13

M DCCC LXXXIII

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria
45010

B 765
.T5
C8
V.2
1883

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
ALERE FLAMMAM VERITATIS
CAPILLA ALFONSINA
FONDO ... VALVERDE Y TELLEZ

PHILOSOPHIA NATURALIS.

PRIMA PARS

PHILOSOPHIÆ NATURALIS.

PROŒMIUM.

Philosophia, si in tota latitudine suæ significationis sumatur, omnem complectitur scientiam, dicitur enim Philosophia quasi *amor* seu *amicitia scientiæ* : qua ratione sapientia humana vocatur Philosophia a D. Thoma in Proœmio Politicor. Et sic Philosophia est scientia generica complectens sub se omnem scientiam naturaliter acquisibilem, præsertim speculativam, cujus amor proprie est amor scientiæ, quia tantum scire amatur. Hujus autem triplex genus numeratur a Philosopho, et D. Thoma, in Metaphys., lect. VII, et Opusc. LXX, q. scilicet *Scientia naturalis*, *Mathematica* et *Metaphysica*, reductive vero ponitur etiam sub illa *Logica*, quæ non de rebus speculandis, sed instrumentis speculationis agit. Quæ scientiæ differunt secundum diversum scibilitatis gradum, ut diximus in libris Post. q. XXVII. *Naturalis* enim tractat de rebus motui sensibilique mutationi subjectis, ideoque solum abstrahit a materia singulari. *Mathematica* agit de quantitate, ut abstrahit a motu et materia sensibilibus accidentibus vestita. *Metaphysica* agit de ente ut sic, ut abstrahit ab omni materia, tam sensibili quam intelligibili, id est etiam a materia prima secundum se, quæ solo intellectu percipitur.

Varie autem definitur Philosophia in hac latitudine sumpta ab auctoribus. Quidam enim ex etymologia nominis definiunt Philosophiam, quod est *amor sapientiæ* ; alii ex modo procedendi, quod est *cognitio rerum ut sunt*, id est per suas causas ; alii ex materia quam comprehendit, dicunt quod est *humanarum, divinarumque rerum cognitio* ; alii denique ex effectu ad quem nos ducit, dixerunt quod Philosophia est *mortis contemplatio*, id est hominem a temporalibus et corporalibus passionibus segregans.

In præsenti autem non agimus de Philosophia in tota sua latitudine ; sed, relicta Mathematica et Metaphysica, solum agimus de scientia naturali, cujus objectum comprehendit omne ens naturale, id est omne ens mobile secundum aliquem motum corporeum, seu extensum ;

008359

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

B 765
.T5
C8
V.2
1883

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
ALERE FLAMMAM VERITATIS
CAPILLA ALFONSINA
FONDO ... VALVERDE Y TELLEZ

PHILOSOPHIA NATURALIS.

PRIMA PARS

PHILOSOPHIÆ NATURALIS.

PROŒMIUM.

Philosophia, si in tota latitudine suæ significationis sumatur, omnem complectitur scientiam, dicitur enim Philosophia quasi *amor* seu *amicitia scientiæ* : qua ratione sapientia humana vocatur Philosophia a D. Thoma in Proœmio Politicor. Et sic Philosophia est scientia generica complectens sub se omnem scientiam naturaliter acquisibilem, præsertim speculativam, cujus amor proprie est amor scientiæ, quia tantum scire amatur. Hujus autem triplex genus numeratur a Philosopho, et D. Thoma, in Metaphys., lect. VII, et Opusc. LXX, q. scilicet *Scientia naturalis*, *Mathematica* et *Metaphysica*, reductive vero ponitur etiam sub illa *Logica*, quæ non de rebus speculandis, sed instrumentis speculationis agit. Quæ scientiæ differunt secundum diversum scibilitatis gradum, ut diximus in libris Post. q. XXVII. *Naturalis* enim tractat de rebus motui sensibilique mutationi subjectis, ideoque solum abstrahit a materia singulari. *Mathematica* agit de quantitate, ut abstrahit a motu et materia sensibilibus accidentibus vestita. *Metaphysica* agit de ente ut sic, ut abstrahit ab omni materia, tam sensibili quam intelligibili, id est etiam a materia prima secundum se, quæ solo intellectu percipitur.

Varie autem definitur Philosophia in hac latitudine sumpta ab auctoribus. Quidam enim ex etymologia nominis definiunt Philosophiam, quod est *amor sapientiæ* ; alii ex modo procedendi, quod est *cognitio rerum ut sunt*, id est per suas causas ; alii ex materia quam comprehendit, dicunt quod est *humanarum, divinarumque rerum cognitio* ; alii denique ex effectu ad quem nos ducit, dixerunt quod Philosophia est *mortis contemplatio*, id est hominem a temporalibus et corporalibus passionibus segregans.

In præsenti autem non agimus de Philosophia in tota sua latitudine ; sed, relicta Mathematica et Metaphysica, solum agimus de scientia naturali, cujus objectum comprehendit omne ens naturale, id est omne ens mobile secundum aliquem motum corporeum, seu extensum ;

008359

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

motus enim pure spirituales non pertinent ad hoc genus scientiæ. In hoc autem objecto considerando summo ordine processit Aristoteles, dividens quatuor partes hujus scientiæ. Prima agit de ente mobili in communi : scientifice enim a communioribus ad minus communia proceditur, et hæc pars claudítur octo libris quos vocant *Physicorum* vel *de Physica auscultatione*. Reliquæ tres partes agunt de ente mobili in particulari; et juxta tres species motus distinguuntur in tria genera mobilium, ut advertit S. Thomas in procemio librorum de Generatione. Primus est motus localis; secundus alterationis, qui ordinatur ad generationem; tertius augmentationis, qui est proprius rei viventis, vel animatæ. Et secundum primum motum considerantur corpora simplicia, ex quibus construitur hoc universum. Et sic post libros Physicorum tractat Philosophus de cœlo et mundo, id est de omnibus corporibus simplicibus, quatenus per motum localem coordinantur et situantur in hoc universo; ex his enim præcipue universum constat, nam mixta habent locum juxta modum elementi prædominantis in eis. Secundum motum autem alterationis, qui ad generationem ordinatur, agit de corporibus corruptibilibus, non quatenus coordinantur per situm in universo, sed quatenus subjacent generationi et corruptioni, tam substantiali quam accidentali; et sic tertia pars Philosophiæ agit de generatione. Denique secundum tertium genus motus, scilicet augmentationis et nutritionis, qui est proprius viventis, agitur de omni gradu vitæ, seu de anima, quæ præbet illam, et ascenditur usque ad gradum vitæ intellectivæ, quæ invenitur in anima nostra, et de hoc agit in libris de anima. Et sic per istas quatuor partes dividitur tota scientia naturalis.

ORDO PRIMÆ PARTIS

PHILOSOPHIÆ.

Prima pars philosophiæ, ut diximus, agit de ente mobili in communi, cujus considerationem cum scientifice tradiderit Aristoteles, ejus ordinem, qui maxime in scientia attenditur, oportet præ oculis habere.

Liber I.

Igitur ad considerandum ens mobile in communi, primo præmittit quasi præludia quædam et principia, unde dignoscere possimus quid sit ens naturale, et quale sit; id enim maxime constabit ex principiis quasi elementalibus talis entis. Circa quæ principia varie antiqui senserunt, rerum naturalium diversas origines et principia ponentes. Vocat autem hic principia, non causas per quas fit ens naturale, sed illa ex quibus est, et in quæ resolvitur, sive considerando ens naturale in fieri prout generatur, sive in facto esse prout componitur ex illis : et sic pro compositione assignat duo principia, scilicet *materiam* et *formam;* pro generatione autem addit tertium principium, scilicet *privationem*, quatenus in generatione proceditur a non esse formæ, seu privatione illius ut a termino a quo, ad esse formæ ut ad terminum ad quem in aliquo subjecto, seu materia; et hoc explicat in primo libro.

Liber II.

Secundo tradit Philosophus ea quæ in hac scientia præsupponi debent circa subjectum, et principia, seu media quibus hæc scientia demonstrat. Subjectum autem est id quod natura constat, quod consurgit ex principiis in primo libro explicatis, scilicet ex materia et forma; et sic agit de natura. Principia autem, seu media quibus de hoc ente naturali, seu de natura demonstrandum est, sunt quatuor causæ, scilicet *materialis, formalis, efficiens* et *finalis;* inde enim pendent omnia quæ de hoc subjecto demonstrantur, et hoc facit in secundo libro.

Liber III.

Tertio procedit ad explicandam propriam passionem hujus entis naturalis, quæ est motus, a quo maxime djcitur ens mobile, et in ejus consideratione consumuntur reliqui libri Physicorum. Et est duplex ejus consideratio : altera secundum se absolute, altera comparative, seu respective ad extrinseca, a quibus pendet, scilicet ad moventia et ad mobilia. Circa primam considerationem primo agit de motu in communi, et de illius affectionibus, deinde in particulari de ejus speciebus et partibus per quas dividitur, vel continuatur. Et quidem de motu in communi, et de his quæ intrinsece illum comitantur, et consequuntur agit in tertio libro, prius explicando definitionem motus, deinde actionem et passionem quæ illum concomitantur et sine quibus non est motus, et tertio rationem finiti et infiniti, quæ necessario et intrinsece consequitur motum ratione continuitatis, et successionis partium.

Liber IV.

De extrinsecis autem affectionibus motus agit in quarto libro. Sunt autem duo, quibus motus extrinsece afficitur, et mensuratur, scilicet locus et tempus, ut etiam notat D. Thomas in initio quarti Physicorum; mensuratur enim motus ex parte mobilis, loco, et ex parte suæ durationis tempore : agendo autem de loco, etiam agit de vacuo, quod est privatio ejus.

Liber V et VI.

Considerato autem motu et affectionibus ejus, tam intrinsecis quam extrinsecis, agit deinceps in lib. v et vi, de ejus divisionibus. Primo quidem de divisione essentiali et intrinseca per species. Secundo, de divisione penes partes quantitatis continui in quo exercetur. Et primam divisionem prosequitur libro v, ostendens dari tres species motus, scilicet localem, alterationem, et augmentationem, et similiter agit de unitate motus tam specifica quam individuali, et de contrarietate motuum, quia inter diversas species datur contrarietas. Secundam vero divisionem motus, scilicet penes partes continuas tractat in lib. vi. Ubi agitur de divisibilitate motus, tam ratione medii, per quod movetur, quam

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ratione temporis in quo movetur, et quomodo continuum non componatur ex solis indivisibilibus, et consequenter nec motus. Hæc omnia pertinent ad considerationem motus, secundum ea, quæ sibi absolute conveniunt, tam in se, quam in suis affectionibus et divisionibus a lib. III usque ad sextum.

Liber VII et VIII.

Restat in reliquis libris explicare ea quæ conveniunt motui comparative ad moventia et ad mobilia, et lib. VII considerat ordinem mobilium ad moventia deveniendo usque ad primum motum, et primum motorem, quia non datur processus in infinitum; et similiter considerat conditionem requisitam inter movens et mobile, scilicet quod sint simul et approximata, et consequenter comparat motus inter se, quoad velocitatem et tarditatem. Secundo, considerat in lib. VIII qualitatem primi motus, et primi motoris, ubi sistit consideratio entis mobilis, ostendendo quod primus motor est sempiternus, ubi etiam agitur de æternitate primi motus, et æternitate universi ab eo producti, et similiter ostendit primum motum esse motum localem et circularem, ac denique primum motorem esse infinitæ virtutis, et carere magnitudine atque adeo esse incorporeum et indivisibilem.

De his omnibus tractandum nobis est in præsenti juxta hunc ipsum ordinem librorum Aristotelis. Sed ante præmittenda est quæstio de scientia ipsa Philosophiæ, tanquam proœmialis quæstio, et de ordine qui servari debet in processu cognitionis et scientiæ.

QUÆSTIO I.

DE SCIENTIA PHILOSOPHIÆ, ET ORDINE COGNOSCENDI.

Multa quæ de scientia Philosophiæ disputari solent omittimus in præsenti, quia ex resolutione tradita in quæstione proœmiali Logicæ, et in quæstione ultima Posteriorum facile possunt innotescere. Ejusmodi sunt, an Philosophia sit nobis necessaria; an sit scientia, an practica, vel speculativa et similes aliæ quæstiones, quæ ex similium resolutione decidiuntur. Constat enim Philosophiam nobis esse necessariam ad rectam et scientificam rerum naturalium perscrutationem; quod vero sit scientia, constat ex multis demonstrationibus, quæ in progressu hujus scientiæ fient, ac denique quod sit speculativa constat tum ex fine hujus scientiæ, qui est indagatio et cognitio veritatum naturalium, non earum effectio; tum ex principiis quibus procedit, quæ resolutivo modo ostendunt veritatem, non compositivo modo fabricare docent.

Quare tria tantum restant explicanda, quæ propria sunt hujus scientiæ. Primum est de illius objecto formali, et materiali quodnam sit. Secundo, de ejus unitate, an sit una secundum speciem atomam, an vero penes diversa objecta dividatur in diversas species, v. g., ea quæ tractat de cœlo, an sit diversa specie ab illa quæ tractat de generatione, vel de anima, an vero totum hoc sit unius speciei. Tertium circa ordinem cognoscendi, quid sit primo cognitum a nostro intellectu, quod Aristoteles loco proœmii in primo isto libro tractavit.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ens mobile sit objectum formale Philosophiæ.

Ut punctus difficultatis innotescat, nota duos terminos tituli. Primus est ly *ens mobile*. Secundus est ly *objectum formale*. Ens mobile non sumitur complexe pro aggregato ex ente et mobilitate, ut duobus, sed incomplexe pro quidditate cui convenit mobilitas. Differunt autem quidditas mobilis, seu naturalis, aut ens naturale, et natura, quia ut dicit Philosophus II lib. Physic. c. I: Natura dicitur principium motus, et quietis ens naturale, id quod habet in se tale principium motus. » Unde non dicitur natura objectum Philosophiæ, sed ens naturale, vel mobile, quia agit de rebus, seu quidditatibus mobilibus, quæ natura ipsa constant. Et sicut sumitur natura in Physicis, non pro sola essentia rei quæ cuilibet enti competit, sed pro ea quæ est principium motus, non cujuslibet, sed imperfecti et cum successione et processu de potentia ad actum; ita ens naturale vel mobile sumitur pro eo quod habet in se principium talis motus Physici, et imperfecti, de quo plura dicemus in quæstione IX agendo de definitione naturæ.

Secundus terminus est ly *objectum formale*, licet enim identificentur ens mobile, corpus mobile, substantia mobilis, naturalis, vel sensibilis, ratione cujus identificationis, aliqui reducunt istam difficultatem fere ad modum loquendi: de quo videri possunt Conimbricenses, hic q. IV proœmiali, et Carmelitani, q. I et alii tamen quantum ad rationem formalem, quæ a materiali distinguitur in scientiis, difficultas ista non est de modo loquendi, sed de re, licet enim mobile, seu mutabile Physicum debeat esse corpus et substantia, tamen formalitas corporis, aliud explicat quam formalitas entis mobilis, dicit enim corpus formaliter radicem quantitatis, et sic definitur per ordinem ad divisibilitatem; mobile autem radicaliter sumptum dicit radicem mutationis seu transitus de potentia ad actum, quod quidem si fiat cum successione et continuitate, ut fit in motu Physico, divisibilitatem requiret ut conditionem, non ut rationem formalem, et ita videmus quod neque natura, neque motus definiuntur per corpus, neque illud explicant, sed natura dicitur principium motus et quietis; motus autem dicitur actus entis in potentia: ubi solum explicatur ordo entis imperfecti, non corporis. Denique idem videmus observari in aliis rationibus formalibus explicandis, licet enim omne coloratum sit corpus, non tamen dicimus quod objectum formale visus est corpus coloratum, sed coloratum explicat formale objectum; corpus autem materiale, seu præsuppositum et omne intelligibile est ens; non tamen ratio entis formaliter explicat objectum intellectus, sed præsuppositive et materialiter. Idem ergo potest intelligi in corpore mobili, et ente mobili.

Quapropter difficultas præsens in duobus consistit. Primum in discernendo rationem formalem objecti Physicæ, et materialem, an scilicet ratio mobilitatis pertineat ad objectum formale, ratio vero corporis ad materiale. Secundum est de extensione hujus objecti, an scilicet complectatur per se et formaliter omne mobile tam substantialiter, quam accidentaliter; an vero solum complectatur per se mobile substantialiter, et penes principia substantialia, mobile autem accidentaliter solum reductive tractetur a Physico, et ut deductum ex primo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ratione temporis in quo movetur, et quomodo continuum non componatur ex solis indivisibilibus, et consequenter nec motus. Hæc omnia pertinent ad considerationem motus, secundum ea, quæ sibi absolute conveniunt, tam in se, quam in suis affectionibus et divisionibus a lib. III usque ad sextum.

Liber VII et VIII.

Restat in reliquis libris explicare ea quæ conveniunt motui comparative ad moventia et ad mobilia, et lib. VII considerat ordinem mobilium ad moventia deveniendo usque ad primum motum, et primum motorem, quia non datur processus in infinitum; et similiter considerat conditionem requisitam inter movens et mobile, scilicet quod sint simul et approximata, et consequenter comparat motus inter se, quoad velocitatem et tarditatem. Secundo, considerat in lib. VIII qualitatem primi motus, et primi motoris, ubi sistit consideratio entis mobilis, ostendendo quod primus motor est sempiternus, ubi etiam agitur de æternitate primi motus, et æternitate universi ab eo producti, et similiter ostendit primum motum esse motum localem et circularem, ac denique primum motorem esse infinitæ virtutis, et carere magnitudine atque adeo esse incorporeum et indivisibilem.

De his omnibus tractandum nobis est in præsenti juxta hunc ipsum ordinem librorum Aristotelis. Sed ante præmittenda est quæstio de scientia ipsa Philosophiæ, tanquam proœmialis quæstio, et de ordine qui servari debet in processu cognitionis et scientiæ.

QUÆSTIO I.

DE SCIENTIA PHILOSOPHIÆ, ET ORDINE COGNOSCENDI.

Multa quæ de scientia Philosophiæ disputari solent omittimus in præsenti, quia ex resolutione tradita in quæstione proœmiali Logicæ, et in quæstione ultima Posteriorum facile possunt innotescere. Ejusmodi sunt, an Philosophia sit nobis necessaria; an sit scientia, an practica, vel speculativa et similes aliæ quæstiones, quæ ex similium resolutione decidiuntur. Constat enim Philosophiam nobis esse necessariam ad rectam et scientificam rerum naturalium perscrutationem; quod vero sit scientia, constat ex multis demonstrationibus, quæ in progressu hujus scientiæ fient, ac denique quod sit speculativa constat tum ex fine hujus scientiæ, qui est indagatio et cognitio veritatum naturalium, non earum effectio; tum ex principiis quibus procedit, quæ resolutivo modo ostendunt veritatem, non compositivo modo fabricare docent.

Quare tria tantum restant explicanda, quæ propria sunt hujus scientiæ. Primum est de illius objecto formali, et materiali quodnam sit. Secundo, de ejus unitate, an sit una secundum speciem atomam, an vero penes diversa objecta dividatur in diversas species, v. g., ea quæ tractat de cœlo, an sit diversa specie ab illa quæ tractat de generatione, vel de anima, an vero totum hoc sit unius speciei. Tertium circa ordinem cognoscendi, quid sit primo cognitum a nostro intellectu, quod Aristoteles loco proœmii in primo isto libro tractavit.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ens mobile sit objectum formale Philosophiæ.

Ut punctus difficultatis innotescat, nota duos terminos tituli. Primus est ly *ens mobile*. Secundus est ly *objectum formale*. Ens mobile non sumitur complexe pro aggregato ex ente et mobilitate, ut duobus, sed incomplexe pro quidditate cui convenit mobilitas. Differunt autem quidditas mobilis, seu naturalis, aut ens naturale, et natura, quia ut dicit Philosophus II lib. Physic. c. I: Natura dicitur principium motus, et quietis ens naturale, id quod habet in se tale principium motus. » Unde non dicitur natura objectum Philosophiæ, sed ens naturale, vel mobile, quia agit de rebus, seu quidditatibus mobilibus, quæ natura ipsa constant. Et sicut sumitur natura in Physicis, non pro sola essentia rei quæ cuilibet enti competit, sed pro ea quæ est principium motus, non cujuslibet, sed imperfecti et cum successione et processu de potentia ad actum; ita ens naturale vel mobile sumitur pro eo quod habet in se principium talis motus Physici, et imperfecti, de quo plura dicemus in quæstione IX agendo de definitione naturæ.

Secundus terminus est ly *objectum formale*, licet enim identificentur ens mobile, corpus mobile, substantia mobilis, naturalis, vel sensibilis, ratione cujus identificationis, aliqui reducunt istam difficultatem fere ad modum loquendi: de quo videri possunt Conimbricenses, hic q. IV proœmiali, et Carmelitani, q. I et alii tamen quantum ad rationem formalem, quæ a materiali distinguitur in scientiis, difficultas ista non est de modo loquendi, sed de re, licet enim mobile, seu mutabile Physicum debeat esse corpus et substantia, tamen formalitas corporis, aliud explicat quam formalitas entis mobilis, dicit enim corpus formaliter radicem quantitatis, et sic definitur per ordinem ad divisibilitatem; mobile autem radicaliter sumptum dicit radicem mutationis seu transitus de potentia ad actum, quod quidem si fiat cum successione et continuitate, ut fit in motu Physico, divisibilitatem requiret ut conditionem, non ut rationem formalem, et ita videmus quod neque natura, neque motus definiuntur per corpus, neque illud explicant, sed natura dicitur principium motus et quietis; motus autem dicitur actus entis in potentia: ubi solum explicatur ordo entis imperfecti, non corporis. Denique idem videmus observari in aliis rationibus formalibus explicandis, licet enim omne coloratum sit corpus, non tamen dicimus quod objectum formale visus est corpus coloratum, sed coloratum explicat formale objectum; corpus autem materiale, seu præsuppositum et omne intelligibile est ens; non tamen ratio entis formaliter explicat objectum intellectus, sed præsuppositive et materialiter. Idem ergo potest intelligi in corpore mobili, et ente mobili.

Quapropter difficultas præsens in duobus consistit. Primum in discernendo rationem formalem objecti Physicæ, et materialem, an scilicet ratio mobilitatis pertineat ad objectum formale, ratio vero corporis ad materiale. Secundum est de extensione hujus objecti, an scilicet complectatur per se et formaliter omne mobile tam substantialiter, quam accidentaliter; an vero solum complectatur per se mobile substantialiter, et penes principia substantialia, mobile autem accidentaliter solum reductive tractetur a Physico, et ut deductum ex primo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et licet plures sententiæ versentur circa objectum Philosophiæ assignandum, de quibus videri possunt Conimbricens. hic q. IX proœmiali, art. I et Carmelitani, q. I, tamen præcipuæ sententiæ reducuntur ad tres. Quidam asserunt objectum esse ens mobile; quidam corpus mobile; quidam corpus naturale, vel sensibile licet hæc omnia dicant alii in idem coincidere, et solum differre penes modum loquendi. Similiter etiam inter Thomistas aliqui existimant objectum formale et per se Philosophiæ solum esse ens mobile substantialiter, et penes principia substantialia, alii quod per se, et adæquate includit, tam mobile substantialiter, quam accidentaliter, et sunt diversa principia mobilitatis accidentalis, et substantialis, de quo videri potest Cajetanus opusc. de sub. Phil.

DICO PRIMO. — Subjectum materiale, seu objectum quod Philosophiæ est corpus naturale, seu mobile; formale vero explicatur per ens mobile, seu mobile ut sic, et ita ens mobile, et corpus mobile se habet, sicut in visu coloratum, et corpus, quod ly *coloratum* est formalis ratio, ly *corpus* materialis, neque enim tangitur corpus a visu sub omni ratione, sed quatenus afficitur colore.

Prima pars conclusionis est extra controversiam, cum constet limites Philosophiæ intra res corporales contineri, nec per se agere de substantiis separatis ab omni materia, sic enim haberet abstractionem æqualem Metaphysicæ, quia abstraheret a materia sensibili, et intelligibili. Et similiter non agit de sola quantitate abstracta ab omni materia, sic enim coincideret cum Mathematica, et non ageret de corpore, ut subjicitur motui, quod utique est corpus sensibile. Quod si aliquando Physica agit de Deo et Angelis, non agit de illis ut mobilibus, sed ut moventibus, quatenus in illos reducuntur motus corporales, et ab eis dependent; de ipsis autem substantiis separatis propter se non agit Physica.

Secunda vero pars est expressa Divi Thomæ, præsertim in locis ubi de hoc ex professo agit, ut patet in proœmio Physicorum ubi inquit: « Quod subjectum Philosophiæ est ens mobile simpliciter; non dico autem corpus mobile, quia omne mobile esse corpus probatur in isto libro, nulla autem scientia probat suum objectum. » Idem expresse docet Opusculo XLII, cap. XIV; videri potest VI Metaph., lect. IX, ubi docet objectum Physicæ esse ens mobile, vel etiam substantiam mobilem, id est quidditatem mobilem, ut ibi explicat et XI Metaph., lect. IV, docet ex Philosopho quod Physica speculatur entia ut mota. Quod si aliquibus locis videtur dicere Divus Thomas, quod subjectum Physicæ est corpus mobile, ut p., q. VIII, art. I in argumento sed contra, et q. XIV de Veritate, art. VIII ad 16, tamen ibi non loquitur de objecto Philosophiæ pro formali, sed pro materiali, seu præsuppositive.

Fundamentum hujus conclusionis sumitur ex his quæ paulo ante sunt insinuata, quia videlicet propria, et adæquata passio quam Physicus demonstrat de suo subjecto est motus, motus autem non definitur explicando ordinem ad corpus vel substantiam sed ad ens mobile, definitur enim *quod est actus entis in potentia*, ut patet in hoc tertio libro; ergo formalis ratio subjecti Physici non explicat rationem corporis, nam quod formaliter est subjectum scientiæ, explicatur etiam in formali definitione propriæ passionis, tanquam id ad quod passio dicit habitudinem, ergo cum non explicetur in definitione motus ratio

corporis, sed ratio entis in potentia, non pertinet ad formalem rationem subjecti corpus, licet in re verum sit, quod non sit mobile motu Physico, nisi id quod est corpus, sed tamen sub formalitate, qua pertinet ad Physicam, ita se habet quod si per impossibile daretur aliquod mobile quod non esset corpus, adhuc tractaretur a Physica, sicut si per impossibile daretur aliquod coloratum extensum, quod non esset corpus, adhuc videretur ab oculo.

Secundo, sumitur fundamentum ex illa ratione, quam significat D. Thomas, I Phys. citato, quia in Physica probatur quod mobile sit corpus, nulla autem scientia probat suum objectum formale; ergo objectum formale non est corpus sub formalitate et explicatione corporis, sed sub ratione entis mobilis. Qua probatione utrumque insinuatur, et quod ratio corporis pertinet ad objectum materiale, siquidem probatur convenire omni mobili, et quod non sit ratio formalis, quia nulla scientia potest illud probare, siquidem omnis probatio procedit sub aliqua ratione formali, et consequenter talis ratio non probatur, sed probat, et sic supponitur; ea vero supposita bene potest probari quod tale objectum materiale sibi competat, quia jam habet rationem formalem, sub qua procedat ad investigandum, et ostendendum quodnam objectum materiale sibi sit proportionatum, et sic Philosophus ostendit quod omne mobile debet esse corpus, quia debet esse divisibile ut patet in libro VI Physicorum, et ita postquam tractavit de ente mobili in communi in istis octo libris, incipiendo descendere ad explicandum in particulari diversa entia mobilia, quod pertinet ad objecta contenta sub materiali subjecto, incipit in libris de cœlo a notificatione corporis; ergo supponitur quod corpus ex parte materiali subjecti se teneat.

Dices: Non repugnat quod aliqua scientia probet suum objectum formale a posteriori, sicut Theologia probat Deum esse, nec enim requiritur ad rationem principii indemonstrabilis quod sit indemonstrabile etiam a posteriori, sed solum a priori, ut diximus in Logica, q. XXIV. Et sic per divisibilitatem quasi a posteriori probatur in Physica ratio corporis, unde Philosophus formaliter non probavit mobile esse corpus, sed omne mobile esse divisibile et habere partes, divisibilitas autem non est ipsa ratio corporis, solum enim illi competit ratione quantitatis, imo divisibilitas proxima etiam a quantitate separari potest, ut diximus in Logica, q. XVI, et patet in corpore Christi sacramentaliter posito; ergo non probat Physica rationem corporis, sed aliquod accidens ejus.

Respondetur nullam scientiam posse probare suum objectum formale, etiam quoad an est ex ipsa propria ratione formali, sic enim probaret idem per idem, sed vel id probat ex mutuatis ab alia scientia, sicut Theologia ex rationibus Metaphysicis probat Deum esse, vel id probat aliqua ratione a posteriori solum reductive pertinente ad talem scientiam, non formaliter et per se, ut latius ostendimus in Logica, in libris Posteriorum. Physica autem ostendit mobile esse corpus seu divisibile, ex ipsa intrinseca et formali ratione motus, quia omnis motus debet habere partes, siquidem partim est in actu, partim in potentia.

Et ad id quod dicitur Philosophum non probare quod mobile est corpus, sed quod est divisibile, atque adeo a posteriori probare quod sit corpus, respondetur quod quando probatur alicui rei convenire ali-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quam propriam passionem, et non probatur ex ipsa quidditate a qua talis passio dimanat, manifestissimum signum est quod talis quidditas a qua dimanat illa passio, non pertinet ad rationem formalem talis scientiæ, siquidem non per illam probatur, sicque patet ex probare talem propriam passionem ac probare ipsam essentiam. Cum ergo ex ratione corporis et primo divisibilitas et mobilitas, si probatur ex mobilitate divisibilitas eo quod ad illam requiritur, non attenditur formaliter ipsa ratio corporis sub ea ratione quæ corpus est id est ut fundat divisibilitatem, sed sub ea ratione qua quidditas mobilis est. Unde idem est probare rationem divisibilis, et rationem corporis, quia corpus radix divisibilitatis est: procedendo enim ex ipsa quidditate mobilitatis, non proceditur ex ipsa ratione corporis, qualenus radix divisibilitatis est, sed quatenus fundamentum mobilitatis est, et hoc est esse ens mobile. Unde motus secundum suam naturam, et per se non pertinet ad genus quantitatis, seu divisibilitatis, ut dicit S. Thomas Opusc. LXX, q. V, art. III ad 5, et V Metaphys., lectio XV. Est simile si aliqua scientia ageret de intelligibili ut sic et probaret quod intelligibile in acta debet esse spirituale, et non corporale, quia est abstractum a materia, talis scientia non haberet pro objecto formali entitatem spiritualem, licet illam necessario supponeret, quia non respiceret illam formaliter, ut opponitur corpori entitative, sed ut fundat ordinem ad intellectum. Sic Physica, quæ agit de mobili, non respicit formaliter corpus, sic enim radix divisibilitatis est, sed ut procedit de potentia ad actum de non esse ad esse, hoc enim pertinet ad mutationem, quod formaliter non est respicere corpus, sed ipsum fieri et esse secundum mutationem, quod totum ens mobile est.

DICO SECUNDO: — Quando dicitur ens mobile subjectum formale Physicæ ly *mobile* non sumitur pro mobilitate formali, sed aptitudinali, seu radicali, ita quod ens mobile est idem quod quidditas mobilis, seu fundamentum mobilitatis proxima. — Ita notat Cajetanus in opusculo de subjecto Physicæ. Ratio est manifesta, quia alias Physicus ageret de accidente, mobilitas enim proxima, seu formalis, accidens est, et sic non ageret de substantia, neque de generatione substantiali; imo non ageret per se de natura, contra id quod dicemus in secundo libro; natura enim est principium motus et quietis primo, et per se. Unde non consistit in mobilitate formali, sed radicali, quia mobilitas formalis, quæ est accidens, non est primum principium motus, sed proximum, et formale.

Dices: Ergo formale objectum Physicæ, non solum est ens mobile, sed substantia naturalis, sive substantia mobilis, seu corpus mobile. Respondetur formale objectum esse substantiam mobilem sumendo substantiam pro quidditate, seu radice prima mobilitatis, ut dicit S. Thomas, VI Metaphys. lect. I, et sic est idem quod ens mobile formaliter. Cæterum si sumatur ly *substantia*, prout explicat hanc quidditatem per modum primi prædicamenti, id est ut naturam subsistentem, sic non explicat rationem formalem, sed materialem seu concomitantem subjecti physici, sicut etiam visus respicit coloratum in concreto, quod non potest esse nisi *substantia*, vel habens modum substantiæ, non pertinet substantia ad formalem rationem objecti in visu, sed ad materialem, tanquam sensibile per accidens; sic Physica per se et formaliter respicit ens mobile, quatenus

explicat quidditatem primi principii motus, quod non potest esse primum principium, nisi sit substantia, non tamen sub formalitate substantiæ definitur, vel formaliter attingitur, ideoque non omnino excludit substantiam, sed tanquam subjectum materiale includit, sicut etiam Mathematica agit de quantitate secundum se, quatenus fundat proportiones, et mensuras, nec tamen formaliter considerat rationem accidentis, secundum quod inhærens est, licet sine ratione accidentis quantitas non detur.

DICO ULTIMO — Ens mobile, de quo per se agit Physica, non solum est ens mobile substantialiter, sed etiam accidentaliter, ita quod terminative ly *mobile* abstrahit a substantia, et accidente, et respicit non solum principia mobilitatis substantialis, sed etiam accidentalis licet subjective ly *mobile* sit substantia.

Hæc conclusio ab omnibus acceptatur, nam aliqui dicunt Physicam adæquate solum agere de ente mobili substantialiter, quod ut salvent in cœlo quod est omnino incorruptibile et ingenerabile, et tamen per se pertinet ad Physicam, dicunt cœlum esse mobile substantialiter, non proxime, sed remote et radicaliter, scilicet ratione materiæ, et ita ponere debent materiam cœli ejusdem speciei cum sublunari, et hoc ideo est ut salvent eadem principia naturalia in objecto hujus scientiæ: alias si considerantur diversa principia, alia pro substantia, alia pro accidente, non apparet quomodo uniantur in unica scientia. Nec potest dici quod principia accidentis reducuntur ad principia substantiæ, hoc enim salvari non potest in uno ex principiis, scilicet in privatione; nam privatio formæ substantialis non est in omnibus radix privationis accidentalis, ut patet in cœlo, in quo est privatio formæ accidentalis, id est ubi, et non fundatur in privatione formæ substantialis, quia cœlum illius capax non est.

Cæterum conclusio est posita Cajetani opusc. de subjecto Philosophiæ, et Ferrariens. I Physic., q. II, et aliorum Thomistarum, et in sententia D. Thomæ I p., q. LXVI, art. I, quod materia cœli specie distinguitur a sublunari, non potest opposita sententia defendi, quia tunc nec etiam remote, id est ratione materiæ cœlum est substantialiter mobile. Sed tamen etiam abstrahendo ab hac sententia urgetur fundamentum positum, tum quia Physica per se agit de forma cœli, et non solum de materia, quæ tamen non est principium substantialis mutationis; tum quia agit de ipso cœlo, quod est compositum ex materia et forma, quatenus incorruptibile est, et a corruptibili corpore distinguitur; ergo impertinens est quod habeat materiam substantialiter mobilem, tractatus ille qui agit de cœlo et per se pertinet ad Physicum, agit de cœlo, quatenus incorruptibile est, et sic non consideratur ratione mobilitatis materiæ ad formam substantialem, quin talis privatio substantialis ibi omnino excluditur, cum incorruptibilitas cœli per se consideretur; ergo radicalis et remota mobilitas ad substantiam ratione materiæ, non est ratio considerata in tractatu de cœlo, sed exclusa (quod valde ponderandum est in hac sententia), et tamen consideratur cœlum ut ens mobile, mobilitate accidentali, quatenus mutatur de loco in locum.

Quomodo autem principia accidentalis mobilitatis et substantialis uniantur in objecto formali hujus scientiæ, quod opposita sententia percipere non potest, respondetur utrumque verum esse, et quod prin

cipia non sunt eadem entitative, nisi tantum proportionaliter, et analogice, ut expresse docet D. Thomas I Metaphys., lect. ultima §. hic ponit sextum, et XII Metaphys. textu XIX, lect. IV, ubi ostendit ex Philosopho quod non sunt eadem principia omnium generum, nisi proportionaliter, sicut patet quod ad genus substantiæ pro mutatione substantiali concurrit materia, quæ est pura potentia, et privatio formæ substantialis, et forma ipsa substantialis, quæ generari potest: in accidentibus autem materia, quæ mutari potest, non est pura potentia, sed subjectum habens formam substantialem, et privatio formæ accidentalis, et ipsa accidentalis, quæ principia non sunt eadem, nisi proportionaliter, sicut substantia et accidens proportionaliter sunt idem. Cæterum univocari possunt, et convenire in una scientia, quia induunt eamdem rationem formalem scibilitatis, sicut etiam Metaphysica agit de substantia et accidenti modo univoco, non quia conveniunt in ratione entis, ut sic, sed quia sub eadem abstractione formali ab omni materia; similiter ergo physica agit de substantia, et physicis accidentibus, et utriusque principiis, ut conveniunt eadem formalitate abstractionis a materia singulari tantum, licet talia accidentia et substantia non conveniant in aliqua superiori ratione universali et prædicabili, nisi analogice.

Nec tamen propter hoc subjectum mobile, de quo agit Physica tanquam de subjecto mobilitatis, abstrahit a substantia et accidente, quia licet motus, seu mobilitas, de qua agit Physica, terminari possit ad substantiam vel accidens, tamen subjectum quod recipit et fundat hanc mobilitatem, tanquam principium primum, et per se motus, non est accidens, sed natura, quæ necessario est substantia, licet formalis ratio qua attingitur, solum explicet quidditatem mobilem, non substantiam.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur: Ens mobile non potest sumi in tota latitudine, ut comprehendit tam accidens quam substantiam mobilem, sed restringitur tantum ad substantiam vel corpus mobile; ergo non est ponendum ens mobile pro formali subjecto, sed corpus mobile. Consequentia patet, quia si subjectum non extenditur ad omne mobile, tam substantiale quam accidentale, sed tantum ad substantiale, frustra dicitur ens mobile subjectum formale, et non substantia vel corpus mobile. Ant. vero probatur, quia si objectum Philosophiæ sumitur in tota latitudine, ut comprehendit accidens, et substantiam, ergo nulla datur proprietas, quam demonstret, quia proprietas est accidens, v. g., motus, seu mobilitas; ergo si agit de accidente tanquam de subjecto et non de sola substantia, coincidet proprietas cum subjecto, imo nulla dabitur proprietas Physica demonstrata, quia omnis proprietas Physica accidens est; ergo accidens mobile non est subjectum, sed sola substantia.

Si dicatur substantiam et corpus mobile esse quidem subjectum Physicæ materialiter et in supponendo, non formaliter et in exprimendo, et ita per ens mobile non significari aliquid commune substantiæ, et accidenti mobili, sed tantum quidditatem mobilem radicalem, quæ habet pro genere substantiam, seu corpus, de quo formaliter non agit Physica, contra hoc est quia scientia quæ agit de aliqua specie, per se agit de genere, ut constitutivum est

talis speciei, licet non in tota sua latitudine, sicut scientia quæ agit de homine, per se agit de animali ut constituente hominem, et formalius exprimitur objectum talis scientiæ dicendo quod est animal rationale, quam dicendo quod est ens rationale; similiter ergo formalius exprimitur quidditas formalis objecti Physici dicendo corpus vel substantia mobilis, quam dicendo ens mobile; quod si ideo non exprimitur substantia vel corpus, quia genus rei mobilis est, multo minus debet exprimi ly *ens*, quia magis superius est quam corpus.

Respondetur quod, ut dictum est, ens mobile non sumitur pro abstracto a substantia, et accidente, loquendo de mobili subjective, sed prout explicat tantum quidditatem rei mobilis, quæ quidem in supponendo, et materialiter est idem quod corpus mobile, siquidem probatur in Physica omne mobile esse corpus, sed in exprimendo formalem rationem talis objecti dicitur ens mobile, potius quam corpus mobile, quia formaliter solum respicit Physica quidditatem mobilem, quæ nomine entis mobilis explicatur.

Et ad replicam respondetur quod ly *ens* mobile potest sumi dupliciter, uno modo ut dicit complexum seu constitutum ex gradu superiori analogo et inferiori differentia, omisso genere intermedio, sicut quando summus individua generica, ut hæc substantia, hoc corpus omissis gradibus intermediis; alio modo potest sumi ens mobile, non in vi alicujus complexi constituti ex superiori gradu entis, et inferiori mobilitatis, sed ut est idem ens mobile, quod mobile tantum, quasi dicatur res seu quidditas mobilis, quæ in re quidem est substantia et corpus, non tamen explicatur sub conceptu substantiæ, vel corporis, sed sub ratione quidditatis mobilis. Primo modo non dicimus esse subjectum Physicæ ens mobile, sed secundo, et sic ens mobile non est aliquid magis amplum et abstractum quam substantia, vel corpus mobile, nec comprehendit in se tanquam subjectum substantiam et accidens, sed est aliquid contractius substantia, determinans illam, et explicans non secundum omnem rationem substantiæ vel corporis, sed præcise qua mobilis est, quasi exprimendo quod omne quod tractatur in Physica de substantia et corpore est, ut subest mobilitati, seu ut fundat illam, ubi substantia solum materialiter se habet.

Quod vero subditur de scientia tractante de aliqua specie, quod etiam tractat de genere, ut constituente ipsam, respondetur quod tractat quidem, sed non æque formaliter, sed de illo genere ut subest illi speciei tanquam rationi formali, et sic tractat Physica de corpore et substantia mobili, sed non æque formaliter, sed ut trahuntur ad rationem entis mobilis, id est quidditatis mobilis; quod vero explicetur ly *ens* in objecto formali, et non corpus, vel substantia jam diximus id esse, non quia ens sumitur per modum gradus superioris, sed per modum explicantis quidditatem mobilitatis et non ponentis in numero cum illa. Et præterea, non est certum quod mobile dicat differentiam essentialem respectu corporis, vel substantiæ, sed solum proprietatem fundatam in corpore, et sic exprimeretur quod Physica agit non de ipsa mobilitate, quæ est passio, nec de ipso corpore absolute, sed ut fundat illam passionem mobilitatis, formalius explicatur, et purius ipsa formalis ratio objecti dicendo mobile, seu ens mobile quod idem est, quasi dicatur fundamentum mobilitatis, quam dicendo corpus mobile, ubi denotaretur, quod ipsa ratio

corporis, etiam intrat formalitatem objecti Physicæ qua corpus, non solum qua mobile. Ac denique, quia notius nobis est, quod aliquid sit mobile, quam quod sit corpus, etiamsi corpus esset genus illius, quia per motum probatur divisibilitas, et ratio corporis; et ideo formalis ratio non debet explicari per corpus, sed solum per mobile, sive per ens mobile, quia formalis ratio debet esse notissima in aliqua scientia.

Quod si instes: Nam mobile radicaliter, et sumptum pro substantia, non est magis notum quam ipsa mobilitas, seu motus accidentalis, imo indigemus circumlocutione ad exprimendum hoc subjectum, dicendo ens mobile, quod est signum ipsam quidditatem nobis non esse notam. Respondetur hoc ipsum stare pro nobis, quia si in ratione substantiæ, ut exprimitur hoc nomine, non est ita per se notum, sicut ut exprimitur nomine quidditatis mobilis, consequenter non dicemus quod objectum formale sit substantia, vel corpus mobile, ut exprimitur nomine corporis vel substantiæ, sed ut exprimitur nomine quidditatis, seu entitatis mobilis, licet in re sit substantia vel corpus, dari enim quidditatem mobilem notissimum est.

Secundo arguitur: Illud est subjectum formale scientiæ, in quod omnes passiones et accidentia formaliter resolvuntur; sed Physicus resolvit accidentia mobilia in substantiam mobilem, tanquam in radicem per se, quia principium accidentis substantia est in quantum substantia, nec Physicus respicit per se formaliter aliquod accidens, sicut visus coloratum, et auditus sonum, sed per se respicit substantiam, et radicalem mobilitatem; ergo formale subjectum Physicæ formalius exprimitur per substantiam, seu corpus mobile, quam per ens mobile. Si dicatur, ideo significari nomine entis mobilis hoc objectum, quia non restringitur ad principia mutationis substantialis, sed etiam attingit principia mutationis accidentalis, ideoque abstrahit a mobilitate accidentali, et substantiali, contra est, quia si propter illam rationem dicitur ens mobile subjectum potius quam substantia, vel corpus mobile: ergo eadem ratione non dicetur formale objectum mobilitas radicalis, quæ determinate exprimit substantiam et distinguitur a mobilitate formali, quæ est accidens, sed dicetur aliquid abstrahens a mobilitate accidentali et substantiali, sicut principia ipsa abstrahunt a principiis substantialibus et accidentalibus; tale autem abstrahens non est radicalis mobilitas determinata, nec est aliquid univocum, sed aliquid analogum abstrahens a substantia, et accidente, quod non posset univocari in ratione scibilis, nisi redderetur tantæ abstractionis, sicut Metaphysica, denique sub illa abstractione non est assignabilis aliqua passio Physica, quæ correspondeat illi abstracto, motus enim, seu mobilitas accidentalis, cum sit accidens, solum consequitur ad substantiam, non ad aliquod abstractum a substantia et accidenti.

Respondetur ad principale argumentum, quod accidentia physica resolvuntur formaliter in substantiam mobilem, quatenus substantia dicit quidditatem radicalis mobilitatis: non quatenus substantia exprimit gradum prædicamentalem genericum rei subsistentis, hoc enim solum materialiter pertinet ad Physicam, quæ ut radicaliter mobilis sit, supponitur quod sit substantia, non formaliter exprimitur; unde non se habet sicut visus ad coloratum, vel auditus ad sonum, quia hæc respiciunt aliquid contentum sub accidente, Physica autem aliquid contentum sub substantia, licet neque objectum sensuum formaliter exprimat accidens, neque ista formaliter exprimat substantiam, licet illam supponat.

Ad replicas autem quæ fiunt in oppositum, respondetur probare, quod res ad quas est motus, et quæ sunt termini mobilitatis Physicæ, non sunt sola substantia, sed accidens et substantia, atque adeo aliquid analogum, ut etiam concedit Cajetanus in opusc. citato, solutione ad 1, licet univocentur in ratione scibilis, ut supra diximus. Et hoc tamen non sequitur, quod mobile pro subjecto et radice mobilitatis pro termino ad quem est motus, abstrahat a substantia, et accidente, sed solum contineatur sub substantia, licet illam formaliter non explicet, quia tam principia mobilitatis accidentalis, quam substantialis in substantia radicantur, illique conveniunt, licet non sint eadem principia, quia respiciunt formas, et privationes diversorum generum. Unde passiones, quæ demonstrantur in Physica, non consequuntur ad aliquod abstractum a substantia et accidente, sed ad aliquid determinate contentum sub substantia, vel corpore, licet non exprimatur in formalitate objecti, ipsa generica ratio substantiæ vel corporis, sed tantum id quod pertinet ad rationem motus, vel principii motus in cujus definitione non explicatur formalitas substantiæ, sed actus et potentiæ.

Ultimo arguitur: Quia ly *mobile* ex una parte comprehendit plura quam quæ in Physica tractantur, ex alia parte Physica agit de pluribus quæ sub mobili non comprehenduntur; et denique ex alia plures aliæ scientiæ quam Physica agunt de mobili: ergo per ly *mobile* non explicatur adæquatum objectum Physicæ. Antecedens quoad primam partem probatur, quia mobile etiam comprehendit Angelos, qui mutabiles sunt, tam in substantia per creationem, et annihilationem, quam in operationibus, ut per motum localem, cognitionem, etc. Quoad secundam partem probatur, quia Physica non solum agit de mobili, sed etiam de quiescibili: est enim natura principium motus, et quietis: et sic etiam agere de quiete pertinet ad Physicam, præsertim cum motus ad quietem ordinetur. Similiter attingit Deum ut primum motorem, et animam intellectivam non solum ut conjunctam corpori, sed etiam ut separatam: ergo agit de rebus immobilibus. Quoad tertiam partem probatur, quia Astrologia etiam agit de ente mobili, scilicet de cœlo et motibus planetarum, et Medicina agit de corpore sanabili quod includit motum alterationis: ergo mobile est commune aliis scientiis et consequenter non est proprium Physicæ.

Respondetur quod, ut supra diximus, ly *mobile* potest sumi dupliciter, uno modo in tota latitudine, ut dicit modum tam Physicum quam Metaphysicum, id est motum qui est actus seu operatio perfecta, et motum qui est actus imperfectus, qui fit cum aliqua divisibilitate, quatenus est partim in potentia, et partim in actu; et mobile solum hoc secundo modo pertinet ad Physicum, nec tali motu Angeli dicuntur mobiles; nam creatio non habet subjectum ex quo aliquid fiat, et sic non est motus Physicus, annihilatio vero motus non est, sed suspensio concursus, operationes autem Angeli ex parte subjecti a quo fiunt, spirituales sunt et indivisibiles, vel non distinguuntur ab actibus immanentibus, vel ex illis omnino oriuntur, sicque non pertinent ad motum divisibilem et imperfectum, qualis est Physicus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad secundam partem respondetur quod quies, cum sit privatio motus, cognosci debet per formam oppositam ad illamque reduci, id est ad motum, nec omnis qui est finis motus, ut patet in motu cœli, et in motibus vitæ, qui sunt perfectiores quiete, si enim quies est conservativa quiescentis, tunc motus per se ordinatur ad quietem, non quia privatio, sed quia conservativa. De Deo autem et intelligentiis Physicus non agit per se, sed solum attingit illas, quatenus motores, et principia motuum Physicorum, non autem illarum quidditatem et essentiam perscrutatur, sed terminus Philosophiæ est anima rationalis, quæ etiam est forma corporis Physici, ut dicitur II Phy. textu XXVI, esse autem formam etiam convenit ei in statu separationis, licet non exerceat informationem.

Ad tertiam partem respondetur quod Astrologus non agit de cœlo et planetis, ut sunt entia mobilia, sed ut mensurabiles sunt eorum motus, et secundum varios aspectus diversam proportionem induunt, quod magis pertinet ad Mathematicum, quam ad Physicum. Medicus autem agit de corpore sanando, quod quidem supponit motum, et fit per motum, et sic supponit Physicam, eique subordinatur, formaliter tamen, non per se considerat motum qua motus, sed quia ordinatus ad sanitatem, sicut artifex non potest facere statuam, nisi aliquo motu, non tamen formaliter considerat rationem motus, sed commensurationem figuræ, sic Medicus proportionem humorum, licet id fiat per motum.

ARTICULUS II.

Utrum Philosophia sit unius speciei atomæ in ratione scientiæ?

Resolutio est affirmativa, quam plures Thomistæ sequuntur, ut Magist. Soto, I Phy., q. I et Bannez in prologo librorum de generatione ad quartum principale, licet Cajetanus oppositum sentiat, II, q. CLXIV in introductione quæstion. Sumitur autem hæc conclusio ex D. Thoma, qui in proœmio Physicorum et librorum de cœlo et de generatione distinguit omnes istos tractatus tanquam partes unius scientiæ naturalis, in quarum una agitur de toto objecto in communi, quod in aliis applicatur ad objecta particularia sub tali communi, hoc autem non variat speciem scientiarum; alias partes Theologiæ diversas species Theologiæ constituerent, imo non esset dabilis una scientia in specie atoma, si diversi tractatus et partes variant ejus speciem : nulla enim scientia quantumcunque speciei infimæ datur, quæ non procedat ordine quodam a communioribus ad minus communia, et inter ipsa minus communia prius traduntur ea quæ simpliciora vel universaliora sunt : sola ergo diversitas partium et tractatuum in aliqua scientia non variat ejus speciem, in scientia autem naturali solum est diversitas penes ordinem partium, seu tractatuum de diversis objectis, ut D. Thomas locis citatis significat. Quod si hoc sufficeret speciem scientiæ diversificare, etiam in ipsis octo libris Physicor. deberemus distinguere diversas species, quia agit de rebus valde diversis, ut de infinito, de continuo, de loco et tempore, et variis speciebus motus : quæ omnia licet connexionem habeant cum ente mobili ut sic, tamen hoc ipsum invenitur respectu aliorum librorum, qui agunt de istis mobilibus, et motibus in particulari, et ita connexionem habent cum ente mobili ut sic, nam scientia quæ agit de aliquo genere, etiam agit de speciebus contentis sub illo, sicut Metaphysica quæ agit de ente, etiam agit de prædicamentis et causis contentis sub ente, et tamen est unius speciei atomæ.

Fundamentum autem a priori est quia diversa species scientiarum non sumitur ex sola diversitate rerum in se, sed ex diversa abstractione, seu modo cognoscendi et illuminandi objecta : nam si sola diversitas rerum materialiter et entitative consideratur, specie differret in Metaphysica pars quæ tractat de Deo, ab ea quæ tractat de substantia creata, vel accidente ; et similiter in Physica, pars quæ tractat de materia et forma, ab ea quæ tractat de primo motore ; et pars quæ tractat de infinito, ab ea quæ tractat de loco et vacuo, et similia multa possent multiplicari. Tunc autem diversa abstractio fundat diversam speciem, et modum illuminandi, quando oritur ex diversis principiis : ex principiis enim sumitur illuminatio conclusionum, ut late tractavimus in libris Posteriorum, q. XXVII. Cum autem principia quibus passiones probantur de subjecto, sunt definitiones, ideo ad diversum modum definiendi, reducitur diversa species sciendi, et manifestandi res scitas ; non enim sufficit alias et alias res definire et tractare, sed aliter atque aliter : nam plures res definire et de pluribus quidditatibus agere, etiam in una scientia contingit, quatenus omnia illa sub uno modo definiuntur, ut citato loco Logicæ ex D. Thoma VI Metaphys., lect. I et pluribus aliis locis ostendimus. Omnes autem definitiones, quæ traduntur tam in octo libris Physicorum quam in libris de generatione et aliis, sub eadem abstractione et formalitate procedunt. Definiuntur enim secundum rationem vel habitudinem ad motum, et solum differunt quod in libris Physicorum definiuntur ea quæ pertinent ad motum in communi, in aliis autem libris ea quæ pertinent ad particulares rationes, et species motus, cujus signum est, quia principia, quæ traduntur in Physicis, serviunt pro libris de cœlo et de generatione ; nec tamen isti libri important aliquam scientiam subalternatam ad scientiam Physicorum, nec enim addunt differentiam accidentalem et extraneam ad motum in communi, sed intrinsecam et essentialem : ergo si utuntur principiis Physicæ in communi, pertinent ad eamdem scientiam, eadem enim scientia, quæ agit de aliquo genere in communi agit de speciebus essentialibus ejus ; alias semper essent diversæ scientiæ, quæ agunt de aliquo in communi et speciebus ejus essentialibus ; cujus oppositum videmus in Metaphysica et Theologia, aliisque scientiis ; quæ non solum agunt de una specie, sed de pluribus, ut conveniunt in aliqua ratione communi secundum quam induunt eumdem modum definiendi, et consequenter illuminandi conclusiones.

Sed contra hoc objicies duo. Primum, ex auctoritate S. Thomæ, I, Post. lect. XII, ubi inquit : « Quod aliud genus scibilium est corpus naturale, et mathematicum, et utrum horum generum distinguitur in diversas species scibilium secundum diversos modos et rationes cognoscibilitatis ; » sed corpus naturale est objectum Philosophiæ : ergo secundum Div. Thomam sub isto objecto generico continentur plures species, et modi cognoscibilitatis, atque adeo diversæ species scientiarum.

Secundum est. Nam intra corpus mathematicum dantur diversæ species scientiarum, v. g., Geometria et Arithmetica, propter diversam abstractionem specificam a materia sensibili : ergo etiam diversa abstractio intra corpus naturale constituet diversas scientias. Constat autem

cilioris abstractionis, quia a paucioribus abstrahit: an quod est confusioris, et plura sub se continet: an denique quod est fortioris impressionis ex parte sensuum, quatenus ab illis intellectus pendet in cognoscendo.

Circa primum, inveniunt aliqui contradictionem in hac doctrina Philosophi, cum his quæ tradit I. Post. cap. II, ubi inquit: « Quod nobis notiora sunt, quæ sunt propinquiora sensui, simpliciter vero notiora, quæ a sensu remotiora sunt, ea vero esse remotiora, quæ universaliora sunt. » Hic autem e contra dicit quod ab universalioribus prius procedendum est, quia sunt confusiora et notiora nobis. Secundo, contradicit sibi ipsi in hoc loco. Nam in I text. dicit quod cum scire contingat per prima principia causa et elementa, de his oportet determinare. At vero in text. III et IV, dicit quod confusiora sunt prius nota nobis; deinde principia et elementa, ideoque ab universalibus ad singularia oportet procedere.

Ad primum respondet D. Thomas tam in I Post. lect. IV, quam in I Physicorum, lect. I, quod in I Post. loquitur Philosophus de cognitione nostra non solum in intellectu, sed in sensu, respectu cujus constat singularia esse prius, imo solum cognita, in præsenti autem loquitur solum de cognitione intellectus, qui cum a singularibus abstrahat, procedit ab universalibus ad singularia, id est ad minus communia. Et sumitur hoc ex verbis Philosophi I Phys. text. XLIX, dicens, quod: « Universale notius est ratione, singulare vero sensu. » Quando vero dicit universaliora esse notiora secundum naturam, quia sunt remotiora a sensu, loquitur de his quæ sunt universaliora in virtute, et causalitate, sive in abstractione formali, sic enim quæ formalius abstrahunt, id est magis excludunt materiam, et quæ sunt magis universalia in virtute et causatione sunt notiora secundum se, quia magis perfecta, sicut Deus et Angeli.

Ad secundum dicitur quod loquendo de cognitione scientifica certum est quod oportet procedere a principiis ad conclusiones: est enim cognitio scientifica illuminativa conclusionum, et distincta. Unde oportet quod a principiis seu elementis procedat, resolvendo scilicet in ipsa principia; et de ista cognitione loquitur Philosophus in I textu, quando dicit quod oportet de principiis et causis prius determinare. Cæterum loquendo de cognitione confusa quam distincta in nobis procedimus de imperfecto ad perfectum, et de hac loquitur in secundo loco, ut ex hoc constet, quod inter materias, quæ in aliqua scientia tractantur, et inter principia a quibus proceditur, ea prius tractanda sunt et attingenda, quæ sunt communiora, et confusiora, nobisque magis nota.

Nec oportet hic distinguere ordinem naturæ, et ordinem doctrinæ in procedendo, utriusque enim processus via acquisitionis est ab imperfectioribus ad magis perfecta: doctrina enim imitatur naturam et accommodat se modo procedendi ipsius naturæ in qua est. Solum cavendum est ne ordo doctrinæ, et naturæ confundatur cum his quæ dicuntur notiora naturæ, et notiora nobis, cum tamen longe differant, quia ordo naturæ et doctrinæ dicit processum et modum acquirendi, qui tam in doctrina, quam in natura est ab imperfectioribus ad perfectiora, esse autem notiora naturæ, et notiora nobis, solum importat cognoscibilitatem rei, vel secundum se, vel ut proportionatam et applicatam nobis. Unde bene stat quod alia sint notiora natura, alia notiora nobis, non tamen sit alius ordo seu modus

procedendi doctrinæ, et naturæ in via generationis, et acquisitionis.

Circa secundum celebris est difficultas in scholis circa primum cognitum nostri intellectus, unde desumendum sit. Et principaliores sententiæ in hac parte dividuntur in tria capita; nam quidam desumunt primum cognitum nostri intellectus non penes potentialitatem, et imperfectionem ipsius intellectus procedentis, sed penes fortius motivum ex parte objecti moventis per sensus ipsum intellectum, et hoc est singulare. Ita Durandus in II, dist. III; Conimbr. hic super cap. I, q. IV, art. II; Pereira lib III Physicorum, cap. XVI; Martinez hic super cap. I, disp. unica, qu. III, alii conveniunt in hoc quod intellectus noster non incipit a singularibus, sicut sensus, sed abstrahit ab illis. Cæterum quidam desumunt primum cognitum ab eo quod facilius abstrahit intellectus. Facilius autem abstrahit, ut dicunt, naturam in specie atoma, cujus singulare efficacius movet sensum nisi intellectus impedimentum aliquod habeat. Ita Scot. in I, disp. III, q. II, quem sequitur ejus schola, et alii etiam extra eam, ut notant Conimbricenses loco citato, q III, art. II, et sic naturam specificam putat Scotus esse totum actuale confusius cognitum. Denique, alii sumunt primum cognitum in natura abstracta a singularibus ex confusiori prædicato reperto in ipsa natura, hoc autem est ipsum ens sub conceptu magis confuso, et hoc sequitur D. Thomas et ejus schola, ut statim videbimus. Ne autem necessarium sit hoc amplius repetere, advertimus nos non loqui de primo cognito quantum ad sensum, hoc enim est singulare quod prius occurrit, sed loquimur de primo cognito intellectus, ut abstrahentis a singularibus.

DICO ERGO PRIMO: Impossibile est, quod primum cognitum nostri intellectus in hac vita sit aliquod singulare per modum singularis. — Dicitur per modum singularis, quando ipsa singularitas non cognoscitur ut quædam quidditas, sed ut quidditatem, seu naturam aliquam afficiens et singularizans, qua ratione singulare attingitur a sensu. Hæc conclusio necessario tenenda est in sententia D. Thomæ tenentis quod singulare sensibile solum potest cognosci a nostro intellectu reflexe, eo quod species quibus intellectus informatur, sunt abstractæ ab intellectu agente, non solum quia entitative redduntur spirituales, sed quia earum objectum abstractius est quam objectum sensus, ac proinde a conditionibus singularitatis abstrahit. Sed tamen hoc fundamentum in præsenti examinandum non est, sed tertio de Anima, ubi latius tractabitur, nec enim solum probat quod singulare non possit esse primum cognitum nostri intellectus, sed quod nullo modo possit esse directe cognitum.

Summus ergo fundamentum in præsenti ex ipso formali objecto nostri intellectus, quod non potest esse singulare sub modo et exercitio singularitatis, sed objectum ejus est quidditas seu quod quid, ut ex Philosopho optime docet D. Thomas III de Anima, lect. VIII et VI. Et hic lect. I, et Opuscul. XXIX, et I part. q. XCVI, art. I, et alibi sæpe. Philosophus enim de Anima textux dicit quod: « Sensitivo judicat calidum et frigidum, seu carnem, alio autem (id est alia potentia, ut explicat ibi D. Thomas lect. VIII,) discernit esse carnis, » id est quidditatem. Et I Phys., textu. XLIX, dicit, quod: « Universale notius est ratione, singulare vero sensu. » Itaque in hoc segregatur cognitio intellectus a cognitione sensus quod sensus solum attingit res sub sensibili apparentia

accidentium, formale enim objectum cujuscumque sensus est aliquod accidens in concreto, v. g., coloratum, sonorum, calidum, etc. Intellectus autem penetrat ad intima rei, quæ est quidditas, nec limitatur ad sola accidentia quæ per se movent sensibiliter; et in hoc elevatur supra sensum: proprie ergo id quod est per se primo intelligibile, est quidditas, et ita ipsam singularitatem, et ipsa accidentia respicit intellectus per modum quidditatis cujusdam, sic enim intelligibiliter respicit, et supra modum sensibilem, intelligere enim est quasi intus legere, et ad interiora rei penetrare, non exteriora tantum attingere, quod facit sensus, ut sæpius admonet D. Thomas propriam intellectus rationem explicans, ut videri potest II-II, q. VIII, art. I, ubi hoc optime explicat. Cum ergo intellectus unumquodque debeat attingere sub formalitate sui objecti, id est sub ratione quidditatis, in quo per se primo segregatur a sensu, oportet quod etiam id quod primo cognoscit sub ratione alicujus quidditatis attingat: ergo si primo cognoscit singulare, primo attinget quidditatem singularitatis non autem singulare, sub modo singularitatis, sicut cognoscit sensus, sed quidditas singularitatis non potest esse primo cognoscibilis; manifestior enim est quidditas naturæ, quam singularitatis, cum quidditas singularitatis sit modus naturæ, ipsam terminans, et modificans, quidditas autem modorum vix est perceptibilis quia valde minuta est et dependens ab eo cujus est modus: ergo de se prius est congnoscibilis quidditas naturæ, quam quidditas singularitatis, quæ est modus naturæ.

Dices: Potest attingi ab intellectu quidditas singularitatis quoad an est, et non quoad quid est, et sic facilius cognoscetur ipsum an est singularitatis, quam naturæ. Sed esto ita sit quod intellectus incipiat cognoscere quidditatem sui objecti non quidditative, sed quoad an est, ita quod neque de ipsa natura, neque de ipsa singularitate attingat aliud prædicatum, quam ipsum an est: tamen hoc ipso non cognoscitur singulare ut singulare est, sed sub confusione, et ratione quadam communissima ipsius esse, ita quod de ipsa singularitate non cognoscit nisi quod sit ens, hoc autem est cognoscere aliquid commune ipsi singulari, et ipsi naturæ: de utroque enim datur cognitio quoad an est, et sic ipsum esse seu an est, ut concretum, seu applicatum alicui singulari sensibili erit primum cognitum intellectus. Quare (quod valde advertendum est) quando intellectus cognoscit aliquid quoad an est, non præscindit a quod quid seu a quidditate, hoc enim est impossibile cum sit formale ejus objectum, et primo, et per se intelligibile: sed solum non cognoscit quidditative, id est penetrando constitutionem propriam quidditatis et causas essendi, sed in ipsa quidditate solum attingit prædicatum quoddam valde commune et confusum, quod est ipsum esse et hoc est, quod tunc cognoscit *ut quod quid*.

Et licet sensus immediate moveat intellectum, tamen quia non movet ad cognoscendum singulare eo modo quo sensus, nec sub eadem ratione formali objecti, sed per modum intelligibilem, id est per modum quidditatis, ideo intellectus non respicit ut primo cognitum ipsum singulare sub modo et exercitio singularitatis, cum tamen in sensu singularitatis sit conditio objecti sensibiliter moventis, ita quod objectum non per quidditatem, nec per abstractionem, sed ut hic et nunc movet ad sui cognitionem.

DICO SECUNDO: Prima ratio cognoscibilis a nostro intellectu naturaliter et imperfecto modo procedente, est quidditas materialis sub aliquo prædicato maxime confuso, quod prædicatum est ens non gradus aliquis specificus vel genericus, et hoc est cognoscere totum cognitione actuali confusa —, id est cognoscendo aliquid confusum quod ipsi actu convenit non potentialiter et in ordine ad interiora, ut statim explicabimus. Hæc conclusio est D. Thomæ I p., q. XCV, art. III, et q. XXVIII, art. III, et in prologo de ente et essentia ubi late tractatur a Cajetano, et videri potest Magister Soto I Phys., q. II, art. II, et communiter apud alios Thomistas.

Ut autem ejus fundamentum tradatur, advertendum est ex Cajetano in illa prima quæstione de ente et essentia circa primam conclusionem, quod quando dicimus ens esse primum cognitum, ly *ens* non sumitur pro abstracto in statu universalitatis et separationis ab omni inferiori, sed sumitur ens, ut concretum et imbibitum in aliqua re determinata, quæ tunc occurrit cognitioni, quasi prædicatum quoddam ipsius, ita quod in ipso objecto sic occurrente, non discernuntur determinatæ rationes, sed solum accipitur, seu concipitur secundum quamdam indeterminationem, in qua quidquid ad tale objectum pertinet confunditur, et fere est idem quod cognoscere rem quoad an est, atque ita idem est dicere, quod in aliquo objecto, ut totum actuale est incipimus a cognitione entis, id est a cognitione prædicati ita confusi, quod non discernantur prædicata in eo inventa, et determinatæ rationes, sed præcise cognoscatur, id quo nulla est discretio, nec segregatio, scilicet ipsum esse; hoc enim est maxime confusum, quia maxime indistinctum.

Unde nec D. Thomas nec Cajetanus negant rem ipsam quæ primo occurrit intellectui, tanquam id quod cognoscitur, ut objectum *quod* esse aliquam quidditatem sensibilem, et speciem specialissimam, sed dicunt quod in hoc concreto, et in hoc toto et in hac specie, quæ occurrit primum, quod offertur intellectui tanquam ratio *quæ*, est illa confusio entis, et quasi cognitio quoad an est, non quia attingatur actu suprema illa universalitas entis, secundum statum universalitatis, sed quia de ipso objecto, seu natura primum quod attingitur, est ratio, maxime indiscreta, et confusa, et quia tanto aliquid est confusius, quanto pauciores rationes discernuntur, ita quod earum propriæ differentiæ, seu prædicata non distinguantur, illud erit maxime confusum, in quo nec ipsi supremi gradus, et communiora prædicata, v. g., substantia, et accidens discernuntur, et hoc vocamus ens concretum, seu applicatum quidditati sensibile, id est in natura aliqua sensibili inventum, non ut subest statui abstractionis, et universalitatis secundum habitudinem, et respectum ad inferiora, ad quæ potentialiter se habet, sed ut actualiter intrat ipsam compositionem rei, et ut cognoscitur secundum se, dicitur tamen incipere intellectus ab universaliori, quia incipit ab eo prædicato, quod majori universalitati substerni aptum est.

Fundamentum ergo conclusionis positæ fere reducitur ad hunc syllogismum: Intellectus noster connaturali modo procedens procedit de potentia ad actum, et de imperfecto ad perfectum: ergo proportionatum ejus objectum in tali processu, debet etiam esse aliquid imperfectius, et confusius: semper enim id quod distinctius est, est perfectius confuso, sed conceptus entis quatenus

in unoquoque objecto applicate invenitur, est ratio confusior, et omnia quæ in objecto actu inveniuntur magis confundens, et indeterminans: ergo illa est prima ratio cognoscibilis, seu primum cognitum formale respectu nostri intellectus.

Major manifesta est, cum intellectus noster sit pura potentia, et maxime imperfecta in genere intelligibili: ergo connaturali modo procedens, magis proportionatur imperfectiori objecto, et cognitioni, quam perfectiori. Et dico *naturali ordine procedens*, quia si intellectus extrahatur ad isto connaturali ordine, et accipiat lumen aliquod superioris rationis, et perfectionis, juxta illud poterit procedere ad perfectiorem cognitionem, antequam ad imperfectam.

Totum hoc etiam concedit Scotus in II, dist. II, q. II, eo quod cognitio confusa est medium inter ignorantiam, et cognitionem distinctam seu perfectam; natura autem procedens de imperfecto ad perfectum, prius progreditur ad medium, quam ad extremum perveniat, et idem ex Augustino admittunt Conimbricenses supra citati, q. II, art. I. Cæterum cum Scotus ponat confusam cognitionem actualem circa speciem infimam, ejus tamen probationes non procedunt ex majori confusione, et imperfectione cognoscendi, sed ex efficaciori motione rei singularis, et ex perfectissimo effectu, quem causæ naturales non impeditæ producunt, ex eo quod species inferior est facilioris abstractionis, etc. At vero totum hoc ulterius regulandum est juxta capacitatem potentiæ cognoscentis, quæ cum procedat de potentia ad actum, ut præfati Auctores non negant, quantumcumque singulare aliquod vehementius moveat, tamen ipsa potentia non poterit magis moveri, nec prodire in effectum perfectiorem nisi quantum fuerit capax pro illo statu qui cum sit status maxime potentialis, quia tunc primo procedit intellectus de potentia ad actum, consequenter prius attinget imperfectius et potentialius objectum, quam perfectum et distinctum, sicut materia prima, quæ in genere naturali est pura potentia ad formas, quantumcumque immutetur ab efficaciori agente; impossibile tamen est, quod ejus actuatio non incipiat a gradu corporeitatis, qui imperfectior est et potentialior, quam a gradu vitæ vel sensus. Perspicacius D. Thomas. resolvit hanc difficultatem attendendo ad capacitatem, et statum imperfectum potentiæ cognoscentis, ut exinde perpendat quænam sit prima ratio cognoscibilis, seu primum cognitum formale in quocumque objecto primo occurrente.

Restat ergo probare, quod conceptus entis modo superius explicato sit imperfectior, et confusior, et consequenter magis proportionatus intellectui sic procedenti de potentia ad actum, et hoc constat, quia in aliquo toto actuali, illa est ratio confusior, per quam minus discernuntur, et distinguuntur ea, quæ ipsi tota conveniunt, sicut, v. g., occurrente Petro, tunc maxime cognoscitur distincte, quando discernitur in eo non solum ratio generica, vel specifica, sed etiam individualis, in qua a cæteris individuis distinguuntur, et magis in se designatur: quando autem non apparet in quo discernatur ab alio individuo tunc dicitur confuse cognosci in ratione hominis; quæ est ratio confundens illa individua; quod si ulterius non apparcat, in quo distinguatur ab alio animali, adhuc confusius cognoscetur, quod si denique nec discerni possit in quo distinguatur substantia et accidens erit confusissima omnium cognitio, quia

nihil habet discretionis, et distinctionis respectu omnium, quæ sibi conveniunt, illa autem ratio sic indeterminata, et confusa non potest esse nisi ens, quia solum in illo confunditur substantia cum accidenti; ergo ejus conceptus est maxime imperfectus, et consequenter maxime proportionatus potentiæ imperfectæ.

Sed dices ex Scoto, quod ens non est cognoscibile cognitione confusa actuali, quia ejus conceptus est simplicissimus, unde non est ibi sumere aliquid confuse, et aliquid distincte, quia est omnino indivisibile, nec habet partes quas involvat confuse, vel resolvat distincte. Respondetur quod illa ratio entis dicitur simplicissima *ut quod* quia in se non est aliquid compositum ex aliquo gradu superiori, et inferiori, sicut alia prædicata generica, vel specifica: est tamen confusissimum *ut quo*, quia est prædicatum adeo commune ut in illo, et ratione illius, omnia alia confundantur, seu minus discernantur.

Quod si inquiras an sicut cognoscitur ens tanquam primum cognitum ab intellectu, ita necessario debeat intellectus procedendo de potentia ad actum, prius attingere prædicata universaliora, quæ sequuntur post ens eo quod quod confusiora sunt, quam prædicata minus communia, respondetur (quod et advertit Cajetanus quæstione illa prima de ente, et essentia, conclus. II,) non esse ordinem essentialem enter ens, quod est primo cognitum et reliqua prædicata inferiora in cognoscendo quantum ad applicationem, et exercitium cognoscendi, licet ex parte rei cognitæ major proportio sit in prædicatis communioribus ad intellectum imperfecte cognoscentem. Ratio est, quia in prima omnium cognitione, neque intellectus se potest applicare, neque voluntas intellectum, cum non præcesserit alia cognitio, virtute cujus se applicet, et ideo tantum operatur ibi proportio immediata objecti cum potentia; et cum potentia sit tunc in statu puræ potentialitatis, non proportionatur illi objectum, secundum rationem magis actualem, et distinctam, sed secundum potentialem, et confusam, et ab illa movetur tunc intellectus. Cæterum post illam primam cognitionem potest intellectus se movere, vel per voluntatem applicari ad id quod voluerit, sicque relictis intermediis generibus ad prædicatum infimæ speciei se applicare, unde contingit cognoscere aliquando prædicatum specificum ignorato genere intermedio, imperfecte tamen propter ignorantiam prædicati intermedii, quod ex parte rei cognitæ præcise magis proportionatum est potentiæ procedenti de imperfecto ad perfectum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

Primo arguitur contra ordinem, quem posuit Philosophus, quod magis confusa, seu universalia sunt prius cognita: nam vel Philosophus loquitur de ordine et modo cognoscendi artificioso, et scientifico, vel naturali. Hoc secundum impertinens est, quia Philosophus non intendit hic docere modum quo procedit natura in cognoscendo, cum solum intendat ostendere, quomodo in Physica procedendum sit, quæ solum scientifice modo procedit, alioquin si solum de naturali ordine procedendi loqueretur, non solum deberet loqui de cognitione intellectiva, sed etiam de sensitiva; quia hæc etiam procedit de imperfecto ad perfectum, et tamen, ut diximus, in præsenti non loquitur Philosophus de cognitione sensitiva, sed solum de intellectiva. Si primum,

falsum est scientificum processum esse a confusioribus et confusiora esse notiora; in processu enim scientifico notiora sunt principia, per quæ alia demonstrantur et processus scientificus non est cognitio confusa, sed distincta: ergo non bene dicitur, quod confusiora sint notiora nobis scientifice.

Respondetur Philosophum in præsenti agere de processu naturali, quia naturalis cognitio in nobis procedit de imperfecto ad perfectum, et ejus probationes, et exempla id manifestant: ex hoc autem manuducit Philosophus ad ostendendum quod etiam in scientifico processu oportet procedere ab universalioribus, et confusioribus, non quidem comparando principia ad conclusiones; sic enim proceditur cognitione distincta, sed comparando unam materiam tractandam in scientia cum alia materia; sic enim ut ordinate procedatur, illud objectum, seu materia prius tractanda est, quæ est universalior, et confusior, utpote nobis facilior, et inter ipsa principia semper universaliora, prius attingenda sunt. Et ita dicit D. Thomas 1 Physic. lect. 1: « Quod Philosophus ostendit inter principia oportere prædeterminare de universalioribus. » Et subdit: « Quod quia iste est naturalis modus, sive ordo addiscendi, ut veniatur a nobis notis, ad ignota nobis, inde est quod oportet nos devenire a notioribus nobis ad notiora naturæ. » Sic ergo in modo procedendi a principiis ad conclusiones proceditur cognitione distincta, a partibus ad totum inter ipsa autem principia, et materias pertractandas proceditur ab eo quod est confusius et universalius, et facilius.

Ad id autem, quod additur de cognitione sensus, respondetur quod in illo loco notanter dicit S. Thomas, quod prius secundum sensum dijudicamus, id est discernimus magis commune, cujus exemplum ponit, tum in his, quæ videntur a remotis, tum in infantibus, quia a principio non discernunt, sed omnes viros vocant patres. Hoc autem judicium, non pertinet ad sensum exteriorem, qui tantum simplici apprehensione sentit, sed pertinet ad interiorem æstimativam, et sensum communem, licet hoc originetur ex sensu exteriori, qui aliquando accipit species rei perfectas, aliquando imperfectas, et sic sensus externus quantum ad simplicem apprehensionem non semper procedit de potentia ad actum, sed quando videt aliquid in distantia proportionata determinate et distincte apprehendit, quia sic repræsentatur sensui, v. g., quando album sibi proponitur prope oculos, statim a principio album videt sine confusione. Cæterum discretio ipsa seu judicium inter unum et aliud procedit a confusiori et communiori ad minus commune; paulatim enim in pueris tollitur confusio, quia prius non discernebant unum particulare ab alio.

Secundo arguitur: Potentia naturalis non impedita, et objecto debite applicato, producit cognitionem perfectissimam quam potest, sed intellectus est potentia non impedita (neque hic loquimur in casu impedimenti, sed de intellectu secundum se) et est agens naturale, et objectum mediantibus sensibus debite applicatum; ut cum species repræsentat quidditatem materialem determinatam: ergo producet cognitionem perfectiorem, quam potest circa tale objectum. Confirmatur, quia cognitio intuitiva semper præcedit abstractivam, non solum quia sensus præcedit intellectum, sed etiam in ipso intellectu, eo quod necesse est prius moveri intellectum ab aliquo objecto præsenti, quam ab absenti, cum absens cognoscatur ad instar alicujus præsentis; intuitivum autem non est magis confusum, sed magis clarum quam abstractivum, cum sit ipsa clara visio: ergo confusiora non sunt nobis notiora.

Respondetur, quod causa non impedita producit effectum perfectissimum, quem potest pro illo statu in quo reperiiur, et juxta capacitatem suam. Cum autem in prima cognitione, intellectus connaturali modo procedens, habeat lumen debilissimum, cum procedat a pura potentia intelligibili, consequenter perfectissimus effectus, quem tunc potest, est confusissima cognitio. Et non dicimus intellectum tunc esse potentiam impeditam impedimento extrínseco, seu contrariæ dispositionis, sed esse intrinsece inhabilem ob statum puræ potentialitatis, ne procedat ad perfectiorem cognitionem. Unde intellectus non habens illum statum puræ potentialitatis, sed lumen perfectum, ut Angeli, statim etiam perfecte cognosceret. Nec obstat, quod aliquando natura producit in ipsa generatione perfectiorem effectum a principio, sicut in generatione animalis prius generatur cor, quod est nobilius reliquis membris. Respondetur enim, quod ipsum cor prius est informis quædam substantia, et sub imperfectis dispositionibus, et ita in ipso procedit de imperfecto ad perfectum, formatur tamen prius, quam alia membra propter necessitatem, quia est principium vitæ, et motus in reliquis membris, sicut fundamentum in domo prius inchoatur, quam reliquæ partes. Et tamen ratione totius structuræ imperfectiorem statum habet animal, quando solum est formatum cor, et domus quando solum est jactum fundamentum, quam cum reliquæ partes construuntur.

Ad confirmationem respondetur, verum esse, quod aliqua intuitiva cognitio debet præcedere, tam in sensu, quam in intellectu, sed tamen debet esse imperfectissima in discernendo unum ab alio, nam in ipsa intuitiva cognitione etiam dantur gradus, et quædam est imperfectior alia; ut patet cum videmus e longe aliud, quod nullo modo discernimus in particulari quid sit, ubi solum datur intuitiva cognitio quoad an est. Sic intellectus in sua prima cognitione, id quod ipsi proponitur videt quasi a longe in genere intelligibili, licet præsens sit objectum, et sic illa notitia intuitiva solum de objecto attingit ipsum esse, seu quoad an est, quod est esse intuitivam imperfecte, et cum omnimoda confusione respectu quidditatis.

Tertio arguitur: Totum actuale secundum cognitionem confusam prius est cognoscibile quam partes, siquidem cognitio per partes est cognitio distincta, non confusa: ergo illud quod est magis totum actuale, est prius cognoscibile, sed species infima est magis totum actuale, quam ens in communi, vel alia prædicata universaliora, siquidem species infima habet ens, et alia prædicata universalia, tanquam partes, quibus actu componitur: ergo est magis totum actuale respectu illorum, quam quodlibet prædicatum universale, et habet se ad illa sicut definitum ad sua definientia, genera enim, et prædicata superiora intrant definitionem speciei ut partes ipsum autem ens, et prædicata superiora sunt quidem totum, sed potentiale respectu eorum, quæ sub se continent, sunt autem confusiora respectu eorum, ex quibus actu constant, et sic sunt minus totum actuale: totum autem actuale est prius cognitum suis partibus, et definitum suis definientibus, ut dicit Philosophus 1 Physic. c. 1, in quo etiam videtur claudicasse ejus pro-

cessus dum dicit, quod totum est magis notum sensui, universale autem est quoddam totum continens sub se plures partes, ubi manifeste æquivocat de toto actuali in majori, et de toto potentiali in minori, universale enim est quoddam totum potentiale.

Confirmatur, quia quando cognoscitur ens in prima cognitione, vel cognoscitur ut contractum et concretum cum aliis prædicatis inferioribus, vel ut abstractum, et separatum ab illis; si primo modo, non cognoscitur ens sub conceptu confuso, sed magis sub contracto, quod non est cognoscere ens sub conceptu entis, sed sub conceptu alterius prædicati. Si secundum, non potest primo cognosci ens, quia abstractio illa est omnium suprema, et difficillima, abstractio autem speciei infimæ est facilior, quia abstrahit a similioribus, scilicet ab individuis unius speciei, et magis accidit ad sensibilem cognitionem, quæ versatur circa ipsa individua. Unde et illa scientia, quæ agit de ente, in abstracto et in communi, est omnium postrema, scilicet Metaphysica.

Respondetur quod species infima est quoddam totum actuale per modum rei, et per modum cujusdam compositi, et sic est magis cognoscibilis cognitione confusa actuali, tanquam cognitum *ut quod*, et ut quidditas ipsa materialis, quæ occurrit intellectui. Cæterum in ista specie, et quidditate sic occurrente intellectui in prima sui potentialitate, ratio formalis *quæ*, seu objectum prius cognitum *ut quo*, et ut ratio confundit totum illud constitutum, quod est species, est ipsa ratio entis, seu prædicati universalioris, quatenus in illo secundum se minus discernuntur, seu magis confunduntur reliqua prædicata, ideo enim totum actuale confuse concipitur, quia solum sub ea ratione cognoscitur, in qua omnes illæ partes minus discernuntur, et minus ea quæ sunt propria totius attinguntur: constat enim quod quantum totum actuale cognoscitur confuse, sub aliqua ratione formali confunditur, et illa debet esse, in qua propriæ rationes illius totius non discernantur, sed cum his, quæ ipsi et aliis communia sunt, confundantur, hæc autem est ratio, seu prædicatum commune secundum se.

Quod vero dicitur, prædicata communia esse partes componentes, et definientes ipsam speciem infimam, dicimus, quod illa prædicata secundum diversos respectus pertinent ad cognitionem confusam vel distinctam, actualem vel potentialem: si enim considerentur ut partes hujus quidditatis, quam componunt, et ut contractæ ad illud, processus cognitionis ab ipsis ad totum, est processus cognitionis distinctæ, si vero considerentur secundum se præcise, non sub relatione et comparatione ad inferiora, sed absolute secundum se sic, sunt ratio confundendi cognitionem totius. Unde dicit S. Thomas 1 p. q. CXI. v, art. III ad 3: «Quod pars potest cognosci, vel absolute, et sic prius cognoscitur quam totum, vel secundum quod est pars hujus, et sic prius cognoscitur totum, et sic etiam definientia absolute considerata sunt priora definito, quia notificant illud, sed ut partes definitionis, sunt posterius nota.» Sic ergo partes non semper sunt ratio cognitionis distinctæ actualis, nisi in quantum sunt propriæ hujus, non si solum considerentur absolute, et secundum se: sic enim potius sunt ratio confundendi, quia solum in eis attingitur id, quod est commune, non quod proprium hujus. Si vero ista prædicata communia comparative ad inferiora attingantur, sic fundant cognitionem

totius potentialis, nec pertinent ad primum cognitum.

Quod vero additur de processu Philosophi a toto actuali ad totum potentiale, respondetur ex D. Thoma 1 Phys. lect. 1, quod Philosophus subsumit de universali, quod est quoddam totum, non quatenus exercet rationem totius potentialis seu secundum habitudinem superioris ad inferiora, sed quatenus est ratio quædam confusa, et concipitur secundum se, in qua non discernuntur, sed confunduntur reliqua prædicata et differentiæ propriæ, et quatenus utrumque totum, actuale, et potentiale conveniunt in ratione confusi, sic procedit de uno ad aliud, nam ratio totius potentialis sumpta secundum se, et ut pars communis, et non propria hujus totius, est ratio formalis confundendi cognitionem ejus, ut dictum est.

Ad confirmationem respondetur quod cum dicitur ens esse primo cognitum, et prædicata universaliora esse notiora, non sumitur ens, ut subest abstractioni positivæ, sive formali, sive totali sicut de illo tractat Metaphysica, sed ut concipitur secundum se, et sub abstractione negativa, qualis etiam potest contingere in sensu qui accipit unum omisso alio, v. g., colorem in pomo omisso sapore, et in ipso colore possumus videre a longe rationem colorati singularis, non discernendo propriam differentiam talis coloris: sic in prima cognitione intellectus accipit ens, ut concretum quidditati sensibili, non quia abstractionem positivam ejus formet, nec quia propriam, et determinatam rationem prædicata inferioris accipiat, sed quia in ipsa quidditate sensibili solum accipit rationem confusionem, vel communionem secundum se, quæ est magis imperfecta, et potentialis, et hæc est facilioris abstractionis negativæ, licet positiva ejus abstractio quæ est cum habitudine superioris ad inferiora sit difficilior, et in specie infima facilior.

Ultimo arguitur ad probandum, quod singulare prius ab intellectu attingitur quam universale: Nam intellectus movetur a phantasmate, sicut visus a colore, ut sæpe asserit Aristoteles, et experientia ipsa testatur, quia cum primum aliquid singulare offertur sensui, illud ipsum movet intuitive intellectum, de ratione autem intuitivæ cognitionis est, quod sit circa rem præsentem et existentem, ergo circa singulare, cum ergo a phantasmate moveatur intellectus, ab ipso etiam determinatur ad cognoscendum hoc singulare quod in phantasmate repræsentatur, alioquin non moveret intellectum; si non moveret ad id quod repræsentat, quod totum est singulare.

Confirmatur, quia intellectus possibilis abstrahit universale a singularibus, faciendo comparationem, et collationem singularium in eo, in quo conveniunt, et in quo differunt: ergo necesse est quod prius cognoscat ipsa singularia; alioquin nunquam abstraheret universalia, si non cognosceret a quibus abstrahit.

Confirmatur secundo: Nam intellectus potest formare conceptum directe repræsentantem singularia: ergo et speciem impressam habere potest, repræsentantem illud directe, atque adeo potest intellectus immediate cognoscere illud. Consequentia constat, quia tota ratio, quare non potest primo, et per se repræsentari singulare, sensibile est, quia non est primo et per se intelligibile, quousque denudetur a conditionibus singularibus, sed species expressa, seu conceptus est magis in actu intelligibilis, quam species impressa: ergo si potest repræsentare directe singulare, a fortiori spe-

cies impressa id poterit, et consequenter intellectus directe, et immediate informabitur ad repræsentationem talis singularis. Antecedens autem constat, quia intellectus format immediate propositionem singularem, ut *Petrus est albus*, et intuitive attingit objectum propositum, quod non potest esse nisi in singulari attingat, in quantum existens est, ac denique practice dirigit operationes voluntatis, quæ circa individuum sæpe versantur, sicut quando electio aliquid in singulare eligit præ alio. Neque dici potest, quod cognoscatur per reflexionem supra ipsum phantasma, quia hæc reflexio indiget comparatione objecti intellecti, ad ipsum phantasma, et tunc vel tale phantasma singulare est sibi ignotum vel notum; si ignotum, non faciet comparationem, si notum, ergo per aliquam notitiam, quæ directe repræsentet ipsum, et sic habetur intentum; præter quam, quod istæ reflexiones vix fieri possunt ab hominibus valde exercitatis, et doctis; singulare autem a quocumque intelligitur.

Respondetur ad principale argumentum, quod ut plenius dicetur in libris de anima, phantasma dicitur movere intellectum, quatenus proponit objecta, a quibus intellectus agens accipit, format et speciem spiritualem repræsentantem objectum, non eo modo quo in phantasmate continetur, sed eo modo quo intellectus exigit juxta rationem sui objecti formalis, formale autem objectum intellectus in eo, in quo distinguitur a sensu, est ipsa quidditas rei secundum se, non autem secundum accidentia exterius apparentia, intellectus enim dicitur quasi intus legens, eo quod penetrat ad interiora rei, id est ad quidditatem, quod non facit sensus. Quare phantasma dicitur movere intellectum ad quidditatem sui objecti repræsentati, modo quo intellectus exigit non eo modo phantasma continet, sicut etiam colores movent visum ad cognoscendum præcise ipsum colorem, non autem conjunctionem ejus ad saporem, vel calorem, quam tamen habet in re. Quod vero dicitur intellectus intuitive videre objectum, dicimus quod id habet dependenter a sensu, et in quantum continuatur cum illo; clausis autem sensibus quantumcumque res sint præsentes, intellectus non potest intuitive cognoscere, quia non possunt illæ species de tali præsentia certificare, nisi mediantibus sensibus: si tamen Deus infunderet aliquod lumen superius, et species exemplatas a Deo, sicut infunduntur Angelis, posset illis intuitive videre independenter a sensu, sed in præsenti non loquimur nisi de speciebus per sensum acquisitis, et ab illo dependentibus.

Ad primam confirmationem respondetur universale Metaphysicum posse fieri ante comparationem, et collationem cum singularibus, sed per abstractionem negativam, sic enim intellectus agens dicitur abstrahere speciem a phantasmate, quatenus repræsentat naturam, et omittit individua, id est rem per modum quidditatis, et non per modum conditionum singularizantium, eo quod ratio ipsa quidditatis a singularibus conditionibus non dependet. Quando vero intellectus comparat hanc naturam universalem ad singularia, sive ad conditiones individuales, cognoscit quidem ipsa singularia, sed indirecte, et ut sunt aliquid connotatum, vel præsuppositum in phantasmate ad ipsam quidditatem.

Ad secundam confirmationem respondetur quod intellectus non cognoscit singulare eo modo quo universale, licet utrumque cognoscat, et sic negamus dari conceptum, seu cognitionem directe repræsentantem singulare, sicut negat semper D. Thomas, aliud est enim quod possit dari conceptus proprius rei singularis, aliud quod directus proprius quidem dari potest ex parte rei cognitæ, discernendo hoc individuum ab illo, et qui distincte cognoscit, proprie cognoscit, non autem directus, quia formalis ratio cognoscendi intellectus, in quo a sensu distinguitur, non est ipsa singularitas, sed ipsa quidditas, cujus singularitas est modus; sed tamen, quia intellectus non attingit ipsam quidditatem, nisi dependenter a phantasmatibus convertendo, et coordinando se illis, ut dicitur tertio de anima, text. II, ideo attingit singularia, ut sunt quædam connotationes quidditatis abstractæ a phantasmatibus, ad quæ dicit ordinem, et ita sensus et intellectus contrario modo procedunt; quia sensus primo, et per se respicit accidentia, a quibus pendet individuatio quidditatis; intellectus autem primo, et per se respicit quidditatem, quæ talibus accidentibus, et individuatione connotatur, et designatur, et ideo potest proprie distincte attingere illa, non tamen immediate, et directe: intelligitur enim res materialis modo immateriali, et consequenter segregatur a modo materiali, qui maxime invenitur in conditionibus singulariter individuantibus, et ideo objectum quod fit immateriale a nobis per segregationem a modo materialitatis, implicat quod directe repræsentet sub modo singularitatis, quæ est maxime materialis. Secus est de speciebus infusis a Deo, quæ repræsentant sua objecta immaterialiter, quatenus descendunt a Deo, a quo et quidditas, et singularitas derivatur, et consequenter repræsentatur, ut sic derivata.

Quare ad argumentum negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod intellectus format propositionem rei singularis, et singularitatem cognoscit, practiceque proponit voluntati, formando quidem proprium, et distinctum conceptum illius, sed indirectum quatenus connotatur singularitas in ipsa quidditate, ut extracta est a phantasmatibus; et sic non cognoscit singularia confuse, ut continentur solum sub natura communi, sed ut repræsentantur distincte in phantasmatibus, non quod intellectus concipiat per phantasma formaliter, sed quæ sunt propria phantasmatum, investigat intellectus per conceptum quidditatis, ut habentis ordinem et dependentiam a phantasmate, ut a termino a quo est extracta; et hæc est cognitio reflexa seu indirecta, qua cognoscitur singulare: quia scilicet cognoscitur quidditas attendendo etiam ad connotationem, et ordinem, quem habet ad phantasmata a quibus extracta est, et propterea dicitur reflecti super illa; ab illis enim incœpit cognitio, et hac ratione explicat hanc reflexionem S. Thomas I p. q. LXXXVI, art. I, et Opusc. II, et aliis locis: neque hoc requirit majus exercitium, vel comparationem, quam ipsa conversio ad phantasmata, quæ cuilibet homini convenit, licet exercitatiores comparationem ipsam, et reflexionem in actu signato possint advertere. Et sic etiam practica cognitio, ut in singulari moveat et rem sensibilem, vel modo sensibili indutam, indiget formare aliquam sensitivam cognitionem, mediante qua moveatur in singulari appetitus ad exequendum, ut loco citato primæ partis ad secundum dicit D. Thomas, et tertio de amina, ex Philosopho, lect. XII. Voluntas autem ex cognitione singularis indirecta movetur.

CIRCA LIBRUM PRIMUM

PHYSICORUM.

QUÆSTIO II.

DE PRINCIPIIS RERUM NATURALIUM IN COMMUNI.

Principia rerum naturalium vocant Philosophi illa, ex quibus res naturales constant, et fiunt. Principium autem extra totam naturam, et quod movet naturam, est Deus; licet antiqui cæcutientes non solum erraverint circa principia naturalia, non agnoscentes generationes substantiales, sed etiam primis principiis rerum naturalium, ex quibus natura ipsa constat, Divinitatem tribuerunt, cum tamen Divinitas soli illi principio, quod est extra et supra totam naturam, nec movetur in se, sed movet illam, tribuatur. Et ad investiganda principia ipsa rerum naturalium duplex patet via Philosophiæ. Prima, supponendo dari generationem substantialem, qua res de novo fiunt simpliciter; ex hujus enim ignorantia antiqui illi Philosophi in tam absurdas sententias declinarunt. Secunda, ex illo principio notissimo, quod ex nihilo nihil fit per naturam : inde enim deducitur debere dari aliquod subjectum, ex quo aliquid fiat, non solum secundum mutationem accidentalem, sed etiam secundum mutationem substantialem, et ita in se non debet esse ens actu substantialiter, sed ens in potentia.

Ad investigandum autem principium, quod est extra totam naturam utitur Philosophia motu, non ut pendet a subjecto, et forma, ex quibus res mobilis constat, sed ut pendet a movente, et efficiente, quod requiritur ultra subjectum, et formam cum nihil se moveat, nec efficiat, ut in VII libro probabitur, et non sit procedere in infinitum : ergo datur primum movens, non motum ab alio, et hoc non est natura, quæ est mobilis, sed supra naturam.

Sic ergo in præsenti solum investigamus principia rerum naturalium, ex quibus componuntur, et constant res ipsæ naturales. Principium autem extrinsecum, et superius toti naturæ in VIII libro investigabitur. Primo autem inquiremus de principiis in communi. Secundo, de quolibet eorum in particulari. Tertio, de composito quod ex illis resultat, tam substantiali, quam quantitativo.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit principium rei naturalis, et quomodo definiatur ?

Principium loquendo in tota sua generalitate distinguitur a D. Thoma, V Met. lect. I, a causa hoc modo *quod principium ordinem quemdam importat ad principiatum at vero causa importat influxum quemdam ad esse causati.* Dividitur vero principium ibidem in illud quod est primum, vel in esse rei, sicut prima pars dicitur principium, vel in fieri rei, vel in cognitione rei, sicque definitur principium a Philosopho, ibi : *Quod est primum unde aliquid est, vel fit, vel cognoscitur.* Addit vero D. Thomas ibi, quod principia quædam sunt intrinseca, quædam extrinseca et inde discernetur, quomodo se habent ista tria principium, causa, et elementum : omnia enim dicunt aliquam rationem primi, sed distinguuntur, quod principium est communius quam causa, et causa quam elementum; salvatur enim ratio principii, ubicumque salvatur ordo primi ad principiatum, et sic in Divinis processionibus invenitur ratio principii, quia invenitur ordo unius ab alio, et a quo alius, nec tamen invenitur ratio causæ, quia non invenitur influxus in esse, et consecutio ipsius esse, licet inveniatur communicatio esse, de quo videndus est D. Thomas I p., q. XXXIII, art. I ad 1. Similiter terminus a quo incipit motus et punctum respectu lineæ dicuntur principia sed non causa. Deinde etiam causa in plus est quam elementum, comprehendit enim causa tam intrinsecam, quam extrinsecam : unde cœlum dicitur causa istorum inferiorum, sed non elementum, et similiter etiam finis est causa, et non elementum, sola autem causa intrinseca potest dici elementum, et sic minus late patet quam causa.

Principium sic generaliter sumptum includit tam principia Metaphysica, quam Physica, tam intrinseca, quam extrinseca, tam in facto esse, quam in fieri, et dicimus principia Physica sumendo ly *Physicum* non pro eo solum quod est reale, sed quod est subjectum motui imperfecto, et corporeo, Metaphysica ergo principia sunt communia omni generi entis, scilicet actus et potentia ut dicitur XII Metaph., tex. XXVI, lect. IV apud D. Thomam. Principia vero Physica important actum, et potentiam non absolute, in omni latitudine, sed in genere mobili, seu transmutabili, et ita actus dicitur forma, potentia vero vel sumitur pro subjecto, et sic est materia, vel pro potentialitate, seu statu carentiæ formæ, et sic est privatio.

His positis, principia naturalia in communi loquendo definiuntur a Philosopho in hoc primo libro, tex. XLII, lect. X, apud D. Thomam penes tres conditiones, quæ ad illa requiruntur : Principia sunt, quæ non sunt ex aliis, nec ex alterutris, sed omnia ex ipsis; ubi solum definit prima principia naturalia, scilicet quæ simpliciter habent rationem principii, ita quod nullo modo sunt principiata. Secunda autem principia, quæ sunt ex his primis, ita sunt principia, quod etiam sunt principiata, et constantia ex aliis prioribus, et sic dicuntur non esse ex aliis, sed omnia ex ipsis, quia non habent alia priora, ex quibus principientur, quæcumque vero res principiantur, ex ipsis sunt, et sic excluduntur ab hac definitione quatuor elementa, et ipsum cœlum, quæ licet sint principia, non tamen sunt prima, sed ex aliis prioribus constant, scilicet materia et forma.

Dubitant tamen aliqui in præsenti, an Philosophus definiat hic principia naturalia quoad fieri, et generari, an solum quoad esse. Aliqui enim recentiores existimant, rationem principiorum non consistere in eo, quod non fiant ex aliis, nec alterutris, sed quod non sint ex aliis, nec ex alterutris. Unde videntur ab hac definitione excludere privationem. Sed oppositum expresse

tenet D. Thomas ut videri potest in hoc primo Physicorum, lect. XIII, exponens illa verba, cap. VII, tex. XV : Sunt causæ, et principia eorum, quæ natura sunt, etc. ubi sic inquit : « Et notandum est, quod hic intendit inquirere Aristoteles principia non solum fiendi, sed etiam essendi ; unde signanter dicit, ex quibus primis sunt, et fiunt ; » ergo hic definiuntur non solum principia rerum in esse, sed etiam fieri. Et ratio est, quia non traditur alia definitio pro principiis generationis, quam pro principiis compositionis, sed una dari potest pro omnibus principiis in communi, nec alia quam istas ; et ita convenit ista definitio, non solum duobus principiis, quæ sunt principia in componendo scilicet materiæ, et formæ, sed etiam privationi, quæ est principium in fieri, et generari. Et idem sumitur ex verbis Philosophi in hoc primo libro, tex. LXV in fine, ubi inquit : « Ex his scilicet materia et forma fieri, ea quæ fieret. » Et similiter in text. XLIII, lect. X apud D. Thomam dicit : « Quod prima contraria sunt, quæ non ex se mutuo fiunt ; ut habet nova translatio, ubi antiqua dicebat, quod contraria non sunt ex alterutris. » Denique in V Metaphys., text. V dicit Philosophus : « Naturam dici uno modo, id ex quo aliquid est et fit, » et loquitur de materia, quæ est principium quantum ad esse, et quantum ad fieri, ut ibi explicat D. Thomas. Sic ergo definitio data non solum intelligitur de principiis in esse, quæ componunt, et non contrariantur sicut materia et forma, sed etiam quæ contrariantur, et non componunt, et pertinent ad ipsum fieri sicut privatio et forma. Negare autem quod prima principia sint contraria, est aperte negare Philosophum, qui id affirmat in hoc libro, textu LII et LIV, et in hoc maxime commendat Philosophos antiquos, quod posuerunt principia esse contraria ; quam veritatem inquit D. Thomas in libro, lect. XII : « Naturali inclinatione ipsos fuisse consecutos. » Et denique frustra probaret Philosophus principia naturalia esse plura, quia sunt contraria, si in se contraria non sunt, sed solum exemplo contrariorum explicantur.

Ex his constat, quomodo explicandæ sunt illæ duæ particulæ in definitione principiorum, scilicet : *Quod non sunt ex aliis, nec ex alterutris*. Dicuntur enim non fieri ex aliis quia prima sunt, et dicuntur non fieri ex alterutris, quia prima contraria sunt, intelligitur autem unum non fieri ex alio secundum se sumptum, et quasi in abstracto sicut calor et frigus, vere tamen unum contrarium fit ex alio ratione subjecti in quo est, sicut ex calido fit frigidum, non quidem formaliter, id est ratione formæ, nec enim una forma est ex alia, sed subjective, et ratione materiæ, quatenus ex materia calidi educitur frigus, de quo videatur Philosophus X Metaphy., text. XIV, lect. VI apud D. Thomam. Et similiter unum contrarium fit ex alio, ut a termino *a quo*, ut statim dicemus.

Ex quo etiam colligitur, qua ratione dicetur, quod causæ sunt ad invicem causæ, non tamen principia ad invicem sunt principia. Ratio est, quia causæ in quantum causæ non habent contrarietatem inter se, sed potius dependentiam mutuam, ita quod una causa conducit ad esse alterius, et in ipsis principiis materia, et forma quia non se habent ut contraria, sed ut causa formalis, et materialis componentes totum, una ad invicem dependet ab alia, et causat aliam in esse, licet una non componat aliam, quia prima principia sunt simplicia, eo quod omnia resolvuntur in ipsa.

Cæterum in quantum sunt principia contraria, non possunt esse ex alterutris, quia contraria inter se repugnant, et se repellunt, non vero unum principiat alterum, neque intrinsece ut pars illius, neque extrinsece causando illud, sed solum potest unum extrinsece initiare aliud tanquam terminus a quo, sed hoc est per accidens, quatenus conveniunt in eodem subjecto, et unum succedit alteri, dum expellit illud, et sic initiat successionem ejus, ut terminus a quo, quod utique convenit illi ratione materiæ, in qua sit ista transmutatio, et successio.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur, contra illam particulam *ex aliis*, quia vel sumitur in tota sua amplitudine, ut etiam includit principia extrinseca, et sic etiam includetur efficiens, seu movens, et omnis causa extrinseca : vel sumitur prout solum dicit causas intrinsecas, seu partes componentes, et sic solum includetur materia et forma, non vero privatio, vel tandem includitur terminus a quo extrinsecus, licet non causæ extrinsecæ ; et sic non sola privatio erit principium, sed etiam forma corrupta, quia etiam habet rationem termini a quo, nec se habet per accidens, cum non possit agens naturale, ex quolibet subjecto educere formam, sicut non potest equus generari ex lapide. Deinde, quia sumitur æquivoce ly *ex quo* in definitione principiorum, tam pro eo ex quod aliquid sit, ut a termino a quo, quam pro eo ex quo constituitur, ut ex parte componente. Denique non omnia entia naturalia privationem habent pro principio, sicut corpora cœlestia, quæ sola creatione, et ex nihilo fiunt. Unde hæc definitio solum complectitur principia rerum corruptibilium.

Respondetur, quod illa particula *ex aliis*, solum importat ea, a quibus res essentialiter pendet, sive in facto esse, sive in fieri, ut a componentibus, vel inchoantibus, eo quod principium, et principiatum ita se habent, quod principiatum resolvitur in principium ; principium autem in quantum tale non resolvitur in aliud, nisi etiam sit principiatum, et ita in quantum principium non est ex alio. Causa autem efficiens, et quæcumque alia extrinseca, non includitur in definitione ista principiorum naturalium, ut dicemus articulo III, nec enim causæ extrinsecæ sunt principia, ex quibus natura ipsa rerum constat, sive in fieri sive in facto esse, sed efficiens dicitur *id, a quo incipit motus*, finis propter quem incipit, exemplar ad cujus imitationem fit, nulla vero causa extrinseca dicitur, ex quo aliquid fit.

Ad id vero, quod opponitur contra privationem. Ad primam replicam dicitur, quod sola privatio sumitur ex parte termini a quo formaliter loquendo, et communiter ad omnem mutationem, formaliter quidem, quia ex aliis entibus non potest dici, quod aliquid fiat per se, et formaliter, sed solum materialiter, et per accidens, ut D. Thomas dicit in hoc libro, lect. X, sicut ignis, verbi gratia, potest generari materialiter ex pluribus rebus, ut ex ligno, ex papyro, ex aqua, etc. Formaliter autem fit ex illis omnibus, quatenus conveniunt in privatione ignis. Quod vero aliqua non possunt fieri ex quolibet, non ideo est, quia formaliter non fiat ex privatione, sed quia non semper materia est proxime disposita, ut ex illa forma educatur, vel uniatur, sicut ex lapide non potest immediate fieri equus. Communiter autem se habet priva-

tio ad omnem mutationem, quia in omni mutatione et motu, etiam quando fit ex contrario in contrarium, invenitur ex parte termini, a quo privatio; nam contrarietas non exercetur sine privatione. At vero fieri ex contrario positivo non invenitur in omni mutatione, ut patet in generatione substantiali, et aliis instantaneis mutationibus, in quibus non proceditur a contrario in contrarium, substantiæ enim nihil est contrarium.

Ad secundam replicam dicitur, non sumi æquivoce illum terminum *ex aliis*, eo quod traduntur hic principia rei mobilis, non solum in esse rei, seu in facto esse, sed etiam in motu, et in fieri, et ideo explicari debet, tam de eo ex quo aliquid componitur, quam de eo ex quo aliquid fit.

Ad tertiam replicam dicitur: Principia rerum naturalium dicuntur tria, non quod in omni re naturali tria requirantur, sed quia non plura sint necessaria in omni re naturali, ita tamen quod in aliquibus omnia tria requiruntur, in aliis duo sufficiunt.

Secundo, arguitur contra secundam particulam *ex alterutris;* videtur enim superflue poni, et falso. Superflue quidem, quia hoc ipso, quod principia non fiunt ex aliis prioribus, constat, quod non fiunt ex alterutris; esset enim unum prius altero, hoc ipso quod fieret ex illo. Falso autem, tum quia expresse Aristoteles in hoc libro textu XLIII et XLIV docet, unum contrarium fieri ex alio, verbi gratia, album fieri ex non albo, sed non ex omni, sed ex nigro, et ignem ex ligno: ergo falsum est quod contraria non fiant ex alterutris; tum etiam, quia in ipsis principiis, quæ sunt materia et forma, educitur forma ex materia: ergo materia est principium formæ, et forma est principiata, et sic unum principium est ex alio: tum denique, quia hæc definitio non verificatur de aliquo principio singulari, nullum enim in singulari datur, ex quo omnia alia fiant: ergo falso ponitur illa ultima particula *sed ex ipsis sint omnia.*

Respondetur, illam particulam *ex alterutris,* nec esse superfluam, neque falsam. Ad primam probationem dicitur, quod particula *ex aliis prioribus*, ostendit quidem quod principia ista sint prima, quia non sunt principiata ex aliis prioribus: non tamen ostendit, quod sint prima contraria, nisi ponatur, quod non sint ex alterutris, et hoc ad differentiam causarum, quia licet sint primæ in suo genere, tamen ad invicem sunt causæ, quia contrarietatem non habent, sed mutuo se juvant; principia autem quia contraria sunt, non sunt sibi ad invicem principia, et ita non fiunt ex alterutris.

Ad secundam probationem dicitur, quod ut ipse Aristoteles docuit in hoc libro, capite VII, et ibi D. Thomas, lect. XII, contraria dicuntur non fieri ex alterutris, sumendo illa in abstracto, et formaliter, sicut albedo non fit ex nigredine vel e contra; potest tamen unum contrarium fieri ex alio ratione subjecti et materiæ, in qua est, sicut ex albo fit nigrum, vel e contra ratione subjecti albedinis, sed hoc formaliter non est fieri unum contrarium ex alio, sed ex materia unius contrarii, quæ alteri contraria non est, sed in potentia ad ipsum; potest tamen unum contrarium habere aliud pro principio tanquam terminum a quo, sed hoc non convenit ipsi contrario, sed motui illius, seu fieri ejus, neque formaliter fit ex ipso, sed ex privatione, et sic utrumque dixit Philosophus in text. XLIII, scilicet: Quod album fit ex non albo, et hoc non ex omni, sed ex nigro; quasi dicat formaliter ex non albo, materialiter non ex omnibus, sed ex his quæ sui generis sunt, scilicet ex nigro, vel ex alio colore.

Ad tertiam probationem dicitur, quod forma educitur ex materia, et fit ex illa, eo modo, quo fieri convenit formæ, non tamen forma est contraria materiæ; principia autem dicuntur non fieri ex alterutris, quatenus contraria sunt, si vero non sint contraria, id non repugnat, et sic D. Thomas lect. XI et lect. XIII docet ex Philosopho, quod contraria fiunt ex invicem, si sumatur subjectum contrariis, fiunt enim ex ipsa materia.

Ad ultimum respondetur, quod illa particula *ex ipsis sint omnia*, intelligitur in sensu distributionis accommodæ, scilicet quod omnia quæ fiunt, ex illis fiunt, licet non ex quolibet singulari omnia, sed ex quolibet id quod sibi conveniens est, sicut cum dicimus, quod omnia accidentia inhærent substantiæ, non intelligitur in qualibet substantia singulari omnia, sed in tota collectione substantiæ, seu in toto genere. Et tamen materia rerum corruptibilium talis est quod ex qualibet materia potest fieri quæcumque forma, dummodo ad illam debite disponatur, quia est in pura potentia ad omnes ormas.

ARTICULUS II.

Utrum prima principia sint contraria?

Communiter principiis naturalibus attribuitur quod sint contraria, et prima contraria. Et ideo tria nobis explicando sunt. Primum, an omnibus principiis conveniat esse contraria. Secundum, quid sit ista contrarietas principiorum. Tertium, quid sit esse prima contraria.

Circa primum. Aristoteles ut certum supponit etiam ex antiquorum Philosophorum placitis, principia esse contraria, ut patet in hoc primo libro, text. XLVIII, ubi D. Thomas, lect. X, inquit: « Quod Philosophi hoc dixerunt ab ipsa veritate coacti, » et hoc manifeste constat, quia in præsenti agimus de principiis rerum mutabilium, quatenus mutabiles sunt, in omni autem mutatione oportet dari acquisitionem unius, et amissionem alterius: ergo necesse est quod interveniat contrarietas inter formam corruptam, et acquisitam: ita quod una forma habeat adjunctam privationem alterius, et consequenter oppositionem; nam ubi est privatio et forma privata, oppositio est, quæ largo modo dicitur contrarietas; est enim illa privatio adjuncta alicui formæ positivæ.

Ut autem videamus, quibus principiis conveniat ista contrarietas, oportet distinguere principia rei in facto esse, et in fieri, seu principia generationis, et compositionis; licet enim eadem res sit in fieri, et in facto esse, tamen propter diversum statum aliquid est de conceptu illius, ut est in ipsa mutatione, et fieri quod non est de conceptu ipsius in ipsa compositione, et in facto esse; de conceptu enim mutationis, seu generationis est, quod transeat de non esse ad esse, quod in re facta jam non invenitur, eo quod jam non transit, sed permanet in esse; unde aliud principium amplius assignandum est generationi seu mutationi, quod non assignatur rei genitæ, scilicet id, ratione cujus est transitus de non esse ad esse, et hoc est privatio; in generatione enim forma consideratur, non ut dans esse, sicut in composito, sed ut transiens de non esse ad esse.

Ex his respondetur primæ difficultati: Principia rerum in facto esse, et ut componentia non sunt

contraria, principia vero in fieri, et in generari contraria sunt, non ratione materiæ, sed ratione privationis, et formæ in materia. Utraque pars est communis Auctorum; et prima manifeste patet, quia materia, et forma in ipso composito non se expellunt, sed mutuo junguntur, ergo non sunt contraria. Constat autem materiam et formam esse partes componentes ipsum totum et materiam appetere formam, et e contra, ergo non habet inter se contrarietatem, sed appetitum.

Secunda vero pars probatur, quia ubicunque est fieri, et motus, datur positio unius, et ablatio alterius, generatio enim unius, est corruptio alterius : ergo datur contrarietas, seu oppositio inter id quod corrumpitur, et generatur, seu inter formam, quæ est terminus ad quem, et id quod est terminus a quo. Et quia omnis contrarietas exercetur in aliquo subjecto, necesse est quod forma et privatio solum sint contraria, prout in materia, et materia prout privata, etiam incompossibilitatem habet cum ipsa forma, qua privata est.

Ex quo constat contra Aristotelem, et veritatem loqui, qui contrarietatem negant primis principiis, et dicunt, quod Aristoteles solum usus est exemplo contrariorum ad declaranda ipsa principia, putant enim Aristotelem solum definire hic principia in esse, et non principia in fieri, quorum fundamentis respondebimus circa tertiam difficultatem.

Circa secundam difficultatem, scilicet quæ contrarietas inveniatur in istis principiis, *dubium oritur ex eo*, quod ista principia sunt in genere substantiæ, nihil autem substantiæ est contrarium, ut dicitur in capite de substantia, non solum substantiæ completæ, et totali, quæ subjectum non habet, in quo contrarietatem exerceat, sed neque substantiæ incompletæ, ut formæ vel parti, quia in istis partibus non est dare magis, vel minus, cum non sint formæ intensibiles, et consequenter neque potest dari maxima distantia inter tales formas, quia ubi non est distare magis et minus, non est maxime distare, contraria autem sunt, quæ sub eodem genere maxime distant. Imo si ad perfectam contrarietatem hoc reducatur, quæ est inter extrema positiva, privatio non erit dicenda principium rei naturalis, sed forma corrupta et forma genita.

Respondetur, in principiis rei naturalis non posse dari contrarietatem proprie, et stricte dictam, sicut in accidentibus, sed largo modo pro privative oppositis, vel si inter ipsas formas substantiales attendatur oppositio potius est incompossibilitas quædam, quam contrarietas, imo in hoc deficiebant antiqui Philosophi, quia ponebant principia esse contraria more accidentium, quia ipsi formas substantiales non agnoscebant, sed pro principiis contrariis assignabant calidum et frigidum, vacuum et plenum, litem et amicitiam, et aliqua similia, ut notavit Philosophus in hoc primo libro, capite v, textu XLIX, ipse autem in text. LII docet, substantiam nullius rei esse contrariam. Quare non potest poni in principiis rerum naturalium contrarietas proprie dicta, nisi cum antiquis ponamus, non dari formas substantiales, sed solum accidentales, secundum quas fit generatio.

Cur autem in substantia non inveniatur contrarium, cum videamus formas substantiales esse positivas, et mutuo se expellere, et repugnare? Respondet optime S. Thomas, XI Metaphys. lect. XII, explicans dictum Philosophi ibidem, quod secundum substantiam non est motus, quia substantiæ nihil est contrarium. « Formæ, inquit, substantiales non possunt esse contrariæ, quia contraria sunt extrema quædam cujusdam determinatæ distantiæ, et quodammodo continuæ : cum sit motus de uno contrario in aliud contrarium. Unde in illis generibus, in quibus talis distantia continua et determinata non invenitur, non potest contrarium inveniri. Unde numerus numero non est contrarius, neque figura figuræ, eodem autem modo est in substantiis, quia ratio cujuslibet speciei constituitur in quodam determinato indivisibili. » Ita D. Thomas : quare attendendum est ad ipsam formam constituentem aliquam speciem, quæ si non admittat in se latitudinem secundum aliquam determinatam distantiam, sed solum habet indivisibilem modum constituendi speciem, non fundat contrarietatem, quæ est maxima distantia, seu ultima, atque adeo determinata respectu alterius formæ. Quomodo autem formæ substantiales habeant oppositionem, et se expellant? Respondet D. Thomas ibidem, quod hoc est secundum quod una forma habet sibi annexam privationem alterius formæ; nam privatio quodammodo contrarium est. Itaque principia rerum naturalium dicuntur contraria propter privativam oppositionem, quæ est principium contrarietatis, et sic forma et privatio sunt opposita, non autem materia et forma, nec materia et privatio, quia materia utriusque est capax.

Unde solvitur ratio dubitandi : dicimus enim, quod formæ substantiales non habent contrarietatem stricte dictam, sed largo modo pro oppositione privativa, quæ est principium contrarietatis. Nec sequitur quod forma corrupta potius erit principium, quia positive contrariatur formæ genitæ. Respondetur enim, quod forma corrupta non opponitur formæ genitæ, nisi ratione privationis adjunctæ, non ratione specialis contrarietatis, quia utraque in indivisibili consistit, neque fundat oppositionem maximæ distantiæ, cum nullam habeat latitudinem secundum magis et minus. Aliunde etiam non potest forma corrupta esse principium per se, et formaliter rei naturalis, etiam quoad generationem, quia non per se pertinet ad generationem unius formæ, quod fiat ex altera, sed ex non esse, eo quod contingit aliquam formam fieri ex diversis, sicut ignis potest fieri ex ligno, vel ex stuppa, vel ex aqua, etc. quæ omnia materialiter se habent ad generationem ignis, formaliter autem solum attenditur id, in quo omnia illa conveniunt, scilicet in non esse, seu privatione ignis. Aliquæ tamen formæ postulant determinare generari ex materia habente talem formam, verbi gratia, animal ex embryone, non propter principium generationis, sed quia non aliter disponitur materia, nisi transeundo per illam formam.

Circa tertiam difficultatem, scilicet quomodo prima principia dicantur prima contraria, difficultas est circa rem ipsam, scilicet in quo consistat ratio primæ contrarietatis, et circa rationem Aristotelis, qua probavit prima principia esse prima contraria. Ad hoc ergo intelligendum dicimus, quod triplici modo potest intelligi prima contrarietas. Primo, secundum generalem rationem, quia in unoquoque genere dantur prima contraria, id est, primæ differentiæ dividentes aliquod genus, ex quibus derivantur aliæ differentiæ, quæ constituunt species intermedias, et illæ primæ differentiæ constituunt prima contraria in illo genere, sicut in qualitatibus dulce et amarum dicuntur se-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cunda contraria, quia derivantur ex aliis contrariis prioribus, scilicet ex calido et frigido, sicco et humido. Et rursus in genere magis determinato, verbi gratia, in genere coloris primæ differentiæ, quæ sunt album et nigrum, constituunt prima contraria illius generis; colores vero intermedii, qui ex istis constant, seu derivantur, dicuntur secunda contraria, et ith docet Philosophus in hoc primo libro Physic. cap. VI, textu LVI, et ibi D. Thomas, lect. XI, et X Metaphys. textu XXIII, lect. IX, apud D. Thomam.

Secundo, specialiori modo dicitur prima contrarietas illa, quæ invenitur in genere substantiæ qualiscumque illa sit, eo quod substantia est primum genus inter omnia prædicamenta, ideoque oppositio, quæ in illa invenitur, dicitur prima contrarietas, et hac ratione dixit Aristoteles in hoc libro, text. LVI, principia esse prima contraria, quia est in eis contrarietas primi generis, id est, substantiæ.

Tertio modo adhuc specialius dicuntur prima contraria, quæ privative opponuntur, eo quod privatio est principium contrarietatis, ut probatur in I Metaph. text. XIV, et sequentibus, et a D. Thoma ibi, lect. VI, omnis enim contrarietas includit privationem, non tamen omnis privatio contrarietas est; unde dicit S. Thomas, Opuscul. XXXVII, cap. II: « Quod privatio et habitus faciunt contrarietatem, » ut dicitur I Physic. « Et ideo contrarietates reducuntur in habitum, et privationem tanquam in primam oppositionem, quæ est in genere. » Cum ergo in substantia non detur proprie contrarietas, sed privativa oppositio, quatenus una forma importat privationem alterius, manifestum est dari primam contrarietatem, id est, principium contrarietatis, quæ est privativa oppositio. Cur autem una forma dicat privationem alterius, jam supra tetigimus, et latius infra, quæstione X.

Ex his explicatur ratio Aristotelis, qua probat prima principia esse prima contraria, quia conveniunt illis conditiones primorum contrariorum, quæ conditiones sunt tres. Prima, quod non fiant ex aliis prioribus. Secunda, quod non fiant ex alterutris. Tertia, quod omnia fiant ex ipsis. Prima conditio verificatur, quia ista principia sunt prima, et sic non supponunt aliqua priora. Secunda conditio verificatur, quia unum principium neque componitur ex alio, ut de se patet neque fit ex alio, ut ex termino a quo formaliter, et in abstracto, ut albedo non fit ex nigredine, licet per accidens, et ratione subjecti album fiat ex nigro, quatenus una forma succedit alteri, et ex una transit, et mutatur subjectum in aliam. Tertia denique conditio verificatur, quia reliqua omnia sunt principiata, et derivata ex istis principiis in suo genere: ipsa vero sunt simpliciora aliis, et consequenter se habent ut principia, ex quibus alia fiunt, et sic habent conditiones ad prima contraria requisitas.

Sed objicies: Nam si principia, quæ hic definiuntur, sunt prima contraria, sequitur quod non definiuntur omnia principia rerum naturalium, et consequenter neque omnia sunt ex ipsis. Sequela probatur, quia non omnia entia naturalia fiunt ex privatione, ut patet in cœlo, quod fit solum per creationem, non autem ex subjecto habente privationem, et tamen constat cœlum esse ens naturale: ergo non omnia principia entis naturalis habent contrarietatem. Item etiam accidentia non semper fiunt ex privatione, sicut quando eadem accidentia in specie, quæ erant in corrupto, remanent in genito; ut idem color, vel eadem figura in homine vivo et mortuo;

tunc enim illa figura, quæ est in cadavere, non potest generari ex privatione talis figuræ. Denique, potest divinitus generari aliquid sine privatione præcedente; ut si Deus crearet ignem, et juxta illum materiam primam ultimo dispositam, tunc ignis ille suam formam produceret in illa materia, nulla privatione præcedente, quia nulla forma opposita præcessit, cui privatio sit adjuncta: ergo non requiritur quod principia sint prima contraria, id est, privative opposita: nam de materia et forma constat ex dictis, quod non sunt contraria, licet sint prima principia.

Ad primam partem argumenti respondetur, illo aliquos convinci ad asserendum, quod Aristoteles non definit hic principia naturalia quoad fieri, et generationem, sed quoad esse, et componi. Quod si verum esset, non attribueret Aristoteles primis principiis esse contraria, ut toties attribuit, nec diceret esse tria, sed solum duo: principia enim componentia rerum naturalium tantum sunt duo, scilicet materia, et forma. Dicimus ergo, quod definitio Aristotelis complectitur omnia principia naturalia tam in fieri, quam in esse, sed non eodem modo applicanda sunt pro omni statu, et pro omni natura; nam quædam sunt ex principiis naturalibus in esse, et componi, quædam etiam in fieri, et pro primo non requiritur privatio, neque contrarietas, et sic omnes res naturales sunt ex illis principiis, non tamen omnes sunt ex illis ut ex contrariis, sicut res incorruptibiles, sed accommodando singula singulis, omnia sunt ex istis principiis, quædam ex tribus, materia, forma, et privatione, quædam tantum ex duobus, scilicet materia et forma.

Ad secundam partem argumenti respondetur, quod ea quæ fiunt consecutive ad aliquam formam, ut color, et figura, et reliqua accidentia, quæ similia sunt accidentibus corrupti, talia fiunt ex illa privatione, ex qua fit forma de novo genita, eo quod illa accidentia non fiunt primo, et per se, sed ut consecuta ad formam substantialem in quantum aliquid illius sunt, et ideo non requiritur alia privatio talium accidentium in subjecto, ex quo fiunt, nisi illa quæ directe est privatio formæ substantialis, et ex consequenti illius accidentis, quod comitatur illam. Supponit enim hæc solutio, quod non remanet idem accidens numero in genito, et in corrupto, ut in libris de Generatione dicetur.

Ad tertiam partem argumenti respondetur sequenti articulo ad ultimum.

Secundo arguitur probando, quod prima principia non possint dici prima contraria ex eo, quod sunt substantialia, et substantialia primum genus; contra enim est. Tum quia substantiæ nihil est contrarium, tum etiam quia eodem modo posset dici, quod præter principia substantialia sunt alia priora contraria, nempe forma communis, abstrahens a substantiali, et accidentali, et ejus privatio opposita: tum denique, quia contrarietas substantialis non est prima absolute loquendo, cum ex ipsa non sint omnes aliæ contrarietates, ut patet in cœlis, in quibus datur contrarietas motuum, et tamen non oritur ex contrarietate substantiali quæ ibi non datur. Confirmatur, quia prima contraria fiunt ex alterutris, omne enim quod fit ex aliquo contrario fit, ut docet Philosophus in hoc primo libro, textu XLIV et aliis locis, prima autem principia non fiunt ex alterutris, ut dicitur in eorum definitione: ergo non sunt prima contraria.

Respondetur quod substantiæ ni-

hil est contrarium contrarietate stricta, et propcie dicta,bene tamen oppositione privativa, quæ est principium contrarietatis.ut dictum est. Et ad secundam replicam dicitur, quod forma et privatio in communi abstrahens a substantiali, et accidentali, non dicit aliquam primam contrarietatem in existendo, et consando alias, sed in prædicando, et ita non constituit primam contrarietatem in re, sed per abstractionem intellectus cognoscitur. Nos autem loquimur in præsenti de prima contrarietate, quæ in re existit, et exercetur.

Ad tertiam replicam respondetur non requiri ad primam contrarietatem quæ est prima ratio substantiæ, quod in ejus contrarietate omnis alia contrarietas fundetur, sed sufficit quod in substantia suscipiatur, et ab ipsa substantia causetur, non a contrarietate substantiæ; nec enim contrarietas substantiæ ex eo dicitur prima, quia ex ipsa derivantur alia secunda contraria, sicut in contrariis accidentalibus fit, sed dicitur prima quia genus ipsum substantiæ est primum in entibus; est autem primum quia sustentat.et radix aliorum, et sustentando causat, non autem solum contrariando, et sic in cœlo invenitur contrarietas accidentalis, fundata in receptione, et causatione substantiæ, non in contrarietate.

Ad confirmationem respondetur utrumque esse verum, et quod contraria non fiunt ex invicem, sicut neque principia, sive per modum compositionis, quia unum contrarium non componit aliud, sed excludit, sive per modum termini a quo, si contraria sumantur secundum se, et in abstracto, et sic pari passu currunt cum primis principiis. Et similiter est verum, quod unum contrarium fit ex alio, ut a termino a quo per accidens, sicut album ex nigro ratione subjecti, seu materiæ, in qua unum succedit alteri, et fit ex alio : videatur D. Thomas I Physic. lect. XIII, super text. LXVII et X Metaph. lect. VI et lect. IX, circa finem.

ARTICULUS III.

Utrum principia naturalia sint tantum tria?

Aristoteles in hoc primo libro, textu LXVII non absolute resolvit esse tria principia naturalia, sed esse quodammododuo,quodammodotria, scilicet esse duo principia per se, tria autem si etiam sumatur principium per accidens, quod est privatio.

Hinc ergo nascitur difficultas ex una parte, ad probandum esse plura principia quam tria, ex alia ad probandum esse pauciora. Ad probandum quod sint plura, fit duplex argumentum. Primum, quia etiam per se pendet generatio in quantum mutatio a movente, et efficiente, ut a principio extrinseco : ergo non est, cur excludatur a ratione principii naturalis. Unde et numeratur a Philosopho inter illa in XII Metaphy. text. XXIII ibi : Quare elementa analogice tria, causæ vero, et principia quatuor, inter quæ numerat ipsum movens, et videri potest ibi D. Thomas lect. IV. Quod autem efficiens sit extra conceptum rei effectæ, nihil obstat, cum etiam privatio sit extra conceptum illius tam in facto esse, quam in fieri,cum semper se habeat ut terminus a quo relinquendus.

Secundum argumentum est, quia si privatio admittitur esse principium, ut terminus a quo etiam forma corrupta debet poni pro principio, quia etiam habet rationem termini a quo in ipsa generatione substantiæ. Nec dici potest, quod privatio est conditio per se requisita, ut forma producatur de novo: produci enim non potest, nisi in subjecto ubi non est ; forma autem,quæ corrumpitur, non requiritur per se. Contra enim est, tum quia aliquando requiritur, quod præcedat determinata forma, ut fiat determinata generatio,sicut forma cadaveris non fit nisi ex vivente,neque animal nisi ex embryone; tum quia non potest quodlibet fieri ex quolibet, sed ex materia habili, et disposita. Unde talis habilitas, seu dispositio non minus erit principium, quam privatio, quia per se requiritur, licet utrumque sit extrinsecum.

Ex alia parte videtur principia esse pauciora, quam tria similiter ex duplici argumento. Primum, quia forma non potest numerari inter principia naturalia in ipso fieri, seu generari; est enim terminus generationis : ergo non principium, et sic non bene numeratur forma inter principia naturalia in fieri.

Secundum argumentum est ex parte privationis, quia privatio formæ genitæ non est in instanti generationis : alias in eodem instanti esset materia sub forma, et sub ejus privatione, ante instans autem generationis quidquid præcedit in materia, sive dispositio sive forma corrumpenda, sive privatio formæ generandæ, non conducit ad ipsam generationem intrinsece, et per se, sed per accidens se habet, quia sine illo posset salvari tota ratio generationis; ut si Deus in instanti generationis subrogaret novam materiam, in qua secundum antecedentiam temporis non præcessit aliqua privatio, seu dispositio,ut de facto contingit, quando ex hostia consecrata aliquid generatur : tunc enim in instanti generationis subrogatur materia aliqua ex vi prioris miraculi de novo creata, vel per conversionem facta: ergo quidquid ante istas generationes præcedit, sive dispositio, sive privatio, sive altera forma per accidens se habent ad ipsam quidditatem generationis. Nec sufficit quod privatio præcedat in instanti naturæ, licet non in instanti temporis; sic enim privatio, et forma essent in eodem instanti temporis simul, cum antea non præcesserit privatio, nec postea dari possit ; denique, privatio est non ens, seu ens rationis, ergo non potest esse principium rei naturalis, qualis est generatio.

Nihilominus, cum Aristotele in hoc primo libro, textu LXVII ex D. Thoma ibi et communi schola Peripatetica, asserendum est: Dari duo principia rei naturalis in facto esse, et quoad compositionem, scilicet materia et forma ; tria autem in ipso fieri, et quoad generationem scilicet materia, et forma, et privatio. Et pro ejus intelligentia duo advertenda sunt. Primum est, duo genera principiorum posse considerari in rebus mobilibus.Primo enim considerari possunt principia communia, et præsupposita sicut est efficiens, et finis; hæc enim etiam extra mobilia inveniuntur, et ideo se habent ut principia communia, et præsupposita ad mobilia, et immobilia. Secundo, considerentur principia propria mobilium in quantum mobilia sunt, et secundum id quod ad motum requiritur, inquit Philosophus in præsenti ex ipsa contrarietate, quæ ad motum seu mutationem requiritur; nam omnis mutatio necessario est transitus inter duos terminos a quo, et ad quem in aliquo subjecto, sine subjecto enim nulla fit mutatio, cum sine illo non detur receptio unius formæ, et abjectio alterius. Et subjectum vocamus materiam, et terminum ad quem formam, terminum a quo privationem, quæ est in materia con-

juncta formæ oppositæ. Et quia forma, quæ generatur, conjungitur materiæ, et manet in illa, oportet assignare principia compositionis, et in facto esse, scilicet materiam et formam quæ conjunguntur, sicut principia generationis assignantur ea, quæ ad mutationem concurrunt, scilicet terminus, qui relinquitur, qui est privatio et qui requiritur, qui est forma, et id in quo recipitur, quod est materia.

Secundo, est advertendum, quod licet antiqui Philosophi mutationem, et mobilitatem in rebus agnoverint, et similiter contrarietatem, quæ tum ad ipsos motus, tum ad segregationem, et distinctionem rerum omnino requiritur; et sic dixerint requiri principia contraria, quasi ab ipsa veritate coacti, ut dicit Philosophus in hoc primo libro, textu XLVIII. Sed tamen non statim assurrexerunt ad ponendam mutationem, seu generationem substantialem, et hoc processit ex ignorantia materiæ primæ non valentes intelligere aliquid medium inter ens in actu, et nihil, quod esset ens in potentia, et ita convincebantur illo argumento, quia si aliquid fit, vel fit ex ente, vel ex non ente; ex ente fieri non potest, quia quod jam est non fit, ex non ente multo magis est impossibile, quia ex nihilo fit: ergo non apparet, quomodo aliquid fiat per generationem substantialem. Cæterum quia generationes ipsæ satis experientia manifestantur, et quod aliquid oriatur, et intereat quantum ad ipsam substantiam et non solum secundum accidentia, alias communia essent incorruptibilia et perpetuo durarent secundum substantiam, oportuit necessario ponere materiam primam, quæ esset ens in potentia, et non in actu, eo quod est primum principium generationis substantialis, et consequenter debet carere omni esse proveniente a forma substantiali, et consequenter omni esse accidentali, quia hoc necessario fundatur in esse substantiali, et præsupponit illud. Cæterum Plato, qui etiam materiam primam agnovit, per aliud extremum videbatur tollere generationem substantialem, quia dicebat materiam non distingui a privatione, quia non erat ens in actu, et sic erat non ens, seu nihil, non intelligens ens in potentia, medium inter nihil et ens actu, unde coactus est negare illud principium apud Philosophos firmissimum, ex nihilo nihil fieri, de quo videri potest D. Thomas I Phys. lect. XV.

Ex his ergo manifeste deducitur verissimam esse sententiam Aristotelis, quod dantur duo principia naturalia quoad compositionem, et in facto esse, et tria quoad mutationem, et in fieri. Primum patet, quia ea sunt principia compositionis, in quæ resolvitur quidditas, et ratio rei naturalis, unumquodque enim resolvitur in sua componentia, quidditas autem rei naturalis composita est, non entitas simplex sicut Angelus, homo enim ex corpore et anima constat, et in illa resolvitur, et sic reliqua entia naturalia resolvuntur in materiam et formam : ergo partes, seu principia compositionis sunt materia et forma, et sunt partes per se, quia quidditas ipsa rei naturalis in illa resolvitur tanquam in partes componentes quidditatem, nec aliæ partes assignabiles sunt, ex quibus quidditative res naturalis componatur. Quod vero distinguantur forma et materia inter se, q. III et IV seq. ostendetur.

Quod vero dentur tria principia pro generatione, seu fieri rei naturalis, scilicet materia, forma, et privatio probatur ex ipsa natura mutationis. Et quidem supponimus, non dici principia intrinseca ista tria generationis, quia generationem intrinsece componant, sed quia generatio ab illis essentialiter dependet. Etenim omnis mutatio positiva essentialiter est transitus de aliquo non esse ad aliquod esse, facit enim aliquid de novo, alioquin non mutaret; si nihil novi faceret, sed id quod antea erat, permaneret, si autem aliquid de novo ponitur, oportet quod antea non fuerit, et nunc sit, ergo necessario debet fieri ex privatione, seu ex non esse, et sic privatio principium mutationis est. Quod vero requiratur materia, constat manifeste, quia mutatio non fit, nisi transmutetur aliquid de uno ad aliud, ita quod ipsi termini mutationis succedant in aliquo subjecto, sucessio enim unius ad aliud extra omne subjectum nihil transmutat de uno ad aliud ; subjectum autem mutationis materiam dicimus. Denique quod requiratur forma, manifestum est, cum sit terminus intentus, ad quem tendit mutatio; et sic dicitur principium mutationis, quia est primo, et per se intentum, et sic est primum in intentione, licet in executione sit ultimum, ubi consumatur totus motus.

Dices: Quomodo ergo Philosophus privationem dicit esse principium per accidens in hoc libro, textu LXVI, si per se requiritur ad generationem? Nec sufficit dicere, quod quia accidit materiæ appellatur principium si per accidens, nam hoc modo etiam forma sic diceretur quia accidit materiæ quod talis forma illi adveniat. Respondetur ex D. Thoma super illum textum, lect. XIII, quod privatio vocatur principium per accidens respectu materiæ, ut ad componendum ipsum totum assumitur, materia enim, quæ assumitur ad componendum, non assumitur ratione privationis, sed ratione entitatis, licet illa entitas habeat privationem adjunctam, quando trahitur ad constituendum totum, in hoc autem ordine constituendi forma non per accidens se habet, licet materiæ secundum se consideratæ dicatur accidere. Cæterum respectu ipsius mutationis, ut est transitus de non esse ad esse, privatio non se habet per accidens, quia sine ipsa non potest intelligi, quod aliquid de novo fiat, et sic novitas mutationis necessario constat privatione, ut termino a quo.

Ad rationes dubitandi a principio. Ad primam respondetur privationem esse principium extrinsecum ipsi rei naturali in facto esse, non tamen in fieri, ut explicatum est. Et ad replicam de causa movente, seu efficiente, respondetur dupliciter. Primo, quod causa efficiens, seu movens est quidem principium extrinsecum rei faciendæ, non tamen est peculiare, et proprium principium rei mobilis, in quantum mobilis est; nam etiam extra mobilia invenitur causa efficiens, et finalis, sicut Angeli habent causam efficientem. Unde cum sit principium commune rei mobili, et immobili motibus Physicis, et non Physicis seu spiritualibus, ideo non numeratur inter propria, et formalia principia entis mobilis, sed præsupponitur ut commune principali rebus mobilibus et immobilibus. Secundo, respondetur quod aliud est considerare mutationem, ut præcise mutatio est, aliud ut est actio, vel effectus. Et quidem secundum formalitatem actionis essentialiter respicit agens a quo emanat, et similiter in quantum effectus pendet essentialiter ab efficienti. Cæterum formalitas mutationis non explicat istum respectum ad efficiens, licet supponat illum, sed præcise explicat transitum de non esse ad esse, sicut etiam forma, in quantum forma non respicit efficiens, sed in quantum effectus, in quantum autem forma præcise respicit materiam, quam informat, vel totum

quod constituit. Nec Philosophus in illo loco ex XII Metaph. asseruit esse quatuor principia, sed dixit esse quatuor causas, et principia includendo in ratione principii tria principia mobilitatis, in ratione vero causæ etiam causam moventem, vel id dixit, quia causæ sunt etiam principia, licet non e converso.

Ad secundam rationem respondetur, quod forma corrupta non habet rationem termini a quo formaliter, nisi ratione privationis formæ generandæ, ut enim forma de novo fiat per se, et formaliter solum respicit quod antea non fuerit, et sic fiat ex non esse sui, quod vero forma aliquid præcedat per accidens est. Addo quod ad essentialem conceptum generationis, solum requiritur privatio, quæ invenitur in materia, quod vero ista privatio sit adjuncta alteri formæ, non propter istam generationem requiritur, sed propter ipsam materiam, quia non potest præcedere, nisi sub aliqua forma.

Ad instantiam de dispositionibus respondetur, quod dispositiones non sunt ipsa prima principia substantialia, sed media seu instrumenta, quibus determinatur, et applicatur materia ad istam formam, ista autem determinatio materiæ non se habet ut principium, sed ut applicatio; et determinatio principii, sicut in efficientibus applicatio non est causa, sed conditio.

Ad id quod additur de quibusdam formis, quæ non possunt immediate generari ex quacunque materia, sed ex materia sub tali forma, respondetur, hoc non pertinere ad principia communia entis naturalis, sed ad aliquam specialem formam, sive generationem, quæ fieri non potest, nisi ordine quodam præsupponat alias priores, eo quod aliquæ generationes ordine quodam fiunt, nec enim aliter supponunt materiam habilitatam, sicut, v. g. vinum non potest fieri immediate ex vite, sed ex illa prodit gemma, inde uva, quæ cum matura sit confluit in vinum, et idem videre est in generationibus animalium. Cæterum totum hoc non constituit principia prima rerum naturalium, quæ debent esse simplicia, et communia omnibus, hæc autem non sunt omnibus communia, sed solum illis formis, quæ alias priores præsupponunt in materia, ut habilitetur ad illas: materia autem sub tali forma habilitata non est simplex principium, sed compositum quoddam constans ex forma et materia; in præsenti autem solum loquimur de principiis simplicibus, et simpliciter primis. Et præterea ipsa habilitatio materiæ ad aliquam formam non dicit rationem principii, sed applicationis, ut diximus, ratione cujus potius ipsa privatio est principium quam habilitatio, quia privatio se habet, ut extremum ipsius mutationis per modum termini a quo, non per modum applicationis ad mutationem.

Adhuc tamen instabis: Nam licet generatio sit mutatio de non esse ad esse, ideoque pro principio talis mutationis habeat privationem, tamen motus, qui non est generatio, sed versatur inter terminos positivos, non potest habere privationem pro termino a quo; alias esset generatio instantanea: ergo non assignantur principia communia pro omni mutatione. Respondetur ex D. Thoma, I Physic. lect. XIII. §. Ostendit, quod etiam in motu qui est de positivo in positivum, salvatur mutatio de non esse ad esse, eo quod contrarietas positiva privativam includit; in generatione autem, quæ non est motus, sed sola mutatio de non esse ad esse, datur privativa contrarietas, et non positiva, et sic in omni mutatione est verum, quod requiritur

privatio, licet in aliquibus inclusa sit in contrarietate positiva. Et præterea in præsenti solum tractatur de principiis primis simpliciter, id est, in genere substantiæ, in qua non invenitur positiva contrarietas, sed privativa; et ideo solum assignatur privatio pro principio: in motu autem accidentali non erat necesse tradere alia principia, quia illa non sunt prima simpliciter, et in genere substantiæ, sed ad substantialia reducuntur.

Ad ea quæ pro secunda parte objiciuntur: ad primum de forma respondetur, quod forma est principium rei naturalis in facto esse, quatenus est pars compositiva illius; est autem principium mutationis, et ipsius fieri, secundum quod præcedit id intentione moventis, et in quantum est aliquid simplex, in quo consumatur motus, non vero principiatum ex principiis motus, hoc enim est compositum.

Ad secundam partem argumenti de privatione respondetur, quod privatio, non solum est annexa formæ corrumpendæ, sed etiam ipsi materiæ, quatenus secundum se privata dicitur omni forma, licet de facto semper sit sub aliqua. Unde materia nuda, sive præcedat in instanti temporis sive in instanti naturæ, ipsam introductionem formæ cum privatione illius præcedit, id est, cum aptitudine ad formam, et carentia illius.

Ad secundam probationem dicitur, quod privatio, quæ tenet ex parte materiæ, præcise sufficit quæ præcedat prioritate naturæ ipsam formæ introductionem, ut dicatur principium illius, tanquam terminus a quo. Dispositiones autem, sive præcedant tempore, sive non, nunquam possunt habere rationem principii, ut dictum est, cum dispositiones solum se habeant ut medium determinans materiam ad formam, non ut principium substantiale, et primum rei naturalis, vel mutationis ejus.

Et quando urgetur argumentum, quod in eodem instanti non potest esse privatio cum forma et sic in instanti, in quo est generatio non est privatio, respondetur, quod in instanti generationis privatio non est, ut afficiens subjectum, sed ut exclusa ab illo per formam quæ introducitur, sicut terminus a quo non est, cum ipso termino ad quem in eodem instanti, quasi afficiendo subjectum, sed ut exclusus per terminum ad quem, licet præcedat vel existat immediate ante in materia. Cæterum si in ipso instanti generationis producatur a Deo materia de novo, ut in casibus argumenti, tunc ante illud instans præcedit privatio in eo subjecto, in quo præcedit dispositio, quantitas enim quæ in Eucharistia separatur a subjecto gerit in omnibus vices ipsius materiæ, et subjecti corrumpendi. Unde eodem modo præcedunt dispositiones, et privatio formæ generandæ, sicut si ibi adesset substantia panis. Et sic nullo modo interrumpitur cursus, et ordo naturæ in generatione rei servandus. In ipso autem instanti generationis, in quo subrogatur materia, non ut dispositionibus ipsis disponatur, sed ut ipsum totum componat in facto esse, cum ex vi prioris miraculi ibi ponatur, consequenter apponitur ut determinata et disposita, non quidem dispositionibus se receptis, sed in quantitate immediate antecedente, quæ gessit vicem subjecti, cui continuatur et succedit cum eadem determinatione materiæ quæ de novo ponitur; præsertim in sententia probabili, quod ipsamet quantitas ex vi prioris miraculi, convertitur in materiam et consequenter in materiam dispositam et determinatam, et ideo eodem modo judicandum est de ista materia, ac

si talis materia præcessisset, sicut fit in aliis generationibus, præcessit enim toto tempore antecedente non in se, sed in quantitate gerente vices substantiæ, et ita recipiente dispositiones, et privationem ad formam generandam, in instanti autem ipso generationis privatio ipsa in materia non ponitur ut existens, sed ut expulsa, et ut terminus a quo solum prioritate naturæ antecedens formam, non existendo in eadem duratione, sed desinendo in subjecto: hæc est enim prioritas termini a quo in illo instanti, non prioritas existendi, sed abjiciendi, et sic non sequitur, quod in eodem instanti in quo duret, et existat privatio cum forma, sed quod abjiciatur, nec enim illa prioritas naturæ, est prioritas causæ petentis existentiam, sed terminum a quo, qui abjicitur.

QUÆSTIO III.

DE PRINCIPIIS IN PARTICULARI, ET PRIMO DE MATERIA PRIMA.

ARTICULUS PRIMUS.

An sit, et quid sit materia prima?

Antequam definitionem materiæ primæ, quam Philosophus tradidit, explicemus, supponimus duo. Primum est, dari materiam primam. Secundum est, esse aliquid in re distinctum a forma. Quantum ad primam, nomine materiæ primæ intelligimus illam entitatem, quæ est capax recipiendi formas substantiales, in se vero nullam habet formam. Eam autem explicat Philosophus in hoc primo libro Physicorum ex analogia, et similitudine materiæ artificialium, sicut enim ex ligno, vel ex ære fit statua, et lignum illud, vel æs secundum se, nullum esse statuæ habet, sed solum capacitatem ad statuam, licet in alio genere, id est, in ratione entis naturalis habeat aliquod esse, v. g. ligni, vel æris: ita illud quod etiam respectu rerum naturalium materia est, et subjectum, intelligitur nullum habere esse naturale, sed solum capacitatem ad illud, et hoc dicitur ens in potentia: unde dicit Philosophus VII Metaphys. textu VIII, lect. II, apud D. Thomam: « Illud dico materiam, quæ secundum se, neque est quid (id est, substantia in actu) nec quantum, nec aliquid aliud quidquam, quibus ens determinetur. » Et D. Augustinus XII confess. cap. VI: « Mutabilitas, inquit, rerum mutabilium capax ipsa est formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles. Et hæc quid est? Numquid animus? Numquid species animi, vel corporis? Si dici posset nihil aliquid, est et non est, hoc etiam dicerem, et tamen jam utcunque erat, ut species caperet istas visibiles, et invisibiles. » Ita Augustinus. Denique D. Thomas in hoc I Phys; lect. XIII. « Cum videamus, inquit, hoc, quod est aer quandoque fieri aquam, oportet dicere, quod aliquid existens sub forma aeris, quandoque sit sub forma æquæ, et sic illud quod est aliquid præter formam aquæ, et præter formam aeris se habet ad ipsas substantias materiales, sicut se habet æs ad statuam, et lignum ad lectum, et quodlibet materiale et informe ad formam, et hoc dicimus esse materiam primam. » Sic D. Thomas.

Dari autem istam entitatem, sic potentialem, et informem ex duobus principiis, Aristoteles deduxit. Primo ex ipsa generatione substantiali. Secundo ex eo, quod naturaliter ex nihilo nihil fiat, et hoc secundum ex primo deducitur, quia si ex nihilo aliquid fieret, ita ut tota ipsa rei substantia ex nihilo fieret, hoc ipso non esset generatio, sed creatio, et corruptio esset annihilatio. Unde non requirerentur determinatæ dispositiones ad determinatas generationes, sed eodem modo posset fieri lapis, vel equus, vel quæcunque alia res, quia si ex nihilo fit, ad nihil deserviunt dispositiones, ut determinetur magis ad unum, quam ad aliud. Si autem fit ex aliquo, et id quod fit ex substantia, eo quod generatio substantialis est, necessario supponit aliquod subjectum capax illius substantialis esse, quod de novo fit, et amittens esse, quod antea habebat, quia corrumpitur: ergo de se neutrum illorum habet, et consequenter solum est potentia ad utrumque.

Secundum quod supponimus est, hoc subjectum, seu entitatem substantialem esse distinctam realiter ab ipsa forma substantiali, quæ corrumpitur, et quæ generatur, quod tamen aliqui negaverunt, et ex antiquis apud Scotum in II, dist. XII, q. I, ex quo id referunt Conimbricenses super c. VII hujus primi libri, q. III, ar. III, et ex recentioribus aliqui id suscitaverunt, existimantes non dari duas entitates, quæ sint materia et forma componentes unum tertium, sed materiam et formam esse unum et idem ens, quod in quantum potentiale dicitur materia, et in quantum actuale dicitur forma, et sic agens, quando generat aliquid, convertit totum hoc ens in aliud ens, et hoc in quantum mutabile in aliud, dicitur materia, et potentialitas ad illud, sicut essentia objective considerata est in potentia ad existentiam, et sic Aristoteles considerat transitum materiæ de uno ad aliud, sicut transitum essentiæ de possibilitate ad existentiam, non sicut transitum subjecti de frigore ad calorem. At hoc modo dicunt intelligendum esse D. Thomam quando docet implicare, quod materia existat sine forma, non magis quam ens actu sine actu, ut I p., q. LXVI, ar. I. Quod esset intelligibile si materia est entitas distincta a forma, non enim posset reddi existens, et ens in actu per entitatem illam distinctam.

Cæterum hæc sententia omnino rejicienda est, nec in D. Thoma ullum habet fundamentum. Nam D. Thomas perpetuo docet, materiam et formam esse partes componentes totum, materiamque distinguit a formis, nam in q. III de Veritate, art. V ad ultimum dicit: « Materiam proprie non habere essentiam, sed esse partem essentiæ, » et cap. VII de ente et essentia dicit: « Formam esse partem compositi, et ex ipsa et materia componi totum, » et VII Metaphys. lect. II: « Oportet, inquit, quod materia secundum sui essentiam sit alia ab omnibus formis substantialibus, et earum privationibus, quæ sunt termini generationis, et corruptionis, » et similiter in I Phys. lect. XIII, supra citata aperte dicit, quod illud quod est aliquid præter formam aquæ, et præter formam aeris, dicitur materia prima: aperte ergo sentit, quod materia distinguitur a forma, sicut etiam Philosophus id sentit, dum docet, tria esse principia rerum naturalium, materiam, formam, et privationem. Neque fugit Philosophum hæc eadem sententia, quam impugnamus, quæ ponit ipsum totum quod corrumpitur esse materiam, quatenus est in potentia, ut convertatur in id, quod de novo fit. Proponit enim in VIII Metaphys. lect. IV, apud D. Thomam in fine hanc eamdem dubitationem: « Quod cum ex vino fiat acetum, et ex vivo mortuum dubitatur, quare vinum non sit materia aceti, et vivum materia mortui, cum ordinentur ad ea, sicut potentia ad actum? » Respondit autem Philoso-

si talis materia præcessisset, sicut fit in aliis generationibus, præcessit enim toto tempore antecedente non in se, sed in quantitate gerente vices substantiæ, et ita recipiente dispositiones, et privationem ad formam generandam, in instanti autem ipso generationis privatio ipsa in materia non ponitur ut existens, sed ut expulsa, et ut terminus a quo solum prioritate naturæ antecedens formam, non existendo in eadem duratione, sed desinendo in subjecto: hæc est enim prioritas termini a quo in illo instanti, non prioritas existendi, sed abjiciendi, et sic non sequitur, quod in eodem instanti in quo duret, et existat privatio cum forma, sed quod abjiciatur, nec enim illa prioritas naturæ, est prioritas causæ petentis existentiam, sed terminum a quo, qui abjicitur.

QUÆSTIO III.

DE PRINCIPIIS IN PARTICULARI, ET PRIMO DE MATERIA PRIMA.

ARTICULUS PRIMUS.

An sit, et quid sit materia prima?

Antequam definitionem materiæ primæ, quam Philosophus tradidit, explicemus, supponimus duo. Primum est, dari materiam primam. Secundum est, esse aliquid in re distinctum a forma. Quantum ad primam, nomine materiæ primæ intelligimus illam entitatem, quæ est capax recipiendi formas substantiales, in se vero nullam habet formam. Eam autem explicat Philosophus in hoc primo libro Physicorum ex analogia, et similitudine materiæ artificialium, sicut enim ex ligno, vel ex ære fit statua, et lignum illud, vel æs secundum se, nullum esse statuæ habet, sed solum capacitatem ad statuam, licet in alio genere, id est, in ratione entis naturalis habeat aliquod esse, v. g. ligni, vel æris: ita illud quod etiam respectu rerum naturalium materia est, et subjectum, intelligitur nullum habere esse naturale, sed solum capacitatem ad illud, et hoc dicitur ens in potentia: unde dicit Philosophus VII Metaphys. textu VIII, lect. II, apud D. Thomam: « Illud dico materiam, quæ secundum se, neque est quid (id est, substantia in actu) nec quantum, nec aliquid aliud quidquam, quibus ens determinetur. » Et D. Augustinus XII confess. cap. VI: « Mutabilitas, inquit, rerum mutabilium capax ipsa est formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles. Et hæc quid est? Numquid animus? Numquid species animi, vel corporis? Si dici posset nihil aliquid, est et non est, hoc etiam dicerem, et tamen jam utcunque erat, ut species caperet istas visibiles, et invisibiles. » Ita Augustinus. Denique D. Thomas in hoc I Phys; lect. XIII. « Cum videamus, inquit, hoc, quod est aer quandoque fieri aquam, oportet dicere, quod aliquid existens sub forma aeris, quandoque sit sub forma æquæ, et sic illud quod est aliquid præter formam aquæ, et præter formam aeris se habet ad ipsas substantias materiales, sicut se habet æs ad statuam, et lignum ad lectum, et quodlibet materiale et informe ad formam, et hoc dicimus esse materiam primam. » Sic D. Thomas.

Dari autem istam entitatem, sic potentialem, et informem ex duobus principiis, Aristoteles deduxit. Primo ex ipsa generatione substantiali. Secundo ex eo, quod naturaliter ex nihilo nihil fiat, et hoc secundum ex primo deducitur, quia si ex nihilo aliquid fieret, ita ut tota ipsa rei substantia ex nihilo fieret, hoc ipso non esset generatio, sed creatio, et corruptio esset annihilatio. Unde non requirerentur determinatæ dispositiones ad determinatas generationes, sed eodem modo posset fieri lapis, vel equus, vel quæcunque alia res, quia si ex nihilo fit, ad nihil deserviunt dispositiones, ut determinetur magis ad unum, quam ad aliud. Si autem fit ex aliquo, et id quod fit ex substantia, eo quod generatio substantialis est, necessario supponit aliquod subjectum capax illius substantialis esse, quod de novo fit, et amittens esse, quod antea habebat, quia corrumpitur: ergo de se neutrum illorum habet, et consequenter solum est potentia ad utrumque.

Secundum quod supponimus est, hoc subjectum, seu entitatem substantialem esse distinctam realiter ab ipsa forma substantiali, quæ corrumpitur, et quæ generatur, quod tamen aliqui negaverunt, et ex antiquis apud Scotum in II, dist. XII, q. I, ex quo id referunt Conimbricenses super c. VII hujus primi libri, q. III, ar. III, et ex recentioribus aliqui id suscitaverunt, existimantes non dari duas entitates, quæ sint materia et forma componentes unum tertium, sed materiam et formam esse unum et idem ens, quod in quantum potentiale dicitur materia, et in quantum actuale dicitur forma, et sic agens, quando generat aliquid, convertit totum hoc ens in aliud ens, et hoc in quantum mutabile in aliud, dicitur materia, et potentialitas ad illud, sicut essentia objective considerata est in potentia ad existentiam, et sic Aristoteles considerat transitum materiæ de uno ad aliud, sicut transitum essentiæ de possibilitate ad existentiam, non sicut transitum subjecti de frigore ad calorem. At hoc modo dicunt intelligendum esse D. Thomam quando docet implicare, quod materia existat sine forma, non magis quam ens actu sine actu, ut I p., q. LXVI, ar. I. Quod esset intelligibile si materia est entitas distincta a forma, non enim posset reddi existens, et ens in actu per entitatem illam distinctam.

Cæterum hæc sententia omnino rejicienda est, nec in D. Thoma ullum habet fundamentum. Nam D. Thomas perpetuo docet, materiam et formam esse partes componentes totum, materiamque distinguit a formis, nam in q. III de Veritate, art. V ad ultimum dicit: « Materiam proprie non habere essentiam, sed esse partem essentiæ, » et cap. VII de ente et essentia dicit: « Formam esse partem compositi, et ex ipsa et materia componi totum, » et VII Metaphys. lect. II: « Oportet, inquit, quod materia secundum sui essentiam sit alia ab omnibus formis substantialibus, et earum privationibus, quæ sunt termini generationis, et corruptionis, » et similiter in I Phys. lect. XIII, supra citata aperte dicit, quod illud quod est aliquid præter formam aquæ, et præter formam aeris, dicitur materia prima: aperte ergo sentit, quod materia distinguitur a forma, sicut etiam Philosophus id sentit, dum docet, tria esse principia rerum naturalium, materiam, formam, et privationem. Neque fugit Philosophum hæc eadem sententia, quam impugnamus, quæ ponit ipsum totum quod corrumpitur esse materiam, quatenus est in potentia, ut convertatur in id, quod de novo fit. Proponit enim in VIII Metaphys. lect. IV, apud D. Thomam in fine hanc eamdem dubitationem: « Quod cum ex vino fiat acetum, et ex vivo mortuum dubitatur, quare vinum non sit materia aceti, et vivum materia mortui, cum ordinentur ad ea, sicut potentia ad actum? » Respondit autem Philoso-

phus ibi,et D. Thomas : « Quod acetum est corruptio vini, et mortuum corruptio vivi ; non ergo acetum fit ex vino, sicut ex materia neque mortuum ex vivo, sed secundum accidens dicitur ex eo fieri, in quantum fit ex materia ejus. » Ubi apertissime excludit Philosophus istam imaginationem, quod ipsum totum, quod corrumpitur, sit materia.

Et fundamentum hujus clarissime constat in ipsa corruptione hominis. Constat enim quod anima rationalis est vera hominis forma ut definitum est in Concilio Lateranensi sub Leone X, et in Concilio Viennensi sub Clemente V. Constat enim de fide animam hominis post mortem non corrumpi, sed permanere, et consequenter non convertitur in cadaver nam cadaver non est anima; ergo materia quæ erat in homine, sive corpus illud, a quo separatur anima, vel relinquitur in cadavere, vel non ; si relinquitur, ergo forma hominis distinguitur realiter a sua materia, cum dentur in re illæ duæ partes separatæ ; si non remanet in cadavere, vel illud corpus annihilatur, vel remanet sicut antea cum eandem forma ; si annihilatur, tollitur tota ratio corruptionis naturalis, quæ non fit per annihilationem, neque prædicti Auctores salvant, quod convertatur res, quæ corrumpitur, in rem quæ generatur, quia anima non convertitur, sed permanet in se, corpus autem annihilatur, et tunc corpus illud, quod manet in cadavere, non esset resuscitandum in die judicii, sed illud quod annihilatum est, quia illud quod solum pertinet ad hominem, non istud. Si autem manet sicut antea conjunctum animæ : ergo anima non est separata ab illo, et sic homo non esset mortuus. Quod si dicas, corpus hominis separata anima converti in totam entitatem cadaveris ; ergo jam conceditur, quod in homine dabatur aliquid præter animam ab illa distinctum, siquidem modo ab illa separatur, et convertitur in cadaver, et sic quando homo erat unus, componebatur ex anima, et ex illo corpore, quod transit in cadaver, tanquam ex duobus distinctis, et sic habetur intentum. Et cum illud corpus seu materia, quæ est in homine, non creetur de novo, quando homo generatur, sed præsupponitur in semine, et in materia, ex qua fit homo (alioquin crearetur totus homo, et non generaretur, si tam anima, quam corpus de novo crearetur) ergo in semine aliqua entitas dabatur subjicienda animæ ut formæ, et separanda a forma seminis, et hæc dicitur materia. Si autem in homine, et in semine datur materia distincta a forma, idem erit in aliis entibus naturalibus, siquidem univoce conveniunt cum homine. Omitto quod ista conversio, quam ponunt isti Auctores, totius entitatis, quæ corrumpitur in totam, quæ generatur, est idem quod conversio transubstantialis, sicut in Eucharistia tota substantia panis convertitur in corpus Christi, sicque ista conversio non esset ita admirabilis, cum in qualibet generatione similis ab istis Auctoribus ponatur.

Nec doctrina S. Thomæ in qua oppositi Auctores fundantur, quidquam illos juvat, cum in doctrina D. Thomæ constet existentiam distingui a re quæ existit, ut late ostendemus infra quæst. VII, et ita non repugnat alicui entitati, v. g. materiæ advenire existentiam per aliquid distinctum, scilicet per formam, quod cum pluribus infra probaturi simus, sufficit nunc audire ipsum sanctum Doctorem in principio opusculi XXXI, ubi inquit : « Quod differt materia a subjecto, quia subjectum est, quod non habet esse ex eo, quod aliquid ei advenit, sed quod est per se et habet esse completum, ut homo non habet esse per albedinem, sed materia dicitur, quod habet esse ex eo quod sibi advenit, quia de se esse incompletum, imo nullum esse habet, » ut dicit comment. in II de Anima : « Unde simpliciter loquendo forma dat esse materiæ, accidens autem non dat esse subjecto. » Ita D. Thomas.

Ex his deducitur explicatio definitionis materiæ primæ. Definitur autem dupliciter a Philosopho, uno modo positive in hoc primo libro, tex. LXXXII: Materia est primum subjectum, ex quo aliquid fit, et non secundum accidens. Dicitur *subjectum* ad excludendum formam, quæ non est subjectum, sed adveniens subjecto. Dicitur *primum* ad excludendum subjectum accidentarium, et artificialium formarum, quod non est subjectum primum, sed est ipsa substantia composita, et sustentativa accidentium, quæ fit ex alio priori subjecto, et sic non est materia prima, sed secunda. Dicitur *ex quo aliquid fit*, ad excludendas alias causas, nam efficiens est a quo aliquid fit, finis propter quem fit, exemplar ad instar cujus fit, forma per quam habet esse : sola materia est, ex qua aliquid fit. Dicitur *non secundum accidens*, ad excludendam privationem, seu terminum a quo, quia ex illo non fit aliquid, ut ex constituente, sicut ex materia, sed tanquam ex aliquo quod relinquitur, et ita per accidens se habet ad rem in facto esse.

Secundo modo definitur materia prima negative VII Metaphys. text. VIII: « Quod materia per seipsam neque est quid, neque quantum, nec aliquid aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur. Cujus sensus est, quod materia non habet ex se aliquid determinativum essentiæ, seu naturæ, sive in genere substantiæ, sive in genere quantitatis, sive alterius generis, id est, caret omni forma determinante esse, et ut ibi explicat D. Thomas lect. II : « Materia, inquit, non potest per se existere sine forma per quam est ens actu, cum de se potentia tantum, » ut amplius explicabimus articulo tertio.

ARTICULUS II.

Utrum materia prima ex se ita sit pura potentia, quod careat omni actu formali, et entitativo?

Formalem actum vocamus formam constituentem cum materia aliquod tertium ; actum vero entitativum, existentiam, per quam aliquid formaliter constituitur extra causas, et extra nihil. Et quidam apud antiquos, qui non agnoverunt materiam esse ens in potentia, sed quidquid erat ens, dicebant esse ens actu, et quidquid non erat ens actu, quod erat nihil, non separabatur existentia a forma, sed pro eodem reputabant esse ens actu, et esse ens formatum, seu determinatæ naturæ. Nunc autem qui cum Aristotele sentiunt materiam esse ens in potentia, et aliunde non possunt percipere quod illud quod non est ens actu, sit aliquid reale, sed solum nihil ; intelligunt materiam non dici ens in potentia quasi careat existentia, et sit in potentia ad ipsam, sed solum quia caret forma informante, quæ vocatur actus formalis, non quia caret existentia, quæ est actus entitativus. Et hæc sententia sumit suum principium ex eo, quod existimat existentiam non distingui a quacunque entitate reali, hoc ipso quod realis est, vel si distinguitur, non distingui realiter, sed ad summum formaliter inseparabiliter, tamen illam comitari, et immediate afficere. Et hoc ideo, quia remota existentia, omnis realitas removetur, et remanet nihil, et solum in potentia objectiva, seu in statu pos-

sibilitatis, quod est purum nihil sicut res omnes erant antequam producerentur a Deo, et sic solum distinguitur essentia ab existentia, sicut entitas in potentia objectiva, et in statu possibilitatis a seipsa, in statu realitatis extra causas.

De hac distinctione, vel indistinctione essentiæ ab existentia agemus infra, quæstione septima. Nunc autem supponimus fuisse semper communem sententiam usque ad hæc nostra tempora, distinctionem aliquam a parte rei dari inter essentiam realem et existentiam, licet enim Durandus tenuerit, non distingui, nisi tantum ratione in I, dist. VIII, q. II, quem sequuntur P. Suarez in Metaph. disp. XXXI, sect. IV et seq. Vazquez III p. disp. LXXII, c. ult. et plures alii ex recentioribus, tamen oppositum manifeste ostendemus ibi, esse sententiam D. Thomæ quem communiter sequuntur Thomistæ, et alii extra ejus scholam.

Et quidem si teneatur, existentiam identificari, et non distingui a quacunque entitate reali, hoc ipso quod realis est, quæstio ista facile solvitur, dicendo quod materia cum sit realis entitas, etiam est actus entitativus, solum autem est in potentia reali, et materiali ad actus formales, seu ad formas substantiales, ad existentiam enim non datur materialis, et intrinseca potentia susceptiva illius, sed solum objectiva, quatenus continetur in potentia agentis, et transit de non esse ad esse. Cæterum in sententia opposita, quam nunc supponimus de distinctione essentiæ ab existentia, procedit difficultas præsens, an materia, sicut est in potentia ad formam, ita sit in potentia susceptiva existentiæ, non solum quia recipit existentiam formæ, ad quam est in potentia, sicut ad ipsam formam, sed etiam, quia non habet aliam existentiam, quam quæ sibi communicatur per formam, ita quod ex se solum sit entitas capax formæ, et capax existentiæ per formam.

Sit unica conclusio: Materia secundum se est in potentia ad actum formale, met ad actum entitativum, ita quod non habet immediatum ordinem ad existentiam, sed mediante forma, cujus est prius susceptiva, quam existentiæ. De hac conclusione plenius agetur articulo sequenti, ubi disputabimus, an de potentia absoluta possit esse materia sine forma. Nunc solum loquimur secundum ordinem connaturalem materiæ, an de se solum participet existentiam mediante forma, quidquid sit, an de potentia absoluta possit inverti iste ordo, et immediate existentiam participare sine forma. Sic ergo ista sententia D. Thomæ et plurium Auctorum, qui illum sequuntur, Cajetanus de ente et essent. cap. V, q. VIII; Ferrariensis I contra Gent. cap. IV, et I Phys. q. I; Socin. VII Metaph. quæst. XVII, et lib. VIII, q. I; Capreolus in II, dist. XIII, quæst. I; Collegium Carmelitanorum I Phys. disp. III, quæst. V. Et licet plura fundamenta afferantur ad illam stabilendam, possunt tamen reduci ad duo. Primum est commune formæ, et materiæ, scilicet quia in quocunque composito datur unicum esse existentiæ, quo existit tam forma, quam materia, eo quod datur unicum fieri totius compositi, et resultat unica entitas: existentia autem sequitur ipsum fieri rei, cum sit terminus ejus, et ipsam unitatem essentiæ, seu entitatis, cui convenit. Sed de hoc principio agemus infra quæst. VII, ostendendo quod existentia est propria compositi *ut quod*, et solum convenit formæ, ut principio *quo* determinandi existentiam, et materiæ, ut principio *quo* suscipiendi illam.

Alterum ergo principium, nunc

expendendum specialiter pertinet ad materiam, in qua considerat D. Thomas, quod non datur immediatus ordo materiæ ad existentiam, sed immediate respicit, et recipit formam, et mediante illa existentiam, et ita sicut est in pura potentia ad omnem formam, ita ad omnem existentiam. Et in primis videri potest D. Thomas, quæst. IV de Potentia, art. I, in corpore, ubi inquit: « Quod materia prima non potest in rerum natura existere, quin aliqua forma formetur, quidquid enim in rerum natura invenitur, actu existit, quod quidem non habet materia nisi per formam, quæ est actus ejus, unde non habet sine forma in rerum natura inveniri. » Item, in opusculo XV, capite III, sic inquit: « In substantia composita ex materia et forma est duplex ordo, unus quidem ipsius materiæ ad formam, alius autem ipsius rei jam compositæ ad esse participatum, non enim est esse rei, neque forma ejus, neque materia ipsius, sed aliquid adveniens rei per formam. Sic igitur in rebus ex materia et forma compositis, materia quidem secundum se considerata, secundum modum suæ essentiæ habet esse in potentia, et hoc ipsum est ei ex aliqua participatione primi entis, caret vero secundum se forma, per quam participat esse in actu secundum proprium modum. » Ergo secundum D. Thomam immediatus ordo materiæ est ad formam, et mediante ea ad existentiam, et sic de se tam est in pura potentia ad formas, sicut ad existentiam. Alter locus est opusculi XXXI, in principio, ubi inquit: « Quod materia non se habet, ut subjectum in quo, sed ex quo; et est differentia inter ista subjecta, quia subjectum est habens esse, et in illo sustentans formas, sicut substantia sustentat accidentia, et ita non habet esse ex eo, quod sibi advenit; at vero materia dicitur subjectum, ex quo aliquid componitur, et habet esse ex eo, quod sibi advenit, quia habet esse incompletum, imo nullum esse, » ut dicit comment. in II de Anima: « Unde simpliciter loquendo formæ dat esse materiæ. » Ita D. Thomas: qui locus valde notandus est, quia in eo aperte docet, quomodo potest aliquid esse subjectum, non præsupponens esse ad componendum cum forma, et recipiendum illam, sed potius ad hoc recipere, ut habeat esse simpliciter per talem formam. Nec significat D. Thomas solam dependentiam materiæ a forma, ut existat, ut aliqui dicunt, sic enim etiam forma dependere potest a materia, imo substantia ab accidente, ut a dispositione, sine qua non est, sed intelligit D. Thomas ordinem participandi esse, qui est actus ultimus, non convenire materiæ nisi per formam. Denique videri potest S. Thomas I p. q. VII, art. II ad 3, et q. LXVI, art. I, et q. CXV, art. I ad 2, et II contra Gent. c. XLIII, ubi materiam puram potentiam vocat sine omni existentia.

Et quidem ex hoc fundari potest ratio pro ista sententia, quia Philosophus in hoc libro, præsertim tex. LXIX, et LXX, investigavit naturam materiæ primæ ad similitudinem materiæ artificialium, dicens, quod materia se habet ad formas naturales, sicut lignum, vel æs ad formas artificiales, et nos addere possumus, quod se habet sicut intellectus noster ad species, et objecta, ad quæ in principio est in potentia. Videmus autem quod lignum vel æs in genere artificiali nullam prorsus habent existentiam artificialem ante formam, et similiter intellectus noster nullum esse intentionale ante species: ergo si materia prima ita se habet in genere naturali, sicut materia secunda, v. g. lignum, vel

æs in genere artificiali, manifestum est quod ita caret materia prima omni esse naturali, sicut materia secunda omni esse artificiali.

Nec dici potest, quod materia caret quidem esse naturali proveniente a forma, sed non caret omni esse, habet enim actum metaphysicum, scilicet actum entitativum, quo existit extra causas, saltem incomplete, et imperfecte, sicut postulat ex suo genere quod incompletum, et imperfectum est, perficitur autem per formam.

Sed contra est, quia iste actus entitativus debet esse in aliquo genere, et certum est, quod debet esse in genere substantiali, non accidentali vel artificiali, cum ipsa materia substantia sit, saltem partialis, existentia autem secundum hos Auctores non differt re ab essentia, et in isto genere substantiæ certum est, quod non habeat existentiam generis spiritualis, cum ipsa longissime distet a genere spirituali, ergo si quam habet, est in genere naturali, ad quod ipsa pertinet, ut pars entis naturalis. Et tunc urget ratio Philosophi. Materia prima in genere naturali est ens ita in potentia, sicut materia secunda est in potentia in genere artificiali, sed materia secunda, v. g. signum, nullum habet esse artificiale, nec partiale, nec totale ante formam artificialem, sed solum capacitatem ad illud, ergo materia prima nullum esse naturale habet ante formam, et consequenter nullum, absolute in actu, quia in re nullum esse datur, etiam partiale, quod non sit naturale, vel artificiale, sed solum est capax existendi mediate per formam.

Et amplius hoc declaratur ex doctrina Aristotelis, qui affirmat apud antiquos Philosophos existimatum esse, quod si materia esset ens in potentia, esset nihil in actu, et incideretur in inconveniens, quod ipsi ita refugiebant, quod ex nihilo res generarentur, pro eodem existimantes, nihil et ens non in actu, imo hoc erat præcipuum, quod contra Aristotelis sententiam opponebatur, quia si materia est ens in potentia, ergo est nihil seu non ens, quia solum quod est actu, est ens. Sic enim sensisse veteres constat, tum ex hoc primo libro, tex. XXXIV, et tex LXX, et ibi D. Thomas, lect. IX, et XIV, tum etiam ex I de Gen. tex. XII, et ibi D. Thomas, lect. VI, ubi dicit: « Quod si materia est nihil actu, sed potentia, sequitur id quod maxime timebant priores Philosophi, quod aliquid generatur ex nullo præexistente, quod enim est ens actu, est nihil. » Ecce quomodo utebantur antiqui eodem fundamento, quo nunc recentiores ad probandum, quod materia non est pura potentia entitative, seu ens in potentia, quia esset nihil, quidquid enim non existit actu, non est reale, quia non est extra causas. Cum ergo faciebant illam consequentiam, quod si materia non est ens actu, sed in potentia, est non ens seu nihil, plane procedebant contra ipsum esse entitativum materiæ, et non solum contra formale, quia procedebant contra ipsam materiam secundum se, et nudam omni forma; sic enim dicitur esse in potentia omnia, ergo si de hac materia sic in potentia inferebant, quod esset nihil, si erat in potentia ens, plane intelligebant carere esse entitativo, quod est existentia; sola enim carentia hujus esse facit nihil, et præsertim, quia si loquimur de materia secundum se, et sine forma, jam non inferebatur carere esse formali, quia supponebatur, sed carere entitativo quod est esse nihil.

Sic autem proponens Aristoteles difficultatem istam, non respondet materiam esse actu partialiter, et secundum actum entitativum, per

quod quidem videbatur directe solvi illa consequentia, quod si materia est ens in potentia, ergo est nihil; dicerent enim recentiores quod materia est in potentia ad omnes formas, et ad omne esse formale, non autem est nihil, quia habet esse entitativum. Sed Aristoteles respondet, tum in I Physic. tex. LXVI, et LXXVIII, tum in I de Gen. tex. XVII, et ibi S. Thomas lect. VII, in fine, quod quia nunquam est corruptio sine generatione, ideo nunquam materia manet ita in potentia, quod non sit ens actu, quia semper est subjecta alicui formæ, et ideo licet generatio fiat per se ex ente in potentia, tamen per accidens fit ex ente in actu, eo quod materia ex qua generatur est sub alia forma, et privatione sui, ratione cujus formæ materia dicitur in actu, quamvis sola ejus potentia per se ad generationem concurrat, non actualitas, quam sub illa forma corrumpenda habebat. Si ergo Aristoteles ut solvat objectionem quæ infert materiam esse nihil, et carere actu entitativo, quod est existentia, recurrit ad successionem formarum, sub quibus semper est materia, et propter hoc debere corruptionem unius esse generationem alterius, ut non sequatur materiam esse nihil, et non ens seu non existens, plane sentiebat materiam non habere esse entitativum ex se, sed per formam, alias si id sentiret, cur non diceret argumento, materia est in potentia, ergo est nihil, nego consequentiam, quia secundum se est existens, et habet esse entitativum, licet sit in potentia ad formale.

Et ulterius hoc declaratur, quia si ponitur materia habere actum entitativum, seu existentia ex se, funditus evertitur ratio probandi contra antiquos formam substantialem, quia antiqui non agnoscebant, formam distinctam a materia, sed totam quidditatem esse materiam, nec generari aliquid de novo substantialiter sed alterari tantum, eo quod non poterat fieri ens simpliciter nisi ex non ente, ut constat ex I Phys. tex. LXXI, et LXXVIII, et ibi D. Thomas lect. XIV, ubi ponit rationem antiquorum, ex qua movebantur ad negandam generationem substantialem, quia ex non ente fit ens, sic enim ex nihilo fieret, nec ex ente, quia jam esset, et sic non fieret esse simpliciter, sed ut tale. Et idem habet Aristoteles I de generat. tex. XI, et D. Thomas ibi lect. VI, solvit autem hoc Aristoteles quia ens simpliciter, id est, substantia, fit per se ex ente in potentia, quod est materia, quæ per accidens est in actu, quatenus erat sub alia forma; quæ ipsa generatione corrumpitur. Si autem ponatur materia ex se esse ens actu per existentiam, licet in potentia ad formas, enervatur doctrina Aristotelis et sumit robur ratio antiquorum, quia si fit generatio per se ex ente existente, dicerent antiqui, quod forma adveniens tali rei existenti non est substantialis, quia non dat primum, et integrum esse. Ex quo ergo principio probat contra veteres, quod forma est substantialis, et dat esse simpliciter, et consequenter datur generatio substantialis, etiamsi forma supponat aliquod esse substantiale in materia. Hoc enim nullo principio naturali probari poterat contra illos, nisi petendo principium. Unde bene dixit S. Thomas, Opusc. XV, cap. VII: « Quod ubi ponitur materia ens actu nihil differt dicere materiam, et substantiam rei, sic enim antiqui naturales qui probant materiam primam ens actu, dicebant materiam esse omnium rerum substantiam. »

Alia ratio poterat addi qua sæpe utitur D. Thomas nempe I part. q. LXVI, art. I, et quodlib. III, art. I, et

q. IV de potentia, art. 1, quia si materia existeret actu per se, et non per formam, sequeretur habere actum sine actu, eo quod illa existentia materiæ est actus participatus in materia, omnis autem actus participatus est forma vel habetur per formam. Sed de hac ratione sequenti articulo latius dicendum est. Denique, superflue ponuntur tot existentiæ, quot entitates, sicut enim sufficit una anima ad omnes partes, cur non una existentia?

Solvuntur Argumenta.

Argumenta omnia, quæ hic fieri possunt, vel tangunt generaliter distinctionem existentiæ ab essentia, de quo in quæst. VI redibit sermo, aut probant de potentia absoluta posse materiam esse sine forma, de quo seq. art. Breviter in præsenti ea solum tangemus, quæ ad puram potentiam in materia pertinent.

Primo ergo arguitur, quia vel illa entitas materiæ ante formam et secundum se considerata est aliquid reale extra statum possibilitatis, et extra causam creantem, vel non: si non est extra causam creantem, et extra statum possibilitatis, ergo non est entitas realis, nec realitas susceptiva formæ, sed tantum est entitas possibilis, et in potentia objectiva, et sic non loquimur de materia in præsenti, sed de materia reali, et quæ invenitur in rerum natura, nam quæ est in statu possibilitatis, non suscipit formam neque componit cum illa; si autem est extra statum possibilitatis, et extra causam creantem, antequam adveniat forma, sive existentia, quæ sit entitas distincta, ergo per se ipsam est actu extra causas sine forma, quod est existere. Quod si ita est pura potentia, quod non est existens, neque ens, incidemus in opinionem Platonis, qui materiam ita fecit puram potentiam, quod non distinxit illam a privatione, et non ente, contra quem disputat Aristoteles I Physic. c. IX.

Respondetur, hoc argumentum tangere totum fundamentum sententiæ oppositæ, quod procedit eadem æquivocatione, qua antiqui Philosophi, qui non agnoscebant medium inter ens actu, et nihil, quorum etiam ratione convictus Plato concessit quidem materiam primam, sed illam dixit esse non ens, seu privationem: antiqui vero Philosophi per aliud extremum dixerunt, materiam esse aliquid, sed non distinctum a forma, sicque dicebant esse ens actu. Inter has autem extremas sententias procedunt duæ mediæ opiniones, altera Aristotelis, D. Augustini et D. Thomæ, qui ad antiquos dicebant bene posse dari ens, quod non sit in actu, nec tamen sit nihil, sed ens in potentia, et sic datur medium inter ens actu se ipso et nihil, scilicet ens per aliud, et recipiendo aliud, per quod habet existentiam, et hoc Augustinus vocat prope nihil, eo quod nihil contradictorie opponitur enti, et ideo nihil nec est ens actu, neque capax actus; capacitas ergo ad actum seu ad esse, licet non sit ipse actus, quia tamen ex capax illius, jam recedit a nihilo, est tamen prope nihil, quia non est perfecte, et in actu se solo extra nihil. Alia vero opinio recentiorum ad fundamentum antiquorum dicit, quod inter ens in actu, et nihil, non datur medium, quod sit ens pure in potentia, sed datur ens, quod partialiter est in actu, et hoc est materia, quæ est pars quædam compositi, quæ partialiter, et incomplete existit in actu. Cujus tamen partialis existentiæ in materia Aristoteles non meminit, neque ex suis principiis contra antiquos potuit deducere, imo comment. in II de anima, ut refert D. Thomas, opusc. XXXI, dixit, quod materia nullum esse habet.

Ad argumentum ergo dicimus, quod materia ante formam, et essentia ante existentiam intelliguntur extra statum possibilitatis, et extra causam creantem, distinguo; dependenter ab actu dante illis esse, formaliter, concedo; independenter ab omni actu, et forma, nego. Et antecedenter ad istum actum vel formam, id quod relinquitur in materia, vel essentia, est entitas procedens a Deo, et creata a Deo ut recipiens et tendens ad existentiam suscipiendam, seu ut existens per aliud, non ut existens se ipso, nam non solum id quod est actus, sed etiam id quod est potentia ad actum creatur a Deo, sed ut subjecta actui, et non sine illo: unde dicit D. Thomas I p. q. XLIV, art. II ad 3: « Quod materia non est creata sine forma, licet enim omne creatum sit in actu, non tamen est actus purus, unde oportet, quod etiam illud quod se habet ex parte potentiæ sit creatum. » Condistinguit ergo potentiam ab actu, et sic sumptam potentiam non solum dicit esse creabilem, vel possibilem, sed creatam, seu concreatam, quia creatur, ut conjuncta et subjecta actui, non ut in se actus. Quare omne quod est extra statum possibilitatis debet esse ens in actu, sed non omnia eodem modo, aliquid enim est in actu, ut suscipiens actum, scilicet ipsa materia, aliquid ut dans actum, scilicet forma, aliquid ut constitutum ex actu, scilicet compositum, et illud quod suscipit actum tanquam potentia, etiam ut potentia, extra causas est, et a Deo est, sed non ut habens ex se actum, sed ut recipiens actum.

Et quando urgetur, quod si materia est ita pura potentia, quod non est actu existens erit nihil, et non ens, respondetur quod neque est nihil, neque entitas de se, et per id entitatem intrinsecam existens actu, sed capacitas actus, et conjuncta ipsi actui, et ita est pura potentia in actu, non actualitate antecedenti, sed actualitate concomitante et consequente, quatenus nunquam est sine ipsa existentia, et forma cujus est capax, et ad quam est in potentia, sed tanquam sibi conjuncta, et unita non ut sibi identificata, sed a se indistincta, et in hoc posuit Aristoteles contra Platonem differentiam inter privationem, et materiam, quod privatio, neque in potentia, neque in actu, neque per participationem, neque per identificationem est capax existentiæ, materia autem est capax per participationem et conjunctionem ad formam non per identificationem. Et D. Thomas: opusc. XV, c. VIII, vocat, « Materiam remota forma non ens, susceptivum tamen formæ, quæ est participativa ultimi actus, qui est existentia. »

Secundo arguitur: Non datur medium inter esse extra causas, et intra illas, cum contradictoriæ opponantur: ergo in illo priori, in quo intelligitur materia ante formam, et essentia ante existentiam, vel intelligitur intra causas vel extra; si intra causas est in statu possibili, et in potentia objectiva, et sic non est capax componendi cum forma; si autem est extra causas, ergo hoc ipso est existens, et sic ante existentiam esset existens quod implicat. Et confirmatur, quia si materia suscipit formam, et existentiam ejus, antequam in se habeat propriam existentiam, oportet quod in aliquo priori intelligatur causare materialiter talem formam suscipiendo illam: ergo pro illo priori intelligitur talis causalitas realis materialis exire ab ipsa materia: ergo necessario est existens, quia causalitas

008359

realis non potest exire, nisi a causa reali realiter existente.

Respondetur, quod in illo priori, quo materia intelligitur reciperetam formam, quam existentiam, intelligitur materia extra causas in suo genere, scilicet per modum potentiæ susceptivæ actus; non autem intelligitur ut perfecte, et complete existens in actu, quia enim actio agentis ponit extra nihil, tam potentiam, quam actum, ut ex D. Thoma vidimus et ordine quodam tangit illa, quia potentiam tangit, ut subjectam actui, et actum ut informantem potentiam, in illo priori, seu præcisione, qua intelligitur potentia subjici, et illum recipere, nondum tamen actum informantem illam, intelligitur materia, seu existentia extra causas inadæquata, et incompleto modo, scilicet sub formalitate potentiæ suscipientis existentiam, non sub formalitate existentiæ actuantis, in re tamen semper invenitur extra causas perfecte, et complete, et ita in re non datur medium inter esse vel non esse intra causas, sed secundum formalitates, et præcisiones, quæ sunt prioritates naturæ, bene potest dari medium inter esse complete extra causas secundum omnem considerationem, et esse complete intra illas, et hoc medium est esse in fieri, et tendentia, seu potentia susceptiva formæ, et existentiæ, et nondum formæ informantis illam, quæ prioritates, et præcisiones existendi secundum unam rationem et non secundum aliam passim occurrunt in productionibus rerum, et dependentiis a causis.

Ad confirmationem respondetur, quod ad causam materialem, ex qua componitur ipsum totum, sufficit existentia concomitanter; et in eodem instanti temporis, ut dicatur realiter componere, et causare, non autem requiritur, quod existentia antecedat pro illa prioritate naturæ, qua intelligitur causare materialiter: ad causam vero materialem, quæ per modum subjecti recipit formam accidentalem sustentando, requiritur quod antecedenter habeat existentiam, etiam pro prioritate naturæ, qua causat. Ratio diversitatis sumitur ex D. Thoma, opusculo XXXI in principio, quia causa materialis sustentans recipit formam dando illi esse simpliciter, a forma autem solum recipit esse accidentale, quod est esse secundum quid: unde cum illa receptio non sit pure potentialis, sed sustentativa in esse, supponit in causa materiali esse. At vero causa materialis pure receptiva, et constitutiva naturæ non recipit dando esse formæ, sed accipiendo a forma esse, et sic non supponit esse in se, sed solum capacitatem ad illud, quod mediante forma recipit. Nec requiritur, quod causa materialis pro omni prioritate suæ causalitatis intelligatur ens in actu, sed sufficit ut sit causa realis, quod in re sit pro omni instanti durationis, non pro omni instanti causalitatis, et dependentiæ. Et hoc ideo est, quia hujusmodi causalitas materialis est ita imperfecta, quod non solum ponit formam extra causas, sed ad hoc causat forma, ut ponatur materia ipsa extra causas, siquidem causare formam recipiendo, est recipere actualitatem ad esse, et quando actualitas dat esse simpliciter, etiam potentia recipit esse simpliciter, et ideo causalitas ita imperfecta non supponit esse perfectum pro prioritate causandi, sed capacitatem ad esse, nec enim causat mediante esse, sicut causa efficiens, vel subjectum sustentans, sed mediante capacitate, et potentialitate ad esse.

Si instes: Nam materia recipiendo formam dat esse formæ, siquidem forma non habet esse in se, sed in materia, excepta anima rationali, ergo mediante esse debet causare materia, respondetur, formam substantialem non dependere a materia, quia ab illa recipiat esse, aut sustentetur in esse, sicut formæ accidentales, quæ non possunt dare primum esse, sed esse secundum quid, et ideo supponunt subjectum constitutum, et subsistens in esse; ideoque ab esse subjecti dependent, et ab illo sustentantur. At vero forma substantialis dat primum et substantiale esse, et ideo non recipit aliquod esse a materia, sed quia illud esse, ut est a forma (præter rationalem) non est subsistens, et per se independens, accipit a materia, ut a subjecto ultimo principium unde terminetur, et reddatur subsistens in ipso toto.

Tertio arguitur. In materia secundum se et seorsim a forma est entitas in tempore producta, et non aliquid æternum, et sic significatur per ly *est* non absolutum a tempore, ut quando dicitur *materia est*, est etiam entitas subjecta productioni, et causalitati agentis creantis, ergo habet omnes effectus formales existentiæ ante ipsam formam. Est etiam participatio quædam Dei in actu, quia habet ideam in Deo, ut docet S. Thomas I part. quæst. XV, artic. III. Est etiam bona, ut docet III contra Gent. cap. XX, alias incideremus in hæresim Manichæorum, quod materia est mala; ergo habet in se seorsum a forma aliquod esse.

Respondetur, omnes illas conditiones existentiæ, quæ tribuantur materiæ consideratæ sine forma, vel essentiæ, quæ antecedenter se habent ad existentiam convenire illi, non per identificationem cum existentia, sed per receptionem, et subjectionem ad ipsam: in illa enim antecedentia ad formam, vel ad existentiam, entitas essentiæ, vel materiæ, intelligitur ut suscipiens existentiam, vel formam, quæ est antecedentia causæ receptivæ, licet nondum intelligatur ipsa forma, vel existentia, ut actuans, in qua præcisione illa entitas, neque consideratur ut pure possibilis, et intra causas, neque ut perfecte et complete extra illas (licet in re sit extra) sed in statu recipiendi ipsum esse, et in potentia non objectiva respectu agentis, sed recipiente respectu existentiæ. Entitas autem ut recipiens ipsam existentiam, et ut subjiciens se illi, habet omnes conditiones existentiæ per modum potentiæ receptivæ, quas habet existentia per modum formæ actuantis: est enim aliquid temporale, et subjectum agenti, etc. non per modum actus existentiæ, sed per modum potentiæ recipientis illam, eo quod agens utrumque producit et potentiam et actum, ut diximus ex D. Thoma.

Ex quo ulterius dicimus, quod materia secundum se est quædam participatio Dei, quatenus participat capacitatem ad essendum, per quam recedit a nihilo, quod non est capax existendi, et hoc immediate a Deo participat, sed actualem existentiam hujus capacitatis participat a Deo mediate, id est, mediante forma constituente compositum, ut ex opusc. XV supra retulimus. Et ita dicit D. Thomas, I p. q. XV, art. III, ad 3: « Quod materia prima habet ideam in Deo, sed non aliam ab idea compositi, cum materia secundum se neque esse habeat, neque cognoscibilis sit; » id est, non separatam ab idea compositi, sed in illa inclusam, nam eo modo habet ideam, quo in tempore productionem. Est autem terminus productionis inadæquatus, quia non creatur, sed concreatur, ut dicit D. Thomas, I part. quæst. VII, art. II ad 3, ergo et coexemplatur in idea.

Quod vero materia dicitur esse bona, respondetur quod non dicitur

bona formaliter, et in actu, sed secundum capacitatem, et ordinationem ad bonum. Unde dicit D. Thomas I part. qu. v, artic. ad 3 : « Quod materia participat aliquid de bono, scilicet ipsum ordinem, vel aptitudinem ad bonum, et ideo non convenit sibi, quod sit appetibile, sed quod appetat : » et sic intelligitur in III contra Gentiles citato, quod materia est bona ratione ordinis ad bonum, non ratione bonitatis actualis in se. Et ita materia non est privatio, ut dicebat Plato, quia privatio non ordinatur ad bonum, sed opponitur illi, et similiter non est mala, quia malum opponitur bono, materia autem non opponitur formæ, et hac ratione dicitur utilis formæ et composito, quia ad rationem utilis sufficit bonum bonitate ordinis ad alterum, non bonitate actualitatis in se.

ARTICULUS III.

Utrum materia possit existere sine omni forma, saltem de potentia absoluta?

Licet materia participet existentiam per formam, vel in suo esse partiali (si daretur) dependeret ab illa : adhuc restat difficultas, an solum pendeat naturaliter, an essentialiter, ita ut nec per Dei potentiam suppleri possit, sicut accidentia videmus naturaliter dependere a subjecto, et per Dei potentiam sine illo esse posse? Sententia ergo affirmativa communissima est inter recentiores hujus temporis, et habet patronum Scotum in II, dist. XII, q. II, et totam ejus scholam.

Nihilominus sit unica conclusio : In sententia D. Thomæ implicat materiam existere denudatam ab omni forma, atque ita est essentialis ordo inter receptionem formæ, et existentiæ, quod per formam redditur capax habendi existentiam, qui ordo essentialis non invenitur inter accidens, et subjectum, licet ratione imperfectionis suæ accidens dependeat inhærendo a subjecto, non materia. Itaque materia se habet ad formam, et ad existentiam ordine quodam essentiali, sicut intellectus non est capax visionis, nisi mediante specie, et lumine, et sicut corpus non est capax gradus sensitivi, nisi mediante vegetativo. Hæc conclusio sumitur ex D. Thoma, I p. q. LXVI, art. I, ubi, inquit : « Si materia informis præcessit duratione, hæc jam erat in actu, hoc enim duratio importat; creationis autem terminus est ens actu, ipsum autem, quod est actus est forma, dicere igitur materiam præcedere sine forma, est dicere ens actu sine actu, quod implicat contradictionem. » Ita D. Thomas. Et idem probat quodlib. III, art. I his verbis : « Quod aliquid simul sit, et non sit, a Deo fieri non potest, neque aliquid contradictionem involvens, et hujusmodi est materiam, esse in actu sine forma, omne enim quod est actu, vel est ipse actus, vel est potentia participans actum : esse autem actum repugnat rationi materiæ, quæ secundum propriam rationem est ens in potentia; relinquitur ergo quod non potest esse in actu, nisi in quantum participat actum, actus autem participatus a materia, nihil aliud est quam forma. Unde idem est dictu materiam esse in actu, et materiam habere formam; dicere ergo quod materia sit in actu sine forma, est dicere contradictoria esse simul. » Ita D. Thomas, et videri etiam potest in qu. IV de potentia, art. I et III contra Gentiles, cap. IV, ubi inquit : « Quod materia non tendit ad impossibile, est autem impossibile materiam tantum sub privatione esse. » D. Thomæ loquuntur communiter omnes

ejus discipuli ad illum locum I p. Ibi videri potest Cajetanus et c. v de ente et ess. q. VIII; M. Bannez illam q. Ferrariensis I Physic. q. XI et cit. loco contra Capr. Socin. et alii, apud Curs. Carmelitanum hic disp. III, q. V, pro eadem Conimbicenses, lib. I Phys. c. I, q. VI, art. I citant Mag. in II, dist. XII, cap. V Hugonem de S. Victore, Durandum, Ægidium, et alios.

Ut explicetur implicatio, quam D. Thomas in locis affirmat, advertendum est, Auctores oppositos non dubitare quod existentia seu esse proveniens a forma, non possit inveniri in materia sine ipsa forma, cujus est tale esse, sicut, v. g. esse album, et existentia ubi manifeste apparet, quod non potest convenire materiæ sine albedine, et generaliter quodcunque esse, seu existentia ut specificata ab aliqua forma, nullo modo potest convenire materiæ, nisi mediante forma, a qua habet specificationem, et determinationem et ita si velimus dicere, quod materia non participat istas existentias sic specificatas, nisi servato ordine essentiali, ut mediantibus suis formis participentur, verissimum est, neque Auctores oppositi negabunt; sed punctus difficultatis est, an possit dari in materia aliqua existentia non proveniens a forma, sed ipsi materiæ conveniens, in quantum est entitas distincta a forma, et propterea vocatur actus entitativus, et sic existere possit materia separata ab omni forma, et ab omni existentia formæ. In hoc ergo videtur deficere implicatio assignata a D. Thoma, quia concludit, materiam non posse esse existentem sine aliquo actu, et inde infert, non posse esse sine forma pro eodem reputans actum participatum in materia, et formam, cum tamen in hoc faciat difficultatem opposita sententia, quia distinguit actum existentiæ a forma et hunc actum existentiæ dicit convenire materiæ antecedenter ad formam, vel quia non distinguitur entitas realis materiæ ab existentia sua, vel quia talis entitas materiæ immediate capax est illius.

Igitur implicatio D. Thomæ fundatur in hoc, quod existentia ex essentiali conceptu suo est actus distinctus ab essentia creata, ut probabitur quæst. VII. Hic autem actus non constituit rem intrinsece, et essentialiter, sed essentiam constitutam extra causas constituit, non in sua quidditate, alias esset essentialis, et necessario conveniens rei quam constituit. Ergo ex natura sua non est actus primus, id est, constituens quidditatem, sed secundus, seu adveniens constitutæ. Cum ergo materia prima de se nullum actum primum habeat, quia ipsa non est forma, seu actus primus, caret vero omni forma ei unibili, ut supponimus, ergo non est capax alicujus actus secundi, qui est existentia, sicut non est capax actus secundi, qui est operatio nisi mediante radice operandi, quæ est potentia. Itaque sicut bene valet, si aliquid est capax operationis tanquam actus secundi distincti a se, ergo in se est actus primus potens operari, quia nihil est aliud actus primus, quam id quod est capax immediate actus secundi; ita bene valet in existentia, quod si aliquid est immediate capax existentiæ; etiam partialis tanquam actus secundi in essendo distinctæ ab essentia : ergo in se partialiter est actus primus, vel habet actum primum, idem autem est actus primus, quod forma. Ergo si materia est sine omni forma, et existit, habet formam sine forma, quia habet actum primum, vel ipsa est actus primus, hoc ipso quod est capax actus secundi, quod est existentia.

Solum potest responderi, vel quod existentia non est actus secundus,

nec supponit primum, sed est indistinctus a quacunque entitate reali. Vel quod materia prima generali ratione potest dici actus primus, et non pura potentia, quatenus est capax existentiæ ob realitatem suam.

Sed primam solutionem excludemus, q. VII, nec implicatio D. Thomæ currit, nisi supponendo, quod existentia distinguitur ab essentia creata, nam si est idem cum illa, quomodo potest controverti, quod est capax illius, vel quod non possit a Deo realis entitas, et substantialis per suam existentiam, quam habet separatim conservari, sicut accidens sine subjecto; tunc enim non magis dependebit a forma, quam accidens a subjecto; imo multo minus, si utrumque secundum se existens est.

Secunda vero solutio destruit rationem propriam materiæ, quia in re est facere illam formam, nam quid aliud est forma substantialis, quam actus primus in genere entitativo? Et quomodo potest probari contra antiquos, qui negabant formam substantialem distingui a materia, quod non sit idem materia quod forma substantialis, si est actus primus? Quod enim non informet, sed recipiat, in pris mihoc ipsi negabant, quod recipere formas, quia secundum se erat ens actu, et sic non indigebat formis substantialibus, quæ dant esse primum et substantiale. Deinde, quia si est actus primus, et non informans, nec receptus in alio, ergo erit in se actus subsistens, nec indigebit forma naturaliter ad existendum: forma enim seu actus non receptus, hoc ipso est terminatus, et incommunicabilis ulteriori subjecto, ergo subsistens in eo esse, quod habet, et licet recipiat formas, recipiet illas tanquam accidentia, sicut suppositum hominis vel lapidis recipit accidentia. Quare ex his principiis magis aperitur via an negandum materiam primam esse ens partiale, et quod non dantur formæ substantiales, sed solum accidentales, ut ponebant antiqui, quam ad oppositum, stando in principiis Aristotelis, et veræ Philosophiæ.

Denique, potest implicatio ista aliter explicari, quia illa existentia materiæ seorsum a forma, vel esset corporea, vel spiritualis, vel non corporea nec spiritualis. Hoc tertium dici non potest, quia spirituale, et corporeum videntur exhaurire omne quod actu est substantia, adæquate enim illam dividunt, sive sit pars ut forma corporea, sive totum, necessario enim est aliquid pertinens ad genus corporeum, vel spirituale per se, vel reductive; ergo neque datur existentia abstrahens ab utroque; spiritualis esse non potest, quia materia maxime spiritualitati opponitur, cum spirituale consistat in abstractione materiæ; ergo propria existentia materiæ non potest esse spiritualis. Si est corporea, utique actu debet esse corporea, et non in potentia, est enim actualis existentia, et sic actu est id quod est: ergo essentialiter dependet a forma, seu gradu corporeitatis, per quem materia est actu corpus, nam materia de se non est actu corpus, sed per formam, quæ dat gradum corporeitatis, si enim esset actu corpus incideretur in opinionem antiquorum qui ut dicit S. Thomas materiam primam dicebant esse actu corpus, et sic formæ elementales, et aliæ, non constituerent formaliter corpus, quod est aperte falsum: forma enim quæ non constituit corpus, neque potest tale corpus in specie constituere, quia implicat aliquam formam dare gradum specificum, genericum autem ab alia realitate distincta provenire, sic enim illa entitas, a qua gradus genericus provenitur, esset in gene

re, et non in aliqua specie, et hæc est vis rationis D. Thomæ, q. IV de potentia, art. I, ubi dicit: « Non posse materiam esse sine forma; quia non potest aliquid esse in genere, quod non sit in aliqua specie.» Cum ergo a forma substantiali proveniat gradus corporis, ut sic, et specificus talis corporis, consequenter materia sine forma non est actu corporea, sed potentia, id est, entitas susceptiva gradus corporei: unde si habet propriam existentiam, illa non potest esse actu corporea, quia entitas, cujus est hæc existentia, non est actu corporea, sicut autem non potest intelligi existentia hominis sine forma hominis, nec existentia equi sine forma equi, ita nec existentia corporea sine forma corporis. Hanc rationem etiam attingemus sequenti articulo, titulo ultimo.

Adverto, quod aliqui, ut Magister Bannez ubi supra, existimant esse probabile, quod materia prima potest existere sine omni forma, per existentiam Divinam sibi unitam, cui sententiæ etiam subscriberem, si supponeretur materia capax existentiæ sine forma, cum enim existentia et subsistentia Divina solum uniantur supplendo vicem creatæ, solum illis naturis uniri possunt, quæ sunt capaces subsistendi, vel existendi, sicut patet, quod accidenti non potest uniri Divina subsistentia, quia propriæ subsistentiæ non est capax: ergo idem dicendum est de materia respectu existentiæ.

Unde etiam evacuantur instantiæ a quodam recentiore adductæ contra nostram sententiam. Prima, quia subsistentia est actus naturæ proveniens ab aliqua forma, et tamen divinitus suppletur per subsistentiam Verbi. Secunda, quia humanitas Christi existit existentia Verbi, et tamen illa non convenit mediante forma; ergo potest existentia provenire ab alio, quam a forma. Sed utraque instantia infirma est. Aliud est enim, quod subsistentia et existentia creatæ sint supplebiles per Divinam; aliud quod sint supplebiles in materia nuda, sed in humanitate vel alia natura, cujus existentia et subsistentia sunt non effectus formales, sed modi consecuti, seu formalitates, quæ dant illos effectus formales, subsistendi et existendi.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur: Quia Deus potest conservare accidens sine omni subjecto, et formam substantialem sine omni materia, et quamcunque entitatem realem sine eo, a quo distinguitur realiter: ergo etiam materiam sine omni forma. Consequentia patet, quia materia prima est entitas realiter distincta a forma, et minoris dependentiæ a forma, quam accidens a subjecto, cum materia sit substantia, accidens vero inhæreat: ergo potest separari ab omni forma; in hoc enim distinguitur realis distinctio a modali, quod ubi est distinctio realis, extrema possunt separari saltem de potentia absoluta; modus autem nunquam potest separari ab eo, cujus est modus. Constat autem, quod materia prima est entitas realiter distincta a forma. Confirmatur, quia materia vel dependet a forma intrinsece, et essentialiter, vel non; si dependet, ergo propria materiæ quidditas constituetur per formam, quod est omnino falsum, cum propria materiæ quidditas sit esse ens in potentia, quod non habet a forma. Si vero non dependet essentialiter, sed solum quoad existentiam, talis effectus formæ est secundarius, et sic poterit suppleri a Deo, sicut suppletur in humanitate Christi existentia, et subsistentia propria per

Verbum, et sicut in Eucharistia ponitur quantitas corporis Christi, sine repletione loci, quæ est effectus secundarius ejus.

Respondetur illud argumentum de accidente solvi a D. Thoma quodlib. III citato, art. I ad primum, et I p. quæst. LXVI, art. I ad 3, et idem est de forma substantiali. Dicit ergo, quod accidens dependet a subjecto ut a causa sustentante in esse; materia vero a forma ut ab actu suo. Quod autem aliquid sustentetur ab aliqua causa secunda, bene potest a Deo suppleri per aliam causam, quia sustentatio solum pertinet ad exercitium ponendi rem in esse, non ad determinationem, et specificationem ipsius; exercitium autem existendi multo melius potest fieri per causam efficientem, quæ solum dat esse quoad exercitium. At vero materia dependet a forma, non per modum causæ efficientis, sed formalis, cujus proprium munus est dare esse rei specificando, et determinando illud, unde remota omni forma caret materia omni principio determinante, et specificante ejus esse, et sic solum manebit existentia potentialis, et indeterminata, quæ non potest habere effectum formalem existendi actu et determinate extra causas.

Ad id vero, quod dicitur de distinctione inter extrema realiter distincta, respondetur esse certum, et infallibile signum distinctionis realis, si de facto duo separantur inter se, e contra tamen si non separantur, non est infallibile signum, quod non distinguantur realiter, potest enim intervenire aliqua essentialis dependentia unius realitatis ab alia in existendo, sicut relatio realis ad sui existentiam petit existentiam termini a quo realiter distinguitur: est enim relatio omnino extra suum terminum, et de actu vitali multi existimant, non posse conservari a Deo extra potentiam vitalem, quia essentialiter dicit processionem ab illa. Et similiter visio exterior realiter distinguitur ab objecto, sine quo tamen conservari non potest, alioquin videret rem absentem. Similiter ergo cum materia dependeat a forma, ut a medio participandi existentiam determinatam, non poterit sine illa determinate existere. Addo, quod ad distinctionem realem inter materiam, et formam sufficit, quod materia possit esse in re, sine qualibet forma divisive, sicut videmus ab illa separari, sed non a tota collectione formarum, hoc enim ad distinctionem realem non est necesse, dum distinctio realis exerceatur inter quamlibet determinate, et sic sufficit reparari a qualibet determinate.

Ad confirmationem respondetur, quod materia dependet a forma, quantum ad esse, non quantum ad quidditatem, quæ est entitas potentialis, ut S. Thomas docet v Metaphys. lect. II. Et ad replicam respondetur, quod stante effectu primario formæ, in subjecto potest suppleri, vel tolli effectus secundarius, nisi interveniat aliquod essentiale impedimentum. Cæterum e converso dari effectum secundarium sublato primario impossibile est, propter coordinationem essentialem inter primarium, et secundarium effectum; secundarius autem effectus formæ est existere, primarius autem est informare, et constituere. Et quando Deus supplet existentiam et subsistentiam humanitatis, supponit ipsam humanitatem constitutam per formam suam, supplet autem id quod secundarium est, scilicet existere, et subsistere, in nostro autem casu proceditur e converso, scilicet quod materia habeat effectum secundarium formæ, qui est existere sine forma, id est, actum secundum sine actu primo.

Secundo arguitur: Dato quod existentia distinguitur in re ab essentia non tamen distinguitur, nisi tanquam modus, siquidem existentia non constituit quidditatem aliquam sed constitutam supponit, et extra causas ponit, quod est modificare, modus autem identificatur cum re cujus est modus, nec potest aliquid modificari per modum alicujus rei distinctæ: ergo cum materia existat in rerum natura, aliqua existentia identificatur cum illa: ergo non existit per formam, sed per modum proprium, quem Deus sine forma conservare poterit in materia.

Quod si dicas: Modum istum essentialiter resultare ex forma, et ideo sine illa non posse conservari, sicut ubi, vel situs sine loco, figura sine quantitate, contra est, quia existentia non sequitur formam, sed productionem, cum sit terminus ipsius fieri, seu productionis relictus immediate ex causa efficienti, sed materia habet distinctum fieri, et productionem a forma, quia materia fit per creationem, forma autem per generationem, ergo habet distinctam existentiam a forma. Item, si materia haberet existentiam mediante forma, toties interiret, et produceretur, quoties nova forma advenit, et alia recedit, quia tunc desinit esse unius formæ, et incipit aliud cum ipsa forma; nihil autem aliud est corrumpi, quam amittere esse, neque aliud est produci, quam adquirere novum esse.

Adduntur alia minoris ponderis, ut si materia annihilaretur, non annihilata forma, maneret existentia materiæ, quæ est a forma et tamen esset annihilata, ergo daretur esse materiæ, et tamen esset materia annihilata. Item materia causat formam in esse, et forma causat materiam; ergo materia causat suum esse, quod est a forma. Similiter materia est causa realis ipsius formæ sustentando, et recipiendo illam: ergo in illo priori, in quo causat, existit, alias non realiter causaret, et tamen pro illo priori non habet existentiam a forma, quia nondum forma est causata. Denique est specialis difficultas in anima rationali, cujus existentia spiritualis est, siquidem per eamdem existentiam existit separata, sed spiritualis existentia non potest communicari materiæ: ergo quando est sub anima rationali, non habet existentiam ab illa.

Respondetur ad principale argumentum responsione data inter arguendum, admisso, non concesso, quod existentia solum sit modus, non realitas distincta ab essentia, hoc enim est probabile, et forte probabilius. Et ad primam instantiam respondetur, quod existentia sequitur productionem rei perfectam et completam, cum sit terminus ultimus actionis, non autem productionem quasi incompletam, et dependentem ab alterius positione, sine qua in rerum natura non existit, cujus ratio est, quia existentia est actus, quo aliquid ponitur, non solum extra unam causam, sed extra omnes; unde non sufficit considerare aliquid, ut est extra causam efficientem, si nondum est extra formalem, ut materialem, ut dicatur in re existere, et sic materia, ut præcise subest actioni creantis, et non actuationi formæ informantis, nondum intelligitur habere existentiam, quæ extra omnes causas ponit, sed tendere ad existentiam quasi in fieri, et in via.

Ad secundam instantiam de creatione materiæ, et generatione formæ respondetur, quod ut dicit D. Thomas III de potentia, art. I ad 2, materia proprie non creatur, sed concreatur; creatur enim sub forma, et ita creatio completa, et absoluta terminatur ad totum composi-

tum, ut dicitur 1 par. quæst. XLV, art. IV. Et sic materia per creationem accipit existentiam, non ut præcise exit a causa efficiente, sed in quantum per creationem, et causam efficientem ponitur sub actuatione formæ, et causatur etiam a forma, et ut uno verbo dicam, materia per creationem non tam recipit esse, quam subesse, sicut etiam quando Deus creat aliquam substantiam, secundario etiam attingit accidentia tali substantiæ annexa, et tamen non dicuntur creari, quasi seorsum accipiant esse, sed accipiunt illud dependenter a subjecto, et ita si subjectum tollatur, et Deus non suppleat ejus concursum separando accidentia, necessario desinunt, non obstante prima attingentia creationis : et similiter, si materia semel creatur sub forma, si illa forma desinit esse et altera non succederet, destrueretur materia, quia non fuit creata simpliciter, et absolute ut esset, sed ut subesset formæ, et per ipsam esset, nec tamen potest Deus sine forma illa separatim ponere, sicut formam sine subjecto propter rationem dictam in solutione ad primum. Et sic materia proprie, nec habet esse eductum, nec creatum, sed communicatum per formam eductam, aut concreatam, subjici autem existentiæ eductæ, non sufficit denominare rem ipsam eductam ; requiritur enim ad denominationem educti ordo ad aliquod principium, ex quo educatur, sine isto autem ordine (quo utique caret materia) dicetur quidem compleri ejus productio per communicationem existentiæ eductæ, sed non denominabitur educta.

Quare hæc omnia argumenta æquivocant valde in acceptione de ly *creatio*, quod illam accipiunt solum uno modo, scilicet ut dat esse absolute, cum tamen creatio toti composito, seu supposito dat esse absolute, partes autem compositi non absolute ponit in esse, unicuique attribuendo esse partiale, sed unam subjicit alteri, et sub alterius esse, vel sub totius esse coordinat, et sic dat illis esse, eo modo quo partibus potest convenire, scilicet ut subordinantur toti, et dependenter ab illo, non proprium esse cuique tribuendo : idem est autem, quod una existentia dependeat ab altera, ut reddat rem existentem, et quod entitas ipsa non habeat existentiam propriam, sed ab alterius existentia sibi communicata dependeat.

Ad tertiam instantiam, quod materia corrumperetur, et generaretur quoties mutaret formas, respondetur, materiam non corrumpi, nec generari per se, in quantum entitas potentialis est, sed per accidens, quantum ad privationem, et esse communicatum quod habet, de quo 1 Physic. capite ultimo, et ibi D. Thomas, lectione ultima, et VIII Metaphysic. lect. 1, dicit : « Quod nec materia, nec forma generatur, aut corrumpitur, nisi per accidens. » Simpliciter autem non dicitur corrumpi aliquid per hoc, quod amittit unum esse, si illi succedit aliud, æque bene illud conservans, et supplens, sed solum quando destruitur esse, quod habet, et aliud non succedit, sicut si aliqua natura subsistens assumatur a Deo destruendo ejus subsistentiam, et consequenter existentiam, quæ subsistentiæ est annexa, non dicetur natura illa simpliciter corrumpi, sed solum secundum quid, et quantum ad modum proprium existendi, sicut nec corrumpitur accidens per hoc, quod separatum sustentetur, licet modum inhærentiæ amittat. Corruptio autem secundum quid, et per accidens non est inconveniens, quod attribuatur materiæ.

Ad reliquas instantias, in argumento insinuatas, breviter respondetur. Ad primam, quod si annihilaretur materia manente forma, diceretur in forma manere esse materiæ : non tamen applicatum, et communicatum materiæ, sicut in anima separata, et ex defectu istius communicationis, non dicitur materia existere. Ad secundam dicitur, quod materia causando formam materialiter, causat consequenter suum esse materialiter, et recipiendo illud, quod nullum est inconveniens, sic enim recipiendo esse non tam causat, quam causatur, solum autem active non potest aliquid causare suum esse. Non enim est inconveniens, quod causæ ad invicem sint causæ, ut dicimus quæst. IX, et ita forma causat materiam, et materia formam. Ad tertiam jam dictum est supra, quod causa materialis, licet existendo causet, non tamen ratione existentiæ, et sic semper existit concomitanter, non tamen pro omni prioritate, et antecedentia causalitatis suæ sicut causa efficiens, quæ causat existendo, sed est prioritas tendendi ad esse, et recipiendi esse, et sic est causa realis, realitate potentiæ recipientis esse, non realitate proprii, et peculiaris esse, seu existentiæ. Ad ultimam respondetur, quod sicut ipsa substantia animæ rationalis spiritualis est in se, et tamen informat materiam corporalem, quia formaliter eminenter habet gradus corporales, et sicut subsistentia Divina, cum spiritualis sit, terminare potest naturam corpoream, et supplere vices subsistentiæ corporeæ, ita non repugnat quod anima communicet materiæ mediante informatione sui, existentiam quam habet, non omni modo quo habet, sed ut virtualiter est corporea, sicut dicit D. Thomas in quæstione de anima, art. 1 ad 17 et 13 : « Quod materia participat esse animæ rationalis, sed non omni modo, quo est in animo. »

Restabat inquirere, an possit materia prima habere simul plures formas. Sed de hoc in secundo libro dicemus tractando, an possit unus effectus a duplici causa totali pendere.

ARTICULUS IV.

Explicantur propriæ conditiones materiæ primæ.

Ad quinque conditiones possunt revocari omnes conditiones materiæ, scilicet Potentia, Appetitus, Ingenerabilitas, Unitas, Differentia unius materiæ ab alia. Nam unio, quæ videtur esse conditio materiæ, non est propria ipsius, sed communis etiam formæ, nec tam pertinet ad ipsam materiam, quam ad ejus applicationem ad componendum totum. De illa igitur agemus q. VI, agendo de Composito.

Potentia materiæ.

Plura egimus de potentia materiæ art. II, ostendendo quomodo sit pura potentia, non solum per exclusionem actus formalis, sed etiam actus entitativi. Ex quo sequitur, quod potentia materiæ sit pure passiva, et nullo modo activa : tum quia caret omni actu primo, qui est forma, et consequenter omni activitate, activitas enim est actus primus, id est, virtus ad agendum ; tum quia caret actu secundo ex se, qui est existentia, sine qua tanquam sine conditione nulla virtus activa operatur active, seu effective. Unde male aliqui attribuunt materiæ actum effectivum, et contra Aristotelem, prim. de generatione, textu LV, et secundo libro, text. LIII.

Addimus in præsenti, materiam primam non constitui in ratione potentiæ per aliquid sibi superaddi-

tum, sed per ipsam suam entitatem, ut expresse docet D. Thomas, I Phys. lect. XV.

Et ratio est, quia potentia materiæ est ad esse, non ad operari, sive illud esse quod recipit sit tantum esse formale, sive sit etiam esse entitativum, ut diximus. Imo si ipsa entitas substantiæ, vel materiæ non esset immediate receptiva alicujus, sed semper mediante aliquo reciperet, ita quod etiam ipsum medium non immediate reciperetur, daretur processus in infinitum. Nec ista potentia amittitur adveniente actu, sed perficitur; licet potentialitas amittatur, id est, deficientia actus, hoc enim potentialitas sonat.

Sed objicies: Nam ex materia dimanat quantitas, et similiter aliquæ relationes ei convenire possunt, et ab ea tanquam a fundamento dimanare, sicut est relatio ad formam, quæ reddit illam in suo genere bonam: ergo habet aliquam vim effectivam, scilicet ad dimanationem quantitatis, neque materia est omnino pura potentia, siquidem habet aliquam relationem in actu.

Respondetur, quod dato, quod aliqua ex istis accidentibus dimanarent a materia, adhuc non supponeretur in ea aliqua activitas et vis effectiva, quia dimanatio non est actio proprie loquendo, et formaliter, sed solum identice quatenus actio quæ producit immediate substantiam, mediante attingit passiones, ut coordinatas, et dependentes a substantia. Unde in actione productiva passionum ipse ordo ad substantiam, ut immediate producetur, seu connexio ipsa passionis productæ cum substantia, dimanatio dicitur, et ita nudæ substantiæ convenire potest, cum tamen nuda substantia effective operari non possit, ut latius dicemus infra q. XII. Veritas tamen est, quod quantitas non dimanat a sola materia, sed etiam a forma, cum ex diversa forma diversa quantitas conveniat subjecto, sed dicitur sequi materiam, quia quantitas est accidens maxime materiale, et consecutum ad substantiam ratione infimi gradus, qui est gradus corporeitatis, qui maxime accedit ad materiam, et quia nullo modo est accidens activum, sed passivum. Quod vero dicitur de relatione, respondetur relationem istam transcendentaliter sumptam, non esse aliud, quam ipsam potentiam entitativam materiæ: sumpta autem prædicamentaliter solum convenit materiæ, ut subest formæ, solum enim potest respicere formam existentem: forma autem non existit nisi in materia, aut si existit per se, non informat, nisi in materia, et sic non fundatur relatio prædicamentalis in materia seorsim a forma, sed ut existente sub forma; materia autem ut informata bene potest fundare, et habere relationem in actu, quia sic jam non est pura potentia, sed potentia informata; dicitur autem materia esse bona bonitate ordinis ad formam, non formalitate actus, quem habeat in se, ut supra diximus.

Appetitus materiæ.

Duo possumus considerare in appetitu materiæ. Primum, quid sit? Secundum, ad quid sit, et ad quæ se extendat? Quantum ad primum supponenda est illa vulgaris distinctio *appetitus innati, et elicit;* primus est appetitus ab ipsa natura ortus, sine media cognitione, ut in lapide pondus ad centrum; elicitus est, qui procedit ab aliquo mediante cognitione, sicut cum animal appetit cibum, vel potum: quod si appetitus iste oriatur ex cognitione intellectiva, dicitur appetitus rationalis, seu

voluntas, et si ulterius sequatur ad cognitionem proponentem objectum cum indifferentia non adstringente, neque coarctante tantum ad unum, erit appetitus liber. Unde aliud est appetitus innatus, qui est sine cognitione, et opponitur elicito, aliud naturalis, seu necessarius, qui opponitur libero et potest esse elicitus. Pertinet autem ad appetitum tendere ad rem, quando caret illa, et quiescere in re, quando habet illam, ut S. Thomas dicit I p. q. XIX, art. I, sed tamen proprie fit denominatio appetitus ab illo primo actu, quando tenditur in rem non habitam; rem enim quam habemus, non dicimur tantum appetere, sed frui, quod est aliquid plusquam nude appetere.

Dicimus ergo, quod appetitus materiæ est appetitus innatus, qui non distinguitur ab ejus entitate. Constat hoc ex Philosopho primo Physicorum, text. XVIII, quem ibi declarat D. Thomas contra Avicennam, lectione XV. « Nihil, inquit, est aliud materiam appetere formam, quam eam ordinari ad formam, ideo inest ei semper appetitus formæ, non propter fastidium formæ quam habet, nec propter hoc quod quæ rat contraria esse simul, sed quia est in potentia ad alias formas, dum unam habet actu. » Videri etiam potest prima pars, quæst. LIX, articulo secundo, ubi inquit: « Quod inclinatio quæ est ad esse rei non est per aliquid superadditum essentiæ, sed per matricem, quæ appetit esse antequam habeat, et per formam, quæ tenet rem in esse, postquam fuerit. » Ratio autem est, quia appetitus naturalis non est necesse quod sit aliquis actus, vel impetus activus ad aliquid, sed solum habitudo, et ordo ad sibi conveniens: maxime autem materiæ est conveniens forma, per quam perficitur, et actuatur: ergo ordo et habitudo ad formam, maxime est inclinatio connaturalis materiæ. Quod autem dici solet, quod inclinatio sequitur formam, ut inquit D. Thomas prima parte, quæstione LXXX, articulo primo, non tollit, quod materia habeat inclinationem ad formam, quia non dicit quod ad solam formam sequitur inclinatio, et ita inquit, primo Physicorum, lect. XV: « Quod non solum aliquod ens actu per virtutem activam, sed etiam materia secundum quod in potentia, ordinatur in suum finem. »

Quoad secundum, scilicet ad quid se extendat appetitus materiæ, dicimus duo. Primum est, quod respectu formarum corruptibilium, materia prima simpliciter appetit omnes, sed non eodem modo; quædam enim formæ sunt, quas nondum habuit, neque habet, sed solum habere potest, et circa istas habet appetitum, quia habet capacitatem, et potentiam ad illas cum privatione. Respectu vero formarum, quas de facto habet, etiam retinet appetitum, non quidem per modum tendentiæ et desiderii, sed per modum possessionis, et quietis, quæ tamen non omnino satiata est, sed adhuc retinet privationem ad alias formas. Respectu vero formarum, quas habuit, et jam transierunt, remanet quidem in materia appetitus naturalis, quantum ad proportionem inter ipsam materiam, et tales formas secundum se, non tamen quoad executionem et respective ad agens, a quo educenda est forma, et ita habet appetitum ad formam, non ad eductionem illius, quia ad præteritum non est potentia: omnis enim appetitus cum sit ad aliquem finem, et bonum quod intendit, fundat ordinem intentionis, et executionis, et intentio quidem solum pendet ex proportione inter ipsum appetitum, seu inclinationem, et entitatem formæ, at vero assecutio non solum dependet a pro-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

portione appetitus, sed etiam ab efficacia, et activitate agentis. Ad formam ergo amissam, et semel habitam remanet quidem eadem naturalis proportio inter materiam et formam, quæ antea erat cujus signum est, quod si per aliquam potentiam talis forma rursum ponatur in materia vere, et naturali modo componet cum illa. At vero secundo modo non remanet appetitus naturalis in materia ex defectu agentis potentis educere, vel applicare formam semel amissam, et sic intelligitur D. Thomas cum docet prima parte, quæstione LXXVI, articulo primo ad 6, quod in anima separata remanet inclinatio naturalis ad suum corpus, licet talis inclinatio naturaliter consequi non possit.

Dicimus secundo, quod materia appetit omnes formas sub unica ratione formali, et hæc ratio in materia sublunari est, id in quo conveniunt omnes formæ corruptibiles, scilicet esse substantiale, corruptibile, et generabile. Et ita sumitur ex D. Thoma opusculo XV, capite VI, in fine, et prima parte, quæstione LXVI, articulo secundo. Nec est putandum, quod materia versatur circa unam formam, quam primo, et per se appetat, et quæ in omni materia invenitur, verbi gratia, formam corporeitatis, hoc enim improbat S. Thomas citatis locis, quia materia solum appetit formas propter perfectionem, quam ab illis habet, et licet a diversis formis diversæ perfectiones proveniant, tamen cum materia sit capax omnium illarum, omnes illas dicitur appetere, et ab illis perfici, et ita appetit omnes, quatenus conveniunt in modo perficiendi, et actuandi materiam, sicut visus recipit omnes colores, quatenus conveniunt in una ratione visibilis, et in uno modo immutandi potentiam, sic materia appetit omnes formas, in quantum conveniunt omnes in tali modo, et ratione informandi materiam, scilicet modo corruptibili.

Ex quo colligitur, quod materia quantumcunque informetur ab aliqua forma perfecta, semper appetit alias, quia hic appetitus non est aliud, quam ipsa naturalis capacitas materiæ ad formas, quæ tali modo, scilicet corruptibili, informare possunt, et licet una forma sit perfectior altera, non tamen una informat perfectiori modo, quam alia, sed omnes eodem modo, scilicet corruptibili, et ideo finis, et perfectio materiæ non sistit in perfectione alicujus determinatæ formæ, sed in adæquatione, et collectione omnium. Unde habita forma perfectissima, melius est ipsi materiæ ad aliam transire quantumcunque viliorem, ut suam adæquationem impleat, quam sub illa forma perfectissima manere, non implendo talem adæquationem, sicut visus quantumcunque videat perfectissimum colorem, adhuc est in potentia ad videndum alios, quia ab omnibus eodem modo immutatur, et perficitur.

Nec tamen ex hoc inferas, dari in materia appetitum ad plures formas simul habendas, quia licet ex parte subjecti simul detur appetitus omnium, non tamen ex parte objecti ad habendas omnes simul, propter incompossibilitatem unius formæ cum altera, et privationem, quam una habet adjunctam, alterius, sicuti in me est simul potentia ad standum, et sedendum, non tamen ad sedendum, et standum simul.

Ingenerabilitas, et incorruptibilitas materiæ.

De hac agit Philosophus primo Physicorum, textu LXXXII, et ibi D. Thomas lectione XV, et prima parte, quæstione XLVI, artic. I ad 3. Et potest explicari negative, et positive. Negative quidem, quatenus caret principiis generationis. Positive vero, quia actu habet aliquod esse ingenerabile, et incorruptibile.

Ex dictis autem articulo præcedenti constat materiam solum dici ingenitam, et incorruptam negative, quia caret subjecto, ex quo fiat, non positive propter aliquod esse perpetuum, quod habeat, cum non producatur in esse proprio, sed sub esse formæ, et dependenter ab illa. Ita sumitur ex D. Thoma citato loco, lect. V, ubi ex Philosopho dicit: « Quod materia quodammodo corrumpitur, et quodammodo non, quia secundum quod in ea est privatio, sic corrumpitur, cum esset in ea privatio; sicut si diceretur æs infiguratum corrumpi, quando desinit esse infiguratum; sed secundum se in quantum est quoddam ens in potentia est ingenita, et incorruptibilis. » Ratio est, quia si fieret per generationem, fieret ex subjecto, subjectum autem generationis est materia; ergo si fieret per generationem, esset materia antequam fieret, vel fieret ex alia materia, et sic non esset prima, et de illa alia materia idem fieret argumentum, et sic, vel sistendum est in aliqua materia, quæ non generatur, vel est admittendus processus in infinitum in generationibus, quod perinde est ac tollere illas; imo si haberet aliquod esse incorruptibile, esset perfectior forma corruptibili amittente esse, et per corruptionem substantialem non fieret corruptio simpliciter, sed solum ex parte, maneret enim aliquod esse in materia totaliter incorruptibile.

Nec obstat, quod materia creatur, creatio autem dat esse; materia enim potius concreatur, ut sæpe diximus, quia subjicitur communicationi formæ, et esse ipsius, tam illi sub qua creatur, quam reliquis, quæ illi succedunt, nec tamen propter hoc generatur materia aut corrumpitur, quia mutat, et adquirit unum esse post aliud, quia materia acquirit, et amittit esse tanquam subjectum, non tanquam terminus: generatio autem et corruptio solum denominant terminum a quo, et ad quem, genitum et corruptum, non subjectum, quod sub tali successione diversi esse, perseverat idem, quia ipsa successio in diverso esse, facit quod non amittatur totaliter esse, sed mutetur.

Ex quo deduces, quare compositum simpliciter denominetur corruptibile, licet materia sit incorruptibilis, et aliquando etiam forma ut in homine, et tamen simpliciter denominetur materiale a materia; hoc enim ideo est, quia compositum non denominatur a partibus seorsim sumptis, sed a conjunctione earum, et ab esse quod ex illis resultat, et quia ipsa conjunctio fit modo corruptibili, et dependenti a materia, simpliciter denominatur compositum materiale, propter istam dependentiam et corruptibile propter illam conjunctionem.

Unitas, et differentia materiæ.

De unitate, et diversitate numerica materiæ non agimus in præsenti. Constat enim dividi materiam, sicut dividuntur ipsæ res compositæ; quomodo autem divisio ista numerica originetur a materia signata quantitate, in libris de generatione disquiretur.

De specifica autem unitate, et diversitate materiæ duo sunt, quæ indigent discussione. Primum, an re vera differant specie materia cœlestis, et sublunaris. Secundum, utrum materia prima sit positiva,

vel negativa. De primo agemus in libris de cœlo,et pro nunc suppono tanquam probabilius, quod materia cœlestis, et sublunaris specie differunt, ita quod materia cœli non est in potentia ad formas istas inferiores nec e converso, quod tenet D. Thomas prima parte, quæstione sexagesima sexta, articulo secundo et opusculo decimo quinto, cap. VII, et opusculo quadragesimo quarto et decimo quinto. Et hoc ideo, probabilius est cœlum, ex intrinseca sua natura esse incorruptibile, et non ex aliquo extrinseco supernaturali, ut corpora gloriosa; si autem materia ipsius esset ejusdem speciei cum nostra, necessario esset in potentia ad formas istas inferiores, et quandiu est sub forma cœli, esset privata istis inferioribus,et sub forma unius cœli privata forma alterius cœli; hæc autem est dispositio coporis corruptibilis; ex hoc enim quod materia est privata forma substantiali,quam potest habere, de se tendit ad illam, nec est connaturaliter, si impediatur perpetuo habere illam: ergo compositum constans ex materia capaci aliarum formarum, habet in se principium corruptionis, scilicet materiam privata forma. Nec per formam quantumcunque perfectam tollitur ista privatio, quia nec tollitur capacitas materiæ ad formam privatam, neque forma ipsa,qua privata est, habetur; manet ergo illius. Et dato quod forma cœlestis propter suam eminentiam supra formas corruptibiles satiaret totam potentiam materiæ, adhuc non tolleret principium corruptionis, quia non tolleret potentiam ad formas aliorum cœlorum, quæ distinguuntur specie, nec una eminenter continet aliam, sicut istas inferiores,et consequenter posset transmutari unum cœlum in aliud. Ut ergo cœlum sit ab extrinseco, et connaturaliter incorruptibile, exigit materiam incapacem aliarum formarum.

Circa secundum, an illa unitas, vel diversitas specifica sit positiva, vel negativa, qui sentiunt materiam primam de se includerere aliquem actum saltem entitativum, consequenter unitatem, et diversitatem positivam ponunt in materia. Cæterum D. Thomas qui omnem actum negat materiæ antecedenter ad omnem formam, solum ponit materiam esse unam negative, id est, per hoc quod caret omni actu distinguente, ut constat ex opusculo XXXI, §. primo, post medium, et prima parte, quæstione decima sexta, articulo septimo ad 2. Distinctio autem seu diversitas convenit materiæ ex ipso ordine ad diversam formam, seu actum; nec enim alio modo ponitur aliquis actus in materia, nisi in potentia, et secundum ordinem ad talem actum, non quod ipsa actu sit divisa, vel una, aut habens in se actum,ut proximis articulis ostensum est; unde dixit D. Thomas opusculo XLV,circa finem: Infirmari rationem, qua ostendit Philosophus in V Phys. « Generationem non esse motum, quia non est in subjecto in actu, si materia sit ens in actu saltem incomplete. »

Sed inquires:Si materia ex se non habet speciem aliquam determinatam, sed reducitur ad speciem illius formæ a qua informatur, quomodo potest una, et eadem entitas tot species mutare quot formas, ut modo reducatur ad unam,modo ad aliam? Respondetur, materiam semper habere eamdem speciem intrinsecam, scilicet esse potentiam susceptivam hujus vel illius formæ, quæ est talis vel talis speciei; et ita in quocunque composito inveniatur, reducitur ad ejus speciem, sicut pars potentialis illius,et constituens eam ex parte potentiæ. Rationem vero illius

speciei in actu solum participat denominative denominatione formæ informantis, non participatione intrinseca; sic enim mutaretur materia entitative, et non solum informative, et sic etiam mediante tali informatione participat determinatam existentiam formæ, seu potius existentiam illam, quæ per formam convenit composito, sicut et participat actuationem formalem ex unione ad formam, et sic D. Thomas VII Metaphys. lect. II, explicans dictum Philosophi, quod materia neque est quid, id est, substantia,neque quale,neque quantum inquit: « Quod non est intelligendum, quod substantia actu existens prædicetur de materia prædicatione univoca,sine qua est per essentiam;» tam enim supra dixerat: « Quod materia non est quid,neque aliquid aliorum, sed intelligendum est de prædicatione denominativa, per quem modum accidentia de substantia prædicantur: sicut enim hæc est vera: Homo est albus, non autem hæc: Homo est albedo, vel humanitas est albedo,ita hæc est vera: Hoc materiatum est homo, non autem hæc: Materia est homo, vel materia est humanitas. » Ita D. Thomas.

Quare tota unitas, vel diversitas materiæ convenit ei secundum ordinem ad formam, cujus est potentia susceptiva, qui ordo non est aliquid actu superveniens materiæ, eique conveniens præter ipsam potentiam materiæ, et ita convenit illi sicut potentia ipsa, quod est ex se solum habere speciem potentialem. Quod si diverso modo materia respiciant formas, quia una respicit modo amissibili et corruptibili, alia incorruptibili,quia solum unius formæ est capax, distinguentur specie illæ materiæ, sicut cœlestis, et sublunaris ratione diversi ordinis ad formas, non ratione diversæ actualitatis quam habeant. Et sic etiam verificatur in istis materiis, quod actus est qui distinguit, scilicet terminative, et extrinsece propter diversos ordines ad diversos actus. Remota autem omni forma, remanet solum in materia unitas negativa per hoc, quod caret omni forma distinguente.

QUESTIO IV.

DE FORMA QUÆ EST PRINCIPIUM ENTIS NATURALIS.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit forma, et quomodo contineatur in potentia materiæ,et educatur ex illa?

Forma in tota sua latitudine,prout comprehendit essentialem, et accidentalem, extrinsecam, et extrinsecam definiri solet, quod est *actus dans esse rei*. In quinto autem Metaphys. text. II, definitur causa formalis, *quod est species, et exemplar*, ubi definitur forma intrinseca,et extrinseca, ut ubi notat D. Thomas lect. II. Dicitur enim forma intrinseca species rei; extrinseca autem ad cujus similitudinem aliquid fit, dicitur exemplar. In secundo autem de anima, text. II, definit Philosophus formam, per hoc, quod sit actus, dicens: « Quod materia quidem est potentia, species autem endelechia, *id est*,forma. » Et actum dividit ibi in primum et secundum. Primus actus, sicut qui habet habitum scientiæ. Secundus, sicut ipse usus et actus talis habitus. Distinguit autem D. Thomas ibi, lect. II, formam substantialem ab accidentali penes effectus, quia forma substantialis est quæ facit esse in actu simplici-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vel negativa. De primo agemus in libris de cœlo,et pro nunc suppono tanquam probabilius, quod materia cœlestis, et sublunaris specie differunt, ita quod materia cœli non est in potentia ad formas istas inferiores nec e converso, quod tenet D. Thomas prima parte, quæstione sexagesima sexta, articulo secundo et opusculo decimo quinto, cap. VII, et opusculo quadragesimo quarto et decimo quinto. Et hoc ideo, probabilius est cœlum, ex intrinseca sua natura esse incorruptibile, et non ex aliquo extrinseco supernaturali, ut corpora gloriosa; si autem materia ipsius esset ejusdem speciei cum nostra, necessario esset in potentia ad formas istas inferiores, et quandiu est sub forma cœli, esset privata istis inferioribus,et sub forma unius cœli privata forma alterius cœli; hæc autem est dispositio coporis corruptibilis; ex hoc enim quod materia est privata forma substantiali,quam potest habere, de se tendit ad illam, nec est connaturaliter, si impediatur perpetuo habere illam: ergo compositum constans ex materia capaci aliarum formarum, habet in se principium corruptionis, scilicet materiam privata forma. Nec per formam quantumcunque perfectam tollitur ista privatio, quia nec tollitur capacitas materiæ ad formam privatam, neque forma ipsa,qua privata est, habetur; manet ergo illius. Et dato quod forma cœlestis propter suam eminentiam supra formas corruptibiles satiaret totam potentiam materiæ, adhuc non tolleret principium corruptionis, quia non tolleret potentiam ad formas aliorum cœlorum, quæ distinguuntur specie, nec una eminenter continet aliam, sicut istas inferiores,et consequenter posset transmutari unum cœlum in aliud. Ut ergo cœlum sit ab extrinseco, et connaturaliter incorruptibile, exigit materiam incapacem aliarum formarum.

Circa secundum, an illa unitas, vel diversitas specifica sit positiva, vel negativa, qui sentiunt materiam primam de se includerere aliquem actum saltem entitativum, consequenter unitatem, et diversitatem positivam ponunt in materia. Cæterum D. Thomas qui omnem actum negat materiæ antecedenter ad omnem formam, solum ponit materiam esse unam negative, id est, per hoc quod caret omni actu distinguente, ut constat ex opusculo XXXI, §. primo, post medium, et prima parte, quæstione decima sexta, articulo septimo ad 2. Distinctio autem seu diversitas convenit materiæ ex ipso ordine ad diversam formam, seu actum; nec enim alio modo ponitur aliquis actus in materia, nisi in potentia, et secundum ordinem ad talem actum, non quod ipsa actu sit divisa, vel una, aut habens in se actum,ut proximis articulis ostensum est; unde dixit D. Thomas opusculo XLV,circa finem: Infirmari rationem, qua ostendit Philosophus in V Phys. « Generationem non esse motum, quia non est in subjecto in actu, si materia sit ens in actu saltem incomplete. »

Sed inquires:Si materia ex se non habet speciem aliquam determinatam, sed reducitur ad speciem illius formæ a qua informatur, quomodo potest una, et eadem entitas tot species mutare quot formas, ut modo reducatur ad unam,modo ad aliam? Respondetur, materiam semper habere eamdem speciem intrinsecam, scilicet esse potentiam susceptivam hujus vel illius formæ, quæ est talis vel talis speciei; et ita in quocunque composito inveniatur, reducitur ad ejus speciem, sicut pars potentialis illius,et constituens eam ex parte potentiæ. Rationem vero illius

speciei in actu solum participat denominative denominatione formæ informantis, non participatione intrinseca; sic enim mutaretur materia entitative, et non solum informative, et sic etiam mediante tali informatione participat determinatam existentiam formæ, seu potius existentiam illam, quæ per formam convenit composito, sicut et participat actuationem formalem ex unione ad formam, et sic D. Thomas VII Metaphys. lect. II, explicans dictum Philosophi, quod materia neque est quid, id est, substantia,neque quale,neque quantum inquit: « Quod non est intelligendum, quod substantia actu existens prædicetur de materia prædicatione univoca,sine qua est per essentiam;» tam enim supra dixerat: « Quod materia non est quid,neque aliquid aliorum, sed intelligendum est de prædicatione denominativa, per quem modum accidentia de substantia prædicantur: sicut enim hæc est vera: Homo est albus, non autem hæc: Homo est albedo, vel humanitas est albedo,ita hæc est vera: Hoc materiatum est homo, non autem hæc: Materia est homo, vel materia est humanitas. » Ita D. Thomas.

Quare tota unitas, vel diversitas materiæ convenit ei secundum ordinem ad formam, cujus est potentia susceptiva, qui ordo non est aliquid actu superveniens materiæ, eique conveniens præter ipsam potentiam materiæ, et ita convenit illi sicut potentia ipsa, quod est ex se solum habere speciem potentialem. Quod si diverso modo materia respiciant formas, quia una respicit modo amissibili et corruptibili, alia incorruptibili,quia solum unius formæ est capax, distinguentur specie illæ materiæ, sicut cœlestis, et sublunaris ratione diversi ordinis ad formas, non ratione diversæ actualitatis quam habeant. Et sic etiam verificatur in istis materiis, quod actus est qui distinguit, scilicet terminative, et extrinsece propter diversos ordines ad diversos actus. Remota autem omni forma, remanet solum in materia unitas negativa per hoc, quod caret omni forma distinguente.

QUESTIO IV.

DE FORMA QUÆ EST PRINCIPIUM ENTIS NATURALIS.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit forma, et quomodo contineatur in potentia materiæ,et educatur ex illa?

Forma in tota sua latitudine,prout comprehendit essentialem, et accidentalem, extrinsecam, et extrinsecam definiri solet, quod est *actus dans esse rei*. In quinto autem Metaphys. text. II, definitur causa formalis, *quod est species, et exemplar*, ubi definitur forma intrinseca,et extrinseca, ut ubi notat D. Thomas lect. II. Dicitur enim forma intrinseca species rei; extrinseca autem ad cujus similitudinem aliquid fit, dicitur exemplar. In secundo autem de anima, text. II, definit Philosophus formam, per hoc, quod sit actus, dicens: « Quod materia quidem est potentia, species autem endelechia, *id est*,forma. » Et actum dividit ibi in primum et secundum. Primus actus, sicut qui habet habitum scientiæ. Secundus, sicut ipse usus et actus talis habitus. Distinguit autem D. Thomas ibi, lect. II, formam substantialem ab accidentali penes effectus, quia forma substantialis est quæ facit esse in actu simplici-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ter, forma autem accidentalis, quæ advenit subjecto existenti in actu. Potest etiam brevius definiri forma substantialis, quod est *actus primus materiæ primæ*, vel quod est *actus primus, ex quo fit unum per se, et non secundum accidens*. In hoc enim quod dicitur actus primus materiæ, excluditur omnis actus accidentalis, quia nullum accidens potest esse primus actus materiæ, nec constituere unum per se. At vero actus secundus dicitur actus ultimus, ad quem forma ordinatur; et est duplex, alter in essendo, alter in operando: forma enim per actualitatem suam est principium essendi, et operandi, et in essendo correspondet ei existentia, tanquam actus ultimus; et dicitur ultimus, tum quia omnis actio, et motus in eam sistit et terminatur, acquisito enim esse cessat motus, tum quia existentia non est actus constituens rem, sed constitutam supponens, eamque extra causas ponens. In operando autem dicitur actus secundus ipsa operatio, eo quod reducit in actum ipsam virtutem, quæ est actus primus tanquam exercitio ejus.

Ut autem videamus, quomodo forma substantialis (de qua solum agimus in præsenti, quia sola est principium entis naturalis) contineatur in materia, et ex illa educatur per generationem, oportet supponere ex Philosopho, quod detur talis forma distincta a materia, quod contra antiquos Philosophos deduxit Aristoteles, ex ipsa generatione substantiali, quæ distinguitur ab alteratione, ut probatur in primo de generatione. Videmus enim res aliquas substantialiter incipere, et alias substantialiter desinere, quando enim comburitur lignum tota species, et natura ligni solvitur, et substantialiter natura ignis generatur. Hæc autem transmutatio non potest esse totalis conversio unius entitatis in aliam, sic enim agens naturale non solum mutaret formam in aliquo subjecto, sed etiam ipsum subjectum talis formæ mutaret in aliud, vel potius unicam entitatem totaliter corrumperet, et aliam totaliter produceret: hanc ergo totalem entitatem, vel produceret ex aliquo subjecto, vel non; ex nullo subjecto non potest producere, quia ex nihilo nihil fit, nisi per creationem, quod non pertinet ad agentia creata; si autem ex aliquo subjecto producit, illud debet esse commune genito, et corrupto, quia si non est commune, nihil de corrupto manebit in genito, et sic ex nullo subjecto fiet, quia subjectum totaliter desinit. Nec dici potest, quod res ipsa, quæ desinit, sit subjectum, quatenus præcedit, et transmutatur in genitum, res enim quæ corrumpitur, et desinit, solum est terminus a quo; est enim id, quod relinquitur et amittitur: subjectum autem est id, quod recipit, non quod amittitur: ergo ut salvemus, quod aliquid fiat de novo substantialiter, et non fiat ex nihilo, seu ex solo termino a quo, sed ex aliquo, oportet distinguere formam substantialem, qua aliquid transmutatur de non esse ad esse substantiale a materia, seu subjecto, quod transmutatur per illam.

Quod si recurratur ad opinionem antiquorum, qui dicebant formas latitare in materia existendo ibi in actu, sed tamen per generationem apparere, non produci; vel secundo, quod forma non est aliquid distinctum a materia, sed extensio quædam, et explicatio majorum ipsius: contra primum instatur, quia re vera tollit veram generationem substantialem, quia tunc generatio non constitueret ipsum esse, neque producendo formam, neque conjungendo materiæ, ut compositum fiat si sic formæ latitant in materia. Nam vel latitant ut unitæ materiæ, vel

independenter a materia. Hoc secundum dici non potest, sic enim illæ formæ potius essent separatæ a materia cum existerent actu sine unione et dependentia a materia: si autem sunt unitæ materiæ, ergo jam est constitutum compositum, et sic generatio neque producit formam in esse, neque constituit compositum, et sic nihil substantiale facit, quod est tollere generationem substantialem, et ponere infinitas formas in actu in ipsa materia, omnes scilicet quarum est capax. Contra secundum vero instatur, quia illa extensio, vel est per additionem novæ entitatis actualis, quæ antea non erat in materia, nisi in potentia, vel est solum explicatio potentialis, vel est apparentia ejus, quod antea latitabat, ita quod de novo non fit aliqua forma, sed quæ latebat, apparet et explicatur. Hoc tertium incidit in sententiam impugnatam, secundum vero nihil dicit, quia non ponit illa extensio aliquid in actu, quod antea non esset, sed relinquit totum in potentia: dicitur enim illa extensio materiæ non actualis, sed potentialis, atque adeo non magis extendit ipsam potentiam materiæ, quam ipsa se extendat potentialiter. Primum vero ponit formam distinctam a materia, et sic sive vocet explicationem, sive extensionem, idem est quod forma ipsa actualis, quæ educitur e materia, cum illa explicatio, seu extensio materiæ fiat per distinctam entitatem actualem. Quare generatio substantialis stare non potest sine eo, quod forma substantialis distinguatur a materia.

Ex his explicare possumus, quid sit formam contineri in materia, et quid ex illa educi. Ad primum enim dicimus ex D. Thoma I part. quæst. XC, art. II ad 2 et quæst. XLV, art. VIII et quæst. de spiritualibus creaturis, art. II ad 8 et II contra Gentiles, cap. LXXXVI, quod contineri in potentia materiæ, sicut et in potentia causæ efficientis, non dicit aliquid actuale ex parte rei contentæ, sicut aqua continetur in vase, aut panis in arca: quod enim continetur in aliquo, tanquam existens actu in illo, non potest in illo, vel ab illo produci, sed supponitur existens, ut unitum illi, in quo continetur, et sic neque ipsum producitur, neque compositum, quod ex tali unione resultat: solum ergo potest contineri objective, non subjective in tali potentia, a qua potest educi, si sit materia, vel produci, si sit efficiens, et quando ponitur in rerum natura, ponitur ut dependens ab illo in cujus potentia continetur. Vel secundo specialiter continetur forma in materia ratione inclinationis, et proportionis materiæ ad formam; nam ut materia, seu causa aliqua continere dicatur aliquem effectum, ille debet esse intra sphæram talis causæ, et intra extensionem talis virtutis. Virtus autem alicujus solum extenditur ad illud, ad quod habet naturalem proportionem, quod enim est alicui improportionatum, extra sphæram illius est, nec in ejus potentia et virtute continetur.

Ad secundum, scilicet ad eductionem formæ a materia, tres conditiones requiruntur. Prima, quod forma pendeat in suo esse, et fieri a subjecto, a quo educitur. Secunda, quod talis potentia, seu subjectum sit connaturale, et proportionatum tali formæ, et forma illi, alioquin non continebitur in ejus potentia, et sic in ea non continetur, nec ab illa educitur. Tertia, quod forma non veniat ab extrinseco, sed nascatur ex ipsa materia, id est, per ejus transmutationem fiat, qua reducitur materia de potentia in actum. De his conditionibus plenius agetur sequenti articulo. Et interim sufficit videre D. Thomam citato loco de spiritualibus creaturis, art. II ad

8, ubi inquit : « Quod fieri formarum non subsistentium est secundum quod materia, vel subjectum reducitur de potentia in actum, et hoc est formam educi de potentia materiæ absque additione alicujus extrinseci. » Ubi sensus est, quod eductio non fit per hoc, quod aliqua forma ab extra superaddatur materiæ, sed per ejus transmutationem innascatur in ipsa materia, et 1 part., quæstione xc, articulo secundo ad 2, dicit : « Quod actum extrahi de potentia materiæ, nihil aliud est quam aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia. » Et sic eductio est productio quædam transmutativa, quæ dicit ordinem ad duplicem causam, scilicet ad efficientem, a qua est, et ad materialem, ex qua est, et qua innascitur, et habet esse, et sic supponit proportionem in ipso subjecto, a quo dependet et causatur. Productio vero creativa solum dicit ordinem ad causam efficientem non ad materialem.

Sed inquires : An eductio sicut formaliter est productiva ex aliquo, ita sit formaliter unitiva, et sicut postulat formam recipi in materia, hoc est dependere, ita et uniri? Respondetur, aliquos tenere, quod in forma aliud est educi, aliud uniri; educitur enim, quia recipitur in materia utique eadem actione qua fit, quia producitur dependenter a materia, non tamen eadem actione unitur ut patet in anima rationali, cujus productio distinguitur ab actione unitiva; si enim propterea forma educitur, quia unitur materiæ, anima rationalis educeretur quia unitur. Cæterum hæc responsio movetur ex levissimo fundamento : stat enim bene, quod omnis eductio sit unitio, quia sine illa non potest intelligi eductio, non tamen quod e contra omnis unitio sit eductio, quia latius patet unire, quam educere, sicut unitur anima rationalis, et non educitur, et Verbum unitur humanitati, et non educitur. At vero omnis eductio necessario unitio est, quia eductio est productio rei dependentis a materia, et ipsum educi formam, est fieri dependentem, non dependet autem duplici dependentia, altera per unionem, altera per receptionem, quia non est duplex causalitas in materia respectu formæ : ergo unica dependentia sufficit, sed per unionem quam habet, forma materialis dependet a materia : unitur enim forma materialis ut dependens, quia unitur materiæ, ut indigens illa ad essendum, et anima rationalis, ut indigens illa ad componendum totum, et informandum materiam : ergo per talem unionem dependentiæ conjungitur utraque forma, licet non æque dependeat, et sic neque æque respiciatur. Et præterea eductio formæ non est actio faciens solam formam, sed ipsum totum, qui est terminus adæquatus, et ut quod talis actionis, calefactio enim est eductio caloris, et generatio equi eductio formæ equi, et tamen calefactio non facit calorem, sed calidum, et generatio equi facit equum, ut quod, sed non fit calidum, vel equus, nisi uniendo partes, ex quibus constat illud totum, ergo non stat, quod detur eductio formæ, et quod ipsa eductio non sit unitio, sicut est productio totius ; plura de his dicemus infra q. VI et q. X.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur : Quia si formam educi est extrahi e potentia materiæ, non autem præexistere in actu, simpliciter ex nihilo fiet, et quando corrumpitur, annihilabatur. Patet consequentia, quia præesse in potentia materiæ, non est præesse in actu, quod autem non est in actu simpliciter, est nihil : ergo idem est fieri ex potentia materiæ, quod fieri ex nihilo. Confirmatur, quia si Deus modo annihilaret formam per suspensionem concursus, non annihilata materia, tam nihil manet illa forma quam modo quando corrumpitur, quia in utroque casu nihil realitatis in actu manet in forma, sed omnino desinit esse, et in utroque casu manet in potentia materiæ, quia tam forma corrupta, quam annihilata non potest ab agente naturali educi iterum, potest tamen ab agente supernaturali. Et confirmatur secundo, quia forma non aliter continetur in materia, quam in agente, quia in utroque continetur objective, ut nihil in se, sed ex eo, quod aliquid contineatur objective in efficiente, non tollitur quod fiat ex nihilo : ergo etiam ex eo quod contineatur objective in materia, non tollitur quod fiat ex nihilo, quia utrobique, id est, in efficiente et materia forma nihil est.

Respondetur, illo argumento fuisse convictos antiquos Philosophos ad ponendum, quod formæ latebant actu in materia, et non fiebant, quia ex nihilo nihil fit, et forma in potentia materiæ nihil est, et ex eadem radice processit opinio : Avicennæ et aliorum, quod formæ fiunt ex nihilo, sed non ab agente naturali, quod tantum disponit materiam, sed ab agente extrinseco, sicut anima rationalis, ut S. Thomas refert 1 p. q. XLV, art. VIII et q. III de potentia, art. VIII. Sed tamen respondet D. Thomas quod formæ in materia non sunt purum nihil, sed sunt in potentia, ens autem in potentia non est purum nihil, et consequenter formæ in potentia materiæ, licet in se nihil sint, dicuntur tamen manere in potentia, et non pure annihilari, quia manent in aliquo sui, id est, in materia capaci sui. Et quando instatur : Ergo formæ fiunt ex nihilo quia nihil sunt in materia, distinguo ; ex nihilo sui, concedo ; ex nihilo materiæ, nego : quando autem dicitur res fieri ex nihilo, ly *ex nihilo*, designat carentiam materiæ, ut dicit S. Thomas III de potent. art. VIII ad 4, quod vero terminus, qui fit, in se sit nihil, omnino necessarium est, alias de novo non fieret. Et eodem modo, quando corrumpitur, redit in nihil ex parte termini a quo, sed manet in aliquo sui, id est, in materia, in qua est in potentia, et similiter ex parte termini, ad quem non terminatur in nihil, sed in aliquid, id est, in formam productam, in quam fit mutatio : requiritur autem ad annihilationem, ut terminetur in nihil, ratione cujus nec ipsa desitio panis in Eucharistia est annihilatio, quia ejus terminus ad quem non est nihil, sed corpus Christi, ut advertit S. Thomas quodlib. V, art. XI.

Ad primam confirmationem respondetur, quod annihilatio proprie opponitur creationi, et sicut creatio proprie solum est rerum subsistentium, ut S. Thomas docet 1 p. q. XLV, art. IV, ita et annihilatio proprie solum est subsistentium, sed tamen sicut aliquando res non subsistentes fiunt creatione, non ut creatæ, sed ut concreatæ, et tunc idem fit per creationem quam per eductionem, licet ex parte modi diverso modo fiat, ita contingit, quod forma, vel aliqua res non subsistens annihilatione desinat, si suspendatur concursus, qui præcise tangebat rem non subsistentem, et tamen non erit annihilatio simpliciter, sed secundum quid, quia licet dicatur annihilatio ex parte modi, quia fit per suspensionem concursus, non tamen est annihilatio ex parte entis corrupti, quia non decidit in purum nihil, sed manet in potentia materiæ, si forma cujus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

concursus suspenditur, sit materialis.

Ad secundam confirmationem respondetur, formam contineri in causa efficienti, et materiali objective; sed in agente, tanquam in aliquo activo, in materia, tanquam in aliquo passivo, et si solum continentur in agente, et non in materia, dicuntur pure objective, et tanquam purum nihil contineri, quia continentur ut nihil in se, et ex nihilo producendæ; si tamen contineantur etiam in materia, non dicuntur contineri in purum nihil, quia licet in se nihil sint, non tamen sunt ex nihilo producendæ, sed ex aliquo subjecto, et ratione hujus dicuntur contineri in potentia, scilicet subjecti.

Secundo arguitur: Nam materia est magis substantia, quam forma, utpote, quæ simpliciter substat, et sustentat formam; forma autem materialis non habet sustentare se nec aliam, ergo non est substantialis, nec aliquo modo differt ab accidentali. Confirmatur, quia forma substantialis est dependens in suo esse a materia sustentante, ergo talis dependentia non differt a dependentia accidentis per inhærentiam, hæc enim non est aliud, quam dependentia formæ in suo esse a subjecto sustentante illam in tali esse, forma autem quam dicimus substantialem, etiam dependet a materia existente, et sustentante illam in esse; ergo in nullo differt ista dependentia ab inhærentia formæ.

Respondetur, materiam non esse magis substantiam, quam formam ex parte actualitatis, et perfectionis in esse, sed ex parte receptionis, et potentialitatis, ratione cujus reddit formam et substantiam incommunicabilem; hoc autem non est magis substare simpliciter, et in actu, sicut substat compositum seu individuum substantiæ, sed esse magis principium substandi ex parte potentialitatis, et incommunicabilitatis. Qui autem et dicunt materiam sine forma esse ens in actu substans et subsistens, difficile possunt salvare, quod forma sit magis substantia quam materia. Ad confirmationem respondetur dependentiam formæ substantialis a materia non esse inhærentiam, quia non supponit esse simpliciter in subjecto recipiente, et sustentante, sed forma substantialis conjungitur materiæ ad constituendum esse simpliciter. Quare inhærentia est dependentia formæ a subjecto sustentante simpliciter in esse, forma autem substantialis recipitur in materia, non tamen inhæret, quia unitur illi ad constituendum esse simpliciter seu substantiale, non ut sustentetur in esse secundum quid, quod est inhærere.

ARTICULUS II.

Quæ formæ educantur de potentia materiæ?

Formæ educibiles e materia aliæ sunt substantiales, aliæ accidentales: illæ respiciunt materiam primam, istæ subjectum completum et constitutum in actu. Formæ accidentales sunt in triplici ordine, scilicet naturales, artificiales, et supernaturales. Formæ substantiales sunt etiam in triplici ordine, scilicet forma subsistens, ut anima rationalis, forma rerum incorruptibilium, ut cœlestis, et forma corruptibilis.

De his omnibus inquirimus, quomodo educantur de potentia materiæ, id est, quomodo serventur in illis tres illæ conditiones supra positæ, quæ requiruntur ad eductionem.

De forma rationali.

Tam certum est, animam rationalem non educi de potentia materiæ, sicut est certum, animam non esse corruptibilem, sed sine corpore posse subsistere, quod utique est, de fide, et constat ratione naturali, quia aliqua ejus operatio est spiritualis, et independens a corpore, scilicet intelligere, attingit enim res spirituales aliquo modo, et res corporales spirituali modo, id est, abstrahendo a singularibus, et cognoscendo modo universali, et consequenter ejus esse necessario est spirituale, et independens a corpore, nam operatio sequitur esse. Ex quo fit deesse illi conditionem requisitam ad eductionem, scilicet dependentia in esse a materia, ut intra illam dicatur contineri, et per illius transmutationem educi.

Sed objicies: Anima rationalis in quantum vegetativa et sensitiva habet operationes dependentes a materia, ut nutritio, generatio, etc. ergo in quantum vegetativa, et sensitiva non potest creari, sed a materia educi, quia ab illa dependet in operari, et consequenter in esse. Confirmatur, quia creari est simpliciter fieri ex nihilo, anima autem rationalis fit ex aliquo præsupposito, quia non creatur in esse, sed infunditur materiæ dispositæ, et ex vi dispositionum ejus, quod sufficit, ut non dicatur creari; sicut e contra, ut aliquid non dicatur annihilari, sufficit quod transeat in aliud, licet totaliter desinat in se, sicut contingit in pane, qui convertitur in corpus Christi.

Respondetur, quod operationes animæ vegetativæ et sensitivæ dependent a corpore, non tamen earum principium, eo quod non est principium illarum operationum tantum, sed etiam alterius, id est, intellectualis, quæ non dependet a corpore; ut autem sufficienter probetur, quod forma non dependet in esse a materia, sufficit probare, quod aliqua ejus operatio non dependeat a corpore, sic enim esse ejus absolute non potest dependere; ut probetur, quod aliqua forma dependet a materia, oportet ostendere, quod omnis ejus operatio dependeat a materia.

Ad confirmationem respondetur, formam rationalem creari in corpore, et præsupponere corpus, non tanquam id a quo dependet in esse, sed cui tribuit esse: ut autem non crearetur, requirebatur, quod fieret dependenter in suo esse a corpore, cui infunditur, quantumcunque alias præsupponatur aliquid, non ut ex quo fiat, sed cui esse tribuat. Quod vero dicitur, panem non annihilare, quando convertitur in corpus Christi, non est ad rem, quia ibi licet totaliter desinat panis, non tamen desinit in nihil, sed in aliquid, in quod transit, at vero anima rationalis fit simpliciter ex nihilo, non ex aliquo; et sic nec ex parte termini a quo, nec ex parte subjecti, supponit aliquid a quo dependeat, quidquid sit, an supponat aliquid, cui communicet suum esse; conversio autem panis dicit aliquid ex parte termini ad quem, in quod terminatur, et sic ejus terminus non est nihil.

Secundo objicies: Nam anima rationalis in materia non subsistit ut *quod* sed ut *quo*, quia non est in corpore ut suppositum, sed ut forma informans, et constituens, ergo anima prout in corpore accipit esse dependens a corpore, quod est educi ex illo. Confirmatur, quia cuilibet potentiæ passivæ naturali correspondet aliqua potentia activa naturalis; sed materia habet potentiam passivam naturalem, ut recipiat

animam, ergo datur aliqua potentia activa naturalis, quæ efficiat animam; agens autem naturale, non agit creando, sed educendo e materia, ergo anima est educibilis ex illa. Nec obstat, quod anima sit spiritualis, quia potest dici, quod sit virtute spirituali proveniente ab anima generantis, et impressa semini: nec enim repugnat, quod virtus spiritualis mediante instrumento corporeo causet effectum spiritualem, sicut Baptismus gratiam.

Respondetur, quod ut dicetur infra quæstione VII, anima rationalis in corpore habet quidem subsistentiam, qua potest existere sine corpore, et ut *quod*, sed pro illo statu informationis intelligitur subsistere ut *quo*, quatenus subsistit in ipso toto, et non separata ab illo, sed hoc ipsum esse totius compositi, est esse ipsius animæ, ut docet D. Thomas I-II, qu. V, art. V ad. 2, et ideo quia non est separata, sed communicata, non subsistit ut *quod*, sed quia illud esse communicatum est independens, potestque manere separatum non dicitur educi, id est, dependenter fieri et esse a materia.

Ad confirmationem respondetur, quod potentiæ materiæ, quæ passive recipit animam, correspondet naturale activum, non quidem producens ipsam substantiam animæ, sed unions materiæ, scilicet generans; hoc enim sufficit, ut detur activum naturale correspondens passivo, nec enim materia est in potentia ut producatur forma, sed ut uniatur sibi, de quo vide Cajetanum I par. quæst. CXVIII, art. II, §. in responsione ad 4. Productio autem animæ, quia est spiritualis substantia, a solo Deo fit per creationem, et ideo, ut dicemus infra quæstione XXVI, nulla virtus instrumentalis ei cooperari potest, idque docet S. Thomas I p. q. XLV, art. V, secus est de gratia quæ est accidens, et ideo actione educitiva ab instrumento attingi potest, de quo infra.

De formis cœlestibus, et elementalibus in prima productione.

Supponimus in præsenti non solum cœlum empyreum, sed etiam omnes alios cœlos per creationem esse factos a Deo, quia ab intrinseco sunt ingenerabiles, et incorruptibiles, ut docet D. Thomas I p. quæst. LXVI, art. II, et in lib. de cœlo latius ostendetur, et dato quod cœli essent generabiles ex aqua, vel ex alio corpore, tamen in prima sui creatione, non minus creati sunt quam terra, et alia elementa, quæ non sunt facta ex aliis corporibus, sed immediate a Deo creata, juxta illud Genesis: *In principio creavit Deus cœlum et terram*. Procedit ergo proposita difficultas supposito, quod ista corpora creata sunt, vel de ipso cœlo empyreo, si solum creatum est, an formæ fuerint in tali creatione eductæ de potentia materiæ, an non? Quæ difficultas dependet ex ipsa ratione eductionis. Quidam enim intelligunt ad eductionem formæ sufficere, quod fiat dependenter a materia, et sic cum formæ illorum corporum in illa prima creatione factæ sint dependentes a materia, consequenter e materia eductæ sunt. Alii vero dicunt ulterius requiri ad rationem eductionis transmutationem materiæ, ad hoc ut dicatur formam educi ex illa, et quia in prima creatione materia non est transmutata, sed totum compositum simul productum, partes vero ad productionem totius comproducuntur, ideo in creatione istorum corporum, forma et materia sunt concreatæ, non vero forma educta de potentia materiæ.

Hæc ultima sententia sine dubio est D. Thomæ; dicit enim I par. q. LXV, art. IV: « Quod in prima corporalis creaturæ productione non consideratur aliqua transmutatio de potentia in actu, et ideo formæ corporales, quas in prima productione corpora habuerunt, sunt immediate a Deo productæ. » Ergo sentit D. Thomas formas in prima creatione rerum non educi de potentia materiæ, quia non oriuntur per ejus transmutationem; unde ibidem ex eo negat formas non causari per influxum alicujus substantiæ immaterialis, quia causantur reducta materia de potentia ad actum ab aliquo agente composito, ergo eductio formæ de potentia materiæ sine ejus transmutatione non fit. Et ratio est, quia si formæ fierent a Deo, vel ab intelligentiis per influxum, sicut quidam antiqui dicebant, aut si modo Deus produceret formam, vel accidens separatum, et postea illud subjecto uniret, talis forma non diceretur educi de materia, quia non dependeret ab ipsa in fieri, sed aliunde facta illi adveniret, et sic non extraheretur ex ipsis visceribus materiæ, et ejus potentia; requiritur ergo ad eductionem formæ, quod per materiæ transmutationem fiat, ita quod dependent a materia in ipso fieri. Corpora autem illa cœlestia, et elementalia fuerunt facta sine transmutatione materiæ, sed immediate per creationem; ergo formæ eorum non fuerunt eductæ, sed concreatæ ad creationem totius.

Et adverte, non repugnare Divinæ potentiæ, producere aliquod corpus tali modo, quod solum creetur materia, et in eodem instanti creationis educatur forma ex illa, sicut modo fit, quando ex speciebus Eucharistiæ generatur alia substantia; tunc enim subrogatur materia in ultimo instanti generationis, ex qua educitur forma genita in vi dispositionum, quæ in quantitate præcesserunt; et eodem modo posset Deus in quancunque alia generatione in ipso instanti generationis creare materiam, et educere ex illa formam. Sed tunc creatio illa ut tangit materiam, non est absolute completa, sed completur per eductionem formæ, quia attingitur a Deo per illam creationem, non ut absolute sit, sed ut sub forma educta sit. Cæterum dicimus, quod si creatio est absoluta, et completa, tunc attingit totum compositum, et non solam materiam, et consequenter etiam attingit formam, non vero illam educit, alias ipsa creatio non produceret ipsum totum, quod constat ex materia et forma, si materiam solam attingit creatio, formam vero eductio. Fuit autem convenience, quod in prima rerum creatione sola materia non produceretur per creationem, sed ipsum totum, ut inciperet prima rerum productio a creatione perfecta et absoluta; si autem interveniret ibi eductio formæ, illa vel fuisset ab aliquo agente creato educente formam, et tale agens non dabatur tunc, vel illa eductio fuisset a Deo exercente officium educentis formam, et creantis materiam, et sic sine fundamento multiplicamus istas actiones, cum sufficiat una creatura totius compositi. Unde Scriptura absolute dicit, quod *Deus in principio creavit cœlum et terram;* quod non verificatur, si solam materiam creavit, forma vero est educta, alioquin posset dici, quod alimentum generatum ex Eucharistia, creatur a Deo, quia materia ejus creatur.

Sed objicies: Nam formæ illorum corporum in prima productione factæ sunt, ut dependentes a materia, cum in se non sint subsistentes, ergo in ipso fieri pendent a materia in esse, ergo educuntur. Confirmatur, quia formæ illæ non creantur ad creationem totius, siquidem non sunt ex nihilo etiam partialiter et concreative, sed ex materia, utpote

non minus dependentes ab ipsa in illa prima productione, quam modo quando generatur aliquod corpus elementale, nec etiam fuerunt creatæ ut formæ subsistentes, sicut anima rationalis, ut de se patet; ergo fuerunt eductæ, et præcessit privatio earum in materia prioritate naturæ, sicut materia præcedit receptionem talis formæ.

Respondetur, eductionem formæ non consistere solum in hoc, quod forma fiat dependens a materia, sed quod tali modo fiat dependens, scilicet per transmutationem ipsius materiæ, et quasi emergendo ab illa, alioquin non posset Deus creare unum integrum compositum habens formam materialem, quia illa semper fit dependens a materia, nec posset per transubstantiationem convertere totum panem in lapidem, quia forma lapidis fieret per eductionem; eductio autem opponitur transubstantiationi, quæ totam materiam, et formam convertit in aliud; eductio autem supponit materiam, ex qua formam educat, non quæ materiam convertat. Non ergo ad eductionem formæ sufficit, quod ipsa fiat dependens a materia, quia hoc multis aliis actionibus fieri potest, scilicet omni actione, qua unitur materiæ ut habens esse in illa, sicut si accidens separatum iterum uniatur subjecto, hæc unio non est eductio, et tamen facit dependere accidens a materia.

Ad confirmationem respondetur, quod quando creatur totum, materia, et forma, et quæcunque partes solum concreantur, et sic ex nihilo dicuntur esse concreative, et tamen bene stat, quod fiat forma dependens a materia ex parte termini producti, quia videlicet forma producta est terminus productus cum dependentia, non tamen fit per transmutationem materiæ, nec per actionem dependentem a materia ut a subjecto, sed ex nihilo producente totum, et in eo formam dependentem a materia.

De reliquis formis sublunaribus.

Certum est, omnes præter animam rationalem educi e materia, quoties per generationem producuntur, nec de hoc est ulla difficultas, supposito contra Philosophos antiquos, quod datur generatio substantialis, ita quod formæ non sint actu latentes in materia, nec ab aliquo exteriori agente per influentiam, aut creationem adveniant: in cujus signum affert D. Thomas I p. q. LXV, art. IV, quod oportet generans producere formam aut unire, quia naturale est unumquodque facere sibi simile, assimilatur autem effectus suo generanti in forma; ergo illam debet attingere generans.

Solum potest esse difficultas ex resolutione præcedenti, in qua diximus, quod elementa in prima sui productione totaliter fuerunt creata quantum ad materiam, et formam, quæ actio creativa cessavit, corrupto ipso corpore, quod tunc fuit creatum; ergo si modo per eductionem formæ producuntur, non apparet, qua actione conservetur materia, quia creativa cessavit, quæ terminata est ad totum, hoc ipso quod totum corruptum est: eductiva autem non potest conservare materiam, cum conservatio sit continuatio primæ productionis, prima autem productio materiæ non fuit eductio, ergo nec per eductionem conservatur.

Respondetur, materiam primam conservari modo ex vi primæ productionis, quæ tamen prima productio sicut non produxit materiam in esse, nisi dependenter a forma, ut quæstione præcedenti dictum est, ita nec modo conservatur materia

sine aliqua forma, et consequenter nec sine eductione talis formæ, quæ eductio supplet id quod partialiter attingebat formam in ipsa creatione, et sic materia concreata est a principio tanquam entitas potentialis, capax non solum ejus formæ, sub qua primo creata est, sed etiam omnium aliarum formarum, et consequenter ex vi prioris productionis, sub quibuscumque formis conservatur, sine hoc quod addatur nova creatio formæ, cum in eo, in quo dependet materia a forma, æque bene conservetur sub forma creata, quam sub educta: et quando dicitur, quod cessavit actio prima creativa totius, ipso toto corrupto, respondetur quod illa actio cessavit, quantum ad aliquid ipsius effectus, non tamen quoad omnem partem inclusam in ipso toto, sed mansit ut attingens materiam, non sub aliquo esse ipsi materiæ proprio, sed subjiciendo illam ipsi esse formæ, vel formarum succedentium per eductionem. Nec est inconveniens, quod una actio si attingit plures effectus, possit manere quantum ad unum destructo alio, quia est virtualiter multiplex, sicut actio solis producens lucem et calorem, potest manere quoad lucem, et non quoad calorem; et actio, qua Deus creavit Angelum, et ejus subsistentiam, si modo assumeretur a Verbo illa natura, relicta subsistentia, maneret creatio ut tangens naturam, et non tangens subsistentiam; quoad hanc enim suppletur per assumptionem, sic similiter actio creativa, qua producta est materia sub forma aquæ, corrupta aqua, manet ut tangens formam aquæ, sed quoad hoc suppletur per eductionem novæ formæ, cui materia subjicitur, et sub ea ab illa creatione continuata conservatur.

De formis accidentalibus.

Potest ex duplici capite oriri difficultas. Primo, circa accidentia, quæ excedunt naturalem ordinem subjecti. Secundo, circa ea quæ non fiunt per propriam transmutationem, sed per quamdam resultantiam ex subjecto. In prima linea numerantur accidentia supernaturalia et intentionalia. In secunda, propriæ passiones ab essentia, relationes a suo fundamento, actio ab agente, et alii similes modi resultantes. De reliquis vero accidentibus, quæ subjectum transmutant, et naturalis sunt ordinis, nulla est difficultas, quod educantur de subjecto, sicut ab ipso dependent in fieri, et in esse.

Dico ergo primo: Accidentia supernaturalia simpliciter fiunt per actionem eductivam, ut opponitur creativa, et dicuntur educi de potentia obedientiali subjecti, non de naturali. Artificialia autem et intentionalia simpliciter educuntur de potentia naturali subjecti. De hac conclusione videndus est D. Thomas quæstione III de Potentia, art. VIII ad 3, ubi loquitur de gratia, et ad 5, ubi de formis artificialibus, de quibus addit: « Non excedit ordinem naturæ sicut gratia, imo infra subsistere, quia omne naturale est nobilius artificiali. » Et luculentius hoc ipsum tractat in quæstione de Virtutibus in communi, art. X ad 13, ubi docet: « Quod quia potentia passiva correspondet activæ secundum differentiam et ordinem potentiarum activarum, est etiam ordo et differentia passivarum, et sic aqua vel terra secundum aliquam potentiam nata est moveri ab igne, et secundum aliam a corpore cœlesti, potest enim aliquid fieri virtute corporis cœlestis, quod non virtute ignis, et aliquid ulterius, secundum

virtutem Dei, quod non potest fieri secundum virtutem cœli, et secundum hoc dicimus, quod in tota creatura est quædam potentia obedientialis, prout tota creatura obedit Deo ad suscipiendum in se quidquid voluerit.» Ita D. Thomas. Cum ergo aliquid dicitur fieri ex nihilo, negatur causa materialis, ut D. Thomas inquit, quæstione citata de Potentia, art. VIII ad 4. Sic ergo componimus diversas aliquorum sententias; qui enim dixerunt formas supernaturales non educi de potentia subjecti, loquebantur de potentia naturali, qua penitus caret subjectum respectu talium formarum, et sic dicuntur fieri de nihilo potentiæ naturales; et quodammodo creari, tum quia fiunt sola virtute Divina, quæ creativa est, tum etiam, quia quodammodo de nihilo fiunt, id est, de non potentia naturali. Sed tamen absolute educuntur de subjecto, et non fiunt ex nihilo, quia educuntur de potentia subjecti, non quidem naturali, sed obedientiali, quatenus illud subjectum subest Divinæ virtuti agenti.

Quod si inquiras, quæ sit ista potentia obedientialis, et quomodo in illa formæ contineantur, respondetur, de hoc apud Theologos longa concertatione disputari, præsertim III p. quæst. XII, et q. LXII. Breviter dicimus ex D. Thoma in dicta quæstione de Virtutibus potentiam obedientialem esse ipsam entitatem subjecti, ut respicit aliquod agens superius quam naturale, cui subjicitur et obedit. Itaque potentia passiva dicitur relate ad activam, et secundum diversum respectum eademmet entitas potentiæ passivæ dicitur naturalis, vel obedientialis, scilicet in quantum est nata moveri a virtute naturali, dicitur naturalis: ut autem nata est moveri a supernaturali agente, dicitur obedientialis. Quod vero aliqui dicunt potentiam obedientialem esse supernaturalem inchoative, si intelligatur quod intrinsece et positive sit supernaturalis falsum est, sic enim naturaliter et ab intrinseco entitas aliqua esset ordinis supernaturalis: si vero intelligatur negative, vel denominative ab agente supernaturali extrinseco, verum est; sed hoc est idem quod obedientiale per non repugnantiam respectu superioris virtutis: licet enim ut aliquid sit natum moveri ab agente naturali debeat habere intrinsecam et positivam proportionem cum illo, utpote ejusdem ordinis; tamen ut moveri possit ab agente supernaturali, non debet habere positivam proportionem cum illo, sed potius ab eo cadere, et deficere, utpote alterius ordinis, et sic non potest illi coordinari positive, sed solum negative, seu non repugnanter, et hoc est potentiam obedientialiter se habere.

Ex quo colliges, repugnare quod detur potentia obedientialis activa formaliter etiam inchoata, quia potentia non dicitur activa relate ad agens superius, cui subjicitur (hoc enim passivum est) sed relate ad operationem, quam elicere potest: ergo si ista operatio est omnino improportionata et excedens respectu potentiæ non est activa ex se, sed influxiva ad operationem; si autem est proportionata, jam non est potentia obedientialis respectu talis operationis, sed connaturalis. Itaque repugnat, quod in quantum activa sit obedientialis, obedire enim dicitur aliquid in quantum subjicitur, et movetur, non in quantum agit et movet. Sed de hoc amplius dicemus quæstione XXVI.

De formis artificialibus constat, quod educuntur de potentia subjecti, quia in re sunt formæ naturalis ordinis, licet modus, quo fiunt, non sit a natura, sed a directione artis, sicut verbi gratia, quando fit artificialiter aliquod figuratum, vel aliquis motus artificialis, aut quid simile, hoc enim totum formam naturalis ordinis importat, licet modo artificiali factam.

Dico SECUNDO: Omnes formæ, sive modi, qui actione aliqua transmutativa attinguntur, sive primario, sive secundario, dicuntur educi de potentia subjecti. Ratio est manifesta, quia tales formæ dependent in fieri, et in esse a subjecto cui inhærent, vel quod modificant, et attinguntur saltem mediate ab actione transmutante subjectum; ergo vere, et proprie educuntur, siquidem omnes conditiones eductionis in illis concurrunt. Et hinc discernitur, quænam emanationes dicantur etiam eductiones, nam propriæ passiones fiunt eadem actione, qua natura ipsa fit; et sic, si est actio eductiva respectu naturæ, etiam est eductiva respectu propriæ passionis, licet ut est dimanatio a subjecto non dicatur eductio, quia subjectum non agit in se, ut ex se educat propriam passionem. Tunc ergo solum passio dimanans per eductionem producitur, quando ipsamet forma seu natura a qua dimanat, per eductionem fit, si vero fiat per creationem, passiones, quæ in substantia creata inhærent, non fiunt eductive, sed consequuntur ad creativam actionem. Similiter relatio, ut dimanat a fundamento, non dicitur fieri ab ipso fundamento per eductionem, quia ad relationem non est per se motus, educitur tamen mediate ab ipso agente, a quo productum est illud fundamentum, quia producendo illud virtualiter producit omnes relationes, quæ ex tali fundamento possunt consurgere, positis terminis, de qua videri potest D. Thomas V Phys. lect. III, et XI Metaphys. lect. XII. Denique actio non dicitur educi ex subjecto, ut terminus, quia ad actionem non datur actio, sed ipsa formaliter est eductio et actio, non terminus ejus.

Sed objicies: Formæ supernaturales nullo modo continentur in subjecto, siquidem in subjecto nulla datur inclinatio et appetitus ad illas, ergo nullo modo ex illis educuntur, unde gratia dicitur infundi in anima, ut determinat Concilium Tridentinum sess. VI, cap. VII, et similiter dicitur creari, ut Psalm. L: *Cor mundum crea in me, Deus:* quod autem creatur, et infunditur, non educitur. Idem argumentum potest fieri de formis intentionalibus, sicut sunt species repræsentativæ, et de motibus violentis, qui ex subjecto non educuntur, cum subjectum illis resistat.

Secundo objicies: Quia propriæ passiones resultant in eodem instanti, in quo fit essentia, ergo nulla datur privatio in tali essentia, ex qua fiat illa propria passio; et consequenter, nec eductio, quia eductio debet esse ex aliqua privatione; tunc autem in re non datur privatio in subjecto, quia semper datur forma opposita privationi, quæ est propria passio pro omni instanti.

Ad primum respondetur, formas supernaturales non contineri in subjecto positive, id est, secundum ordinem positivum subjecti ad ipsas, cum non sint ejusdem ordinis, et consequenter non datur inclinatio seu appetitus ad ipsas, quia appetitus significatur per modum cujusdam ponderis, quod non est sine positivo ordine, sed solum continentur istæ formæ in subjecto obedientialiter, sive non repugnanter. Dicitur autem gratia infundi, seu creari, non quia simpliciter fiat ex nihilo, sed quia fit extra totam inclinationem naturalem, et sic respectu naturalis ordinis quasi de nihilo illius fit. Formæ autem intentionales et artificiales cum sint naturalis ordi-

nis, simpliciter in subjecto continentur, et in illo educuntur: et idem est de motu et forma violenter inducta; licet enim subjectum resistat, tamen in potentia continet talem formam, vel quia ex parte materiæ non est repugnantia ad illam, licet sit ex parte formæ; vel quia agens violentum, subjicit sibi materiam, et vincit ejus resistentiam, qua victa, educitur forma, quia jam non resistit.

Ad secundum respondetur, quod ut propria passio dicatur educi, non requiritur, quod in ipsa essentia, cujus est propria passio, præcedat privatio, quia non educitur ex illa, sed præcedit privatio in materia, seu subjecto, ex quo fit, et educitur illa forma, seu natura, ad quam sequitur propria passio; hæc enim sicut non est producibilis alia actione, qua illa quæ est productiva naturæ, ita privatio ejus est adjuncta privationi ipsius naturæ, seu formæ, a qua resultat.

Restabat disputare in præsenti quæstionem illam celebrem, an plures formæ possint esse simul in eadem materia. Sed de ista quæstione agemus infra tractando, an plures causæ totales possint causare eumdem effectum.

QUÆSTIO V.

DE PRIVATIONE.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit privatio, ut est principium entis naturalis?

Supponendum est, privationem in communi loquendo importare carentiam alicujus formæ in subjecto apto, seu capacitatis formæ, per quod distinguitur a simplici negatione, quæ dicit carentiam formæ absolute sine capacitate subjecti ad ipsam, sicut lapis habet negationem visus, non privationem, animal autem cæcum, dicitur habere privationem visus. Et privatio rigorose loquendo, dicitur, quando subjectum est capax formæ privatæ secundum speciem infimam: dicitur vero lato modo, quando est capax illius solum ratione generis, et non ratione speciei, sicut talpa dicitur cæca, licet sua species non sit capax visus, sed solum genus illius, quod est animal, de quo videri potest D. Thomas I part. quæst. XXXIII, art. IV ad 2, et V Metaph. lect. XX.

Consulto autem non dixi, privationem esse carentiam in subjecto, cui debetur forma, sed quod est capax formæ, ne implicaremur multis difficultatibus, quæ de hoc debito versantur, an videlicet requiratur debitum proximum, vel remotum, physicum vel morale juxta connexionem naturæ vel moralis ordinationis. Modo autem solum loquimur de privatione physica, ad quam sufficit debitum capacitatis, seu aptitudinis subjecti ad aliquam formam, non debitum connexionis necessariæ, vel dimanationis. Nec requiritur ad privationem quod aliqua forma sit debita alicui, vel aliquid sit capax illius sub omni consideratione et statu, sed ratione alicujus principii sibi connaturalis, sicut aqua habet privationem caloris, vel formæ ignis ex parte materiæ, non ratione suæ speciei, et actus peccati habet privationem bonæ regulationis, non ex parte suæ speciei, ut sumitur ab objecto, sed ratione libertatis, et ut procedit a principio libero; sic enim debetur ei rectitudo, id est, subjectio ad regulas moris.

Iis suppositis, restat circa privationem in particulari, ut est principium entis naturalis, inquirere in hoc articulo aliquas difficultates, quæ tangunt ejus quidditatem, et in sequenti ea quæ tangunt ejus multiplicitatem in materia. Primo ergo inquiri potest, quomodo privatio intelligatur esse principium entis naturalis in fieri, et per modum termini a quo, cum talis privatio ante instans generationis non inveniatur, nisi remote, et cum impedimento ad formam oppositam habendam propter formam, quam tunc habet, et sic non est immediate capax formæ generandæ; in instanti autem generationis, in quo est verum dicere, nunc est forma genita, jam est falsum dicere, nunc est privatio, et sic nec ante instans generationis, nec in ipso instanti, vel post, datur rigorosa et determinata privatio.

Confirmatur, quia materia potest esse magis vel minus expedita, vel impedita ad aliquam formam suscipiendam, sicut materia sub forma lapidis magis impedita est a forma equi, quam sub forma sanguinis, quæ magis ad formam equi appropinquat. Ex quo sequitur, quod materia ut est sub una forma, non est debita alia, nec appetit illam, quia est impedita. Si autem aliam appeteret, conaretur ad aliam; et recederet ab ea quam habet, et sic quamdiu in illa maneret violentaretur, quia frustraretur suo conatu et appetitu ad aliam; unumquodque enim violenter est, quamdiu est in privatione ejus, quod naturaliter appetit, et impeditur a consecutione ejus. Et deinde sequitur, quod privatio materiæ suscipiat magis et minus, secundum quod est magis vel minus elongata, et impedita respectu alicujus formæ, hoc autem est contra rationem privationis, quæ est in materia; privatur enim in facto esse aliis formis, ut quando homo est mortuus, privatur anima in facto esse: ut docet D. Thomas[8] I-II, q. LXXIII, art. II. Denique, si materia habet privationem formarum, quas non habet quia potentialiter et remote se habet ad illas: ergo etiam habebit privationem formarum, quas habuit et perdidit, cum tamen respectu illarum non habeat capacitatem, quia non est potentia in natura ad ponendum illas in materia.

Respondetur, non esse dubium, quod in materia habente unam formam, detur privatio aliarum, quarum est capax, et ad quas habet appetitum, quia est in potentia ad alias formas, dum unam habet in actu; non propter fastidium ejus quam habet, nec propterea quod plura simul habere velit, sed propter illam potentialitatem ad plura; ut dicit D. Thomas I Phys. lect. XV. Igitur ante instans generationis, et ante ultimam dispositionem datur ista privatio formarum in materia, quia illarum est capax, nec a dispositionibus habet istam capacitatem, et privationem, sed per dispositiones applicatur, et determinatur ad recipiendam istam formam potius quam aliam. In instanti autem generationis privatio ipsa formæ, quæ tunc generatur in materia, intelligitur non quantum ad durationem, et instans reale, in quo potius solvitur a forma opposita, sed quantum ad prioritatem naturæ, quatenus præcedit terminus a quo terminum ad quem, non in esse, sed in expelli, sicut ipsa forma corrupta in illomet instanti generationis expellitur, et licet sit prior forma genita in genere causæ formalis, corruptio et expulsio formæ præcedentis est prior in genere causæ materialis, quæ non est prioritas in existere, sed in expelli. Eodem modo se habet privatio in illo instanti, quia se tenet ex parte termini a quo.

Ad confirmationem respondetur,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nis, simpliciter in subjecto continentur, et in illo educuntur: et idem est de motu et forma violenter inducta; licet enim subjectum resistat, tamen in potentia continet talem formam, vel quia ex parte materiæ non est repugnantia ad illam, licet sit ex parte formæ; vel quia agens violentum, subjicit sibi materiam, et vincit ejus resistentiam, qua victa, educitur forma, quia jam non resistit.

Ad secundum respondetur, quod ut propria passio dicatur educi, non requiritur, quod in ipsa essentia, cujus est propria passio, præcedat privatio, quia non educitur ex illa, sed præcedit privatio in materia, seu subjecto, ex quo fit, et educitur illa forma, seu natura, ad quam sequitur propria passio; hæc enim sicut non est producibilis alia actione, qua illa quæ est productiva naturæ, ita privatio ejus est adjuncta privationi ipsius naturæ, seu formæ, a qua resultat.

Restabat disputare in præsenti quæstionem illam celebrem, an plures formæ possint esse simul in eadem materia. Sed de ista quæstione agemus infra tractando, an plures causæ totales possint causare eumdem effectum.

QUÆSTIO V.

DE PRIVATIONE.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit privatio, ut est principium entis naturalis?

Supponendum est, privationem in communi loquendo importare carentiam alicujus formæ in subjecto apto, seu capacitatis formæ, per quod distinguitur a simplici negatione, quæ dicit carentiam formæ absolute sine capacitate subjecti ad ipsam, sicut lapis habet negationem visus, non privationem, animal autem cæcum, dicitur habere privationem visus. Et privatio rigorose loquendo, dicitur, quando subjectum est capax formæ privatæ secundum speciem infimam: dicitur vero lato modo, quando est capax illius solum ratione generis, et non ratione speciei, sicut talpa dicitur cæca, licet sua species non sit capax visus, sed solum genus illius, quod est animal, de quo videri potest D. Thomas I part. quæst. XXXIII, art. IV ad 2, et V Metaph. lect. XX.

Consulto autem non dixi, privationem esse carentiam in subjecto, cui debetur forma, sed quod est capax formæ, ne implicaremur multis difficultatibus, quæ de hoc debito versantur, an videlicet requiratur debitum proximum, vel remotum, physicum vel morale juxta connexionem naturæ vel moralis ordinationis. Modo autem solum loquimur de privatione physica, ad quam sufficit debitum capacitatis, seu aptitudinis subjecti ad aliquam formam, non debitum connexionis necessariæ, vel dimanationis. Nec requiritur ad privationem quod aliqua forma sit debita alicui, vel aliquid sit capax illius sub omni consideratione et statu, sed ratione alicujus principii sibi connaturalis, sicut aqua habet privationem caloris, vel formæ ignis ex parte materiæ, non ratione suæ speciei, et actus peccati habet privationem bonæ regulationis, non ex parte suæ speciei, ut sumitur ab objecto, sed ratione libertatis, et ut procedit a principio libero; sic enim debetur ei rectitudo, id est, subjectio ad regulas moris.

Iis suppositis, restat circa privationem in particulari, ut est principium entis naturalis, inquirere in hoc articulo aliquas difficultates, quæ tangunt ejus quidditatem, et in sequenti ea quæ tangunt ejus multiplicitatem in materia. Primo ergo inquiri potest, quomodo privatio intelligatur esse principium entis naturalis in fieri, et per modum termini a quo, cum talis privatio ante instans generationis non inveniatur, nisi remote, et cum impedimento ad formam oppositam habendam propter formam, quam tunc habet, et sic non est immediate capax formæ generandæ; in instanti autem generationis, in quo est verum dicere, nunc est forma genita, jam est falsum dicere, nunc est privatio, et sic nec ante instans generationis, nec in ipso instanti, vel post, datur rigorosa et determinata privatio.

Confirmatur, quia materia potest esse magis vel minus expedita, vel impedita ad aliquam formam suscipiendam, sicut materia sub forma lapidis magis impedita est a forma equi, quam sub forma sanguinis, quæ magis ad formam equi appropinquat. Ex quo sequitur, quod materia ut est sub una forma, non est debita alia, nec appetit illam, quia est impedita. Si autem aliam appeteret, conaretur ad aliam; et recederet ab ea quam habet, et sic quamdiu in illa maneret violentaretur, quia frustraretur suo conatu et appetitu ad aliam; unumquodque enim violenter est, quamdiu est in privatione ejus, quod naturaliter appetit, et impeditur a consecutione ejus. Et deinde sequitur, quod privatio materiæ suscipiat magis et minus, secundum quod est magis vel minus elongata, et impedita respectu alicujus formæ, hoc autem est contra rationem privationis, quæ est in materia; privatur enim in facto esse aliis formis, ut quando homo est mortuus, privatur anima in facto esse: ut docet D. Thomas[8] I-II, q. LXXIII, art. II. Denique, si materia habet privationem formarum, quas non habet quia potentialiter et remote se habet ad illas: ergo etiam habebit privationem formarum, quas habuit et perdidit, cum tamen respectu illarum non habeat capacitatem, quia non est potentia in natura ad ponendum illas in materia.

Respondetur, non esse dubium, quod in materia habente unam formam, detur privatio aliarum, quarum est capax, et ad quas habet appetitum, quia est in potentia ad alias formas, dum unam habet in actu; non propter fastidium ejus quam habet, nec propterea quod plura simul habere velit, sed propter illam potentialitatem ad plura; ut dicit D. Thomas I Phys. lect. XV. Igitur ante instans generationis, et ante ultimam dispositionem datur ista privatio formarum in materia, quia illarum est capax, nec a dispositionibus habet istam capacitatem, et privationem, sed per dispositiones applicatur, et determinatur ad recipiendam istam formam potius quam aliam. In instanti autem generationis privatio ipsa formæ, quæ tunc generatur in materia, intelligitur non quantum ad durationem, et instans reale, in quo potius solvitur a forma opposita, sed quantum ad prioritatem naturæ, quatenus præcedit terminus a quo terminum ad quem, non in esse, sed in expelli, sicut ipsa forma corrupta in illomet instanti generationis expellitur, et licet sit prior forma genita in genere causæ formalis, corruptio et expulsio formæ præcedentis est prior in genere causæ materialis, quæ non est prioritas in existere, sed in expelli. Eodem modo se habet privatio in illo instanti, quia se tenet ex parte termini a quo.

Ad confirmationem respondetur,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quod materia de se habet privationem determinatam omnium formarum, quibus determinate et de facto caret, quod vero sit magis vel minus impedita ad istam formam, vel ad illam, nec auget, nec minuit appetitum, nec privationem magis vel minus determinat, sed diversimode ponit applicationem circa consecutionem talis vel talis formæ, sicut lapis quantumcunque sit impeditus, non remittit aliquid de appetitu ad centrum, nec de privatione illius.

Nec ex hoc sequitur, quod materia prima appetat recessum a forma quam habet, ita quod patiatur violentiam, si ista non expellatur, quia etiam ad istam, sub qua est, habet connaturalem appetitum, licet non adæquate ad istam, sed etiam ad alias, et ideo non violenter derivetur in ista, quia connaturalis illi est, et habet appetitum ad alias quia adæquata illi non est, sed quia simul utramque habere non appetit expulsionem illius ex suppositione quod alia introducatur. Similiter ad secundum inconveniens dicimus quod privatio formæ in materia est privatio in facto esse, quia est privatio formæ substantialis, quæ est ultima respectu omnium dispositionum, et sicut forma constituit rem in facto esse, ita privatio illius, est privatio in facto esse, sola autem privatio dispositionum seu formarum tendentium ad aliquam ulteriorem formam dicitur privatio in fieri, et non in facto esse juxta regulam D. Thomæ I-II, q. LXXIII, art. II, et hæc sola privatio in fieri suscipit magis et minus, non autem in facto esse, qualis est privatio formæ substantialis. Quod vero materia sit magis vel minus impedita ad receptionem alicujus formæ, non variat privationem illius secundum magis vel minus, sed reddit magis vel minus dispositam, seu applicatam materiam ad istam formam vel illam, et privatio hujus dispositionis, seu applicationis suscipit magis vel minus.

Ad ultimum respondetur, quod materia quantum est ex propria habitudine, et secundum se eamdem capacitatem habet ad formas, quas semel perdidit, et ad formas, quas nunquam habuit, sed tamen quantum ad introductionem et applicationem, quæ fit mediante agente, non eodem modo se habet ad formas semel perditas, et ad illas quas non habuit, quia non potest agens creatum reproducere formam amissam; et tamen si de facto reproducatur a Deo, naturaliter materia ab illa informabitur.

Secundo inquires: Quomodo explicanda sunt duo dicta Aristotelis circa privationem; alterum est, quod privatio sola ratione distinguitur a materia, ut affirmat Philosophus text. LX et LXIX, sic enim entitative erit idem cum materia, atque adeo entitative erit ens reale. Alterum est, quod privatio est principium per accidens, ut affirmat text. LXVI, sic enim non dependebit ab illa per se ens naturale, nec privatio erit univoce principium, quæ autem sunt per accidens, omittuntur ab arte.

Ad primum respondetur, quod privatio dicitur distingui ratione a materia, quia in se non est ens reale, sed rationis, et sic non est extremum realis distinctionis, et tamen quia non est omnino idem cum materia, ut dicebat Plato, dicitur ratione distingui. Nec sequitur, quod entitative sit idem cum materia, si sola ratione distinguitur, hoc enim non est verum, nisi quando utrumque extremum est positivum, et tamen non distinguitur ab altero, si autem extremum sit negativum, non distinguitur realiter ab alio, nec tamen identificatur cum illo entitative, quia entitas non est.

Ad secundum jam supra respondimus, q. II, quod privatio non est principium per accidens respectu generationis et fieri, sed respectu compositionis, vel potius respectu extremi componentis, quod est materia, cum enim in ipsa subjectetur privatio, per accidens est in materia ut componente, quod habeat adjunctam privationem, vel habuerit; nec enim privatio ad componendum conducit, sicut statua fit per se ex ære, per accidens autem ex carentia figuræ, seu ex ære ut in figurato. Sicut autem non est inconveniens, quod principium dicatur analogice de corde, et de fonte, et de fundamento, quia ly *principium* non significat aliquam naturam communem omnibus principiis, sed modum originandi; ita non est inconveniens, quod principium dicatur analogice de privatione, et materia propter diversum modum principiandi extrinsece, vel intrinsece, ut ens, et ut negatio.

ARTICULUS II.

Utrum in materia sit tantum una privatio, vel plures?

De pluralitate, vel unitate istarum privationum non solum est difficultas, an sint plures privationes, secundum speciem, vel una tantum, sed etiam secundum numerum, an scilicet sint tot privationes numero, quot formæ sunt privatæ, an vero sufficiat unica privatio ad privandum omnibus formis in una materia.

Res ista non est magni momenti, nec enim multiplicatio privationum aliquod habet inconveniens, cum nihil ponat in subjecto, sed tollat, unde sicut non est inconveniens, quod plures formæ absint a subjecto, ita etiam quod sint plures numero privationes, quia nihil aliud est privatio quam absentia, seu carentia formæ, et sic privationes potius individuantur, vel multiplicantur ex formis privatis, quam ex subjecto. Et concordat D. Thomas, qui loquens de macula peccati I-II, quæst. LXXXVI, art. I, ad 3, dicit, quod diversa peccata diversas maculas inducunt, cum tamen privationes sint, et constat quod possunt dari plures maculæ ortæ ex peccatis numero distinctis, et sic dari plures maculas in eodem subjecto, ex iteratis peccatis numero distinctis; non ergo ex unitate subjecti sumitur unitas privationum.

Ex quibus respondetur ad difficultatem propositam, tot esse privationes in qualibet materia quot sunt formæ, quibus caret. Patet ex dictis, quia tot sunt absentiæ formarum, quot sunt formæ absentes; nihil autem aliud est privatio seu carentia, quam absentia formæ in subjecto capaci. Et deinde, quia eo modo possunt multiplicari privationes, quo potentiæ materiæ ad suscipiendas formas, cum privatio in ipsa capacitate et potentia fundetur, sed in materia multiplicatur ista capacitas, seu potentia respectu formarum, ut docet S. Thomas I Physic. lectione XV, ubi inquit: «Quod potentia materiæ subjecto est una respectu multarum formarum, sed ratione sunt multæ potentiæ secundum habitudinem ad diversas formas, unde in tertio hujus dicetur, quod posse sanari, et posse infirmari, differt secundum rationem; ergo si ad multiplicationem formarum multiplicatur inclinatio, seu potentia ad ipsas secundum respectum et habitudinem, multo magis carentiæ et absentiæ talium formarum multiplicabuntur ad multiplicationem earum. Nec tamen sicut potentia materiæ dicitur una subjecto, seu entitative, licet respective

sit multiplex, ita privatio dici poterit una subjecto, seu entitative, quia privatio nihil positivum importat, aut entitativum, sicut potentia materiæ, ratione cujus identificetur, et reddatur una ratione subjecti, sed dicit solam carentiam formæ, et sic multiplicatur ad multiplicationem formarum, potentia vero, quia identificatur, positive et entitative cum materia, ut supra diximus, ideo redditur una ratione subjecti.

Dices : Privatio in materia negat omnem rationem actualitatis, sive entitativæ, sive formalis, ut supra diximus, quæst. III, ergo unica privatio sufficit ad omnes formas, quia ratio formalis negata unica est, sicut etiam specifica, et formalis ratio potentiæ, seu appetitus materiæ unica est respectu omnium formarum, quatenus in illis appetit esse substantiale corruptibile. Confirmatur, quia una relatio, verbi gratia paternitatis, sufficit ad plures filios potestque tolli extensive, seu terminative ad unum, licet non quoad aliam; ergo similiter una privatio sufficiet ad plures formas, quando sub eadem ratione privantur. Et idem exemplum potest fieri in unico habitu extendere se ad plures conclusiones, licet in se unica entitas sit.

Respondetur, esse diversam rationem, de privatione, et de potentia, seu appetitu, vel aliis positivis tendentiis ad objecta, nam privatio comparatur ad formam, ut absentia, seu carentia illius, absentia autem non correspondet formæ, secundum tendentiam ad ea circa quæ versatur, sed ipsi præsentiæ, seu inhærentiæ, quam habet in subjecto; hæc autem multiplicatur ad multiplicationem formarum, sicut carentia seu absentia, et ideo tot sunt præsentiæ quot formæ præsentes, et similiter tot carentiæ, seu absentiæ, et privationes quot formæ absentes. Cæterum ex alia parte formæ, sive potentiæ, aut virtutes tendunt positive ad terminos, seu objecta circa quæ versantur, quod non habet privatio, et ex hac parte potest potentia, seu virtus unica existens ad plura se extendere, quia ipsa ratio tendendi, seu operandi simili modo invenitur in multis terminis, seu objectis solum materialiter diversis, et ideo una virtus sufficit pro pluribus operationibus seu terminis, ubi similis ratio attingendi invenitur; nec enim pro quolibet termino, seu operatione ponenda est distincta virtus; tamen pro pluribus formis absentibus non est ponenda una solum absentia sed privatio. Et sic patet ad exempla in confirmatione allata.

Secundo dices : Nam in qualibet materia non est privatio cujuscumque formæ, quia non quælibet materia est capax cujuscumque formæ, v. g. materia unius grani non est capax formæ elephantis; ergo non omnis materia est privata quacumque forma. Respondetur omnem materiam esse capacem cujuscumque formæ, mediate, vel immediate, totaliter vel partialiter, sicut materia formicæ, vel lapidis sub illis dispositionibus non est capax formæ hominis, vel elephantis, sed sub aliis dispositionibus, quarum dispositionum capax est. Quod si tam parva quantitas ut granum non est capax totius formæ elephantis, est tamen capax ut sit pars illius, et sic informari potest ab ejus forma.

QUÆSTIO VI.

DE TOTO COMPOSITO SUBSTANTIALI.

Post considerationem principiorum componentium ens naturale, sequitur agere de ipso composito, in quo tria considerari possunt. Primo, ipsæ partes secundum se, aut simul conjunctæ. Secundo, ipsa unio, qua partes connectuntur, et fit totum. Tertio, ipsi modi qui proprie conveniunt ipsi toti, sicut subsistere et existere, et fieri, quod proprium est suppositorum seu entis completi. Et de primis duobus, quæ pertinent ad ipsam compositi constitutionem agemus in hac disputatione, de tertio in sequenti.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ sint partes substantiales componentes totum?

Varias acceptiones totius tradidimus lib. II sum. cap. de divisione. In præsenti solum agimus de toto Physico omisso Metaphysico, et potentiali, et universali. Ipsum autem totum Physicum aliud est substantiale, aliud quantitativum, seu aliis verbis totum essentiale, et totum integrale; dicitur enim totum relative ad partes, et sic respectu partium substantialium, quæ sunt materia, et forma, dicitur totum Physicum substantiale, seu essentiale; respectu autem partium quantitativarum, dicitur totum quantitativum, seu integrale. Dicuntur autem partes quantitativæ illæ, quæ ita sunt partes, quod possunt esse totum, si separentur, et ideo Aristoteles in V Metaphys. cap. de quanto diffinit quantum : *Quod est divisibile in ea, quorum unumquodque hoc aliquid natum est esse.* Partes autem substantiales, seu essentiales physicæ ita sunt partes, quod non possunt esse totum, sed semper sunt entia incompleta; sicut materia et forma. In præsenti solum agimus de toto Physico substantiali, in sequenti quæstione de quantitativo.

Illud ergo breviter explicandum est, an utrumque scilicet materia et forma, sit pars essentialis, et per se compositi substantialis : nam aliqui de materia dubitaverunt, an esset pars essentialis compositi totam rationem quidditatis soli formæ tribuentes. Alii vero dubitaverunt de forma, non propter imperfectionem ejus, sed quia tantum habet perfectionis, quod adæquat, vel superat perfectionem totius, eo quod forma est ens actu, et præbet esse toti composito tanquam causa illius : causa autem est perfectior effectu, et propter quod unumquodque tale, et illud magis, propter formam autem totum est in actu; ergo forma magis est in actu.

Nihilominus dicendum est, totum physicum constare ex materia et forma tanquam ex partibus substantialibus, et per se. Est communis Philosophorum, deduciturque ex Aristotele VII Metaphys. text. XXXIII, et VIII Metaphys. text. XIII, ubi videri potest D. Thomas et I par. quæst. LXXV, art. IV. Et ratio est manifesta, quia ens naturale, de quo agimus in præsenti, est corporeum et materiale; ergo non potest esse simplex, sed compositum. Consequentia patet, tam in rebus corruptibilibus quam incorruptibilibus : corruptibile enim debet esse compositum, quia corrumpitur, et non annihilatur; ergo non tota substantia desinit, sed aliquid illius manet, alioquin si totaliter desineret, non desineret ex vi alicujus generationis et sic tolleretur omnis generatio, et corruptio; si autem aliquid illius manet, et aliquid amittitur, ergo jam habet partes, ex quibus componitur, et istas vocamus materiam et formam; forma enim est quæ desinit, et materia sub alia forma permanet. In corporibus autem incorruptibilibus non potest sola forma constituere totam essentiam sine materia, quia si sine materia

constitueret, esset tota essentia cœli sola forma : ergo esset immaterialis, quia sine materia esset tota constituta in sola actualitate formæ, essentia autem immaterialis hoc ipso est spiritualis et intellectiva; spiritualitas enim idem est quod immaterialitas, et sic secundum totam essentiam cœlum non esset corporeum, cujus oppositum videmus, cum sit quantitativum. Et quia istæ partes, scilicet materia et forma, non sunt in se quædam tota subsistentia, sic enim non componerent ens per se, sed quoddam aggregatum per accidens, nec sunt tales partes, quod per separationem possunt fieri quædam tota, sic enim essent partes integrales, sequitur manifeste quod per se et essentialiter sint partes tanquam entia incompleta.

Ad fundamentum supra insinuatum, quod causa potior est suo effectu, respondetur, id non esse verum de omnibus causis entitative consideratis, ut infra qu. x, dicemus; causa enim materialis non est perfectio forma absolute et entitative, cum actuetur et perficiatur simpliciter ab ipsa, ut ibi dicemus. Et quando dicitur, quod totum habet esse et actualitatem propter formam, respondetur, quod habet actualitatem propter formam tanquam propter principium *quo*, non *quod*, et ideo non sequitur, quod forma sit magis perfecta in actu denominative, et ut *quod*, quia illud principium *propter quod unumquodque tale, etc.* intelligitur in his, in quibus est denominatio similis, et ut *quod* est tale, ut expendimus in Logica qu. xxv, in libris Poster.

Dices : Materia non potest essentialiter pertinere ad ipsum compositum in rebus generabilibus, quæ sunt in perpetuo fluxu, et motu partium, sicut in homine non invenitur eadem materia, quæ fuit in illo ante triginta annos, cum per actionem caloris sit consumpta, et alia subrogata; ergo materia determinata non potest esse de essentia intrinsece determinati compositi, v. g. hujus individui, vel si semel pertinet materia determinata ad essentiam determinati compositi, quoties contingit variari illam materiam, quomodocunque fiat variatio variabitur ipsum totum, cujus determinatio dependet ex determinatione partium. Confirmatur, quia potest materia pertinere ad constituendas diversas species, ut quando materia transit in speciem cadaveris, vel cadaver in speciem terræ, vel ignis, est autem inconveniens, quod eadem pars essentialis unius speciei pertineat ad aliam; imo materia unius individui potest ad aliud pertinere, ut si unus homo comedat de carnibus alterius. Si ergo materia pertinet ad constitutionem hominis, quomodo in utroque homine resurget illa materia.

Respondetur, quod unitas determinata materiæ pertinet ad constitutionem et unitatem totius, sed aliter in rebus corruptibilibus, aliter in incorruptibilibus; in rebus enim incorruptibilibus requiritur, quod sit eadem materia formaliter, et materialiter; in rebus autem corruptibilibus, sufficit, quod sit eadem formaliter tantum, de qua distinctione videri potest D. Thomas IV contra Gentiles, c. LXXXI ad 4, dicitur materia formaliter eadem, quando manet sub eadem habitudine et ordine partis, puta sub eadem figura et dispositione, et continuatione ad formam; materialiter autem est eadem materia quando entitative non mutatur, et non solum continuatione est eadem, id est, succedendo sub eadem dispositione et habitudine. Sufficit ergo ad unitatem determinatæ materiæ constituentis totum, quod maneat determinate eadem

formaliter, et sub eadem continuatione et successione ad præexistentem materiam, licet materialiter non maneat eadem; si autem non continuetur, sed simul tollantur omnes partes materiæ, et alia in integrum subrogetur, non dicetur manere idem compositum. Ratio sumitur ex D. Thoma, I part. quæst. CXIX, art. I ad ultimum, quia quando materia consumitur per fluxum et continuationem cum alia, id quod additur transit in præexistens. Unde ratione continuationis cum præexistente taliter deperditur præexistens, quod semper remanet aliquid illius, scilicet id, quod superadditur, quatenus ipsa continuatione factum est aliquid illius, id est, pars illi continuata, hoc enim est transi.e in præexistens. Quando autem totaliter una materia tollitur, et alia totaliter subrogatur, ista quæ de novo ponitur, nec continuatione, nec identitate est aliquid præcedentis, et sic nihil remanet alterius materiæ præcedentis, sed tota destruitur, et sic fit aliud compositum numero.

Ad confirmationem respondetur, non esse inconveniens, quod eadem materia possit successive pertinere ad diversas species tanquam pars, quia in potentia est ad omnes illas, ut diximus quæst. III, art. IV, licet retineat eamdem entitatem potentialem, quatenus est in potentia ad omnes formas, cum quibus diversas species naturales potest componere. Quod vero additur de duobus individuis habentibus eamdem materiam, respondetur, non posse eamdem totalem materiam pertinere ad duo individua, nec transire totaliter de uno individuo ad aliud, verbi gratia, quod ex uno homine tota materia transeat ad generandum alium hominem, et si totam materiam præbeat, bene tamen potest partialiter pertinere, quatenus ex carne unus hominis potest aliter nutriri : et in hoc casu dicit D. Thomas in addit' quæst. LXXX, artic. IV ad 3, quod supposito, quod alimenta transeunt in veritatem humanæ naturæ : « Unumquodque in illo resurget, in quo magis accessit ad perfectam participationem, et constitutionem speciei. Et si æqualiter in utroque pertinuit, resurget in illo, in quo primo fuit : et ideo si in carnibus comestis fuit aliqua superfluitas, quæ non pertineret ad veritatem humanæ naturæ in primo, resurgere poterit in secundo, alias illud quod pertinuit, et habuit ordinem ad resurrectionem in primo, resurget in eo, et non in secundo, sed in secundo loco ejus sumetur, vel aliquid de eo quod ex aliis cibis in carnem conversum est, vel si nullo alio cibo unquam pastus fuisset, nisi carnibus humanis, Divina virtute aliunde supplebitur, quantum indigebit ad perfectionem quantitatis, sicut etiam suppletur in illis, qui ante perfectam ætatem decedunt, nec per hoc præjudicatur identitati in numero, sicut nec præjudicatur per hoc, quod partes secundum materiam fluant, et refluant.» Ita D. Thomas.

Denique objicies : Quia forma est totum distinctivum rei, cujus est forma, ergo totum constitutivum, similiter est tota ratio essendi et operandi; ergo est tota ratio constituendi. Unde Aristoteles II Physicor. text. XX, appellat formam : *Quod quid erat rei*, id est, quidditas illius; ut omittam artificialia; quorum totum esse consistit in forma, et tota substantia in materia, ut sæpe docet Aristoteles et D. Thomas.

Respondetur, quod forma est totum distinctivum, et ratio essendi, et operandi ut *quo*, non ut *quod*; unde non est totale, et adæquatum constitutivum ipsius compositi : nam hoc ipso, quod compositum est, non sufficit sola forma, licet sola

sit principium *quo* ipsius quidditatis, sed requiritur etiam aliud extremum cum quo componat. Aristoteles autem appellat formam, quod quid erat esse seu quidditatem rei ut *quo*, non ut *quod*. Artificialia autem sunt quædam composita accidentalia, in quibus quidditas accidentalis non est quidditas per se, et ideo non habet subjecta tanquam partem essentialem sui, sed ut præsuppositum, cui forma accidentaliter advenit, non cum quo per se componit.

ARTICULUS II.

Utrum totum distinguatur a partibus simul sumptis?

Sensus quæstionis est: An partes non solum divisæ et separatæ, nec solum una ut connotat alteram, sed omnes ut simul unitæ distinguantur ab ipso toto, quod componunt. Itaque nomine partium simul sumptarum intelligimus, non solum partes quoad entitatem earum, sed etiam quoad unionem: nomine autem totius non intelligimus suppositum, quod ratione subsistentiæ constat distingui ab ipsa natura composita ex partibus, sed intelligimus compositum, id est, naturam ipsam totalem, quæ constat ex partium unione, et inquirimus, an istud totum sit aliqua tertia realitas resultans ex partibus simul unitis, an vero non sit alia entitas quam ipsæ partes simul sumptæ.

Duplex est sententia, altera affirmativa, cujus totum fundamentum ad duo fere capita reducitur. Primo, ad causalitatem realem, quia partes tam secundum se, quam unitæ realiter causant ipsum totum, ergo totum est aliqua entitas ab illis realiter distincta. Consequentia patet, quia ubi est realis causalitas, est realis distinctio, nihil enim causat se ipsum. Antecedens vero constat, quia totum essentialiter componitur ex partibus, et ab illis dependet in sui compositione et esse, ergo causatur ab illis tanquam a causis intrinsece componentibus, et non causatur a partibus, nisi prout simul unitis et applicatis, ergo ab illis ut unitis distinguitur. Confirmatur, quia unitas totius per se causatur ex unione, et ita partes ut causantes non habent unitatem, sed unionem: totum autem habet unitatem; ergo sic distinguitur totum a partibus sicut unitas ab unione; unitas autem opponitur multiplicitati: unio autem pluralitatem supponit; ergo unitas distinguitur ab unione, seu partibus unitis.

Secundum fundamentum est: Quia multa conveniunt toti, quæ non partibus simul sumptis, ut patet manifeste in homine, in quo subjectantur accidentia corporea, et non in sola materia, quia ipsa non est subjectum accidentium in sententia S. Thomæ ut in lib. de generat. dicetur, ergo subjectantur in toto, si ergo totum distinguitur a partibus simul sumptis, necesse est quod illa accidentia etiam subjectentur in anima, quia non in sola materia, et sic in aliquo spirituali subjectabuntur. Deinde, quia propriæ passiones non a partibus dimanant, sed a toto, nec partes dicuntur operari, sed totum, nec fieri aut generari, sed totum, quia ipsum totum est terminus generationis, non partes, præsertim in homine in quo utraque entitas, scilicet tam anima, quam materia, sunt per creationem. Nec dici potest, quod unio est terminus generationis, quia terminus specificans generationem non est aliquis modus, sed entitas ipsa substantialis; ergo si tota entitas partium in homine est per creationem, non potest dari terminus generationis, nisi entitas aliqua distincta a partibus.

Denique confirmatur, quia totum per aggregationem, ideo est ens per accidens, quia non habet aliam unitatem, quam suarum partium unionem, ex qua non resultat tertia unitas, seu entitas; ergo totum quod est per se, oportet quod distinguatur a partibus ut unitis. Favet etiam Aristoteles I Met. text. XV, ubi inquit: « Quod totum non est aliquid præter partes. » et V Met. text. XVII: « Quod sex non sunt tria, » et XII Metaph. text. XIV: « Quod materia, forma, et compositum sunt tres substantiæ. »

Nihilominus opposita sententia communis est inter recentiores, et sine dubio videtur esse D. Thomæ in addit. ad III par. q. LXXIX, art. II ad 2, ubi inquit: « Quod verior opinio videtur, quod forma totius non est forma partis tantum, nec est forma aliqua alia præter formam partis, sed est totum resultans ex compositione formæ et materiæ comprehendens in se utrumque: » et idem docet contra Gent. c. LXXXI, ubi inquit: « De humanitate non est intelligendum, quod sit quædam forma consurgens ex conjunctione formæ ad materiam, quasi realiter sit alia ab utraque, quia cum per formam materia fiat hoc aliquid actu, » ut dicitur secundo de Anima, text. IX: « Illa tertia forma consequens non esset substantialis sed accidentalis. » Ubi S. Thomas supponit, quod verissimum est, quod illa tertia forma resultans ex partibus, quæ dicitur totum, actuat et perficit ipsas partes: nec enim disparate se habet ad illas nec per accidens, sed cum connexione, et perseitate, alioquin non diceretur unum per se illud totum sic resultans ex illis partibus, si connexionem cum illis non habet. Si autem cum illis connectitur, non comparatur ad illas, ut aliquid minus perfectum, et perfectibile per partes, sed ut perficiens et actuans illas, cum sit illis perfectius. Cum autem non actuet dando primam actualitatem, hanc enim dat ipsa forma partialis, quæ informat materiam, consequenter nec primo, et per se constituit, nec dat primum et substantiale esse, quia supponit primum esse datum per formam, ergo dat esse accidentale.

Quod si dicas: Nam in partibus integrantibus, quælibet illarum est ens actu, et tamen non adveniunt accidentaliter, sed componunt unum esse substantiale; et similiter subsistentia advenit naturæ in actu, et tamen non efficit ens per accidens, sed unum per se; ergo doctrina D. Thomæ non subsistit, respondetur partes integrantes esse ens actu per unam formam totius, quæ est omnium partium, nec enim quælibet pars habet suam formam, et ita trahuntur ad idem esse totius, non formam distinctam addunt: et similiter dicimus de subsistentia, quod illa non constituit naturam, sed terminat, ideoque non mirum, quod naturam supponat constitutam in actu, et sic illi adveniens aliquid accidentale non constituat, quia non affert movum esse super naturam constitutam, sed terminat et modificat ipsam naturam sub eodem esse, quod utique substantiale est. Itaque quæcumque ita se habent, quod licet adveniant enti in actu, tamen sunt sub eodem esse, quia vel modificant, vel integrant illud, cui adveniunt, non constituunt ens per accidens, quia ita supponunt ens actu, quod non superaddunt illi principium novi esse, sed modificationem vel integritatem ejusdem, et sic communicant in eodem esse per se. Si vero aliquid se habeat per modum formæ constituentis, vel partialis, vel totalis, quia forma est

principium novi esse, si supponit aliam formam priorem, non advenit substantialiter, sed accidentaliter.

Ultimo confirmatur ista sententia, quia si daretur illa tertia entitas resultans ex partibus unitis, vel illa identificatur realiter cum partibus, vel illis unitur, licet non identificetur, vel nec unitur, nec identificatur sed seorsum se habet ad illas. Si primum ergo non distinguitur a partibus, siquidem identificatur cum illis. Si secundum, ergo vel ex illa unione entitatis tertiæ cum partibus resultat aliud tertium compositum, vel non. Si non resultat, cur ergo resultabit ex partibus prius unitis? Nec enim est ratio cur ex ista unione resultet aliquod tertium, et non ex alia, cum utraque unio ordinetur ad componendum totum. Si vero resultat aliquod tertium, dabitur processus in infinitum, nam etiam illud tertium debet iterum uniri cum ipsis, a quibus resultat, et sic resultabit aliud, de quo idem dicemus, et sic in infinitum. Si dicatur tertium, ergo illæ partes unitæ, et illa tertia entitas resultans non pertinent ad idem compositum, et ad idem totum, siquidem ea quæ nec uniuntur, nec identificantur, non pertinent ad idem compositum, quia non communicant inter se, nec constituunt unum, nam etiam accidens unionem requirit ut componat cum subjecto.

An vero totum, et partes sic unitæ distinguantur saltem ratione? Respondetur, totum distingui respectu cujuslibet partis seorsum tamquam includens, et inclusum, respectu vero partium simul unitarum distinguitur ratione sicut implicitum, et explicitum, ad eum modum, quo se habent definitio, et definitum, quia definitio explicat partes, quas definitum implicat, sic etiam totum significat modo implicito, partes autem simul junctæ significant modo explicito, id quod est totum. Et propter istum diversum modum significandi aliqua dicuntur attribui toti, quæ non partibus vel e contra.

Ad primum fundamentum in oppositum respondetur, quod partes dicuntur causare totum causalitate intrinseca, et constituente ipsum totum non extrinsece se habente, sicut etiam prædicata essentialia dicuntur constituere quidditatem. Causæ autem intrinsecæ non distinguuntur a causato entitative, quia non causant per emissionem alterius entitatis a se, sed per communicationem sui in entitate quam constituunt, sicut forma materiam informat communicando se illi, et iste est effectus formalis formæ, communicatio sui passiva, quæ entitative non distinguitur a forma se communicante, et sic est effectus realis, quatenus est realis communicatio sui. Vel etiam dicitur, quod in ista causatione totius etiam intercedit realis, et propria causatio ipsarum partium inter se; materia enim, et forma ad invicem sunt causæ, ut quæst. XI, dicetur, et distinguuntur inter se, et ex ista causatione reali resultat totum indistinctum realiter ab ipsis partibus, non tamquam immediate causatum, sed ut ex illa priori causatione partium inter se resultans, et hoc sufficit ad salvandam causationem realem, scilicet mediate.

Ad secundam probationem respondetur, quod unitas resultat ex unione partium tanquam unitas composita, et consequenter includens ipsas partes unitas, et sic idem dicendum est de unitate, quod diximus de entitate totius. Quod vero dicitur, unitatem opponi distinctioni, respondetur non opponi entitative, cum ex earum entitate constet unitas composita, et ex entitate rerum ipsa multitudo, sed opponitur

quantum ad divisionem, et indivisionem, ut dicit S. Thomas I p. q. XI, art. II ad 2.

Quod si instes: Nam D. Thomas sæpe negat partes prædicari de toto, et ita totum non esse suas partes, sed ex partibus, ut in tertio, distinction. II, qu. II, art. III ad ultimum, et in IV, distinction. XVI, quæst. I, articulo I, quæstiuncula III ad 2, ergo sentit, quod totum distinguitur realiter a suis partibus, alias posset prædicari de illis, et e converso, respondetur, non prædicari partes etiam simul junctas de ipso toto, vel e contra, quia ad prædicationem non sufficit identitas unius cum alio, sed etiam requiritur modus significandi, ut ex D. Thoma I part. quæst. XXXIX, probavimus in Logica, qu. V, et quia partes physice consideratæ non significantur per modum totius, sicut gradus metaphysice concepti, ideo prædicari non possunt de ipso toto, nisi forte materialiter et identice, dicendo, quod totum est res, quæ est suæ partes simul junctæ, et homo est res quæ est corpus et anima, et sic solum probatur, quod totum distinguitur a partibus formaliter per rationem propter diversum modum significandi, non vero realiter et entitative.

Ad secundum fundamentum respondetur, unitia attribui toti, et non partibus propter diversum modum significandi, non propter diversas res significatas, et in particulari dicitur, quod in homine subjectantur accidentia in toto, ut in subjecto *quod* ratione materiæ tanquam subjecti *quo*, sicut visio convenit toti homini mediante oculo, quo visionem elicit, et recipit. Similiter passiones sicut resultant a toto, ita dicuntur resultare a partibus simul junctis identice et entitative, quatenus idem sunt cum toto, et similiter partes unitæ entitative sunt terminus generationis, non quia tota illa entitas mediantibus suis partibus generetur, cum nec materia generetur, nec forma in homine, sed quia ut unitæ et ad invicem communicatæ generantur; ideo dicitur quod generatur totum, non vero partes; et non est inconveniens, quod aliquid quod entitative identificatur cum alia, quantum ad unum generetur, vel resultet, non quoad aliad, sicut albedo entitative non distinguitur a similitudine quæ est relatio, et tamen potest generari, vel corrumpi similitudo, non generata vel corrupta albedine.

Ad confirmationem respondetur, quod totum per aggregationem ita dicit plura, quod excludit unionem facientem illa unum per se, eo quod non constat actu et potentia; totum autem per se non dicitur tale ratione tertiæ entitatis distinctæ a partibus unitis, sed quia ipsæ partes ita inter se uniuntur, ut actus et potentia, quod simpliciter fit unum per se. Ad loca Philosophi dicitur, quod loquendo de toto substantiali, dicitur aliquid præter partes, seu quod est tertium subjectum distinctum a partibus non simul unitis, sed seorsum sumptis. Quando autem dicit: *Quod bis tria non sunt sex*, sensus est, quod numerus senarius ita differt specie a ternario, quod non solum est duo individua ternarii formaliter, sed species distincta ab omnibus ternariis, licet materialiter duo ternaria includat.

ARTICULUS III.

Quid sit unio partium in toto?

Nihil certius quam dari unionem, cum tam multa uniri videamus, quæ inter se dividi et separari solent: et Verbum Divinum univisse

sibi naturam humanam partesque humanitatis fuisse in morte separatas, et in resurrectione iterum unitas, absoluta fides est. Quid sit autem ista unio valde difficile explicatur, et cum constet de unione, quatenus est relatio unitorum, de fundamento talis unionis inquirimus : constat enim non fundari in ipsa entitate partium secundum se, cum constet ipsam entitatem partium sine unione salvari, ut cum anima Christi, et ejus corpus, et quælibet anima hominis potest mortem entitative maneat sine unione. Quærimus ergo, quid sit illud quod in partibus accreseit per modum nexus et conjunctionis, quo mediante partes ita se habent ad invicem, quod resultet talis relatio unionis? Quod si materia et forma se ipsis etiam immediate uniuntur, seipsis etiam immediate causabunt, cum non videatur causalitas formæ et materiæ aliquid ab unione illarum distinctum, ut sequenti libro, quæst. II, dicetur. Et loquimur de unione, qua extrema adunantur in unum per se, non de unione per aggregationem, seu per accidens; plerumque enim talis unio fit per aliquam propinquitatem in loco, et per hoc quod res fiant contiguæ, non continuæ et unitæ.

Est ergo sententia satis celebris, unionem esse aliquid superadditum formæ et materiæ, tamquam modum quemdam seu formalitatem, qua mediante fit nexus materiæ et formæ. In quo tamen Scotus in III dist. I q. I, §. de primo dico, et aliis locis, sequens sententiam suam de relationibus extrinsecus advenientibus, sentit unionem esse quid relativum de genere istarum relationum extrinsecus advenientium : et videri potest de hac sententia P. Fuente I Phys. q. V, diffic. II, art. I. Alii vero ut Suarez, I tom. III part. disp. VIII, sect. II et Vazquez I tom. III part. disp. XVI, c. I et plures ex recentioribus etiam Thomistis existimant unionem in substantiis esse modum quemdam substantialem, et absolutum medio quo forma unitur materiæ, licet aliquid dicant ita esse modum absolutum, quod dicit ordinem transcendentalem ad extremum unibile : et idem sequitur Durandus in III, dist. V, q. II, dicens, quod terminus Incarnationis est modus quidam realis, sicut inhærentia in accidente.

Et hinc sumitur primum fundamentum pro hac parte, quia inhærentia in accidente est modus quidam, quo redditur accidens unitum et inhærens ipsi subjecto; ergo accidens non unitur seipso immediate et idem erit de aliis formis quæ licet non sint dependentes sicut accidentia, tamen uniuntur subjecto seu materiæ, et pendent ab illa, et sic mediante aliquo modo superaddito unientur, non minus quam accidentia. Et confirmatur, quia materia et forma causant media aliqua causalitate, siquidem per suam entitatem solum sunt in actu primo, causare autem in actu secundo, accidentaliter illis convenit; ergo causalitas in actu secundo est aliquid superadditum entitati earum, et consequenter ad minus debet esse aliquis modus, sed causalitas ista fit media unione, per quam recipitur forma, et recipit materia : ergo unio aliquid superadditum est materiæ et formæ.

Secundum fundamentum est, quia unio sumpta pro relatione est accidens materiæ et formæ, nec enim semper in actu ista materia et ista forma sunt unitæ, oportet ergo quod istud accidens seu relatio superveniat materiæ et formæ, et distinguatur ab illis. Similiter fundamentum talis relationis non potest esse nuda entitas materiæ et formæ, alias posita utriusque entitate in rerum natura, statim resultaret relatio

unionis, quod patet esse falsum existente anima, et corpore separatis : ergo oportet, quod fundamentum proximum hujus relationis sit aliquid superadditum ipsi entitati materiæ et formæ, et hoc vocamus modum unionis. Et hujus signum etiam est, quod sub eadem forma, v. g. anima rationali diversæ partes materiæ fluunt, et consequenter mutant unionem ad hanc formam, ipsa autem unio non potest separari a rebus unitis, quod est signum distinctionis modalis in re.

Nec sufficit pro fundamento unionis extrinseca denominatio, vel connotatio aliqua formæ erga materiam : tum quia materia et forma non causant per extrinsecas denominationes et connotationes, causant autem per unionem : tum denique, quia in mysterio Incarnationis non potest verificari, quod sola extrinseca denominatione natura humana uniatur Verbo, cum realiter et intrinsece illi uniatur, ut dicitur in Concilio Ephesino, in tertio anathematismo Cyrilli, siquidem realiter humanitas pendet a Verbo.

Tertium fundamentum est, quia omnis actio, et mutatio de novo facta petit aliquem terminum de novo productum, sed aliquando ipsa entitas extremorum non producitur de novo, et tamen de novo uniuntur; ergo illa unio est aliquid de novo productum, et non solum relatio, quia ad istam non datur immediate motus, ergo ad aliquid præter relationem. Exempla sunt in resurrectione, in qua fit nova unio animæ ad materiam non producta entitate animæ, nec materiæ. Secundo, in Incarnatione quæ est vera et realis actio non factiva humanitatis, sed unitiva, et tamen mutat intrinsece ipsam humanitatem, siquidem excludit et consumit in illa propria subsistentiam; ergo importat modum aliquem positivum destruentem proprium modum subsistentiæ, et terminantem naturam in Verbo, quæ mutatio non consistit in sola negatione, seu ablatione propriæ personalitatis, quia sola ista negatio non inducit connexionem cum Persona Divina, nec magis cum Persona Verbi quam cum Persona Patris, vel Spiritus Sancti. Unio autem Incarnationis est nexus ad Personam Divinam, et ad Personam Verbi determinate, cui facta est; ergo non est sola mutatio negativa, sed positiva connexio.

Nihilominus sententia D. Thomæ non agnoscit modum aliquem unionis, qui sit medium seu forma constituens extrema unita, præter actionem, et passionem immutantem, seu reddentem extremum dependens ab alio, et relationem inde resultantem, quæ tamen non est medium causans unionem, sed consequens ipsam conjunctionem extremorum. De hac sententia vide Cajetanum III part. quæst. II, art. VII. §. In hoc articulo cautissime et art. X. In responsione ad primum et ibi Thomistas interpretes D. Thomæ. Nobis sufficit duo loca S. Thomæ ponderare. Primus est, in tertio ad Annibaldum, distinct. V, quæstione unica, art. III, ubi inquit : « Quod unio tripliciter accipi potest. Uno modo prout unio est idem quod unitio. Alio modo prout unio est passio, et sic est quædam naturæ assumptæ dependentia ad assumentem. Tertio modo, et proprie unio est relatio consequens hujusmodi actionem et passionem, et sic est quædam comparatio, vel habitudo unitorum. » Ubi nihil istorum est modus aliquis absolutus, quo formaliter fiat conjunctio, tanquam medio uniente, et causante ipsam conjunctionem.

Secundus locus est in tertio, distinct. II, quæst. II, art. II, quæst. III, ubi inquit : « Quod inter humanam na-

turam et Divinam, est necesse cadere unionem mediam non sicut causam, sed sicut effectum consequentem.» Et subdit :« Unde unio est medium non sicut assumptionem causans, sed sicut eam consequens. » Ubi D. Thomas non solum excludit medium, quod sit realitas, et habeat vim extremi, sed etiam qui sit modus et formalis ratio uniens; tum quia absolute omne medium excludit; tum quia dicit unionem non esse ut causam, sed ut effectum consequentem. Ergo cui concedit esse effectum negat esse causam, sed esse effectum consequentem non conceditur realitati alicui consecutæ : talis enim realitas consecuta, quæ sit unio non datur, ergo quando negat esse causam non solum id negat realitati, sed modo. Et denique videri potest S. Doctor I p. q. LXXVI, art. IV et quæstione de spiritu. creat. art. III et quæst. de Anima, art. IX, in corpore et I Metaph. lectione ultima in fine, ut infra citabitur.

Nec obstat, quod D. Thomas I p. quæst. LXXVI, art. I ad sextum, dicit animam separatam inclinari ad unionem cum materia, sicut leve inclinatur ad locum sursum, locus autem sursum habetur per modum, qui est ubi, ergo et unio per aliquem modum superadditum habetur. Non, inquam, obstat, quia in ipsomet argumento supponit D. Thomas et admittit formam secundum se, et non per aliquod accidens uniri materiæ, unde non comparat unionem, et locum in eo, quod sint modi superadditi vel non, sed in eo quod sunt terminus et status, qui a corpore levi appetitur, et ab anima.

Fundamentum autem hujus sententiæ est, quia iste modus unionis, vel est ipsa ratio formalis, qua extrema sunt unibilia, vel qua reduntur formaliter unum in actu ex vi suæ communicationis, vel est ipsa applicatio extremorum coordinans unum extremum alteri, vel denique est aliquid resultans ex tali applicatione et coordinatione. Hoc ultimum incidit in nostram sententiam, quia sic ille modus est consequens ipsam conjunctionem, seu applicationem extremorum non causans illam ut medium. Primum autem dici non potest, quia unio supponit extremum esse unibile, non unibile constituit. Et constat, quod forma per seipsam intrinsece et essentialiter est actus respiciens materiam, et materia respiciens formam, ergo se ipsis, et non per modum superadditum habent totum fundamentum et capacitatem communicabilitatis, quæ est actus et potentia, nec enim per modum superadditum forma constituitur magis actus, vel materia magis potentia, ergo se ipsis habent rationem unibilis, seu coaptationis ad uniendum, non per modum superadditum. Si dicatur secundum, constat manifeste, quod extrema non reduntur unum mediante modo superaddito tanquam ratione formali hujus unitatis, quia materia et forma non constituunt unum unitate modali, sed unitate realitatis substantiæ, ita quod unitas ipsa, in qua conveniunt, est illud, in quo communicant, et unum fiunt; communicant autem in esse formali substantiali, et in unitate realitatis substantiæ, quæ ex illius partibus resultat; ergo ratio formalis hujus unitatis extremorum non est modus superadditus, sed substantialis ratio. Et magis hoc constat, quia unitas sequitur ens, non modum entis, ergo ratio formalis unitatis, in qua conveniunt extrema, non est modus superadditus substantiæ sed substantia ipsa, quæ ab entitate partium non distinguitur, et sicut partes se ipsis sunt partes, ita se ipsis

unum in substantia entitative fiunt. Restat ergo tertium, scilicet quod ille modus sit applicatio extremorum ad unum, in quo communicant, vel conveniunt unibilia. Hæc autem applicatio necessario dicit ordinem ad causam applicantem, et sic vel sumitur active ex parte causæ applicantis, vel passive ex parte extremorum, quæ passive applicantur, et immutantur ad communicandum se. Et sic fatemur, quod datur unio non tanquam medium formaliter interjectum inter extrema formaliter causans rationem uniti, sed tanquam actio vel passio ex agente proveniens, quæ in ipso fieri est motus tendens ad istam mutationem unionis, et in facto esse est terminus resultans ex extremis unitis, in quo commmunicant et fiunt unum ipsa extrema.

Quod si dicas : Quod in ipso extremo, vel extremis quæ uniuntur, debet aliquid permanenter manere præter ipsum fieri actionis et passionis, in quo fundetur relatio illa unionis, quæ permanet, et hoc erit aliquis modus superadditus, respondetur, id quod relinquitur ex tali actione applicante unibilia, non esse modum unionis, qui formaliter reddat unum; id enim dicetur formaliter unio, quod formaliter extrema constituit unum, seu trahit ad unum ex multis, sed est modus passionis, quo ab agente aliquid in facto esse immutatur et patitur a forma, et distinguitur a modo unionis, quia unio tantum respicit extrema, ut formaliter illa ad unitatem, et communicationem redigens; passio vero respicit agens a quo immutatur aliquid, sicut etiam agens et passum indigent applicatione seu approximatione, ut sequatur operatio, quæ distincta immutatio est ab operatione ipsa. Ipsa ergo communicatio constituens unitatem extremorum, sive hoc fiat per mutuam dependentiam eorum, sive per alterius tantum, non fit per modum superadditum, sed forma communicat per seipsam, et materia recipit per seipsam immediate, et in tali unitate vel communicatione formaliter fundatur relatio unionis, quia tamen est facta de novo ista communicatio, requirit actionem, ex qua sequatur passio seu immutatio ad unionem, de quo latius quæst. X agendo de causa formali.

Quare D. Thomas VIII Metaphys. lectione ultima in fine docet ex Philosopho : « Quod aliqui antiqui errabant inquirendo, quid faciat unum potentiam et actum, quasi oporteret eas colligari per aliquod unum medium, sicut ea quæ sunt diversa secundum actum. » Et subdit :« Quod non oportet ea uniri per aliquod vinculum, sicut ea quæ sunt penitus diversa : unde nulla est causa faciens unum ea, quæ sunt composita ex materia et forma, nisi quod movet potentiam in actum. » Sic D. Thomas, Nec potest dici, quod solum negat vinculum, quod sit medium uniens ut *quod*, et ut res, non uniens, ut *quo*, et ut modus. Nam contra hoc est, quia vel hoc medium uniens ut *quo*, et ut modum agnovit D. Thomas et Philosophus, vel non. Si non agnovit, neque affirmavit aut admisit; si agnovit, ergo fuit diminutus solum negando vinculum uniens ut *quod*, et ut res, et non explicando vinculum quod est modus, cum etiam immutationem ad uniendum requisitam explicasset, et causam efficientem quæ movet ad uniendum. Et præterea, quia vinculum uniens ut res, et ut *quod* est extremum proxime unibile, non solum forma, seu ratio uniens sicut patet in his, quæ sunt diversa secundum actum, quæ D. Thomas concedit uniri per medium, id est, per aliquam realitatem, quæ etiam unitur, ut filum quo unum

assuitur alteri. Si ergo D. Thomas inquirens, quid faciat unum tanquam medium, solum negat illud vinculum, quod est extremum seu immediate unibile, restabat explicare præcipuum punctum, scilicet quid sit uniens tanquam medium formale, quod si non fecit, fuit diminutus.

Ad primum fundamentum in contrarium respondetur inhærentiam accidentis, non esse solam ejus unionem, sed unionem cum tali modo, scilicet reddens ejus esse sustentatum, et dependens a substantia, quod opponitur modo subsistendi, qui convenit substantiæ totali, ut habenti illum, partibus autem ut principiis subsistendi. Itaque unio ex suo conceptu solum importat communicationem in unitate, subsistentia autem, et inhærentia ultra hoc important modos habendi hanc unitatem et esse, scilicet ut adjacens et sustentatum in altero, vel ut subsistens et substans in se.

Ad confirmationem, dicetur amplius infra quæstione XI, agendo de causalitatibus materiæ et formæ. Interim sufficit advertere, quod sola unio secundum conceptum unionis non potest esse causalitas materiæ et formæ, quia unio dicit relationem æquiparantiæ in utroque extremo, utrumque enim denominatur unitum et præcise importat communicationem in unitate. Causalitas autem materiæ et formæ non est æquiparantiæ, aliter enim causat materia aliter forma, aliquid ergo addunt supra rationem unionis et uniii. Unde unio fundatur in aliqua immutatione et dependentia, saltem unius extremi ab altero, in cujus unitatem asciscitur. Causalitas autem formæ, vel materiæ, ut causalitas, non est dependentia, sed potius ratio ut causatum dependeat a tali causa, non ergo est sola unio, licet illam requirat ad causandum; causatur enim compositum, quod est unum, et requirat partium unionem. Quid sint autem illæ causalitates materiæ et formæ, dicemus loc. cit.

Quod si dicas : Nam bene stat formam uniri et non recipi seu dependere, ut patet in anima rationali, quæ unitur corpori, et non pendet ab illo, et Verbum Divinum unitur humanitati, a qua non pendet, ergo unio non fundatur in dependentia, nec illam ex suo formali conceptu includit. Alioquin cum immutatio illa seu passio et dependentia aliquid accidentale sit, unio fundata super illam accidentalis erit, non substantialis. De hoc argumento dicemus latius infra q. XI. Sed interim dicimus, quod unio non petit dependentiam et immutationem in utroque extremo, sed sufficit in altero tantum, quod est subjectum unionis realiter, et immutatur ad unionem. Et sic Verbum unitur humanitati, non ut subjectum unionis, sed ut terminus, humanitas autem ut subjectum immutatum ad unionem cum Verbo. Anima etiam rationalis non unitur ut dependens in esse, et per immutationem sui ad esse, sed ut dependens informare; et in habendo statum proprium, qui est status formæ, et quoad hoc perficitur per unionem; et potest dici, quod immutatur et dependet a materia non in esse, sed in statu essendi. Omnis autem unio quæ realiter in aliquo est, et tendit ad unitatem per dependentiam seu immutationem extremi, vel extremorum, dicit receptionem ex parte materiæ, et dependentiam aliquam. Quod vero fundetur in passione, seu mutatione nova, non tollit, quod unio substantialis sit, eo quod licet actio ipsa in se accidens sit, et de prædicamento actionis, sicut unio de prædicamento relationis, sed substantiales dicuntur ratione termini ad quem tendunt, scilicet ad unitatem substantialem faciendam, et communicationem substantialem in extremis.

Ad secundum fundamentum respondetur ex dictis, quod unio in materia et forma est aliquid accidentale quasi prædicabiliter, non quasi prædicamentaliter, est enim contingens et extra conceptum materiæ, et formæ, quod de facto uniantur, licet se ipsis, et non medio accidente prædicamentali superaddito uniantur, sed tamen dicitur unio hæc accidere materiæ, et formæ et contingenter se habere, tum ratione præsuppositi, quod est actio et passio applicans et immutans ad communicationem unitatis ipsa extrema, quæ applicatio intelligitur ipsis extremis supervenire, seu accidere, tum ratione consecuti scilicet relationis, quæ etiam accidit ipsis extremis, cum non sit prædicatum essentiale, sed accidentale, ipsa tamen ratio formalis, qua uniuntur extrema, est ipsa eorum entitas, ut ad communicationem unitatis applicata. Et ipsa unio dicitur educi ex subjecto, eo modo, quo relatio, vel immutatio ipsa passiva dicitur educi, non quia ipsa ratio formalis, in qua fit unitas tanquam quid distinctum a forma, vel materia, educatur.

Ad alteram partem argumenti, quod unio non sit extrinseca denominatio, respondetur, verissimum esse, quod unio realis et intrinseca, denominatio est saltem in illo extremo, quod redditur immutatum, nam si alterum extremum non dependet, in illo non erit relatio realis, ut in Verbo Divino, quod dicitur unitum humanitati non per relationem realem, sed rationis. Unde ex parte Verbi non est fundamentum ad realem relationem, quia licet Verbum se ipso immediate terminet, et reddat subsistentem humanitatem, tamen quia tota immutatio est ex parte humanitatis, et ratio formalis uniendi et communicandi non est fundamentum relationis, nisi ad adjuncta immutatione, ut dictum est, ideo ex parte Verbi non datur fundamentum realis unionis.

Ad tertium fundamentum respondetur, omnem actionem habere terminum de novo, sed non simpliciter productum, sufficit enim quod sit de novo immutatum, vel unitum, vel communicatum; sic enim etiam verificatur, quod per actionem unitivam ponitur aliquid in esse, quod ante non erat; ponitur enim ipsa nova communicatio extremorum, quæ antea non erat, licet ipsa extrema essent, et similiter ponitur nova relatio, et nova immutatio extremi, vel extremorum ad se communicandum, non tamen requiritur, quod producatur novus modus, qui sit medium inter ipsa extrema, ut formaliter uniens.

Nec exempla allata in argumento aliquid amplius probant, quia in resurrectione nec anima, nec corpus producuntur, nec modus aliquis medians inter animam et corpus, et causans unionem, sed fit de novo ipsa communicatio animæ et corporis, quæ quantum ad rationem formalem constat ipsa entitate extremorum unitatem faciente, et quantum ad conditionem constat applicatione et immutatione passiva extremi vel extremorum, et quantum ad consecutionem constat relatione unionis, quæ de novo fit, non quia ad relationem detur per se actio, sed datur ad fundamentum relationis, quod est ipsum extremum non ut productum, sed ut tractum et immutatum ad communicationem cum altero. In Incarnatione similiter fit aliquid de novo, scilicet ista unio extremorum non per productionem novi modi, qui sit forma uniens, sed per immutationem humanitatis ad Personam Verbi, quæ

immutatio cum fiat ad determinatam Personam Divinam, importat ordinem ad ipsam potius quam ad aliam Personam. Quid sit autem ista immutatio ante solutionem argumentorum explicatum est. Nec subsistentia creata expellitur, vel consumitur per ipsam unionem formaliter, sed per id quod subrogatur loco subsistentiæ creatæ, et reddit subsistentem humanitatem in aliena persona, et hæc est subsistentia Divina unita, non ipsa unio.

Corollaria ex dictis.

Ex dictis solutum manet argumentum, quod proponi solet, quia materia et forma sine unione non constituunt compositum, ergo unio est aliquid præter materiam et formam, hoc enim est, quod de novo fit et producitur per generationem: respondetur enim concedendo antecedens, et distinguendo consequens, est aliquid unio præter materiam et formam tanquam ratio formalis communicans extrema, et reducens illa ad unitatem, nego: tanquam applicatio et mutatio extremorum, ut fiat ista communicatio et consequatur relatio, concedo. Id autem quod fit per generationem tanquam terminus totalis est ipsum compositum, tanquam formalis terminus est ipsa forma, vel ut educta, vel ut communicata materiæ, et tanquam conditio ad istam communicationem requisita, est ipsa applicatio et immutatio extremi ex actione unitiva relicta, quæ in facto esse et permanenter non est inconveniens, quod sit modus passionis, ut supra diximus, non formaliter uniens, seu formaliter applicatum relinquens extremum, ut recipiat, vel actuet alterum, cum dependenter informat.

Secundo colligitur, quod absolute sufficit unica unio, ut dicantur duo extrema unica, unum tanquam subjectum, alterum tanquam terminus, eo quod sufficit unica immutatio in altero extremo facta, imo unica relatio inde consecuta, ut dicantur duo extrema unita, ut in unione hypostatica, quæ in relatione consistit consecuta ad immutationem humanitatis, qua trahitur ad Personam Divinam, et subjectata in ipsa: in hoc enim ponitur unio a D. Thoma III, part. q. II. art. VII et VIII et in III, dist. V, q. I, art. I et ibidem ad Annibaldum, quæstione unica, art. III. Cæterum quia contingit communicationem, seu unionem extremorum fieri per immutationem utriusque extremi, et relationem mutuam: relatio enim unionis in creaturis mutua est, et æquiparantiæ, ut S. Thomas docet citatis locis ex III Sentent. ideo ut talia extrema uniantur non absolute, sed unione mutuæ relationis, requiritur duplex relatio unionis fundata in duplici illa immutatione. Similiter ex parte formalis rationis unionis, quæ est communicatio extremorum facta non per modum superadditum, sed se ipsis immediate, manifestum est sufficere communicationem realem ex parte unius extremi immutans ipsum extremum, et de novo illi conveniens, ad hoc ut absolute detur unio, ut patet in unione hypostatica; ut autem unio sit mutua, et per communicationem mutuam facta, duplex requiritur communicatio, quia utrumque extremum realiter se communicat immutatione reali subjectata in se, ut patet cum materia et forma uniuntur diversa communicatione, quæ in materia est receptio, in forma actuatio.

Et si instes: Quod Verbum per illam unionem redditur realiter unitum, respondetur quod ibi non est relatio mutua realis, neque immutatio, vel communicatio de novo immutans, nisi tantum ex parte humanitatis, et tamen dicitur Verbum realiter unitum humanitati, non realiter subjective, sed realiter terminative, quia relatio humanitatis ad illum terminatur, sicut eadem ratione dicitur Christus realiter filius Virginis, quia terminat relationem realem matris ad se, ut S. Thomas docet III p. q. XXXV, art. V. Si vero instetur de puncto uniente partes in continuo realiter, et tamen unicum sufficit ad duas partes uniendas, respondetur quod indivisibile illud non est ipsa unio formaliter, sed constituens partem unibilem, secundum extremitatem tantum, et non se tota; unde magis pertinet ad modum unibilitatis utriusque extremi modo quantitativo, quam ad actualem unionem, et sic tale indivisibile est unicum inter duo extrema, non quia utrique inhæreat, sed quia inhærendo uni parti, altera pars, quæ sibi copulatur, solum in illa extremitate copulatur, et non totam partem intrat, et sic consurgit continuum; si vero in utraque parte sit indivisibile terminans, non copulatur pars extremitati, sed extremitas unius extremitati alterius, quod est esse contiguum; de quo plura q. XXII.

Et si quæratur de subjecto istius unionis, sive sit mutua, sive non quodnam sit assignandum absolute et simpliciter, respondetur istam relationem, et immutationem esse subjective in ipsis partibus, seu extremis, quæ uniuntur, sicut immutatio ipsa convenit extremis unibilibus; relatio autem quæ in tali mutatione fundatur, fundamentum ipsum modificat, et mediante fundamento subjectum. Et quidem in opinione, quæ ponit accidentia subjectari in sola materia vel forma, nulla est difficultas, quod in ipsis subjective sit unio. In opinione autem, quæ ponit accidentia subjectari solum in composito tanquam in subjecto *quod*, a quo habent esse et sustentationem, esse autem solum convenit toti, dicendum est, quod illæ relationes, et immutationes sunt in illis partibus, ut in subjecto *quo*, dependenter autem ab esse totius, ut a subjecto *quod*, sicut visio est in oculo, et mediante ipso in toto, nec tamen ipsum totum denominatur unitum etiam ut *quod*, sed sustentans et habens unionem partium, quia ista denominatio uniti non est denominatio subjecti sustentantis, sed extremi unibilis, et ipsa unione se communicantis; totum autem quod resultat, dicitur constitutum ex unione, non autem unitum. Sed de hoc latius agemus in libris de gener. In accidentibus autem unio, et inhærentia est modus ipsam eorum realitatem modificans, sed sicut realitas eorum habet esse a subjecto, ita et relatio unionis eorum.

Quæ si quæras: Quomodo anima rationalis immutetur per unionem in se receptam, cum ipsa spiritualis sit, et independens a materia, respondetur, animam esse independentem in suo esse a materia, et sic non unitur propter existentiam, sed tamen unitur propter connaturalem modum essendi et operandi, quem habet in materia, cum naturaliter sit forma corporis, et sic acquirit modum seu statum peculiarem ex eo, quod est in materia quatenus informat illam, et actuat, et in se perficitur ad operandum, non separatim a corpore, sed cum ipso et in ipso; iste autem modus seu immutatio ipsius animæ ad corpus, est aliquid spirituale in anima subjective in ipsa, produciturque effective a Deo infundente animam corpori, vel reuniente per resurrectionem, nec enim sine habitudine ad corpus, et infusione in illo, ipsam creat, quæ habitudo in ea sub-

jectatur; a generante vero dispositive tantum, quatenus disponit materiam, ut Deus infundat formam, et in resurrectione disponentur corpora a Deo per ministerium Angelorum ut docet S. Thomas in addit. quæst. LXXVI, art. III.

QUÆSTIO VII.

DE SUBSISTENTIA ET EXISTENTIA.

Isti modi non pertinent ad constitutionem naturæ, sed constitutæ adveniunt, pertinent autem ad ipsum totum, et ideo de illis agimus post ipsum totum, et constitutionem ejus.

—

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit subsistentia conveniens ipsi composito?

Inter proprietates, seu proprios modos, qui conveniunt naturæ substantiali, unus est subsistentia, proprium enim totius compositi est *subsistere, fieri, et existere*, ut colligitur ex D. Thoma, I part. q. XLV. articul. IV. De subsistentia ergo proprie pertinet agere ad Metaphysicum. Breviter tamen in præsenti, ut explicetur plenius quidquid pertinet ad rationem compositi naturalis, de subsistentia solum duo attingemus, scilicet quid sit subsistentia, et utrum conveniat indivisibiliter substantiæ totali, an etiam partialiter conveniat partibus, ex quibus totalis subsistentia resultat.

Circa explicationem primæ difficultatis supponendum est, quod præter singularitatem naturæ substantialis datur in illa aliquid, quod vocamus subsistentiam, ut advertit D. Thomas in III, dist. II, q. II, art. I, quæstiuncula III ad 2, et constat in mysterio Incarnationis, in quo assumpta est humanitas singularis, et tamen assumpta est sine subsistentia; unde pertinet subsistentia ad complementum, quo natura singularis redditur incommunicabilis ulteriori termino, et subjecta vel sustentans alia prædicata, sive accidentalia, sive substantialia: unde dicitur subsistens quasi sistens esse sub alio; in eo enim quod est sistens quasi incommunicabilitas importatur, quod enim non transit ad alterum, nec communicatur alteri, dicitur sistere in se: ex eo autem quod sub aliis sistit, importatur ratio substantiæ primæ, seu suppositi, aut subjecti, quia subjicitur prædicatis superioribus, et accidentibus, quæ sustentat, et sub quibus est tanquam sustentativum illorum, quod proprium est primæ substantiæ, et hoc ipsum quod dicitur *subsistens*, seu *suppositum*, Græci vocant *hypostasim*, id est, sub aliis stans, et Latini *substans, vel subsistens*. Quod si hoc fiat in natura rationali, dicitur *persona*, de quo plura diximus in II p. Logicæ, q. XV, art. I.

Quod si quæras: Ex quo principio deducitur debere poni hanc subsistentiam tanquam aliquid distinctum a natura substantiali, et singularitate ejus, respondetur aliquos existimare solum id posse deduci ex mysterio Incarnationis, in quo fatetur fides integram naturam humanam esse assumptam sine personalitate. Cæterum D. Thomas etiam ex naturalibus principiis aliqualiter investigari posse docet distinctionem hanc inter subsistentiam, et naturam, ut constat ex III p. q. II. art. II, et I p. q. III, ar. III, et opusc. XLVIII, tractat. de Substantia, cap. II, et quodl. II, art. IV, et aliis locis, quia videlicet invenimus substantias creatas etiam immateriales esse capaces accidentium realium, quæ ita illis inhærent, ut non misceantur earum naturæ, sed inconfusæ permaneant, unumquodque in sua quidditate, ergo necesse est, quod uniantur naturæ non sub conceptu naturæ, sic enim pertinerent ad rationem naturæ, vel constituendo ipsam, vel constituendo cum ipsa aliquod tertium, illi autem entitati, quæ tantum importat rationem naturæ, secundum conceptum naturæ, seu id quo aliquid est tale, v. g. id quo homo est homo (hoc enim est natura) non potest ipsi entitati sic acceptæ ut *quo* aliquid uniri, nisi ut mixtum cum ipsa natura, et ad rationem naturæ pertinens, quia si conceptus naturæ est præcise, id quo aliquid est tale, v. g. homo, quidquid ergo in illo conceptu unitur, aut ad ipsam naturam pertinet, aut ille conceptus habet aliquid amplius quam solam naturam. Exigit ergo aliquid præter purum conceptum et rationem naturæ, quo reddat illam ut subjectum *quod*, respectu eorum quæ sunt extrinseca naturæ, et tamen impermixtæ cum ipsa uniuntur, et non ut pertinentia ad rationem naturæ. Et inde est, quod non potest subsistentia pertinere ad gradum naturæ, quia gradus non uniuntur extra constitutivum naturæ, sed ad constituendum ipsam, et ideo quod se habet ut gradus, non est extra constitutivum naturæ. Et præterea, ipsum suppositum supponit naturam cum omni gradu etiam singularitatis, siquidem omnes isti gradus sine subsistentia inveniuntur in humanitate Christi.

Sed dices: Persona Divina suscipit externam naturam, scilicet humanam, et tamen non distinguitur a natura ipsa Dei; ergo fundamentum positum non subsistit. Respondetur, quod nihil in Deo suscipitur, quod non sit ejus natura, nec enim est capax accidentis, quod recipitur per potentialitatem recipientis, et ideo in eo non est distinguere personam a natura respectu eorum quæ in se habet. Respectu vero naturæ creatæ, quam terminat sine permixtione Divinæ naturæ, non requiritur quod persona distincta sit a natura Divina, quia per hoc nihil immutatur persona, nec recipit aliquid, sed sufficit distingui a natura creata, quæ sola immutatur in hac terminatione, non Divina.

Sed instabis: Quomodo ergo natura suscipit propriam subsistentiam tanquam distinctam a se, si ad suscipiendum ea, quæ sunt extra constitutivum naturæ, dicimus indigere subsistentia tanquam distincta? Respondetur quod natura non suscipit subsistentiam, sed potius terminatur, et suscipitur in illa, ipsum enim suppositum, seu prima substantia substat seu subjicitur, tam secundis substantiis, quæ sunt prædicata constitutiva naturæ, quam accidentibus, quæ extrinseca sunt naturæ, et utraque suscipit sine permixtione inter se.

His suppositis, dubium est, an ista subsistentia addat aliquid positivum supra naturam, quam reddit subsistentem. In hoc non omnino convenit inter Auctores, nam aliqui existimant non addere super naturam aliquid positivum, sed negationem quamdam, quam aliqui explicant per negationem divisionis, eo quod suppositum dicit quoddam totum integrum et unum. Alii per negationem dependentiæ actualis ab aliquo in quo sit. Alii per duas negationes, scilicet dependentiæ actualis, et aptitudinalis, eo quod natura sic subsistens nec dependet ab aliquo, nec dependere potest, habet enim negationem unionis hypostaticæ. Quæ sententia est Scoti in III, dist. I, q. I, §. Ideo propter istum; et præcipue in §. Non asserendo, ubi ponit negationem actualis dependentiæ non sufficere, ut aliqua substantia dicatur persona, alias anima

jectatur; a generante vero dispositive tantum, quatenus disponit materiam, ut Deus infundat formam, et in resurrectione disponentur corpora a Deo per ministerium Angelorum ut docet S. Thomas in addit. quæst. LXXVI, art. III.

QUÆSTIO VII.

DE SUBSISTENTIA ET EXISTENTIA.

Isti modi non pertinent ad constitutionem naturæ, sed constitutæ adveniunt, pertinent autem ad ipsum totum, et ideo de illis agimus post ipsum totum, et constitutionem ejus.

—

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit subsistentia conveniens ipsi composito?

Inter proprietates, seu proprios modos, qui conveniunt naturæ substantiali, unus est subsistentia, proprium enim totius compositi est *subsistere, fieri, et existere*, ut colligitur ex D. Thoma, I part. q. XLV. articul. IV. De subsistentia ergo proprie pertinet agere ad Metaphysicum. Breviter tamen in præsenti, ut explicetur plenius quidquid pertinet ad rationem compositi naturalis, de subsistentia solum duo attingemus, scilicet quid sit subsistentia, et utrum conveniat indivisibiliter substantiæ totali, an etiam partialiter conveniat partibus, ex quibus totalis subsistentia resultat.

Circa explicationem primæ difficultatis supponendum est, quod præter singularitatem naturæ substantialis datur in illa aliquid, quod vocamus subsistentiam, ut advertit D. Thomas in III, dist. II, q. II, art. I, quæstiuncula III ad 2, et constat in mysterio Incarnationis, in quo assumpta est humanitas singularis, et tamen assumpta est sine subsistentia; unde pertinet subsistentia ad complementum, quo natura singularis redditur incommunicabilis ulteriori termino, et subjecta vel sustentans alia prædicata, sive accidentalia, sive substantialia: unde dicitur subsistens quasi sistens esse sub alio; in eo enim quod est sistens quasi incommunicabilitas importatur, quod enim non transit ad alterum, nec communicatur alteri, dicitur sistere in se: ex eo autem quod sub aliis sistit, importatur ratio substantiæ primæ, seu suppositi, aut subjecti, quia subjicitur prædicatis superioribus, et accidentibus, quæ sustentat, et sub quibus est tanquam sustentativum illorum, quod proprium est primæ substantiæ, et hoc ipsum quod dicitur *subsistens*, seu *suppositum*, Græci vocant *hypostasim*, id est, sub aliis stans, et Latini *substans, vel subsistens*. Quod si hoc fiat in natura rationali, dicitur *persona*, de quo plura diximus in II p. Logicæ, q. XV, art. I.

Quod si quæras: Ex quo principio deducitur debere poni hanc subsistentiam tanquam aliquid distinctum a natura substantiali, et singularitate ejus, respondetur aliquos existimare solum id posse deduci ex mysterio Incarnationis, in quo fatetur fides integram naturam humanam esse assumptam sine personalitate. Cæterum D. Thomas etiam ex naturalibus principiis aliqualiter investigari posse docet distinctionem hanc inter subsistentiam, et naturam, ut constat ex III p. q. II. art. II, et I p. q. III, ar. III, et opusc. XLVIII, tractat. de Substantia, cap. II, et quodl. II, art. IV, et aliis locis, quia videlicet invenimus substantias creatas etiam immateriales esse capaces accidentium realium, quæ ita illis inhærent, ut non misceantur earum naturæ, sed inconfusæ permaneant, unumquodque in sua quidditate, ergo necesse est, quod uniantur naturæ non sub conceptu naturæ, sic enim pertinerent ad rationem naturæ, vel constituendo ipsam, vel constituendo cum ipsa aliquod tertium, illi autem entitati, quæ tantum importat rationem naturæ, secundum conceptum naturæ, seu id quo aliquid est tale, v. g. id quo homo est homo (hoc enim est natura) non potest ipsi entitati sic acceptæ ut *quo* aliquid uniri, nisi ut mixtum cum ipsa natura, et ad rationem naturæ pertinens, quia si conceptus naturæ est præcise, id quo aliquid est tale, v. g. homo, quidquid ergo in illo conceptu unitur, aut ad ipsam naturam pertinet, aut ille conceptus habet aliquid amplius quam solam naturam. Exigit ergo aliquid præter purum conceptum et rationem naturæ, quo reddat illam ut subjectum *quod*, respectu eorum quæ sunt extrinseca naturæ, et tamen impermixtæ cum ipsa uniuntur, et non ut pertinentia ad rationem naturæ. Et inde est, quod non potest subsistentia pertinere ad gradum naturæ, quia gradus non uniuntur extra constitutivum naturæ, sed ad constituendum ipsam, et ideo quod se habet ut gradus, non est extra constitutivum naturæ. Et præterea, ipsum suppositum supponit naturam cum omni gradu etiam singularitatis, siquidem omnes isti gradus sine subsistentia inveniuntur in humanitate Christi.

Sed dices: Persona Divina suscipit externam naturam, scilicet humanam, et tamen non distinguitur a natura ipsa Dei; ergo fundamentum positum non subsistit. Respondetur, quod nihil in Deo suscipitur, quod non sit ejus natura, nec enim est capax accidentis, quod recipitur per potentialitatem recipientis, et ideo in eo non est distinguere personam a natura respectu eorum quæ in se habet. Respectu vero naturæ creatæ, quam terminat sine permixtione Divinæ naturæ, non requiritur quod persona distincta sit a natura Divina, quia per hoc nihil immutatur persona, nec recipit aliquid, sed sufficit distingui a natura creata, quæ sola immutatur in hac terminatione, non Divina.

Sed instabis: Quomodo ergo natura suscipit propriam subsistentiam tanquam distinctam a se, si ad suscipiendum ea, quæ sunt extra constitutivum naturæ, dicimus indigere subsistentia tanquam distincta? Respondetur quod natura non suscipit subsistentiam, sed potius terminatur, et suscipitur in illa, ipsum enim suppositum, seu prima substantia substat seu subjicitur, tam secundis substantiis, quæ sunt prædicata constitutiva naturæ, quam accidentibus, quæ extrinseca sunt naturæ, et utraque suscipit sine permixtione inter se.

His suppositis, dubium est, an ista subsistentia addat aliquid positivum supra naturam, quam reddit subsistentem. In hoc non omnino convenit inter Auctores, nam aliqui existimant non addere super naturam aliquid positivum, sed negationem quamdam, quam aliqui explicant per negationem divisionis, eo quod suppositum dicit quoddam totum integrum et unum. Alii per negationem dependentiæ actualis ab aliquo in quo sit. Alii per duas negationes, scilicet dependentiæ actualis, et aptitudinalis, eo quod natura sic subsistens nec dependet ab aliquo, nec dependere potest, habet enim negationem unionis hypostaticæ. Quæ sententia est Scoti in III, dist. I, q. I, §. Ideo propter istum; et præcipue in §. Non asserendo, ubi ponit negationem actualis dependentiæ non sufficere, ut aliqua substantia dicatur persona, alias anima

separata esset persona, sed requiritur aptitudinalis negatio, qualenus natura aliqua secundum ordinem naturalem non potest dependere ab alio, licet supernaturaliter possit, et sic quamdiu natura singularis non assumitur a Persona Divina: Sola illa negatione, et non aliquo positivo superaddito personatur, quæ sunt verba Scoti; licet quia dicit tenere ista non asserendo, non videtur omnino fuisse hujus sententiæ, ut etiam aliqui ejus expositores videntur sentire. Et fere totum fundamentum est, quia nihil est positivum in natura humana, quod non possit a Verbo assumi, personalitas autem non potest assumi, ergo illa non est entitas positiva. Et confirmatur, quia alias non esset in Christo omnis entitas, quæ pertinet ad naturam humanam, nec quidquid Deus in ea plantavit, assumpsisset, quod negant Damascenus, et alii Patres.

Nihilominus omnino dicendum est: Subsistentiam addere supra naturam aliquid positivum, quæ est communior sententia theologorum in materia de Incarnatione ad quæst. II tertiæ partis, et sine dubio sumitur ex D. Thoma, qui I part. quæst. III, articul..... inquit: « Quod hoc nomen personæ, non est nomen negationis, nec intentionis, sed nomen rei, » constat autem, quod persona directe non significat naturam, sed id quod naturæ additur. Et similiter quæst. IX, articul. II ad 3, inquit: « Quod hypostasis, et persona, addunt supra rationem essentiæ principia individualia, neque sunt idem cum essentia in compositis ex materia, et forma. » Et denique quæst. III, art. III, inquit: « Quod id quod est homo, habet in se aliquid, quod non habet humanitas: » quod certe verificari non potest, si non habet nisi negationem superadditam, hæc enim non est aliquid supra humanitatem.

Et fundamentum hujus est, quia subsistentia neque est negatio divisionis, quod pertinet ad unitatem, unitas enim in natura sine subsistentia salvatur, ut in humanitate Christi, quam assumpsit, ut unam in singulari, et non ut subsistentem, neque similiter est negatio dependentiæ, impossibile est enim, quod independens non sit perfectius dependente; dependentia autem est aliquid positivum, ergo independentia in illo genere non potest esse sola negatio, licet per negationem explicetur, sicut infinitas in substantia, vel quantitate, licet explicetur per negationem, aliquid tamen positivum est, et Deum esse independentem in essendo, maxima perfectio illius est. Unde fit argumentum: Omne non subsistens in quantum tale est imperfectius subsistente, vel perfectibile per subsistentiam, ut patet in anima separata, et quacumque alia parte, quæ imperfectior est, quam res subsistens, utpote incompleta et perfectibilis, subsistens autem est perfectum et integrum, et completum, a quo minus aliquid habet pars non subsistens, ergo potius non subsistens dicet negationem illius perfectionis, quam res subsistens solum addat negationem sine aliqua positiva perfectione super naturam non subsistentem.

Quod si dicas: Negationem dependentiæ, quam importat suppositum, dicere negationem alicujus majoris perfectionis, scilicet negationem unionis hypostaticæ, solum enim per istam unionem potest excludi propria subsistentia, ergo solum dicit negationem hujus unionis, quæ utique aliquid perfectius est; nam perfectiori modo natura est in Persona Divina, quam in se, contra est, primo, quia subsistentia naturalis, et propria non solum opponitur unioni hypostaticæ, sed etiam opponitur modo existendi accidentis, qui est inhærentia, et modo existendi tanquam pars incompleta; utrumque enim repugnat supposito, et consequenter ab illo excluditur, frustra ergo restringitur ad negationem unionis hypostaticæ. Deinde, quia subsistentia propria est aliquid naturale primo et per se, quin constituit aliquid ordinis naturalis, ergo non potest primo et per se consistere in negatione unionis hypostaticæ, quæ supernaturalis est, licet illam etiam includat, sicut in quacunque re naturali invenitur negatio rationis supernaturalis, non tamen ista negatione res naturales constituuntur primo et per se. Et urgetur amplius, quia vel ista negatio unionis hypostaticæ sumitur privative vel pure negative: si pure negative, non potest constituere personam, nam etiam accidentibus, imo et entibus rationis convenit negatio unionis hypostaticæ. Si privative solum convenit naturæ, ut capaci unionis hypostaticæ, solum autem est capax per potentiam obedientialem, ergo privatio etiam illi convenit secundum hanc capacitatem, ergo si per illam constituitur subsistentia naturalis, conveniet subsistentia naturalis secundum capacitatem obedientialem, quo nihil absurdius dici potest.

Denique, in Divinis dantur propriissime tres subsistentiæ et personalitates relativæ, quæ in quantum subsistentiæ, positivas realitates important, non tres negationes; et subsistentia Verbi univit sibi humanitatem loco propriæ subsistentiæ, non autem univit illam in aliquo negativo, sed in aliquo positivo, quod cum loco subsistentiæ creatæ positum sit, et suppleat id quod faceret subsistentia creata, si hoc facit positive terminando, etiam id faciet subsistentia creata.

Et hinc solvitur fundamentum Scoti; dicimus enim assumptam esse a Verbo omnem entitatem naturæ humanæ, et quidquid ad eam pertinet in ratione naturæ, non tamen quidquid pertinet ad modum naturæ terminantem illam non constituentem.

Quod si inquires: Quidnam sit hoc positivum, quod subsistentia addit supra naturam, respondetur, neque esse solam individuationem, seu individuales proprietates, nec solam existentiam, cum utrumque inveniatur in accidente, et singularitas etiam in humanitate Christi sine subsistentia, neque esse solam existentiam per se, ut opponitur inhærentiæ, quia sic invenitur in partibus sine incommunicabilitate; sed addit supra naturam terminum quemdam, seu, formalitatem substantialem excludentem modum inhærentiæ, et modum partis communicabilis, sicque reddit naturam terminatam, et incommunicabilem ulteriori termino, sicut etiam punctum terminat lineam positiva additione, et terminatione.

Est tamen dubium inter aliquos, an sit terminus existentiæ, vel naturæ. Quidam enim existimant terminare existentiam, et supponere illam, eique advenire, ut P. Vazquez tom. I, III, part. disp. XXXI, cap. VI, quod etiam debent affirmare, qui existimant existentiam non distingui ab essentia seu natura, sic enim adveniendo naturæ advenit existentiæ, in opposita autem sententia, quam legitimam esse D. Thomæ ostendemus art. IV, oppositum dicendum est, scilicet quod prius terminat subsistentia naturam, et ultimo advenit existentia tanquam primo, et per se conveniens supposito, et mediante supposito ipsi naturæ; hoc enim perpetuo docet D. Thomas, ut III part. quæst. XVII, articulo II, præsertim ad 2, ubi inquit: « Quod esse sequitur naturam non sicut habentem esse, sed sicut qua aliquid

est, hypostasim autem seu personam tanquam habentem esse, et ita magissumi unitatem ex unitate hypostasis quam dualitatem ex duplicitate naturæ. » Nec potest D. Thomam explicari, quod nomine ipsius esse intelligit ipsum subsistere, ut aliqui dicunt; cum enim affirmat, quod esse sequitur ad hypostasim, esset sensus, quod subsistere sequitur ad hypostasim, hypostasis autem et subsistentia idem sunt, sequeretur ergo ad se ipsum. Et ratio hujus sumitur ex doctrina D. Thomæ, III part. qu. II, art. V ad 1, quia subsistentia seu suppositum innascitur seu convenit naturæ ex ipsa conjunctione partium, ex qua præcise resultat totum ut completum, et terminatum; nam hoc ipso quod totum est, terminatum debet esse, nec ulteriori termino communicabile, existentia autem convenit ipsi toti, in quantum subjicitur actioni agentis, et causæ producenti, prius ergo ipsi naturæ convenit modus totalitatis, seu suppositalitatis, quam modus seu terminus existentiæ, quia ipsum totum existentia ipsa afficitur, et ei subjicitur, fieri enim proprium est suppositi, ut ostendit D. Thomas, I part. quæst. XLV, articulo IV, quia terminus generationis et creationis ut *quod*, est ipsum totum quod fit, forma autem est terminus ut *quo*, seu formalis, ejus autem est esse cujus est fieri, existentia autem non est aliud quam factum esse, et sic correspondet ipsi fieri : si ergo fieri non convenit naturæ ut subjecto *quod*, sed supposito, consequenter ut existentia sit in aliquo tanquam in subjecto *quod*, præsupponit subsistentiam et suppositum.

Nec hinc sequitur (quod Vazquez ubi supra deducit contra Cajetanum) prius natura esse constitutum et productum suppositum quam habeat existentiam, siquidem suppositum completur entitate illa reali, quæ est prior, quam ipsa existentia, id autem quod est prius, potest esse sine posteriori. Sed respondetur facile, instando hoc in ipsa natura, quæ est prior quam existentia, et tamen non potest produci natura, et existere sine illa. Quod si dicatur, non posse produci naturam sine subsistentia propria vel aliena, hoc idem dicam de natura subsistente, quod non potest produci sine existentia propria vel aliena, cum in sententia D. Thomæ natura existat existentia sui suppositi. Et universaliter instatur hoc in causis, quarum una est prior altera in causando, et tamen sine alia non potest existere, quia causæ ad invicem sunt causæ. Et denique in omni prioritate naturæ, quæ solum est prioritas in dependendo non in existendo, non valet illa consequentia : Hoc est prius altero, ergo potest existere sine posteriori; arguitur enim a prioritate naturæ, et *a quo*, ad prioritatem essendi, et *in quo*.

Multo minus urget, quod addit P. Vazquez, non posse explicari quid sit illa entitas, quæ complet suppositum, et qua de causa necessario sit ponenda. Respondetur enim, quod est terminus reddens naturam incommunicabilem et terminatam, sicut punctum reddit lineam terminatam, et tamen non superfluit in linea, nec est entitas inexplicabilis.

Necessario autem est ponenda, quia necessario est ponendum totum ipsa substantia completum, et incommunicabile; iste enim effectus formalis incommunicabilitatis in natura per se existens, ab aliquo debet provenire, non a sola natura, vel existentia, ergo a termino.

—

ARTICULUS II.

Quomodo actiones conveniant suppositis ?

Ex dictis colliges veritatem illius axiomatis apud Philosophos communis : Actiones sunt suppositum, quod negat P. Vazquez I tom. III p. d. XXI, c. III, eo quod Philosophus I Met. cap. I, solum dixit, quod actiones sunt singularium, id est, non versantur circa universalia, sed circa singularia. Cæterum Auctores non collegerunt hoc axioma solum ex illo loco, sed ex illo, adjuncto eo quod docet I de Anima, text. LXIV : « Quod anima non irascitur, neque ædificat, vel texit, sed homo, » ubi licet loquatur de anima, quæ est forma partialis, non de humanitate, quæ est forma totalis : hoc nihil obstat, neque est sufficiens responsio, licet tradatur a P. Vazquez, eadem enim ratio currit de anima, quæ solum est principium *quo* fiunt illæ actiones, et de humanitate seu forma totali, quia etiam ex modo significandi solum se habet ut *quo*, et consequenter prout concipitur sub ratione formæ, non magis potest illi attribui principium operandi quam ipsi animæ, neque enim ex eo, quod sit forma totalis, mutat modum essendi in ratione formæ, et per modum principii *quo*, ergo neque modum operandi. Et in hoc concordat Philosophus VII Met. text. XXVII, ubi probat formam non fieri, sed compositum, quia generatio solum est circa hoc aliquid, et individuum, ubi si loqueretur de individuo, prout singulare tantum, etiamsi non sit suppositum, nihil probaret, quia etiam forma sive totalis, sive partialis, aliquid singulare est, ergo per ly *hoc aliquid*, aliquid amplius intelligit Philosophus quam formam, et videri potest D. Thomas in I, dist. IV, q. I, art. VII ad 1, et III p. q. XIX, art. I ad 3, et q. XX, art. I ad 1, et q. III de Potentia, art. VIII, in fine.

Ratio autem est, quia operari sequitur esse, ergo illud quod solum significatur, ut forma et habens esse *ut quo*, non potest operari *ut quod*, sed hoc pertinebit ad suppositum, quod est habens esse et naturam.

Nec dici potest, quod hoc solum probant, quod subsistentia et suppositum solum concomitanter se habet respectu operationis, nec enim influit subsistentia, ut principium respectu operationis, alias ex mutatione subsistentiæ mutaretur operatio secundum substantiam, quia mutato principio non potest eadem permanere. Constat autem eamdem manere operationem mutato supposito, sicut in anima separata eadem intellectio et volitio, et in accidente separato eadem infrigidatio et calefactio, quæ in conjuncto, et si natura aliqua operans assumeretur a Deo, eadem operatio continuari posset, ergo talis modus subsistendi vel inhærendi pure concomitanter se habet ad operandum, ita quod licet per se requiratur ad constitutionem suppositi in primo modo per se, non tamen in quarto modo ad operationem.

Sed contra est, quia suppositum et natura vel ita comparantur inter se, quod utrumque est operans ut *quod*, vel utrumque ut *quo*, vel suppositum nullo modo operatur, sed sola natura, vel suppositum operatur ut *quod*, et natura ut *quo*. Si hoc ultimum dicatur, est nostra sententia. Si dicatur tertium, sequitur quod ad operationem omnino per accidens se habebit ratio suppositi vel subsistentiæ, et ita erit per accidens ista : Petrus ratiocinatur, vel ista : Ignis calefacit, sicut si diceretur : Album ædificat, vel Medicus currit; quod inconveniens videtur devorare

Vazquez, dum dicit, quod ita comparatur operatio ad rem existentem per se, vel in alio, sicut ambulare ad habentem caput nudum, aut coopertum : quod stare non potest, quia suppositum est per se habens naturam, et per se ens, ergo per se operans, quia unumquodque est propter suam operationem, ergo sicut subsistens est non per accidens, ita est operans non per accidens. Si dicatur primum, vel secundum, omnino est impossibile, quia in uno supposito non dantur duo operantia ut *quod*, alias darentur duo existentia ut *quod*, et sic non posset ex illis unum simpliciter et per se resultare, quia non subordinarentur inter se, unum ut *quo*, alterum ut *quod*, sed utrumque esset ut *quod*, unde alterum non constitueret tanquam principium *quo*, atque adeo neque alterum esset *quod*; ubi enim non est principium *quo*, neque resultat *quod*. Et similiter non potest se habere ut principium *quo*, tum quia suppositum est operans incommunicabiliter, et ut totum, non ut *quo*, tum quia omne principium *quo*, dicitur comparative ad principium *quod*, et sic non potest utrumque se habere ut principium *quo*.

Ad oppositam autem instantiam respondetur, quod subsistentia non influit ut principium operandi, sed ut terminans seu modificans ipsum principium, reddensque illud operativum ut *quod*. Et quando instatur, quod mutaretur operatio mutata subsistentia, respondetur, quod non mutatur operatio quantum ad quidditatem et speciem, neque enim pendet a principio formali. Ceterum quantum ad individuationem, si loco unius subsistentiæ ponatur, alia totaliter distincta, aut si daretur natura sine omni subsistentia propria vel aliena, sine dubio operatio esset alia numerice, quia esset aliud suppositum eliciens, vel subjectum, quod non contingit in accidente separato, quia non mutat individuationem, nec enim individuatur ab actuali inhærentia, sed ab ordine ad subjectum cui inhæret; substantia vero individuatur in se terminando hanc individuationem per subsistentiam, quæ per se requiritur ad constituendum subjectum seu operativum ut *quod* : anima autem separata similiter posset eamdem numero operationem immanentem spiritualem continuare separata et conjuncta, quia ex se habet esse principium *quod* operandi, sicut et essendi si separetur; aliunde tamen discontinuari solent istæ operationes propter dependentiam vel independentiam a phantasmatibus in intelligendo, et consequenter in volendo. Itaque actiones esse suppositorum, nihil aliud est quam subsistentiam per se conducere, ad hoc ut detur principium operativum ut *quod*.

ARTICULUS III.

An subsistentia in rebus compositis sit unicus simplex terminus, vel compositis ex pluribus subsistentiis?

Partem affirmativam tenent plures recentiores existimantes, quod in omnibus compositis, etiamsi formæ materiales sint, dantur partiales subsistentiæ correspondentes diversis partibus compositi. Quam sententiam tenet P. Suarez in Metaphys. disp. XXXIV, sect. V, et plures alii ipsum sequuntur. Hæc autem sententia tribuit subsistentiæ partes duplicis generis, alias quasi integrantes, quatenus res corporea, quæ subsistit, divisibilis et extensa est, et consequenter etiam subsistentia talium partium extensa est, et divisibilis : alias partes habet quasi essentiales, quatenus plures modi perseitatis vel subsistentiæ conjunguntur inter se, scilicet modus subsistentiæ materiæ, et modus subsistentiæ formæ, et faciunt unam subsistentiam compositam mediante unione. Sed tamen non omnes vocant istos modos subsistentias, sed solum modum materiæ, eo quod est incommunicabilis alteri subjecto, et modum animæ rationalis, quæ per se separata esse potest : modum autem formæ materialis non dicunt esse subsistentiam, eo quod neque separata esse potest, neque incommunicabilis est subjecto, scilicet materiæ.

Et fundamentum pro prima parte, scilicet quod subsistentia rei corporeæ habeat partes integrales, ex eo deducitur, quia ipsa substantia eas habet, et tales partes substantiæ habent aliquem modum essendi, non per modum inhærentiæ et communicationis accidentalis, ergo per modum subsistentiæ partialis, siquidem habent negationem inhærentiæ, ratione cujus dicuntur habere subsistentiam, et habent communicationem substantialem, ratione cujus partialis est. Et ex eodem fundamento ostenditur materiam habere subsistentiam, quia habet incommunicabilitatem ad alterum subjectum, ergo perseitatem in existendo, est enim extra causas cum incommunicabilitate, quod pertinet ad rationem subsistendi.

Denique, hoc urgetur duplici exemplo. Alterum est animæ rationalis, quam habere subsistentiam perspicue docet D. Thomas I p. q. LXXV, art. II, et de se constat, quia per se potest esse separata, et tamen non subsistit complete, alias esset persona et suppositum, non forma. Unde ibidem ad primum distinguit D. Thomas de subsistente completo, vel incompleto, et primum negat animæ, secundum ei attribuit, ergo datur subsistentia non completa, et sic non repugnabit idem concedi in materia, et aliis partibus. Probatur consequentia, quia etiam materia habet suam incommunicabilitatem et independentiam a subjecto, ergo habet conditiones subsistentiæ saltem incompletæ; et præsertim constat, quod anima non habet subsistentiam integram hominis, sed dimidiam seu incompletam, homo autem ex anima constitutus habet completam, et integram; ergo alteram medietatem sumere debet ex alia parte, scilicet ex materia, et sic materia debet subsistere incomplete componendo integram subsistentiam. Secundum exemplum est in unione Verbi Incarnati, siquidem assumpsit humanitatem mediantibus partibus, ita quod partes prius fuerunt assumptæ via executionis quam tota natura, ut S. Thomas docet III part. quæst. VI, art. V ad 1, ergo partes humanæ naturæ aliquam habent subsistentiam. Patet consequentia, quia quidquid est assumptibile ab unione hypostatica, est capax subsistentiæ; subrogatur enim subsistentia Divina, loco propriæ, ergo si partes sunt assumptibiles, sunt unibiles subsistentiæ loco propriæ, remota ergo assumptione propriam habent, id est, partialem.

Nihilominus opposita sententia ut communior, ita verior est. Eam communiter defendunt Thomistæ, et videri potest Cabrera, Alvarez, Nazarius, aliique interpretes D. Thomæ ad III, p. quæst. II, et P. Vazquez III p. disp. XXXII, cap. II, et sequent. Sumiturque ex D. Thoma qui perpetuo negat subsistentiam seu hypostasim convenire partibus, seu toti, ut in III p. quæst. II, art. II ad 3, et art. III ad 2, et I p. quæst. XXXIX, art. I. Videri etiam potest in III, distinct. VI, quæst. I artic. I ad 4, et ibidem ad Annibaldum, distinct. VI, quæstione unica, art. I ad 1, ubi in-

quit : « Ad illud quod objicitur, quod omnis substantia particularis potest dici hypostasis, dicendum est, quod hoc intelligitur de substantia particulari, quæ est in genere substantiæ per prædicationem; non per reductionem, id est, de eo quod perfecte participat naturam generis sicut ens completum in illo genere, quale non est pars substantiæ, non enim genus substantiæ prædicatur de manu, quamvis substantia secundum quod dividitur contra accidens de ipsa prædicetur, et secundum hoc duæ substantiæ particulares in Christo non sunt. » Item in opusc. XLVIII, tract. de Substantia, cap. II : « Sciendum, inquit, est quod substantia dividitur in formam, materiam, et compositum; materia enim non dicitur proprie esse per se, cum non habeat esse nisi per formam, similiter etiam forma non dicitur esse per se, cum solum habeat esse in materia. Compositum autem proprie dicitur esse per se; et dico compositum scilicet integratum ex suis partibus, licet enim partes integrales sint compositæ, non tamen dicuntur proprie esse per se; compositum enim directe est in prædicamento, ut Boetius in comment. prædicam. dicit, licet etiam posset dici, quod forma et materia et partes integrales sunt per se, quia non sunt in alio sicut accidens in subjecto. » Ita D. Thomas. Ubi tota difficultas resolvitur, solum distinguendo substantiam positivam a præcisa negatione existendi in alio ut accidens. Et hoc secundum attribuitur partibus, non primum, sed solum toti.

Et hoc est fundamentum hujus sententiæ ex ipsa natura subsistentiæ, quæ non dicit solum modum per se negativum, id est, carere inhærentia seu modo accidentis, hoc enim etiam humanitati Christi convenit non a Verbo, et tamen subsistentiam non habet nisi a Verbo. Neque ista negatio sola est subsistentia partialis; tum quia est negatio imbibita in ipsa natura substantiæ, ut opponitur accidenti, non modus superadditus; tum quia est communis toti et partibus et etiam formæ materiali, cui tamen oppositi Auctores negant subsistentiam; tum denique, quia subsistentia partialis componit totalem, istæ autem negationes inhærentiæ non componunt negationem totalem, nec subsistentiam totalem; totalis enim positivus modus est. Subsistentia ergo partialis debet esse positiva. Et sic ultra modum per se ut opponitur accidenti, debet importare rationem termini, et incommunicabilis, qui est modus proprius totius, ut distinguitur a parte; nec subsistentia aliunde nobis innotescit, quam ex ipsa ratione ultimi termini naturæ, constat enim totam humanitatem fuisse unitam Verbo, non ut parti vel constitutivo naturæ, sed ut termino naturæ jam plene constitutæ, ergo nulla restat nobis ratio ponendi hunc modum subsistentiæ in partibus, si quidem partes nondum supponunt naturam plene constitutam, et consequenter nondum induunt rationem termini et incommunicabilis, qui est proprius totius et extra constitutiva naturæ. Dicere autem quod habeat quælibet pars suum modum existendi per modum termini, sed non ultimi, in primis hoc est contra rationem termini, qui de se ultimationem dicit : deinde contra rationem subsistentiæ, quia si totum principium indagandi illam est ex ratione terminationis, quæ supervenit naturæ jam constitutæ nulla nobis restat ratio attribuendi illam partibus per modum termini partialis et non ultimi, in quibus nondum invenitur tota natura constituta, et abutimur nominibus, vocando terminum id quod rationem et officium termini non exercet, scilicet ultra non communicari nec transire, pars enim ut pars communicatur, non ultimo terminatur.

Denique, si semel partes ponuntur habere partiales subsistentias, etiam partes integrantes illas habebunt, neque enim est major ratio de illis, quæ sunt compositæ ex materia et formâ, quam de materia vel forma seorsum, sed in uno continuo sunt infinitæ partes divisibiles, ergo erunt infinitæ subsistentiæ. Et si dicatur habere infinitas subsistentias in potentia et unam finitam in actu. Ergo jam illa subsistentia unica actuat totam illam entitatem divisibilem partium non designatarum, ergo jam plures partes subsistunt unica actuali subsistentia, quæ convenit parti aliquotæ seu designatæ; ergo si talis pars aliquota separetur a toto manebit cum unica subsistentia. Cur ergo similiter totum habens plures partes aliquotas, et designatas non poterit unica subsistentia simplici per modum ultimi termini eas comprehendere? Quod si plures partes integrales non habent plures subsistentias, cum tamen sint capaces divisionis, qua fiant integralia tota, cur materiæ et formæ non sufficiet unica subsistentia? Omitto non bene intelligi, quomodo illæ partiales subsistentiæ componunt subsistentiam totalem, cum non se habeant per modum potentiæ et actus, sed omnes sint termini homogenei, et ejusdem rationis, et sic non apparet quomodo componant modum subsistentiæ totalis, tanquam per se unum.

Solvuntur argumenta.

Ad fundamenta opposita. Ad primum de partibus integralibus respondetur, quod habent per modum essendi dependentis a toto et abjusesse et subsistentia, et sic non habent in se subsistentiam partialem, sed partem componentem totum quod subsistit; negatio autem inhærentiæ, quam habent illæ partes, facit quidem quod sint partes vel formæ substantiales, sed non subsistentes; non enim sufficit ad subsistentiam quodcumque substantiale, vel sola negatio inhærentiæ, ut dictum est.

Ad secundum respondetur, quod materia prima habet incommunicabilitatem ad ulterius subjectum, non per modum totius completi, sed per modum principii potentialis : est tamen materia communicabilis formæ ad constituendum totum, unde non habet omnem incommunicabilitatem, quæ requiritur ad subsistentiam, quæ est per modum termini supponentis totam naturam constitutam, et sic ulterius non se communicantis ad constituendum, quod non convenit materiæ. Denique, subsistentia est terminus incommunicabilitatis in ipsa existentia, seu esse, materia autem non habet existentiam seorsum a toto, ut supra ostendimus; ergo caret subsistentia.

Ad primum exemplum adductum de anima rationali dicitur, quod anima rationalis non habet subsistentiam, de qua loquimur in præsenti, qui est terminus ultimus et hypostaticus, sed solum habet subsistentiam, quantum ad rationem existentiæ per se sine dependentia a toto; et sic ex duobus officiis, quæ habet subsistentia, scilicet terminare naturam, et reddere existentiam independentem, ut distinguit S. Thomas in quæstione de Anima, art. I, non convenit animæ subsistentia quantum ad primum officium, sed quantum ad secundum, quod sine subsistentia haberi potest, ut apparet in accidente separato, quod sine subsistentia exis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tit extra subjectum. Quare anima humana non habet subsistentiam, quæ compleat et constituat suppositum, etiam quando est separata, quia adhuc est communicabilis et unibilis ut dicit S. Thomas I p. q. XXIX, art. I ad 5. Ex hoc ergo quod anima habeat capacitatem ad existendum per se sine corpore, non sequitur quod in materia et aliis partibus, quæ nec habent esse per se, nec naturam completam, detur talis subsistentia partialis; id enim quod in anima habet officium subsistendi quantum ad existentiam per se, non est subsistentia partialis, sed ipsa existentia animæ, quæ in ipsa est per se, et communicatur materiæ, et toti composito, ut docet S. Thomas I p. q. LXXVI, art. I ad I, et I-II, q. IV, art. IV, ad 2. Et sic salvatur unica existentia in toto homine, non solum derivata a forma, ut a principio quo existendi, sed in se prius existente independenter a toto. Bene verum est quod Cajetanus I p. quæst. LXXVI, art. I, circa solutionem ad 5, et quæst. XC, art. II, tenet, quod anima in corpore etiam subsistit, ut *quod*, sed oppositum ex Ferrariensi docet Banez super illam quæstionem LXXVI, articulo I, et significatur a Div. Thoma in IV ad Annibaldum, distinct. XII, quæstione unica, art. I, ad 3. « Quod anima quamdiu est in corpore, subsistere convenit ei aptitudine, non actu. » Revera enim hoc quod habet anima, ut *quod*, non est substitentia terminativa et hypostatica etiam partialiter, sed solum est existentia independens a corpore, sicut esse accidentis separati a toto, non tamen est subsistentia ut *quod*, per modum complementi naturæ. Et hac ratione D. Thomas q. XC citata, artic. II ad. 2, dicit, quod anima habet esse subsistens, id est, esse independens, non tamen subsistens quantum ad complementum naturæ, et sic non subsistit ut *quod*; sed ut *quo*, subsistentia proprie et adæquate dicta, quæ est modus non solum existendi per se, sed terminative et incommunicabiliter, qua ratione etiam hic Deus remotis relationibus non subsistit, licet per se existat, et non sit pars, et hac ratione vocatur subsistentia absoluta.

Ad id vero, quod additur in argumento, quod si anima non habet completam subsistentiam, ergo id *quod* deest, sumitur ex materia, respondetur, quod anima non habet completam, nec incompletam subsistentiam, quæ per additionem alterius compleatur, subsistentia enim totius ut est modus incommunicabilitatis naturæ, non ex pluribus subsistentiis componitur, sed ex unione animæ et corporis resultat, quæ solum se habent ut principia subsistendi totaliter, non ut res subsistentes etiam partialiter, sumendo subsistentiam pro termino complementi naturæ, non pro esse existentiæ independentis tantum.

Et si dicas: Si anima humana habet esse totius, et ipsius materiæ, cui communicat, ergo pereunte homine non perit esse hominis et per conjunctionem animæ et corporis non fit esse hominis, respondetur, quod perit esse hominis, ut hominis, non ut animæ, sicut si Verbum dimitteret humanitatem, non amitteret esse Verbum, sed amitteret esse hominem, et communicationem ipsius esse, et sic esse hominis est esse animæ non absolute, sed ut communicatæ corpori. Et quando fit homo, non fit aliud esse ab anima, sed illud esse quod est animæ, fit esse totius conjuncti, ut dicit S. Thomas in I, dist. VIII, q. V, articul. II, ad 2.

Ad secundum exemplum de unione Verbi respondetur, varias esse Theologorum sententias in explicando quomodo Verbum prius fuerit unitum partibus, quam toti. In sententia autem S. Thomæ est certum, quod immediate fuit unitum toti humanitati via intentionis, ut constat ex III p. quæst. VI, art. V. Quando autem dicit, quod Verbum prius assumpsit partes in via operationis, non est sensus, quod prius assumpsit ipsas partes de facto terminando illas, et deinde totum, sed quia pro aliquo priori partes ordinantur ad totum, non quidem in facto esse præexistendo aut subsistendo, sed componendo totum, cui subsistentia convenit, ideo dicitur assumptio partium esse prior via operationis, quatenus pro illo priori ordinantur ut *quo* ad subsistendum in toto, in quo manent assumptæ. Unde dicit D. Thomas in III, distinct. II, q. II, art. I, quæst. III: « Quod partes sunt priores toto originaliter constituentes ipsum, et sic mediantibus partibus assumpsit totum, in quantum partes originaliter humanam naturam constituunt. » Quare unico verbo dicimus, quod partes prius sunt assumptæ ut *quo*; non ut *quod*, sicut nec ipsæ partes subsistunt nisi ut *quo*, id est, ut id *quod* componitur totum quod est subsistens, personalitas autem Verbi subrogatur loco subsistentiæ eo modo unicuique conveniens, sicut propria subsistentia conveniret, si ibi adesset; quia tamen anima ita est principium constituens ut *quo*, ipsum totum, quod etiam in se potest existere separata a toto, licet semper se habeat ut pars unibilis, ita ex vi illius assumptionis datur ei, quod etiam separata a corpore maneat unita Verbo, quantum ad modum essendi independentem a toto, non quia existat per modum personæ.

Quod si instes: Anima separata mansit unita Verbo; ergo illa unio præbet ei aliquam subsistentiam; ergo signum est, quod anima de se habet illam, siquidem subrogatur loco propriæ, ea quæ est Verbi, licet partialiter, respondetur manere animam unitam Verbo, non per modum termini ultimo incommunicabilis, sic enim esset persona completa subsistens, defectu cujus etiam facta separatione Verbum non dicitur anima per unionem ad ipsam, sicut per unionem ad humanitatem dicitur homo, eo quod Verbum non unitur nisi per modum personæ et suppositi: et sic non dicimus quod Verbum est anima, bene tamen quod Verbum est homo. Unio ergo illa non est ad Verbum, ut importat subsistentiam, prout exercet officium termini incommunicabilis, sed ut exercet officium habendi esse independenter, licet communicabiliter ad materiam; hoc enim etiam largo modo dicitur subsistentia, licet non ita proprie, ut S. Thomas docet I par. quæst. LXXV, art. III supra citato, et aliis locis: unde tale esse independens suppleri potest per immediatam unionem Verbi, quod tamen non potest fieri in accidente separato, quia ex se non habet esse independens, sed sustentatur a Deo extra subjectum efficienter vice subjecti non terminative, et ideo ad terminum subsistentem assumi non potest.

ARTICULUS IV.

Utrum existentia distinguatur a parte rei ab essentia, seu composito?

Celebris est ista controversia ab antiquis temporibus, in qua valde Authores dissentiunt. Nam Durandus in I, dist. VIII, q. II, sentit existentiam ratione tantum distingui ab essentia, quem ex recentioribus sequuntur P. Suarez disp. XXXI Met. sect. IV, et seqq. Vazquez III p. q. XVII, art. II, disp. LXXII, capite ultimo,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Arrubal I p. q. III, disp. X, cap. I, et alii.

At vero Scotus in III, dist. VI, q. I, existimat distingui quidem existentiam actualem ab essentia ex natura rei, distinctione tamen formali, non reali. Quid sit autem distinctio formalis ex natura rei apud Scotus explicavimus in Logica, q. III.

Communis autem Thomistarum sententia, aliorumque plurium sentit, existentiam actualem distingui ab essentia a parte rei. De qua sententia videri potest Cajetanus de ente et essentia, q. XI; Ferrariensis II contra Gentiles, cap. LII; Capreolus in II, dist. XIII, q. I, art. III, et communiter omnes interpretes D. Thomæ ad primam partem, quæst. III, et in part. quæst. XVII, articulo II. Et præterea sequuntur hanc sententiam Conimbricenses II Physicorum, cap. III, q. III, artic. I; Itubio I Physicorum, tract. de materia, q. II; Molina I p. q. III, art. IV, disp. II, aliique plures.

Videtur autem tota dissensionis origo in hac parte ex eo provenire, quia diversimode considerantur ea, quæ ad existentiam pertinent. Nam ex una parte existentia habet pro effectu formali ponere rem extra causas, et extra nihil, quod est transferre de statu possibili ad statum actualem. Unde si condistinguatur existentia ab essentia, essentia remanet nihil, et consequenter non datur extremum reale sine existentia a quo realiter distinguatur. Ex alia vero parte existentia, quando convenit essentiæ, accidentaliter illi convenit, ita quod est prædicatum extra conceptum omnium prædicatorum essentialium, qua ratione fundat Scotus quod distingui debet existentia ab essentia formali distinctione, quatenus unum in re non est de conceptu alterius. Et ulterius alii fundant distinctionem a parte rei, quia taliter existentia est extra conceptum naturæ, quod nec est prædicatum illius essentiale, nec in aliquo tertio constituendo essentialiter convenit: sed constituit statum quemdam, qui omni naturæ creatæ, etiam postquam producta est accidentaliter, et contingenter convenit: hæc enim est accidentalis propositio: Petrus existit, ergo talis existentia aliquid distinctum est a parte rei ab ipsa re, quæ existit, ita quod quando res producitur, necessario exit ipsa entitas cum modo vel realitate superaddita, quæ existentia, sicut substantia exit cum modo vel realitate superaddita, quæ est subsistentia, et tamen sine subsistentia substantia ipsa nihil est, sed intra statum possibilitatis manet. Et fere omnia quæ contra distinctionem existentiæ adducuntur, instantur in distinctione subsistentiæ et naturæ, quas tamen a parte rei distingui ex fide colligimus, et similiter in materia et forma, quas constat distingui a parte rei, et tamen una sine altera non potest dari in rerum natura.

Sit ergo unica conclusio: In sententia D. Thomæ et vera existentia in rebus creatis distinguitur a parte rei ab essentia. De mente S. Thomæ non videtur posse dubitari, nam in primis sub his terminis distinctionis realis affirmatur ab ipso in opus. XLVIII, tract. de substantia, c. II, ubi inquit: « Esse essentiæ, et esse actualis existentiæ differunt realiter ut duæ diversæ res. » Et in opus. XV, c. VIII, inquit: « Quod in quocunque præter primum est potentia receptiva hujus actus, quod est esse. » Et postea subdit: « In substantia composita ex materia et forma invenitur duplex ordo, unus quidem ipsius materiæ ad formam, alius autem ipsius rei jam compositæ ad esse participatum, non enim est esse rei, nec forma ejus, nec materia, sed aliquid adveniens rei per

formam. » Præterea ubicunque tractat D. Thomas de esse Dei et creaturarum ostendit, quod in Deo non differt esse et essentia, in Angelis autem et quacunque creatura differt esse et essentia, ut I part. q. III, artic. IV, et II contra Gentil. cap. XXV, et quæst. VII, de poten. artic. II, et aliis locis et similiter, quod sit compositio ex ipso esse et essentia, tanquam ex potentia et actu. Constat autem manifeste, quod potentia recipiens et componens cum aliquo non potest esse potentia objectiva, seu possibilitas rei in statu possibilitatis, quia hæc nec recipit, nec componit cum actu, sed tollitur per actum. Sic autem affirmat D. Thomas loquendo de Angelis et aliis creaturis I part. quæst. L. artic. II, ad 3 et 4, et quæst. LIV, art. III, in corpore, et in II, distinct. III, q. I, artic. I, et ibidem ad Annibaldum quæst. I, artic. I, in fine corporis, ubi concludit: « Quod natura seu substantia Angeli est aliud quam ejus esse; » et similiter in libro de ente et essentia, cap. V et VI, et II contra Gentiles, c. LII et LIII, et quodl. II, art. III et IV.

Sed ad hæc duo respondent Authores oppositi. Primo, quod S. Thomas sumit existentiam pro subsistentia, quando distinguit illam a natura. Secundo, quod loquitur de compositione rationis, non reali, quam compositionem dicunt versari inter ens possibile, et existentiam, per quam reducitur possibilitas ad actum.

Utraque tamen solutio aliena est a sensu Div. Thomæ. Nam prima satis indigne sentit de proprietate et formalitate loquendi Div. Thomæ, quomodo enim intelligi potest, quod in tam multis locis perpetuo agens D. Thomas de existentia et essentia, sumat semper existentiam pro subsistentia, et ita nihil nobis declaret de ipsa difficultate, quam inquirebat, scilicet de existentia, divertendo ad id quod non inquirit, scilicet de subsistentia; præterquam quod generaliter loquitur Div. Thomas de quacunque creatura præter Deum, sive sit subsistens, sive non: in natura autem quæ non subsistit, hæc solutio stare non potest. Deinde, tanquam distinctas difficultates proponit et resolvit D. Thomas distinctionem subsistentiæ a natura, et distinctionem existentiæ ab eadem, ut agendo de Deo I p. in q. III, in art. III, et in art. IV de Angelis, II contra Gent. c. LII et LIII et LV, quodl. II, art. III et IV, et in II, dist. III, q. I, art. I et II, ergo non sumit D. Thomas pro eodem subsistentiam et existentiam, cum proponat tanquam distinctas difficultates distinctionem existentiæ in uno articulo et subsistentiæ a natura in alio. Præterea quia Div. Thomas sæpissime dicit, quod forma subsistens recipit esse, et est potentia ad existentiam, ergo nomine existentiæ non intelligit subsistentiam, alias esset sensus, quod forma subsistens esset in potentia ad subsistentiam, et reciperet illam, quod est battologia, et antecedens constat, nam I p. q. X, art. II ad 3, inquit: « Subtracta materia, et posito, quod ipsa forma subsistat in natura, adhuc remanet comparatio formæ ad ipsum esse, ut potentiæ ad actum, et talis compositio intelligenda est in Angelis: » et opusc. XV, c. VIII, inquit: « Quod forma subsistens non est non ens, sed actus, qui est forma participativa ultimi actus, qui est esse. » Ac denique III p. q. XVII, art. II, et quodl. IX, art. II, dicit: « Quod esse pertinet ad naturam, et ad hypostasim seu subsistentiam, et quod naturæ convenit ut quo supposito autem ut quod; » ergo nomine existentiæ seu esse, non intelligit ipsam subsistentiam, alioquin esset sensus quod subsistentia convenit subsis-

tentiæ, seu hypostasi ut *quod*, quo nihil absurdius.

Contra secundam autem solutionem primo instatur, quia hæc compositio inter rem possibilem et existentiam non est compositio in facto esse, sed solum in fieri, quatenus sit transitus ab esse possibili ad esse actuale, nam in facto esse satis constat, quod non manet ens in statu possibilitatis, sed extra illum, unde si in facto componeret, jam non esset compositio ex ente possibili, sed ex ente posito extra talem statum, status enim ille tollitur, quando res est sub existentia. At D. Thomas ponit in Angelis compositionem ex natura seu forma subsistente, et existentia seu esse, ut patet in I part. quæst. L, articulo II ad 3, contra Gentiles, cap. LV, quæ compositio in Angelis datur in facto esse, cum in facto esse natura Angeli non sit suum esse, nec sua existentia; ergo non est compositio tantum ex ente possibili et existentia. Præterea in II contra Gent. cap. LVI, dicit: « Quod in Angelo modo non est potentia ad non esse, quia substantia completa est proprium susceptivum ipsius esse, proprium autem susceptivum alicujus actus ita comparatur in potentia ad actum illum, quod nullo modo est in potentia ad oppositum, sicut ignis non est in potentia ad frigus, sed ad calorem, et in ipsis compositis non est potentia ad non esse, nisi ratione materiæ. » Ex quo fit evidens argumentum, nam substantia Angeli considerata in statu possibilitatis non potest dici, quod sit solum in potentia ad esse, ut proprium susceptivum illius, non autem in potentia ad non esse, cum in illo statu sit indifferens ad esse, et non esse, et de facto quamdiu durat ille status, datur sub non esse, modo autem dicit Div. Thomas quod non est in ejus substantia potentia ad non esse, ergo illud quod modo componit cum existentia apud D. Thomam non est ipsa natura sub statu possibilitatis, quia hoc est indifferens ad esse et non esse, et in potentia ad non esse.

Supposito ergo hanc esse mentem Div. Thomæ, fundamentum ejus ad duo tantum capita reducitur. Primum est, a priori explicando radicem seu causam, unde aliqua dicantur distingui a parte rei. Secundum sumitur ex solutione oppositæ difficultatis, ostendendo quomodo existentia, etiamsi distincta sit ab essentia, possit effectum suum formalem præbere et extra causas seu extra nihil constituere.

Et quantum ad primum, radix et fundamentum distinctionis a parte rei, quando nobis aperte non innotescit ex ipsa separatione extremorum, quæ est manifestissimum signum distinctionis rerum, solum restat indagandum et probandum ex ipsa exclusione conceptus unius a conceptu alterius, ita quod aliquid totaliter sit extra conceptum et quidditatem alicujus, et tamen realiter illi conveniat et adjungatur. Et explicatur in hunc modum. Quotiescunque aliquod prædicatum reale et positivum ita convenit alicui, quod nec est illi essentiale, nec cum eo intrat constitutionem, et essentiam alicujus tertii, nec eadem forma provenit, sed a principio totaliter extrinseco, impossibile est quod non fundet aliquam distinctionem a parte rei respectu ejus cui sic convenit, sed existentia hoc modo se habet respectu essentiæ, ergo distinguitur ab illa a parte rei. Major probatur, quia ea quæ sic se habent carent omni principio identificationis realis, nec poterit instari in aliquo prædicato reali et positivo, quod identificetur cum altero, et non sit de conceptu illius, vel de conceptu et quidditate alicujus tertii, vel ab adeem forma proveniat et non a

principio extrinseco, nisi forte identificetur cum alio ut modus cum re, qui tamen modaliter distinguitur, et a parte rei, modo autem solum intendimus existentiam plusquam ratione distingui ab essentia, sive sit modus sive res. Etenim quod solet adduci de prædicato generico et differentiali, v. g. animal et rationale, quod rationale accidit animali et est extra conceptum illius, et tamen a parte rei identificantur, nihil obstat, nam rationale et animal, licet unum non sit de conceptu alterius, utrumque tamen est de conceptu alicujus tertii quod constituunt, scilicet hominis et ab eadem forma proveniunt, id est, ab eademanima; et ut optime notavit S. Thomas quodlib. II, art. IV ad 1, dupliciter aliquid accidit alicui, uno modo ut determinativum alicujus principii essentialis, licet in ejus definitione non cadat, sicut rationale accidit animali; alio modo, quia nec est de ejus definitione, nec determinativum alicujus principii essentialis sicut albedo accidit homini, et hoc modo dicit, quod esse accidit rei, quia est extra rationem speciei cum omnibus prædicatis quidditativis. Unde etiam non valet instantia de actione et passione, quæ identificantur cum motu, et tamen unum non est de conceptu alterius; hæc enim identificantur, quia ab eadem forma proveniunt, scilicet a motu, seu a re, quæ est in fieri et tendentia; præterquam quod actio et passio licet identificentur in eadem realitate, tamen distinguuntur a parte rei tanquam duo modi, ergo ex hac instantia non infertur, quod existentia non distinguatur a parte rei ab essentia, saltem ut modus.

Restat ergo probare minorem, scilicet quod existentia respectu essentiæ sit prædicatum reale, carens omni principio identificante illam cum essentia. Quod enim sit prædicatum reale, et conveniens physice ipsi rei, manifestum est, quia ejus effectus formalis est rem esse extra nihil et extra causas, hoc autem est maxime aliquid reale et physice conveniens, quia physice res ponuntur extra causas, et producuntur ab illis. Quod vero careat omni principio identificante ipsam existentiam cum essentia, inde constat, quia semper est accidentale prædicatum physice, et in re, nec potest convenire alicui rei tanquam prædicatum essentiale, nec ut dimanans necessario ab ipsa essentia, nec ut constituens essentialiter aliquod tertium, cui conveniat, quia alias alicui rei creatæ et productæ conveniret existentia necessario, et tanquam prædicatum æternæ veritatis, cum tamen hæc prædicatio: *Petrus existit*, nunquam possit verificari ab æterno. Solum ergo convenit existentia alicui rei mediante participatione ipsius agentis, et sic non habet principium identificationis, quia non convenit rei ex aliquo principio intrinseco, sed ex aliquo extrinseco, nempe ex ipsa productione agentis; existentia enim est ipsa productio in facto esse, seu ipsum poni extra causas; ergo oportet quod in ipsa re producta, et inveniatur entitas, cui convenit existentia, et ipsa formalitas existentiæ tanquam accidentale prædicatum, et ipsi essentiali constitutivo extrinsecum.

Sed dices: Hoc prædicatum accidentale non identificari cum entitate, ut possibili, et sub statu possibilitatis, seu distingui ab ea tanquam ens et non ens. Cæterum rei productæ, et extra causas positæ non potest convenire existentia tanquam prædicatum extrinsecum, implicat enim intelligere rem productam, et non actu extra causas; quidquid ergo superaddi ponatur, jam invenit rem existentem. Et instatur

illa consequentia, convenit aliquid accidentaliter alicui, ergo distinguitur ab illo a parte rei, tum in prædicato differentiæ respectu generis, nam animali accidentaliter convenit rationale, et tamen non distinguitur a parte rei ab illo; tum in ista prædicatione: Vas est ligneum, vel aureum, quod est prædicatum accidentale, seu quinti prædicabilis, et tamen non distinguitur realiter ab ipso subjecto, nam substantia vasis non distinguitur ab ipso auro, vel ligno; ergo similiter nec essentia et existentia; tum etiam quia sine additione novæ realitatis, per hoc solum, quod res est subjecta agenti et ejus productioni, dicitur existens; tum denique, quia si nostra ratio aliquid probat, etiam probat quod existentia est accidens prædicamentale respectu substantiæ, cum superveniat illi tanquam forma distincta, hoc autem est impossibile, quia accidens supponit subjectum, cui convenit esse existens.

Sed contra primam instantiam roboratur argumentum, quia res quæ transit de statu possibili ad statum existentiæ, seu de non esse ad esse, non solum accidentale prædicatum et extrinsecum accipit respectu status possibilitatis, seu ipsius entis, ut transeuntis de non esse ad esse, sed etiam respectu ipsius rei jam productæ, ita quod de ipsa verificatur existentia in facto esse tanquam prædicatum non essentiale, nec per se connexum. Et ratio est manifesta, quia hoc, quod est existere in facto esse, de aliquo subjecto verificatur accidentaliter seu non essentialiter, et non de ipsa re sub statu possibilitatis, sic enim existentia in facto esse est prædicatum illi oppositum; de re enim intra causas et in statu possibili non verificatur, quod sit extra causas seu existens; ergo verificatur hoc prædicatum existere solum de re extra possibilitatem considerata et posita, et tamen de tali re verificatur accidentaliter, et tanquam prædicatum non per se connexum cum illa: ergo perperam dicitur, quod existentia in facto esse est accidentale prædicatum, et distinctum, seu extrinsecum respectu rei producibilis, seu possibilis, non respectu rei productæ. Nec instari potest in hoc prædicato mortuum, quod etiam accidentaliter alicui subjecto convenit, et non viventi, quia illi repugnat; ergo cadaveri, et tamen cum illo identificatur. Nam contra est, quia mortuum pro morte in facto esse non est prædicatum accidentale sicut existere in facto esse, eo quod mortuum opponitur vitæ essentiali, et illam tollit, et sic essentiale est cadaveri, existere autem naturam non constituit, nec tollit, sed extra causas præcise ponit.

Contra secundam vero instantiam manifeste urgetur illa consequentia; nam quod attinet ad animal et rationale, jam dictum est quod licet rationale accidat animali, quia potest dari animal sine illo, tamen tunc solum identificantur, quando inveniuntur in aliquo tertio, quod essentialiter constituunt, ita quod ab eadem forma proveniunt; at vero existentia non potest essentialiter convenire, neque ipsi entitati essentiæ, nec alicui tertio, quod essentialiter constituat, cum nullu rei creatæ essentialiter conveniat existentia, nec ab eadem forma potest provenire, cum forma non sufficiat dare existentiam se sola, sed mediante productione agentis, quod ita producit formam, quod etiam superaddit existentiam tanquam quid distinctum. Illud autem exemplum illis prædicationis: Vas est ligneum, magis stat, pro nobis, quia vas non dicit solum lignum; de ligno enim male prædicaretur, quod est ligneum, sed dicit lignum cum forma artificiali, quæ est realiter distincta, et sic ratione illius, seu respectu illius prædicatio redditur accidentalis, similiter ergo si esse existens est accidentale prædicatum aliquam formam distinctam supponit, ratione cujus accidentale sit.

Tertium etiam exemplum non est ad, rem quia rem subjici agenti, et esse productam in facto esse non est denominatio extrinseca sed intrinseca in ipsa re producta, nihil enim dicitur existens, seu productum in facto esse id quod non est in se, ut intrinsece denominans, sicut esse visum, in se enim existit quidquid existit, nec sufficit sola relatio dependentiæ ab agente, quia rem esse existentem non est effectus formalis relativus, sed absolutus, nec ipsimet relationi convenit ut *ad*, sed ut *in;* ergo esse productum, seu existens non est sola extrinseca subjectio ad agens, sed aliquid intrinsece denominans, quo dicitur res producta in se actu esse.

Denique ad ultimum dicitur, quod existentia non est accidens prædicamentale, ut sensit Molina supra citatus, existimans, quod est duratio de prædicamento *quando*. Sed quod non sit accidens inhærens satis probat argumentum contrarium. Et ideo dicimus, quod existentia est terminus, seu formalitas reductive pertinens ad entitatem, quæ existit, sicut subsistentia non est accidens, sed terminus, seu modus substantialis distinctus a substantia, et similiter unio in multorum sententia.

Secundum fundamentum consistit in explicatione hujus distinctionis existentiæ ab essentia, quia videlicet necesse est, quando aliqua res producitur cum aliquo superaddito produci, quod est existentia, sed hoc melius explicabitur in solutione argumentorum.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur: Quia impossibile est existentiam recipi realiter in ipsa essentia; ergo impossibile est quod existentia distinguatur realiter ab essentia. Consequentia probatur, quia si realiter distinguitur, et tamen reddit essentiam existentem, oportet quod recipiatur in essentia, sicut forma in subjecto; ergo si non potest recipi, non potest distingui. Antecedens vero constat, quia essentia ut condistincta ab existentia est nihil, et non extra causas, cum per ipsam existentiam extra causas ponatur; ergo non potest realiter recipere aliquid a se distinctum. Nec valet dicere, quod ad recipiendum non prærequiritur existentia in recipiente, sed sufficit quod in re nunquam detur sine illa: et sic est in præsenti, quia essentia in re semper habet adjunctam existentiam, licet distinctam a se, sicut materia recipit formam tanquam distinctam a se, et tamen sine forma non existit. Nam contra est, quia pro illo priori, quo essentia recipit existentiam, et materia formam, essentia et materia se habent ut causæ reales, et realiter causantes, quia ab illis realiter pendet, id quod recipiunt; ergo pro illo priori et antecedentia causalitatis realis, realiter esse debent, et consequenter extra causas. Et confirmatur, quia licet essentia accidentaliter existat, non sequitur quod realiter distinguatur ab existentia; nam ipsa existentia si distinguitur ab essentia, etiam debet existere accidentaliter, cum sit aliquid creatum; ergo indigebit aliqua existentia superaddita, et sic erit processus in infinitum.

Respondetur apud D. Thomam esse indubitatum, quod recipiens non est necesse quod præsuppona-

tur existens, sed sufficit quod in re nunquam inveniatur sine existentia, et ita non inconvenit, quod reddatur existens per aliquid quod recipit; imo in hoc distinguit D. Thomas materiam et subjectum, quod subjectum non habet esse ex forma sibi advenienti, sed præsupponitur in se existens, sed materia dicitur id quod habet esse, per id quod sibi advenit, sicut materia redditur existens per formam. Ita affirmat D. Thomas opusc. XXXI, in principio, et VIII Met. lect. IV. Certe relatio dependentiæ a Deo est aliquid realiter receptum in creatura, cum illa relatio distinguatur a parte rei a subjecto, saltem ut modus, et tamen subjectum ante illam dependentiam actualem a Deo nihil est, ergo bene stat recipere aliquid, sine quo subjectum ipsum non est aliquid reale. Et simile est de materia respectu formæ substantialis, imo multæ substantiæ, sine accidentibus esse non possunt, nec conservari, sicut substantia corporea, sine quantitate et dispositionibus, et tamen substantia recipit illa non tanquam aliquid existens absolute ante illa, sed ut existens dependenter ab illis. Similiter ergo poterit essentia recipere existentiam, et materia formam non existendo ante illa, sed dependenter ab illis seu per illa. Itaque ad recipiendum non se habet formaliter ens actu, sed sufficit ens in potentia, quia actualitas, non est ratio recipiendi, sed unumquodque recipit in quantum est in potentia, licet in re et concomitanter debeat recipiens esse in actu, unde sufficit quod reddatur existens per id quod recipit, non antequam recipiat.

Et ad replicam de realitate causæ, et dependentiæ pro illo priori, quo aliquid causat materialiter, respondetur, quod illa prioritas, cum sit tantum prioritas a *quo*, non *in quo*, non est necesse quod pro illa prioritate explicetur existentia causæ, sed sufficit quod explicetur potentialitas ejus, quia præcise explicatur ratio conducens ad causam materialem, seu ad receptionem, ad receptionem autem, formaliter loquendo, non conducit actualitas, sed potentialitas; unde pro illa prioritate non explicatur existentia causæ materialis, licet in re existens sit, sed hoc est per existentiam receptam, quia hæc in eodem instanti recipitur. Et hoc argumentum etiam solvendum est in causis, quæ ad invicem sunt sibi causæ, ut dicemus quæst. X, nam pro illo priori quo aliqua causa causat, nondum intelligitur causata ab alia causa, et consequenter nec complete existens, quia ut causæ ad invicem causent, sufficit quod in re semper existant; non vero quo pro omni prioritate, et explicatione causandi; et præsertim ad causandum materialiter sufficit, quod aliquid sit ens reale per modum entis in potentia, non per modum entis in actu, ens autem in potentia etiam ut tale ens reale est, et non purum nihil, alioquin opponeretur contradictorie ipsi actui, non autem reciperet illum.

Ad confirmationem respondetur quod existentia existit essentialiter ut *quo*, id est, ejus essentia consistit in hoc, quod sit ratio existendi; existit autem accidentaliter ut *quod*, quatenus existente toto etiam ipsa existentia cum eo existit, totum autem accidentaliter habet esse.

Secundo objicies: Quidquid ab aliquo distinguitur, et illi advenit, potest a Deo corrumpi vel separari illo priori stante, nec enim aliter potest cognosci realis distinctio, nisi quia unum sine alio realiter stare potest, nec potest intelligi, quod aliquid alteri adveniat, nisi supponat existens et completum in esse id cui advenit, sed non potest existentia corrumpi, vel separari permanente essentia, remota enim existentia, essentia non est extra causas, sed omnino nihil, ergo non distinguitur realiter ab essentia. Quod argumentum aliqui dicunt formari a M. Soto II Physicorum, q. II, ad probandum quod existentia non distinguitur ab essentia in re. Cæterum M. Soto non facit hoc argumentum ad probandum, quod non distinguatur existentia a parte rei, sed quod non distinguatur tanquam res a re; subdit enim ibidem: « Quod dicitur esse distingui ab essentia, sicut sedere ab homine, quia non est de essentia hominis, ut sit existens. » Si ergo distinguitur, ut sessio a sedente, manifestum est ponere distinctionem a parte rei, non realem, sed modalem.

Respondetur ergo ad argumentum, quod separatio mutua unius ab alio saltem non requiritur ad distinctionem modalem, modus enim non separatur a re, res autem licet separetur a modo, tamen aliqui modi sunt, a quibus res non potest omnino separari, quia necessariam connexionem habent cum aliquo, licet non cum isto, vel illo determinate, sicut non potest aliqua substantia stare sine omni subsistentia propria, vel aliena, nec quantitas in suo statu naturali sine omni figura, nec qualitas intensibilis sine omni modo intensionis, vel remissionis, et similiter, nec essentia aliqua, sine existentia propria, vel aliena si est modus. Deinde negatur absolute, quod omnis realitas possit separari ab omni eo, a quo realiter non distinguitur, nisi quando non intercedit mutua dependentia. Et instatur, tum in relativis, quia relatio non potest existere sine termino, a quo realiter distinguitur, tum in absolutis, quia materia non potest esse sine omni forma in opinione supra approbata, et totum non potest esse sine partibus, etiam dato quod totum distinguatur realiter a partibus simul sumptis, et idem est de essentia et existentia, quia cum existentia sit terminus productionis, quo agens relinquit rem extra causas implicat quod essentia intelligatur extra illas sine tali termino, quo formaliter extra causas ponitur. Tertio dico, quod potest consumi existentia creata, et subrogari Divina, sicut in sententia D. Thomæ humanitas in Christo existit existentia Verbi, de quo III part. qu. XVII, artic. II, quod est signum distinctionis a parte rei, quia sic separantur.

Tertio objicies: Nullo superaddito modo, vel entitate, essentia est extra causas, hoc ipso quod procedit ab agente; ergo existentia nullo fundamento distinguitur ab essentia. Consequentia constat, quia ad nihil aliud ponitur existentia, nisi ut res sit extra causas. Antecedens vero probatur, quia potest concipi lapis productus omni alio modo remoto, vel non cogitato, tunc ergo vel concipitur lapis in actu, vel in potentia; non in potentia, quia est productus; ergo in actu, ergo existens, quia quod extra causas et potentiam est, existens dicitur. Confirmatur, quia si existentia est modus, debet dimanare a re, cujus est modus, sed non potest emanare ab essentia, ut intra causas, quia ibi nihil est, et sic essentia se ipsam poneret extra causas, si a se ipsa pullularet ille modus, quo formaliter redditur extra illas; ergo emanat ille modus ab essentia in actu, et extra causas, ergo existenti, et sic existentia emanaret ab existentia, et cum pro illo priori, quo causat talem modum, nondum intelligatur habere illum, consequenter esset existens, antequam haberet existentiam.

Respondetur non posse concipi lapidem, ut productum, nisi cum existentia, quia existentia est ratio

formalis, qua dicitur res extra causas posita, et extra nihil; et sic si concipitur res aliqua ut producta in facto esse hoc ipso concipitur extra causas, atque adeo cum existentia, sed tamen tunc non concipitur sola essentia quidditative, sed etiam cum aliquo accidentali, scilicet cum illa existentia, seu productione passiva, qua de facto est extra causas; et hoc accidentaliter sibi convenit. Quod si inquiras de ipsa quidditate, quæ dicitur susceptiva existentiæ, quæ concipi potest ut subjecta agenti, licet nondum subjecta passive ipsi existentiæ; ergo tunc concipietur extra statum possibilitatis,utpote subjecta agenti, et tamen sine existentia superaddita, respondetur quod entitas sic concepta non concipitur, ut formaliter existens, nec solum ut objective possibilis, sed ut subjectum existentiæ, secundum quod explicat receptionem ex parte subjecti, non vero informationem ex parte existentiæ, quæ est forma constituens extra causas. Itaque in ipsa re præscindi potest id quod est subjecti in recipiendo sine consideratione ejus, quod est existentiæ in informando, et tunc sine existentia non intelligitur ut existens formaliter, sed ut recipiens existentiam, sicut corpus ut recipiens albedinem non considerata informatione albedinis, non consideratur album, sed ut materialiter tendens, ut album sit.

Ad confirmationem respondetur quod modus ille existentiæ (si modus est) non dimanat ab essentia ratione intrinsecæ connexionis prædicatorum, sed ab agente ei communicatur. Et quando dicit D. Thomas 1 p. q. L, art. v, quod esse secundum se competit formæ, sicut rotunditas circulo intelligitur, quod formæ physice consideratæ, id est, ut subjicitur motui et actioni per se convenit existentia, id est, non per aliud, sed immediate, ad differentiam materiæ, cui non nisi mediante forma. Sic ergo modi contingenter convenientes, et non intrantes constitutionem rei, non est necesse, quod dimanent ab essentia per necessariam connexionem, sicut propriæ passiones, sed quod relinquantur ab ipso agente in essentia, quia media actione agentis conveniunt, sicut etiam alii modi conveniunt, subjecto non dimanando ab essentia ut sessio, et alii similes.

Ultimo objicies: Quia remota existentia nihil veræ et realis entitatis manet, sed tantum veritas objectiva quæ non est aliud, quam non implicatio contradictionis, ut aliquid sit, si enim remota existentia aliquid reale maneret,daretur ab æterno aliqua entitas realis præter Deum, scilicet omnis entitas creata non existens, et tamen realitatem habens, ergo non datur in quacunque re existentia remota, aliquid reale informabile ab ipsa, ergo per existentiam et non ante incipit aliquid esse reale, sed inter esse reale et non reale, non potest dari distinctio realis, quia debet esse inter extrema realia et positiva, ergo non distinguitur existentia realiter ab essentia ut ab extremo reali.

Respondetur, quod existentia potest removeri ab entitate reali dupliciter; uno modo remotione separationis, ita ut essentia sine existentia maneat. Secundo, remotione distinctionis, ita quod sit duplex entitas vel modus entitatis, licet una nunquam sit sine alia, sed vel utraque pereat vel utraque detur. Primo modo, essentiæ remota existentia pure manent intra causas, et in se nihil: nec dicitur remanere connexio illa et veritas æterna realiter, et subjective, sed objective, nec est aliquid efficienter et libere principatum a Deo; efficientia enim terminatur ad existentiam et sine

illa non datur, sed est veritas objectiva non fundata in aliqua mutatione, ratione cujus tale prædicatum conveniat, sed independenter ab omni mutatione, et hoc ipso quod in mente Divina datur conceptio, sive idea alicujus creaturæ resultat veritas illa objectiva in re cognita, seu cognoscibili, existentia vero solum resultat in tempore, quia mediante immutatione agentis provenit. Cæterum secundo modo datur in quacunque productione rei duplex entitas, scilicet res ipsa quæ subjicitur agenti, ut terminus actionis ejus, et ipsamet existentia, cui subjicitur, eo quod producitur essentia, non cum solis prædicatis quidditativis, sed cum aliquo prædicato superaddito ad essentiam et distincto, quia contingenter ei convenit, scilicet existentia, et res sic subjecta existentiæ secundum se, et ut distinguitur ab existentia non est nihil, aut in statu pure objectivo, sed est ens, non actu ex se, sed susceptivum actus ut D. Thomas loquitur opus. XV, c. VIII, nec enim ad realem compositionem requiritur, quod utrumque extremum sit in actu existens de se per distinctam existentiam, sed sufficit quod utrique existentia conveniat, uni ut suscipienti, alteri ut danti seu informanti; suscipiens autem existentiam non est nihil, nam nihil non est capax existentiæ, nec susceptivum ejus, sed contradictorie illi opponitur. Quod ergo se habet ut entitas susceptiva existentiæ, hoc ipso quod susceptivum est,non est nihil, sed tamen se solum habet subjective seu per modum capacitatis esse ex extra nihil,formaliter autem per existentiam. Et hoc est quod dicunt aliqui graves Auctores, quod pro illo priori, quo essentia intelligitur recipere existentiam quodammodo intelligitur nihil,et quodammodoaliquid, quo aliquid dicunt humanam fugere intelligentiam cum inter nihil et aliquid non cadat medium. Et vere dicunt, intelligendo hoc de instanti reali *in quo*: in re enim non stat aliquid partim esse nihil, partim aliquid, et formaliter non esse extra nihil, in re enim semper habet existentiam per quam formaliter est extra nihil. Sed secundum præcisiones intellectus, et prioritates causalitatis, invenitur aliquid esse subjectum existentiæ nondum intellecta informatio existentiæ, et sub illa prioritate seu intelligentia subjecti, seu receptivi existentiæ non intelligitur nihil, quod est oppositum et incapax existentiæ, nec intelligitur formaliter existens: sed intelligitur ut capax existentiæ, et tendens ad existentiam, id est, subjective existens, non formaliter. Licet autem non sit medium inter nihil, et aliquid tamen inter aliquid ut formaliter existens, et nihil illi oppositum datur aliquid medium, scilicet capacitas et entitas subjiciens se illi formalitati existendi; licet in re nunquam sine illa formalitate extra causas reperiatur.

ARTICULUS V.

Utrum unica existentia sufficiat toti composito?

Qui tenent existentiam non distingui a realitate essentiæ, tot multiplicant existentias, quot realitates, sive partiales sint, sive totales. Cæterum D. Thomas apertissime tenet, existentiam unam, et eamdem convenire rei, eo modo quo illi convenit fieri, existentia enim est terminus, quo aliquid ponitur in facto esse extra causas. Unde eo modo conveniredebet alicui existentia seu factum esse quo convenit ipsum fieri. Convenit autem secundum D. Thomam fieri et factum esse ipsi toti tanquam *quod*; partibus autem

componentibus tanquam *quo*. Unde simpliciter una existentia afficiens totum, reddit existentes omnes partes illius, quæ secundum se non existunt, sed prout in toto, sed solum inexistunt vel coexistunt.

Hanc ergo esse D. Thomæ sententiam ex pluribus locis aperte colligitur, nam in secundo contra Gentiles, c. LIV, dicit: « Quod in compositis ex materia et forma, nec materia, nec forma potest dici ipsum quod est, nec etiam ipsum esse, forma tamen potest dici quo est secundum quod est essendi principium, ipsa autem tota substantia est ipsum quod est, et ipsum esse, est quo substantia denominatur ens. » Et in eodem libro, cap XLIII, inquit: « Quod sicut unicuique creato convenit fieri, sic sibi convenit esse, esse autem non convenit formæ tantum, nec materiæ tantum, sed composito, materia enim non est nisi in potentia, forma vero est qua aliquid est, est enim actus, unde restat, quod compositum proprie sit. » Denique, communiter docet D. Thomas quod esse pertinet ad naturam, et ad suppositum seu hypostasim ad naturam ut *quo* aliquid est, ad suppositum vero ut an id *quod* est, et ita unitas ipsius esse sumitur ab unitate suppositi, cui per se primo convenit esse. Quæ doctrina traditur a D. Thoma I part. q. XVII, artic. II et in III, dist. VI, q. II, art. II, et ibidem ad Annibalbum q. unica, art. II, præsertim ad 2, et quodl. IX, art. III.

Nec potest dici, quod D. Thomas nomine existentiæ intelligit subsistentiam, ut aliqui dicunt. Qui tamen saltem fateri debent unicam subsistentiam sufficere toti composito et ejus partibus, si D. Thomam intelligunt de subsistentia non de existentia. Quod vero idem sit dicendum de existentia, sensus ipse D. Thomæ declarat, nam si dicit, quod esse pertinet ad naturam ut *quo*, ad suppositum vero seu subsistens ut *quod*, si sumit ipsum esse pro subsistentia, sensus esset subsistentiam pertinere ad subsistens, quod esset inutilis repetitio, et male diceret D. Thomas per hoc esse denominari ens, sed denominari subsistens, si esse sumit pro subsistentia non pro existentia. Et præterea in loco III partis, q. XVII, art. II, III, dicit: « Quod in Deo tres Personæ non habent nisi unum esse, haberent autem triplex esse, si in eis esset aliud esse Personæ, et aliud esse naturæ: » si autem sumeret D. Thomas esse pro subsistentia, quomodo diceret tres Personas non habere nisi unum esse cum sint tres personalitates, seu subsistentiæ? Ergo quando dicuntur habere unum esse, non potest sumi ly *esse*, pro subsistentia.

Fundamentum autem hujus sententiæ, desumitur ex triplici capite. Primo, ex ipsa ratione existentiæ, quæ est actus ultimus. Secundo, ex ipsa ratione partium, quæ non possunt existere ut *quod*, sed ut *quo*. Tertio, denique ex ipsa ratione productionis, seu fieri, quod solum convenit toti, esse autem sequitur ipsum fieri, cum constituat rem in facto esse.

Et primum explicatur sic, quia existentia, seu esse, non est prædicatum constitutivum quidditatis, sed extra totam quidditatem illius rei convenit, partes autem intrant ipsam quidditatem et constituunt illam ergo prius est, quidditatem constitui per suas partes et prædicata, quam illi advenire existentiam. Si autem dicatur, partes ipsas prius habere proprium esse partiale, deinde componere totum, ut existat, contra hoc est, quia illud esse totale, quod ipsi toti convenit tanquam adveniens post prædicata essentialia, et partes intrinsece constituentes, supponit ipsam entitatem totius, indigere ista existentia totali, et per eam actu reddi existentem. entitas autem totius nihil est aliud, quam suæ partes; ergo si illi convenit existentia totalis, ut per illam existat totum, necessario supponit partes non esse existentes, nec unionem earum, cui etiam sua propria existentia tribuitur in hac sententia. Item vel illud esse seu existentia totius afficit, redditque existentes ipsas entitates partium, quæ componunt totum, vel non. Si afficit, ergo supponit non existentes secundum se, alias si supponeret, frustra redderet existentes. Si non afficit, ergo cum non sit alia entitas in toto quam entitates partium, nullam entitatem afficit existentia totius, quod est idem ac non dari talem existentiam cum tamen ipsum totum sit vera entitas producta ab agente; et ultirius generatio substantialis, quæ producit ipsum totum non faceret existentiam simpliciter, quæ sit unum esse, sed plures existentias partium sine aliqua unitate earum inter se conjungeret.

Et hinc sumitur secundum fundamentum, quia si quælibet entitas partialis habet existentiam distinctam ab existentia alterius partis, quælibet existentia dabit suum effectum formalem, sed existentia est actualitas, qua aliquid formaliter, et ultimate constituitur extra causas; ergo unaquæque pars se ipsa habens existentiam partialem, se ipsa habet esse extra omnes causas, alioquin existentia non erit, nec etiam partialis si extra omnes causas; ergo ad existendum in rerum natura non indiget aliis partibus, nec existentia unius partis componeret cum existentia alterius unam existentiam totalem, quæ sit per se una, sed erunt plures existentiæ, per accidens conjunctæ, in uno toto. Sequela probatur quoad utramque partem. Quoad primam constat, quia existentia est formalitas contituens aliq id extra omnes causas, et extra nihil, et consequenter supponit omnem conditionem requisitam, ut aliquid sit extra nihil, quia si aliqua conditio non est posita, nondum est extra nihil; formalitas ergo existentiæ hoc ipso quod ponit extra nihil, ponit extra omnem causam et conditionem, sine qua non est extra nihil: ergo si se ipsa quælibet entitas substantialis est existentia, se ipsa est extra alias partes substantiales, nec indiget una pars altera parte ut existat, sicut nec indiget altera parte, ut entitas partialis sit. In nostra autem sententia, forma et pars non habent existentiam, nisi ut *quo* seu principium existendi, non ut existente ut *quod*. De quo S. Thoma I. p. q. XCX, art. II, et quodl. IX, art. III.

Quoad secundam vero partem probatur sequela, quia existentia de suo conceptu est id quo aliquid ponitur extra omnes causas et extra omne illud a quo dependet, ut sic extra nihil: ergo non potest esse in potentia ad aliam existentiam, a qua perficiatur, et actuetur, quia in ratione existentiæ nihil illi deest, ut sit extra nihil, et in actu, si enim deesset, existentia vera non esset, sed adhuc nihil et intra aliquam causam. Quod si una existentia non potest comparari ad alteram ut potentia ad actum, vel e contra; ergo non potest componere cum altera existentia etiam partiali unam tertiam, quia quælibet illarum est in actu ultimo, et sic non potest comparari cum altera, nisi tanquam actus cum actu, quod nullam facit compositionem per se, quia una non perficit aliam, nec dependet ab alia, ut sit extra causas, et sic unicuique illarum est per accidens, quod sit conjuncta cum altera. Sic

ergo ex ipsis visceribus existentiæ repugnat dari partiales existentias, quæ hoc ipso quod partiales sunt, ordinari debent ad unam totalem, alias ut quid partiales sunt.

Ex hoc autem sumitur ultimum fundamentum, quo sæpe utitur D. Thomas, quia fieri et generari solum competit par ipsi composito, et rei subsistenti, ergo et existentia quia hæc non est aliud, quam terminatio ipsius fieri, et hoc principio utitur D. Thomas I p. q. XLV, artic. IV et VIII, et q. LXV, art. IV, et q. LXXV, artic. I, et q. XCX, art. II, quibus locis et aliis multis remittit se D. Thomas ad dictum Philosophi VII, Met, text. XXVI, ubi ostendit, nec materiam, nec formam fieri per se, sed compositum; forma autem solum fit tanquam id, quo aliquid habet esse, ubi potest videri D. Thomas lect. VII. In summa, omnis generatio ad hoc aliquid seu ad singulare terminatur, forma autem, v. g. rotunditas non individuatur nisi in materia, quia per se ipsam non subsistit; compositum autem seu totum in se ipso individuatur et subsistit, ergo per se primo generatur et fit, quia per se primo est hoc aliquid, si autem forma per se primo fieret, debet esse hoc aliquid, et sic constaret ex alia materia et forma, vel saltem esset in se subsistens. Restat ergo, quod cum ipsi composito seu subsistenti immediate et per se conveniat fieri et generari, ergo et factum esse, seu terminus fieri, qui est existentia, et mediante illo partibus, quia entitas totius non est alia ab entitate partium.

Nec dici potest, quod ad singulas partes terminatur actio partialis, et ad totum totalis; et sic etiam ipsis partibus correspondet esse partiale. Nam contra est, quia istæ actiones partiales vel faciunt ipsas partes tanquam id quod habet esse, et hoc aliquid ut loquitur Philosophus, vel tanquam id *quo* aliquid habet esse, et redditur existens. Si hoc secundum, non est contra nos, qui dicimus formam esse id *quo* aliquid est, et fit, ut locis citatis affirmat D. Thomas. Si primum, obstat Philosophus, et ejus ratio, quia illi solum convenit fieri tanquam *quod*, sive dicatur pars, sive totum, quod per se individuum est hoc aliquid, forma autem non est per se individuum, quia non per se primo est incommunicabilis; illi autem convenit individuatio complete et terminative, quod incommunicabile est; ergo et illi conveniet per se primo fieri, partes autem non dicuntur hoc aliquid, id est, individualiter subsistentes, nisi velimus admittere subsistentias partiales, quas supra impugnavimus. Stando ergo in sensu Philosophi, sicut non potest verificari quod quælibet pars sit hoc aliquid, sed id quo constituitur hoc aliquid, consequenter nec datur actio et fieri per se primo ad partem, ut pars est, et consequenter nec esse. Et sic concludit Philosophus loco citato: « Quod palam est, quod illud quidem quod ut forma aut substantia dicitur, non fit, copulatio vero (id est, compositum) quæ secundum hanc dicitur, fit. » Nec obstat quod aggeneratio, et nutritio terminantur ad partes, et non ad totum. Respondetur enim, quod hic non loquimur de actione supponente generationem, addente seu uniente ad illam, sed de ipsa prima generatione, qua aliquid per se primo fit.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur: Nam vel illa existentia, quæ convenit supposito, seu toti, est unica tanquam indivisibilis et simplex existentia pro toto et partibus vel tanquam composita ex pluribus existentiis partialibus. Si hoc secundum dicatur, habetur intentum. Primum vero dici non potest, quia entitas composita, verbi gratia, homo, vel lapis, non possunt informari simplici existentia, debet enim existentia proportionari entitati, quæ redditur existens, ergo pro entitate composita non serviet simplex existentia, alias similem existentiam haberet lapis et Angelus, et illa quæ servit pro uno, serviret pro alio, quod est absurdum.

Respondetur concedendo, quod existentia rei compositæ formaliter non est composita, sicut nec subsistentia; imo et ipsa forma informans, verbi gratia anima, potest esse indivisibilis, licet actuet et communicetur pluribus partibus, et subsistentia Divina omnes partes humanitatis terminat, cum sit simplicissima, et indivisibilis, et in sententia D. Thomæ indivisibilis entitas habitus potest ad plures conclusiones se extendere, et unica indivisibilis qualitas multis gradibus intendi. Sic ergo sicut omnes partes componentes totum, terminantur unica hypostasi, seu subsistentia, quia hæc non consequitur ipsam multitudinem partium, sed adunationem earum in uno, et sic terminatur per modum unius, sicut omnes partes lineæ terminantur unico puncto, ultimus enim terminus repugnat, quod compositus et divisibilis sit, ita existentia, quæ est ultimus terminus in ratione actualitatis, quatenus reddit rem ultimate extra omnes causas, et in facto esse, ita quod non restat aliud ut sit in actu, ideo est ultima et indivisibilis actualitas totius, virtualiter tamen seu extensive, et præsupposittive multiplex, quatenus communicabilis omnibus partibus, quas supponit, sicut anima communicatur diversis partibus, etiamsi indivisibilis sit in animali perfecto. Unde ad existentiam totius trahi partes, docet D. Thomas III p. q. XVII, art. II, et quodl. IX, art. III. Et ex hoc apparet differentia inter existentiam Angeli, et lapidis, quia existentia Angeli sicut et subsistentia, nec formaliter nec extensive, nec præsuppositive divisibilis est, quia caret partibus, quibus communicetur, existentia autem lapidis formaliter, ut terminus, est indivisibilis, sed præsuppositive, et virtualiter, et extensive pluribus partibus potest communicari ex quibus componitur ipsum totum, et resultat existentia ut terminus.

Secundo arguitur: Quia existentia est modus essentiæ, quam afficit, et ad illam limitatur, nec enim existentia habet aliam specificationem, quam ex ipsa natura, cujus est existentia; ergo non potest afficere modificando plures partes, quia modus existens in una parte non potest modificare aliam.

Respondetur, quod etiamsi existentia sit modus (quod non est certum) posse afficere et identificari cum omnibus, quæ ad entitatem, seu realitatem suæ essentiæ integrandam et componendam concurrunt, quia est modus totius, ut totum est, non partis ut pars præcise, sicut figura est modus quantitatis, et situs exterior, qui non afficit unam partem tantum, sed plures in quibus quantitas figurata resultat; una enim pars sine alia non efficit figuram, nec terminationem, et punctum omnes partes terminat, sic existentia, quæ sequitur unitatem rei ut factæ, et extra causas positæ, ut terminus productionis, actuat omnes partes constituentes talem entitatem, et quando rei habenti existentiam adveniunt novæ partes, illæ non afferunt novum esse, sed communicant in esse totius, quod de se communicabile est

omnibus illis partibus, et per accidens, quia non dabantur in toto, non communicabantur illis, sicut anima communicatur partibus de novo advenientibus, quibus ante non communicabatur sine adventu novæ partis animæ; et ita S. Thomas in III, distinct. VI, q. II, art. II, inquit: « Quod esse unius subsistentis est per respectum ad plura, sicut esse Petri est unum, habens tamen respectum ad diversa principia constituentia ipsum, et similiter suo modo unum esse Christi habet duos respectus, unum ad naturam humanam, alterum ad naturam divinam. » Et similia habet II p. q. XVII, art. II, addens: « Quod si post constitutionem personæ Socratis advenirent ei manus vel pedes aut oculi (sicut contingat in cæco nato) ex his non accresceret Socrati aliud esse; sed solum relatio quædam ad hujusmodi, quia scilicet diceretur esse, non solum secundum ea quæ prius habebat, sed etiam secundum ea, quæ sibi postmodum adveniunt. » Ita D. Thomas. Nec sumit S. Thomas esse prout communiter dicitur de esse essentiæ et existentiæ, ut patet Lorca III p. dist. LXVIII, circa finem, quia persona Christi non potest dici, quod habeat unum esse essentiæ, cum sit duplex essentia, seu natura in Christo. Verificatur ergo unum esse solum rationem esse existentiæ, non ratione essentiæ, vel abstrahentis ab utroque.

Tertio arguitur: Esse multiplicatur secundum naturas, et non secundum supposita, ut patet in Christo, in quo est duplex vivere, alterum creatum et mortale, alterum immortale et æternum, vivere autem viventibus est esse, ut docet Philosophus II de Anima, tex. XXXVII et loquitur de esse existentiæ, quia tamdiu existit animal, quamdiu vivit. Nec dici potest quod loquitur de vivere pro operatione vitæ, non pro existentia, ut videtur explicare S. Thomas I par. quæst. LIV, articul. I ad 2. Sed tamen ibi non explicat S. Thomas hunc locum sed alium ex XII Metaphys. ubi dicit: « Quod actio intellectus est vitæ, et quia vivere non comparatur ad vitam, sicut esse ad essentiam, sed sicut currere ad cursum, ideo non sequitur, quod si vivere est esse, vita sit essentia. » Quibus verbis nullo modo dicit quod vivere viventibus est esse sumendo vivere pro operatione.

Respondetur, hoc argumentum, quod est P. Vazquez disput. LXXI, in I tomo, III par. poni a D. Thoma, quodl. IX, articul. III, in primo argumento. Et respondet sanctus doctor: « Quod vivere dicit esse quoddam specificatum per speciale essendi principium, et ideo diversitas vitæ consequitur diversitatem principiorum uniendi, sed esse magis respicit ad suppositum subsistens, » ita D. Thomas, ubi rursus neque sumit ipsum esse seu existentiam pro subsistentia, cum dicat pertinere ad suppositum subsistens, alias esset dicere, quod subsistentia pertinet ad subsistentiam; neque sumit esse pro essentia vel pro abstrahente ab essentia et existentia, sic enim non negavit tale esse essentiæ consequi principia speciei. Quia ergo vivere, vel non dicit solum esse existentiæ utcunque, sed specificatum et determinatum ad principium vitæ, vel dicit ipsum esse essentiæ viventis, ideo multiplicatur vivere, sicut et vita in Christo, non tamen esse pro existentia sumptum multiplicatur ex multiplicatione naturarum, cum potius ex unitate supposili sumatur unitas existentiæ, ut dicit D. Thomas.

Et ex eadem ratione solvens, quod dici solet de anima, quæ in Christo dat esse corpori, et non increatum,

cum hoc ab anima provenire non possit, ergo creatum. Respondetur enim ex D. Thoma III par. quæst. XVII, articul. II ad 3, quod anima dat esse specificum et essentiale creatum immediate et formaliter, esse autem existentiæ mediate et radicaliter, quatenus ex esse formali sequitur existentia, ut specificata a tali forma. Sed hæc prævenitur a Verbo Divino supplente subsistentiam, et consequenter existentiam, et ideo non provenit in Christo ab anima, sed suppletur a Verbo. Unde ut dicit S. Thomas quodl. IX citato, art. III, generatio temporalis in Christo terminatur ad esse suppositi æterni, non ut simpliciter incipiat, sed ut incipiat esse suppositum humanum. Et sic generatio humanitatis, et creatio animæ de se tendebat ad dandam subsistentiam et existentiam creatam, sed assumptione impeditæ sunt, ne propriam darent, sed ad alienam natura humana est evecta ita: « Ut ipsa assumptione crearetur, » sicut dicit S. Leo Papa epist. XL.

Adhuc tamen instabis: Quia esse est effectus formalis existentiæ non minus intrinsecus, quam album ab albedine, repugnat autem quod aliquid sit album sine albedine, intrinsece inhærente, nec Deus se ipso potest supplere vim causæ formalis, nec habere rationem formæ, ergo non potest se ipso existentiam supplere, quia hæc se habet per modum formæ informantis, aut saltem provenit a forma ut effectus ejus, ratione cujus soli materiæ conveniri non potest, et certe Angelus intuitive videbat naturam humanam Christi existentem, ergo causam formalem illius existentiæ videbat, implicat enim videre effectum formalem non visa causa formali, sicut videre album non visa albedine. Confirmatur, quia cum in sententia D. Thomæ non dentur existentiæ relative in Deo, si humanitas existit existentia Verbi, uniretur in aliquo essentiali et communi tribus Personis, scilicet in existentia, quod non potest admitti.

Respondetur argumentum illud instari manifeste in subsistentia, nam etiam est effectus formalis intrinsecus, non quidem informans, sed terminans substantialiter sicut punctum quantitative, et tamen non minus est terminata natura in Verbo substantialiter, quam in se. Similiter etiam existentia dat effectum formalem terminando per modum actus ultimi, non informando per modum accidentis, et ita suppletur per existentiam Divinam terminantem, non informantem. Et hanc causalitatem terminandi formaliter Deus supplere potest se ipso, sicut patet in subsistentia, et in specie impressa in intellectu beatorum. Nec enim causalitas ista imperfectionem ullam importat, quia ut recte dixit S. Thomas III cont. Gen. c. LI: « Deus non potest esse forma alicujus rei secundum esse naturale, sequeretur enim quod constitueret cum aliquo unam naturam, quod esse non potest, cum natura Divina sit in se perfecta, species autem intelligibilis unita intellectui non constituit aliquam naturam, sed perficit ad intelligendum, quod perfectioni Divinæ essentiæ non repugnat. » Ita D. Thomas. Ex quo colligitur quod illa ratio formæ repugnat Deo, quæ informando perficitur et non pure perficit: si autem aliqua informatio pure perficit, et non perficitur, Deo non repugnat, et talis est omnis, quæ naturam non constituit sicut est subsistentia et existentia, et species intelligibilis, existentia enim actuat quidditatem non constituendo ipsam, sed supponendo constitutam, et extra causas ponendo. Unde quantum est de se, perficit, et non perfi-

citur, non sicut partes constituentes, quæ perficiuntur toto. Sed quia limitatur ad determinatam speciem ex natura cui adjungitur, sicut relatio ex fundamento, ideo convenit mediante forma, quia mediante illa specificatur, non quia sit immediatus effectus formalis ejus.

Ad id quod dicitur de Angelo videnti humanitatem existere, idem argumentum fieri potest, quia videbat subsistere, et non videbat subsistentiam in Christo, nec in hoc Vazquez assignat discrimen loquendo de subsistere pro eo quod est habere suppositum seu hypostasim. Dicimus ergo, quod de subsistere, et existere in Christo videt Angelus extrinsecos effectus, et eodem modo se habere illam humanitatem ac si propriam haberet subsistentiam, quomodo vero subsistat, et ipsam communicationem Divinæ subsistentiæ, et formalem terminationem seu unionem, et similiter existentiam non videt, id enim esset videre unionem hypostaticam, sicut ego video effectus formales animæ, non animam in se.

Ad confirmationem respondet D. Thomas in III, dist. VI, q. II, art. II ad 2 et 3, ubi ponit idem argumentum in terminis, et dicit: « Quod licet sit unum esse in Deo (quod obiter est advertendum contra eos, qui ponunt tres existentias relativas) potest considerari, vel prout est essentiæ, et sic non unitur, humanitas in esse Divino, unde non unitur Patri, vel potest considerari prout est Persona et sic unitur in esse Divino. » Quare ad ipsum esse ut absolutum immediate non unitur humanitas, sed ad esse ut modificatum relatione Verbi, sic enim non est inconveniens uniri etiam ipsi Divinitati mediate, et prout modificatur ad Personam Verbi.

QUÆSTIO VIII.

DE TERMINIS MAGNITUDINIS ET PARVITATIS.

Explicato toto composito, quoad substantiam et compositionem ejus ex partibus, restat inquirere de termino quantitatis ejus quoad magnum et parvum. Cujus occasio sumitur ex his, quæ docet Philosophus in hoc libro, cap. IV, disputando contra Anaxagoram, qui dicebat, quodlibet fieri ex quolibet, non quia esset in potentia tale ut fieret, sed quia erat in actu permixtum cum alio secundum partes minimas et insensibiles, easque infinitas, per quarum congregationem, vel segregationem dicebat res naturales fieri, non per generationem substantialem, qua res fierent simpliciter. Occasione horum disputat Philosophus, quomodo res sint determinatæ magnitudinis vel parvitatis, ita ut in quacunque quantitate conservari, aut generari non possint.

—

ARTICULUS PRIMUS.

Explicantur principia, et præsupposita hujus quæstionis.

Duo genera terminorum in hac quæstione explicari solent. Primum est, qui sint termini parvitatis, et magnitudinis in quantitate? Secundum est, qui sint termini incœptionis, et desitionis in rebus?

Circa primum adverte, quod terminus quantitatis in communi loquendo dicitur: Aliquid divisibile, quo res aliqua finitur. Et debet esse indivisibilis, quia si aliquid in eo restat dividendum, nondum ibi terminatur et finitur, siquidem aliquid ulterius restat accipiendum, ut ergo amplius nihil restet, debet esse indivisibile. Potest autem terminus iste esse intrinsecus, vel extrinsecus. Intrinsecus est ille: *In quo adhuc res invenitur, sed ultra non invenitur.* Extrinsecus: *In quo res aliqua non invenitur, sed infra vel extra illum invenitur,* quod est idem ac dicere, quod sit terminus inclusive vel exclusive. Et unusquisque istorum terminorum assignari potest penes magnitudinem, vel parvitatem qui etiam sua propria nomina sortiuntur. Terminus intrinsecus penes magnitudinem dicitur *maximum quod sic*, et est ille, *in quo res esse potest, et in majori non potest.* Terminus extrinsecus magnitudinis dicitur *minimum quod non*, et est ille, *in quo res esse non potest, et in minori potest.* Terminus intrinsecus parvitatis vocatur *minimum quod sic* et est ille *in quo res esse potest, et in minori non potest.* Terminus extrinsecus parvitatis, vocatur *maximum quod non*, et est ille, *in quo res esse non potest, et in majori potest.* Exempla facile adhiberi possunt in quacunque designata quantitate, verbi gratia, unius vel medii palmi; si in illa designata quantitate potest esse ignis, v. g. et in majori non dicetur terminus intrinsecus magnitudinis, si in illo esse non possit, sed in minori infra illum, dicetur extrinsecus terminus magnitudinis. Et idem versus parvitatem designando aliquam quantitatem minimam.

Sed objicies contra id, quod diximus terminum debere esse indivisibilem, quia hoc non salvatur in termino extrinseco; nam si ille est indivisibilis, non excedit rem illam quam terminat; indivisibile enim additum divisibili, non facit majus, siquidem non superaddit ei aliquid magnitudinis. Si ergo aliquid infra illud indivisibile conservatur etiam isto superaddito conservabitur, atque adeo erit terminus intrinsecus. Propter hoc aliquid dicunt, terminum extrinsecum non esse indivisibilem, sed partem aliquam indeterminatam, in qua res esse non potest et in minori potest.

Cæterum hoc stare non potest, nam dato termino extrinseco magnitudinis, in illo res esse non potest, et in minori potest. Si ergo illud, ubi esse non potest, sit divisibile licet indeterminatum in nulla parte illius poterit verificari, quod in minori esse potest: nam infra quamcunque restat adhuc aliquid divisibile; ergo si dividatur adhuc in minori illa res esse non potest, quia datur aliquid minus, scilicet illa medietas partis termini divisibilis, in quo adhuc esse non potest.

Respondetur ergo, quod illud indivisibile extrinsecum, non ideo est terminus, quia seipso superaddito faciat majus, sed quia est principium et initium, ut fiat majus, quia si res terminata illo termino extrinseco augesceret, per illud indivisibile extrinsecum inciperet illud majus augmentum. Itaque illud indivisibile superadditum divisibili non facit majus formaliter, sed inchoative, et quia jam non potest incipere majus augmentum, dicitur terminus extrinsecus, illud vero indivisibile ubi sistere potest augmentum, et includi in illo, dicitur terminus intrinsecus.

Secundum quod oportet explicare et præsupponere in præsenti, sunt termini incœptionis et desitionis, de quo latius in VI Physic. Sicut ergo in quantitate invenitur terminus magnitudinis et parvitatis, ita in duratione terminus incœptionis, et desitionis, qui potest esse intrinsecus vel extrinsecus. Terminus intrinsecus incœptionis est ille, *in quo verificatur de re aliqua, quod nunc est, et immediate ante non erat.* Extrinsecus, *in quo*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

citur, non sicut partes constituentes, quæ perficiuntur toto. Sed quia limitatur ad determinatam speciem ex natura cui adjungitur, sicut relatio ex fundamento, ideo convenit mediante forma, quia mediante illa specificatur, non quia sit immediatus effectus formalis ejus.

Ad id quod dicitur de Angelo videnti humanitatem existere, idem argumentum fieri potest, quia videbat subsistere, et non videbat subsistentiam in Christo, nec in hoc Vazquez assignat discrimen loquendo de subsistere pro eo quod est habere suppositum seu hypostasim. Dicimus ergo, quod de subsistere, et existere in Christo videt Angelus extrinsecos effectus, et eodem modo se habere illam humanitatem ac si propriam haberet subsistentiam, quomodo vero subsistat, et ipsam communicationem Divinæ subsistentiæ, et formalem terminationem seu unionem, et similiter existentiam non videt, id enim esset videre unionem hypostaticam, sicut ego video effectus formales animæ, non animam in se.

Ad confirmationem respondet D. Thomas in III, dist. VI, q. II, art. II ad 2 et 3, ubi ponit idem argumentum in terminis, et dicit: « Quod licet sit unum esse in Deo (quod obiter est advertendum contra eos, qui ponunt tres existentias relativas) potest considerari, vel prout est essentiæ, et sic non unitur, humanitas in esse Divino, unde non unitur Patri, vel potest considerari prout est Persona et sic unitur in esse Divino. » Quare ad ipsum esse ut absolutum immediate non unitur humanitas, sed ad esse ut modificatum relatione Verbi, sic enim non est inconveniens uniri etiam ipsi Divinitati mediate, et prout modificatur ad Personam Verbi.

QUÆSTIO VIII.

DE TERMINIS MAGNITUDINIS ET PARVITATIS.

Explicato toto composito, quoad substantiam et compositionem ejus ex partibus, restat inquirere de termino quantitatis ejus quoad magnum et parvum. Cujus occasio sumitur ex his, quæ docet Philosophus in hoc libro, cap. IV, disputando contra Anaxagoram, qui dicebat, quodlibet fieri ex quolibet, non quia esset in potentia tale ut fieret, sed quia erat in actu permixtum cum alio secundum partes minimas et insensibiles, easque infinitas, per quarum congregationem, vel segregationem dicebat res naturales fieri, non per generationem substantialem, qua res fierent simpliciter. Occasione horum disputat Philosophus, quomodo res sint determinatæ magnitudinis vel parvitatis, ita ut in quacunque quantitate conservari, aut generari non possint.

—

ARTICULUS PRIMUS.

Explicantur principia, et præsupposita hujus quæstionis.

Duo genera terminorum in hac quæstione explicari solent. Primum est, qui sint termini parvitatis, et magnitudinis in quantitate? Secundum est, qui sint termini incœptionis, et desitionis in rebus?

Circa primum adverte, quod terminus quantitatis in communi loquendo dicitur: Aliquid divisibile, quo res aliqua finitur. Et debet esse indivisibilis, quia si aliquid in eo restat dividendum, nondum ibi terminatur et finitur, siquidem aliquid ulterius restat accipiendum, ut ergo amplius nihil restet, debet esse indivisibile. Potest autem terminus iste esse intrinsecus, vel extrinsecus. Intrinsecus est ille: *In quo adhuc res invenitur, sed ultra non invenitur.* Extrinsecus: *In quo res aliqua non invenitur, sed infra vel extra illum invenitur,* quod est idem ac dicere, quod sit terminus inclusive vel exclusive. Et unusquisque istorum terminorum assignari potest penes magnitudinem, vel parvitatem qui etiam sua propria nomina sortiuntur. Terminus intrinsecus penes magnitudinem dicitur *maximum quod sic*, et est ille, *in quo res esse potest, et in majori non potest.* Terminus extrinsecus magnitudinis dicitur *minimum quod non*, et est ille, *in quo res esse non potest, et in minori potest.* Terminus intrinsecus parvitatis vocatur *minimum quod sic* et est ille *in quo res esse potest, et in minori non potest.* Terminus extrinsecus parvitatis, vocatur *maximum quod non*, et est ille, *in quo res esse non potest, et in majori potest.* Exempla facile adhiberi possunt in quacunque designata quantitate, verbi gratia, unius vel medii palmi; si in illa designata quantitate potest esse ignis, v. g. et in majori non dicetur terminus intrinsecus magnitudinis, si in illo esse non possit, sed in minori infra illum, dicetur extrinsecus terminus magnitudinis. Et idem versus parvitatem designando aliquam quantitatem minimam.

Sed objicies contra id, quod diximus terminum debere esse indivisibilem, quia hoc non salvatur in termino extrinseco; nam si ille est indivisibilis, non excedit rem illam quam terminat; indivisibile enim additum divisibili, non facit majus, siquidem non superaddit ei aliquid magnitudinis. Si ergo aliquid infra illud indivisibile conservatur etiam isto superaddito conservabitur, atque adeo erit terminus intrinsecus. Propter hoc aliquid dicunt, terminum extrinsecum non esse indivisibilem, sed partem aliquam indeterminatam, in qua res esse non potest et in minori potest.

Cæterum hoc stare non potest, nam dato termino extrinseco magnitudinis, in illo res esse non potest, et in minori potest. Si ergo illud, ubi esse non potest, sit divisibile licet indeterminatum in nulla parte illius poterit verificari, quod in minori esse potest: nam infra quamcunque restat adhuc aliquid divisibile; ergo si dividatur adhuc in minori illa res esse non potest, quia datur aliquid minus, scilicet illa medietas partis termini divisibilis, in quo adhuc esse non potest.

Respondetur ergo, quod illud indivisibile extrinsecum, non ideo est terminus, quia seipso superaddito faciat majus, sed quia est principium et initium, ut fiat majus, quia si res terminata illo termino extrinseco augesceret, per illud indivisibile extrinsecum inciperet illud majus augmentum. Itaque illud indivisibile superadditum divisibili non facit majus formaliter, sed inchoative, et quia jam non potest incipere majus augmentum, dicitur terminus extrinsecus, illud vero indivisibile ubi sistere potest augmentum, et includi in illo, dicitur terminus intrinsecus.

Secundum quod oportet explicare et præsupponere in præsenti, sunt termini incœptionis et desitionis, de quo latius in VI Physic. Sicut ergo in quantitate invenitur terminus magnitudinis et parvitatis, ita in duratione terminus incœptionis, et desitionis, qui potest esse intrinsecus vel extrinsecus. Terminus intrinsecus incœptionis est ille, *in quo verificatur de re aliqua, quod nunc est, et immediate ante non erat.* Extrinsecus, *in quo*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

verificatur quod nunc non est, et immediate post erit. Et primus vocatur incæptio *per primum esse rei.* Secundus, *per ultimum non esse.* Intrinsecus terminus desinendi est *illud indivisibile, in quo verificatur quod nunc est, et immediate post non erit*, et vocatur desitio *per ultimum esse.* Extrinsecus terminus est, *in quo verificatur quod nunc non est, et immediate antea erat.* Et vocatur desitio *per primum non esse rei.* Quare intrinsecus vel extrinsecus dicitur terminus in incæptione comparative ad esse rei, vel ad non esse, si enim ultimum instans alicujus est illud, in quod adhuc durat esse, dicitur intrinsecus terminus, si in quo jam non durat, dicitur extrinsecus, et similiter respectu desitionis. instans in quo est, immediate post non erat, dicitur intrinsecum, extrinsecum autem in quo primo non est.

Ut autem nunc suppono ex VI Phys. res permanentes, quæ incipiunt in instanti, et non ad modum motus, incipiunt per primum esse. Res successivæ ad modum motus incipientes, incipiunt per ultimum non esse, in motu enim non est dare primum esse, dicendo : Nunc primo est motus, et ante non erat, siquidem in instanti non est motus, cum sit divisibilis et successivus, sed mutatum esse, incipit ergo motus extrinsece, quia divisibiliter, dicendo : Nunc non est et immediate post erit. Eodem modo in desitione, ea quæ desinunt ad modum motus, desinunt per primum non esse dicendo : Nunc non est motus, immediate ante erat, non vero per ultimum esse, dicendo : Nunc est, immediate post non erit, in nullo enim instanti potest verificari, quod est motus. Quæ vero desinunt corruptione instantanea, si desinant ad generationem alterius, quæ instantanea est, desinent per primum non esse, dicendo : Nunc non est immediate, antea erat, eo quod tales res non desinunt nisi in instanti generationis, et non ante, si enim ante generationem desinerent, daretur materia sine forma. Si autem in instanti generationis alterius primo desinit, ergo in illo instanti non est, atque adeo illud instans non est intrinsecum desitioni, sed extrinsecum, quia tunc primo non est, non vero tunc adhuc est, et immediate post non erit, sic enim essent duæ formæ substantiales simul, scilicet quæ tunc generatur, et quæ immediate post corrumpetur. Quare solum instans, et ea quæ desinunt ad modum instantis, ut operationes Angelorum, et similia desinunt per ultimum sui esse.

Est autem certum, quod quantitas secundum se, et quasi mathematice considerata est divisibilis in infinitum, ut in sexto libro probabitur, sed loquimur de quantitate naturali, id est, ut pertinet ad corpus naturale, utrum ex vi talis corporis determinata esse debeat penes magnum et parvum. Et non loquimur secundum absolutam potentiam Dei, sed secundum principia naturalia, nec attendendo ad extrinseca, sed solum ad intrinseca principia rerum, nam certum est, quod servato ordine universi, ultra cœlum elementalia corpora crescere non possunt, nec supra universum protendi. Similiter possunt considerari ista principia naturalia secundum quid possint via generationis seu conservationis, et secundum connaturalem statum, vel quem terminum habeant via corruptionis, et ut extracta a connaturali statu et principiis propriis.

—

ARTICULUS II.

Quo pacto terminentur corpora naturalia penes magnitudinem?

Sit prima conclusio : Viventia habent terminum extrinsecum suæ magnitudinis via generationis et conservationis qui est status naturalis, non tamen via corruptionis, seu status præternaturalis. Prima pars est communis Philosophis, de qua videri possunt Conimbricenses I Physic. cap. IV, qu. I, art. II, et Carmelitani lib. VI, disp. XXVII, q. II et communiter interpretes. Sumitur ex D. Thoma, II de Anima, lect. VIII, in fine, ubi dicit : « Quod est aliqua quantitas ita magna ultra quam species humana non porrigitur, et aliqua tam parva ultra quam homo non invenitur. » Videatur etiam in II, distinct. XXX, quæst. II, art. II, ubi id affirmat generaliter de omni corpore naturali, et I part. quæst. VII, artic. III. Et ratio est, quia viventia constant partibus organicis, quæ determinatum temperamentum, et quantitatem habere debent, quam si excedunt, inepta redduntur ; et terminus in quem partes istæ, et ipsa viventia crescunt, debet esse intrinsecus, quia debet esse per augmentationem et nutritionem, quæ ab intrinseca virtute promanat, virtus autem activa intrinseca terminatur termino intrinseco, ut dicitur I de Cœlo, tex. CXVI, quia terminari debet termino aliquo a se producto, si enim a se productus non est, non est terminus talis virtutis, sed disparate se habet, nec ad ipsum pertinet sive intrinsece, sive extrinsece, unde nec mensuramus vires alicujus hominis per id quod ferre non potest, sed per id quod potest ferre ; terminus autem qui producitur ab aliqua virtute, intrinsecus terminus dicitur, quia in illum potest ; ergo si viventia crescunt virtute intrinseca augmentativa, termino intrinseco terminantur in hac magnitudine. Potest etiam hoc probari ex eo quod vivens habet formam determinatam, et sic postulat determinatam quantitatem. Sed de hac ratione, quia communis est etiam corpori non viventi sequenti conclusione agemus.

Sed objicies : Quia potentia activa terminatur in sphæra suæ activitatis per terminum extrinsecum, ut dici solet circa illum textum citatum in primo de Cœlo, et videri possunt ibi Conimbricenses quæst. III, art. I, et M. Bannez de Gener. tract. de Alterat. quæst. VI, in fine. Et ratio est, quia activitas, verbi gratia, caloris aut lucis diffunditur uniformiter difformiter, id est, in prima parte plus, in alia minus, non æqualiter in utraque ; vel ergo ultimum, quod funditur, est divisibile, vel indivisibile. Si indivisibile, daretur minimum in gradibus qualitatis quod repugnat, cum incipiat ab illo intensio ad modum motus, atque adeo non per indivisibile. Si est divisibile, non est ultimum, quia partibile est, et altera medietas non erit ultima Confirmatur, nam viventia augescunt motu augmentationis, sed in motu non datur ultimum esse, sed desinit per primum non esse, ergo neque datur terminus ultimus intrinsecus, nam si daretur, de illo esset verum dicere, in hoc ultimo termino est augmentatio, et immediate post non erit, siquidem est terminus intrinsecus, hoc autem est desinere motum per ultimum esse, quod est impossibile.

Respondetur sphæram potentiæ activæ, quando proceditur uniformiter difformiter a majori gradu ad minimum, seu usque ad non esse gradus, terminari extrinsece ob rationem factam, quia proceditur seu

diffunditur qualitas diminuendo usque ad non esse, et non gradum qualitatis, et versus minimum non habet ultimum indivisibile, seu terminum intrinsecum, cum nec incipiat ab illo motus intensionis per primum esse, sed per ultimum non esse. At vero activa potentia procedendo versus magnitudinem habet terminum intrinsecum, quia si intenditur qualitas usque ad determinatum gradum intendi potest, et ultra non potest, v. g. calor usque ad calorem ut octo, qui est terminus intrinsecus, non extrinsecus calefactionis, octavus enim gradus calor est intrinsece.

Ad confirmationem respondetur quod motus desinit extrinsece in ratione motus, quia desinit producto aliquo termino, seu mutato esse, ubi cessat motus, et ita non desinit per ultimum esse, sed per primum non esse. Cæterum ille terminus productus per motum seu actionem, v. g. quantitas per augmentationem, qualitas per alterationem potest esse intrinsecus terminus ipsi rei, quæ acquiritur, puta qualitati, vel quantitati. Et hoc sensu dicimus viventia habere terminum intrinsecum, qui intrinsecus sit ipsi quantitati viventis, ad eam enim pertinet, non qui sit intrinsecus terminus ipsi motui, quo acquiritur.

Urgebis : Cur ergo non dicemus similiter in diffusione qualitatis per spatium habere terminum intrinsecum ipsi qualitati, licet non motui diffundenti? Respondetur, quia ibi, cum diffundatur uniformiter difformiter, fit diminutio qualitatis usque ad non gradum, et sic non terminatur motus per productionem alicujus, in quo ultimo sistat, alias daretur minimum ex parte qualitatis, et prima pars gradus, sed terminatur motus ex diminutione et defectu virtutis, quia virtus cessat, et sic ulterius non producit, ubi autem non producit virtus, est terminus negativus et extrinsecus, scilicet hic non est motus.

Secunda pars conclusionis probatur. Nam si via corruptionis daretur terminus intrinsecus, posset vivens desinere per ultimum sui esse, nam si motu aliquo vel actione perveniat vivens ad illum terminum intrinsecum via corruptionis et continuetur motus seu actio, qua ad illum pervenit, v. g. tumefactio, certum est quod immediate post moriretur, cum immediate post sit ultra terminum intrinsecum, in quo via corruptionis esse potest : ergo immediate post desinet, et sic cum fuerit in ultimo termino, verum erit dicere, nunc est et immediate post non erit, quod est desinere per ultimum sui esse, quod est contra modum desitionis substantiæ, quando desinit per generationem alterius, ut præcedenti articulo supposuimus.

Dices : Hoc argumentum non probare, quod non habeat vivens terminum intrinsecum magnitudinis etiam via corruptionis, quia vivens non acquirit magnitudinem, neque fit majus nisi per augmentationem, per tumefactionem autem non fit majus, neque acquirit quantitatem de novo, ut in libris de Generat. dicetur. Ergo quoad magnitudinem, seu quantitatem nunquam habet vivens terminum extrinsecum via corruptionis, quia non nisi per augmentationem eam habet; augmentatio autem terminum extrinsecum non habet.

Respondetur, ita aliquos recentiores sentire defendentes, quod etiam via corruptionis non datur terminus extrinsecus. Cæterum dicimus, quod loquendo de termino magnitudinis in viventibus via corruptionis, non possumus loqui de magnitudine quantitatis, quia hæc solum provenit per augmentationem, quæ a virtute naturali et intrinseca est, sed loquimur de extensione quoad locum, quæ est effectus quantitatis secundarius, et in illa etiam debet assignari terminus aliquis viventi, cum non possit in quamcunque extensionem localem vivens diffundi, et sic intelligitur extensio via corruptionis, et sic assignamus illi terminum extrinsecum, non intrinsecum, accessio autem quantitatis, quæ fit per augmentationem, non potest esse via corruptionis, cum semper naturalis fit, nisi virtus augmentativa, et nutritiva essent in statu sibi non connaturali.

Sit secunda conclusio : Non viventia ex vi suæ generationis et formæ determinatam quantitatem, et intrinsecam habent : in aggeneratione autem seu incremento, quod fit per extrinsecam appositionem per se terminum non habent et ex intrinsecis. Dico *per se*, quia spectato ordine universi, et situatione corporum, terminum habent, cum ultra cœlum nullum corpus possit augescere, imo nec integrum elementum corrumpere naturali vi. Hæc conclusio clare videtur deduci ex Philosopho II de Anima, text. XLI, et D. Thoma ibi lect. VIII, et I par. qu. VII, art. III, dicit enim Philosophus : « Quod ignis augmentum in infinitum est, natura autem constantium omnium terminus est, et ratio magnitudinis et augmenti. » Quæ verba explicans D. Thomas inquit : « Manifestum esse, quod in omnibus, quæ sunt secundum naturam, est certus terminus et determinata ratio magnitudinis et augmenti, sicut enim cuilibet speciei debentur aliqua accidentia propria, ita et quantitas, licet cum aliqua latitudine propter diversitatem materiæ. » Nomine ergo natura constantium quamlibet speciem naturalem intelligit D. Thomas. Quod et statim magis explicat, dicens : « Quod determinatio quantitatis in rebus naturalibus est ex forma, quæ est principium speciei magis, quam ex materia. » Similia docet I part. qu. VII, art. III, ubi sic proponit rationem. Omne corpus naturale habet aliquam formam substantialem determinatam, sed ad formam substantialem sequuntur accidentia; ergo ad determinatam formam determinata accidentia : unum autem ex accidentibus est quantitas; ergo omne corpus naturale habet determinatam quantitatem, et in majus et in minus. In qua ratione illud animadvertendum est, quod cum quantitas possit duplici modo convenire corpori, aut ut consecuta ex ipsa productione prima corporis, aut ut acquisita et superveniens, non probat ratio D. Thomæ de termino quantitatis, qui convenire potest corpori seu formæ naturali per acquisitionem, et incrementum extrinsecum, sed per consecutionem ex vi generationis corporis aut formæ, quia hoc tantum ad suum institutum pertinebat, ut statim dicemus. Et in hoc pari passu currunt viventia et non viventia, quia quantitas in eis primum ad formam consecuta ex vi suæ generationis certa ac determinata esse debet, et si partes de novo aggenerentur, seu producantur, quælibet illarum cum determinata quantitate debet produci, licet si simul uniantur, ex vi talis unionis non semper determinatam quantitatem postulent. Unde aliud est quod ex vi formæ et productionis, sive totius corporis, sive partis cujuslibet determinata quantitas proveniat, aliud quod unio multarum partium et quantitatum sine ullo termino fieri possit.

Objici ergo potest contra hanc rationem S. Thomæ ex una parte, quod diminute probet, ex alia quod nimis. Quod diminuta sit, probatur; tum, quia non probat quod determinata forma postulet determinatam quantitatem, determinatio enim

formæ est quantum ad esse; determinatio vero secundum quantitatem est diversi generis : quomodo ergo ex determinatione unius infertur determinatio alterius? Tum, quia dato quod sequatur ad determinatum esse determinata quantitas, unde sequitur quod debeat esse determinata secundum majus et minus, et non secundum alias rationes, puta secundum species determinatas lineæ et superficiei, etc. et secundum determinatas figuras rotundi aut quadrati, etc. ergo formaliter ex vi determinatæ formæ, non sequitur determinata quantitas in majus et minus; tum denique, quia ad determinatam formam solum requiruntur determinatæ dispositiones intensive, non extensive; extensio enim post formam introductam et generatam crescere potest usque ad suum terminum, non ergo necesse est, quod sequatur ad formam.

Quod vero nimis probet hæc ratio D. Thomæ potest aliunde argui, quia sequitur ex illa, quod etiam non viventia habeant terminum intrinsecum quantitatis in suo incremento. Patet sequela, quia etiam in non viventibus forma est determinata; ergo et accidentia quæ ad illam sequuntur, quorum unum est quantitas, et sic quomodocunque fiat augmentum, tamen cum radix illius fit forma quæ determinata est, solum determinatæ quantitatis erit capax. Et confirmatur, quia ut sequatur determinata quantitas, non requiritur nisi determinata forma in essendo, non determinata in quantitate; alias sensus esset, quod forma determinata in quantitate, habet determinatam quantitatem, quod est ridiculum, semper autem forma inanimata est determinata in essendo, quia semper constat limitatis terminis essentia, quæ sunt genus et differentia, actualitas et potentialitas, ergo semper sequitur determinata quantitas in non viventibus.

Ad objectiones pro prima parte. Ad primam respondetur, quod ex determinatione formæ in essendo recte sequitur determinatio quantitatis, quia licet sit alterius generis a substantia in entitate, tamen in ratione effectus ad eam consecuti, et dispositionis ei servientis proportionem habet cum illa, sicut etiam qualitas, et reliqua accidentia et propriæ consequuntur substantiam diversi generis sunt ab illa in entitate, et tamen in proportione illi adæquantur, et ab illa mensurantur: est enim accidens ex suo genere entis ens, et sic licet diversum in entitate, in modo tamen et officio accommodatur substantiæ, et juxta illam mensuratur.

Ad secundam respondetur determinationem quantitatis recte sumi penes magnitudinem et parvitatem, tum, quia istimet termini a substantia originari debent, ad eamque reduci; tum, quia determinatio quantitatis non potest esse, nisi vel penes species, vel penes terminos magnitudinis. Species omni corpori naturali conveniunt, in omni enim corpore debet dari linea, superficies et profunditas; ergo determinatio quantitatis in uno corpore præ alio, non potest esse in istis speciebus, sed in terminis magnitudinis. Nam determinatio penes figuras supponit istam terminationem penes magnum et parvum, ex diversa enim terminatione quantitatis diversa resultat figura; omnis autem terminatio fit secundum plus, vel minus, erga aliquam positionem corporis.

Ad ultimam respondetur quod quantitas numeratur inter dispositiones saltem passivas, quia mediante extensione reliquæ qualitates operari possunt modo corporali, et

sibi connaturali, et per terminationem quantitatis diversam, aut densitatem, vel raritatem partium diversimode qualitas modificatur ad agendum, et in viventibus ad determinata organa requiritur determinata quantitas, et omnibus ad significationem materiæ quantitas concurrit, unde maxime pendet individuatio, sine qua non est dispositio.

Ad objectiones factas pro secunda parte, ut respondeamus, est advertendum, aliquos illo argumento convinci ad asserendum, quod non viventia habent terminum intrinsecum, licet nobis ignotus sit, nunquam enim vidimus ignem maximum, aut aquam, et ita de termino magnitudinis eorum certo scire non possumus, de quo videri potest Cursus Carmelitanus VI Phys. disp. XXVII, num. XIV et XVII. Et quando urgetur quod dato illo igne maximo, et in suo termino intrinseco, si illi apponatur stuppa, sine dubio comburet illam, et augebitur ignis, respondent, quod tunc comburet stuppam, sed non uniet sibi illum ignem, sed fiet alius distinctus ignis, vel si uniet, non manebit in statu naturali, sed via corruptionis, sicut vivens cum est in termino magnitudinis, et intumescit, vel denique tantum deperdet ille ignis ex altera parte, quantum uniet de igne ex stuppa.

Nihilominus opposita sententia tenenda nobis est, cum sit expressa Philosophi in II de Anima, textu XLI, et ibi D. Thomæ dicentium, quod ignis potest crescere in infinitum. Nec sufficienter explicatur de incremento via corruptionis; implicat enim quod via corruptionis crescat in infinitum et sine termino; aliud est enim quod terminus ejus via corruptionis debeat esse extrinsecus, aliud quod infinitus : hoc secundum repugnat, quia via corruptionis est illa, quæ tandem consumit, et corrumpit, alias via corruptionis non est, si nunquam corrumpit, sed in infinitum potest extendi; ergo infinitum augmentum via corruptionis est implicatio. Deinde, quod fatetur illa sententia, quod ignis maximus comburet stuppam, sed non uniet, incidit in illud magnum inconveniens, quod non poterit maximus ignis et aqua operari id quod minima, scilicet alterare et convertere aquam, vel ignire stuppam aggenerando sibi, cum virtus ignis non solum sit ad generandum alium, sed etiam ad aggenerandum sibi.

Quare dicimus, quod ratio S. Thomæ supra facta, non procedit de augmento extrinsecus adveniente, sed de quantitate consecuta ex forma, et idem est de augmento per intrinsecam virtutem augmentativam acquisito, quia ex virtute activa limitata et determinata consequitur. Augmentum autem extrinsecus appositum non consequitur ad formam præexistentem, aut virtutem ejus activam, sed novam formam materiamque secum affert, ideoque novam quantitatem. Et quando urgetur illa ratio, quod etiam apposita illa nova forma et materia, adhunc manet determinata et finita forma in essendo; ergo et quantitas in consequendo, responditur in re de facto et categorematice semper dari determinatam quantitatem ex determinata forma, sed syncategorematice non habet terminum, quia non pervenitur ad aliquem terminum, ultra quem non possint aliæ partes addi, nec tot quin plures; hoc enim est syncategorematice non habere terminum. Et quia D. Thomas solum intendebat probare, quod in re non datur infinitum categorematice, optime id probavit ex determinatione et finitate formæ; nunquam enim in re dabitur infinita quantitas stante finita forma, ad quam sequitur, et

cui convenit, quantumcunque partes accrescant, quia etiamsi possint crescere in infinitum syncategorematice; hoc tamen infinitum est impertransibile in re, et ita bene stat utrumque, et quod in additione et incremento partium nunquam sit infinita quantitas categorematice; et quod collectio, et additio partium syncategorematice terminum non habeat. Habet tamen illum etiam syncategorematice in viventibus, quia incrementa non superveniunt ab extrinseco passive solum se habente subjecto quod augetur, et cui fit accessio, sed activa virtute et per intus susceptionem immutante alimentum et crescente, quæ virtus cum limitata sit, non minus habere debet determinatum terminum, quantitas, ut aucta, quam ut generata.

Quod si dicas: Nam etiam in igne, v. g. accessio et incrementum fit per virtutem activam ignis aggenerantis, et convertentis in se combustibile, quæ virtus cum non minus sit limitata in igne, quam in animali, non minus habebit terminum intrinsecum in illo, quam in isto, respondetur, requiri quidem virtutem activam in igne ad transmutandum combustibilia, sed non eodem modo est limitata in igne, et in viventibus: in igne enim in omni parte est virtus igniendi et augmentandi ignem, et ita crescente igne crescit virtus augmentandi, et cum in omnibus partibus sit virtus augmentiva sufficit extrinseca positio combustibilis ut convertatur, crescatque ignis, et cum igne nova virtus augmentandi. Cæterum in viventibus virtus augmentativa non est in omnibus partibus, nec crescit aut advenit nova virtus crescente vivente, sed virtus augmentativa pertinet ad determinatam partem, seu organum, puta ad stomachum, in quem mittitur alimentum, et inde distribuitur ad omnes partes corporis, et cum per argumentum partium non adveniat nova virtus stomachi nutrientis, sed idem debet omnibus præstare alimentum, talis virtus limitata et in parte determinata residens non potest in quemcunque terminum se extendere, ignis vero et reliqua non viventia in quacunque parte habent sufficientem virtutem aggenerativam.

Adhuc tamen objicies contra id, quod dicimus, viventia non habere terminum intrinsecum via corruptionis ex Martinez in hac quæstione de maximo et minimo I Physic. Quia termini extrinseci tunc solum assignandi sunt, quando extrinseci commode non possunt: at in viventibus possunt assignare termini extrinseci via corruptionis, quia si etiam via corruptionis vivens intumescat, non propterea acquirit majorem quantitatem, qui tumor, sicut et raritas pertinent ad positionem diversam partium sub eisdem terminis quantitatis; ergo ex eo, quod via corruptionis intumescat vivens, non habebit terminum extrinsecum in quantitate, sed intrinsecum. Hoc argumentum jam supra solutum est, et non habet vim, quia non assignamus terminos quantitatis in istis rebus solum ratione intrinsecarum partium, et primarii effectus quantitatis, sed etiam ratione extensionis in loco; quia enim quantitas non potest extendi pro omni loco, neque novas partes addendo via augmentationis, neque easdem extendendo per situationem in omni loco via corruptionis, et illis assignamus terminum intrinsecum propter limitationem virtutis augmentativæ, et istis extrinsecum, ne desinat vivens per ultimum esse.

Fortius aliunde instari potest, quia posito termino intrinseco magnitudinis in homine, v. g. et incipiente via corruptionis, vel in ipsa natura

est virtus certa et determinata, ut ulterius possit via corruptionis permanere, vel non. Si non, ergo statim peribit, quia caret virtute determinata, atque adeo nullam habet, ut ulterius permaneat usque ad aliquem terminum extrinsecum; unde enim designabilis est ille terminus, si non est virtus in vivente, ut ad illum extrinseco perveniat? Si habet, ergo habebit terminum intrinsecum, etiam via corruptionis, quia currit eadem ratio atque via generationis, siquidem ex intrinseca virtute naturali habet pervenire ad talem terminum, et hæc intrinsece determinata est.

Confirmatur, quia sicut ignis maximus appositam sibi stuppam comburet et aggenerabit sibi ideoque negamus habere terminum intrinsecum, ita et animal in termino maximo suæ magnitudinis adhibitum sibi alimentum, præsertim facilis decoctionis convertet, et crescet, ergo non habet terminum intrinsecum. Quod si tantum dependet de propria substantia, quantum adquirit de alimento, idem dicemus de igne illo maximo; sicque pari passu current.

Respondetur in non viventibus via corruptionis designari terminum ex virtute naturali ipsius, non in statu naturali, sed infirma et deficiente, utpote via corruptionis tendente. Virtus autem deficiens cum minuatur, et a statu naturali removeatur, terminatur in non esse, sicut virtus effectiva et perfectiva terminatur in esse, et ideo via corruptionis illa virtus habet terminum extrinsecum, id est, non esse, via autem conservationis et generationis terminatur in esse, qui est terminus intrinsecus, præsertim quia illa deficientia virtutis venit ex dispositionibus contrariis, quæ ad generationem oppositæ formæ tendunt, et ideo virtus deficiens in extrinsecum terminatur, scilicet in generationem formæ oppositæ. In non viventibus autem non datur terminus extrinsecus in augmento, sed nullus terminus sive non determinatus syncategorematice, ut dictum est; unde non est simile, nec enim in eis signari potest terminus, in quem non perveniant, et infra illum perveniant, sed quovis dato aliud potest adjungi.

Ad confirmationem respondetur, quod quando animal perventi ad summum augmentum, ideo habet terminum, quia virtus ejus sic continua reactione disposita est, ut tantum vel plus perdat quam convertat, alias si plus converteret, adhuc cresceret. Ignis autem quanto plus augetur, non minus virtus ejus diminuitur, sed fortificatur, et ideo non est fundamentum ut dicamus, quod tantum deperdet, quantum augebitur.

ARTICULUS III.

Utrum detur terminus parvitatis intrinsecus, tam in animatis, quam in inanimatis?

Sensus quæstionis est, an corpus non mathematicum, sed naturale constans tali vel tali forma naturali, et non in sola abstractione quantitatis consideratur, possit in quacunque parte minori ac minori sine termino generari vel conservari; an vero exigat determinatam aliquam quantitatem versus parvitatem circa quam generari, aut conservari non possit, et hoc vocamus minimum illius corporis sive intrinsecum assignetur, sive extrinsecum, hoc enim etiam resolvendum est.

Srima conclusio. In viventibus terminus parvitatis intrinsecus assignandus est via generationis, et conservationis, non corruptionis. Est communis inter auctores et videri

possunt Conimbricenses 1 Phys. c. IV, q. I, art. II, et Carmelitani disp. XXVII, q. III, et alii. Ratio est, tum illa generalis posita præcedenti articulo, quia ex forma determinata, sequitur determinata quantitas, tam ex parte magnitudinis, quam ex parte parvitatis; tum specialis, quia viventia exigunt plura organa ad sui compositionem, quæ non possunt disponi in quacunque minima parte, nisi vel omnino comprimantur, seu condensentur, et ita inhabilia reddantur ad sua munera, vel penetrentur, quod naturaliter esse non potest.

Altera vero pars, quod terminus ille sit intrinsecus via generationis, sed non via corruptionis, constat ex eisdem rationibus, quibus probatus est terminus magnitudinis in articulo præcedenti. Est terminus intrinsecus via generationis, quia alias non inciperet per primum esse, sicut est proprium substantiæ, sed per ultimum non esse, quod est proprium motus, et rei successive, ut in sexto libro dicemus. Et sequela patet, quia si esset terminus extrinsecus versus parvitatem, esse verum dicere: Nunc in hac quantitate non est vivens, et immediate post erit, crescente immediate post quantitate, quia id quod immediate post sequitur in quantitate est pars indeterminata, quæ motu seu indeterminata actione adquiri debet; sed de quo verificatur, quod nunc non est, et immediate post erit, incipit per ultimum non esse, et non per primum esse; ergo, etc. Similiter via conservationis cum fiat ille motus ad parvitatem virtute naturali, oportet quod habeat determinatum terminum, sicut habet versus magnitudinem, quia a simili virtute naturali procedit augmentum. At vero via corruptionis terminus ille parvitatis extrinsecus esse debet ne alias vivens desinere possit per ultimum sui esse, sicut in termino magnitudinis dictum est. Nam assignato termino intrinseco, verbi gratia, in condensatione viventis versus parvitatem, et motu se continuante, vel immediate post desinet vivens vel non. Si non, ergo nondum erat in termino intrinseco corruptionis, si quidem adhuc eo transgresso non corrumpitur. Si desinit, ergo per ultimum esse, quia est verum dicere nunc est, scilicet in termino intrinseco via corruptionis, et immediate post non erit, quæ est desitio per ultimum esse, inconveniens autem est talis desitio in his quæ per generationem alterius desinunt, in art. I ostensum est.

SECONDA CONCLUSIO: Non viventia habent terminum intrinsecum parvitatis via generationis et conservationis. In hac conclusione non concordant D. Thomas et Scotus, sentit enim Scotus in II, dist. II, q. IX, non viventia carere termino parvitatis intrinseco ex natura sua, sed in quacunque minori parte posse generari aut conservari. Quem sequuntur aliqui recentiores, ut Rubio 1 Physic. cap. IV, qu. II, et Pereirus lib. X, cap. XXIII, propos. VII, et alii. Cæterum D. Thomas aperte tenet contrarium, tum in I par. q. VII, art. III, ubi docet, corpus naturale habere determinatam quantitatem in majus et in minus, et eadem ratione id probat, scilicet quia quantitas sequitur ad determinatam formam, quod probat terminum intrinsecum non minus in magnitudine, quam in parvitate, tum etiam in II, dist. XIV, q. I, art. I ad 4, et dist. XXX, quæst. II, art. II, in corpore expresse docet, quod corpus naturale habet determinatam quantitatem; et ideo est invenire minimam carnem, et minimam aquam, ut dicitur 1 Phys. tex. XXXVI, super quem locum etiam videri potest S. Thomas lect. IX, ubi ostendit, quod corpus mathematicum potest

dividi in infinitum, quia solum in eo consideratur quantitas, non tamen corpus naturale, quia in eo est forma, quæ sub quacunque quantitate nequit conservari. Nec potest exponi S. Thomam, quod solum intendit non dari infinitum categorematice et in actu, quod vero detur syncategorematice versus magnitudinem non intendit, et idem est versus parvitatem. Nam contra hoc est, quia esset ridiculum velle probare, quod versus parvitatem non datur infinitum categorematice, cum ipsa ratione parvitatis infinitas tollatur, loquendo de infinitate continui. Solum ergo intendit probare, quod versus parvitatem res naturalis habeat terminum etiam syncategorematice, ita quod in minori ac minori parte non possit conservari ac dividi.

Præter illud commune supra positum fundamentum de forma determinata, ad quam sequuntur accidentia determinata, et consequenter quantitas tam in majus, quam in minus, specialiter addi potest aliud. Quia si ad generationem non viventium non requiritur determinata quantitas versus minimum, sequitur quod possit aliqua substantia incipere per ultimum non esse, non autem per primum esse cujus oppositum articulo primo supposuimus, et ostendemus plenius in sexto libro. Sequela probatur. Applicetur ignis in aliquo instanti, vel creetur prope combustibile, ita quod in illo instanti non tangat nisi superficiem combustibilis, sicut communiter ignis applicatus passo solam superficiem tangit, et inde incipit diffundere suam virtutem uniformiter difformiter, et sic in illa superficie ponat calorem ut octo, et infra superficiem aliquid minus et minus successive. Tunc formo argumentum: In illa superficie non generatur ignis in illo primo instanti, quia ignis est corpus, et in superficie non potest generari, corpus enim non est sine trina dimensione, debet ergo expectare, ut pars aliqua sit disposita calore ut octo, quod erit immediate post, cum motus ille uniformis difformis cœperit in parte sequenti post superficiem intendi, et communicare calorem ut octo, ergo cum immediate post instans attingatur a calore superficiei pars immediata communicando illi calorem ut octo, et in quacunque minori parte generetur ignis, immediate post generabitur, sed immediate post instans sequitur tempus, ergo in tempore incipiet generatio, et sic erit verum dicere in illo instanti, nunc non est ignis, immediate post erit, quod est incipere per ultimum non esse.

Confirmatur, quia ignis non potest generari in puncto vel indivisibili, ut probatum est, quia est corpus, ergo in aliquo divisibili: si ergo non requirit quantitatem determinatam, sed quacunque data in minori incæpit, ergo non est assignare primum esse sed quocunque dato ante incæpit, ergo ad modum motus incipit.

Omitto aliam rationem, quia res minimæ quantitatis non potest habere operationem, ergo nec esse quod est propter operari. Sed responderi potest, quod habet insensibilem operationem, nec enim solum sunt in esse, quæ sub sensum cadunt ex defectu solius quantitatis. Quod tamen incertum est, et qua facilitate dicitur, negatur.

Quod vero iste terminus versus parvitatem sit intrinsecus, constat ex dictis, tum quia operatio ut procedat, exigit quantitatem determinatam in ipsomet operante, et non extra illud, ergo est terminus ei intrinsecus; tum quia alias si sufficeret extrinsecus, posset incipere ignis, verbi gratia, per ultimum non esse

ab ea parte, quæ immediate sequitur post terminum extrinsecum, ut ostensum est. Et denique, cum sequatur ad formam intrinsecam tamquam accidens ejus, intrinsecus quoque terminus erit, id est, in ipso existens. Et similiter ostenditur, quod via corruptionis non habent terminum intrinsecum parvitatis, sed extrinsecum, qui alias posset desinere non vivens per ultimum sui esse, supervenireat ad terminum illum sibi intrinsecum in parvitate, et immediate post continuando motum condensationis, aut divisionis minoraretur; tunc enim immediate post illum terminum desineret. ergo per ultimum esse, quia quando esset in termino, possemus dicere, nunc est et immediate post non erit, quod in desitione corruptiva substantiæ nequit concedi, ut supra ostendimus.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur vulgari illo, sed difficili argumento: Quia ignis, verbi gratia, approximatus materiæ dispositæ prius agit in partem propinquam, quam remotam, cum agat uniformiter difformiter, ergo prius introducit calorem, ut octo in partem propinquam, quam in remotam. Et quacunque parte minima designata, cum sit divisibilis, actio uniformis difformis prius introducit calorem ut octo in medietatem, et in medietatem medietatis, et sic in minus successive quam alias partes. In quacunque autem minori ac minori parte introducatur calor ut octo, non compatitur forma opposita, cum sit dispositio ultima; ergo generatur ignis, alias sine ulla forma maneret materia, ergo non habet determinatum terminum versus parvitatem. Dicere autem, quod producto illo calore ut octo in illa immediata parte, cessat ibi agere, quousque alia pars sit æque disposita in quantitate ad ignem requisita, et tantum conservat calorem partis immediatæ, est dicere quod in parte illa immediata cessat motus, cum solum sit conservatio et quies præcedentis, et si ibi cessat motus cessabit etiam in sequentibus, quæ a motu primæ partis pendent.

Confirmatur simili argumento in nutritione ex alimento, vel aggeneratione continua ignis in papyro; quando enim motus ille continuus nutritionis, vel aggenerationis pervenit ad ultimam partem minimam papyri, vel alimenti ut convertatur in ignem vel carnem, vel immediate post illa minima pars papyri tota convertitur in ignem, vel non. Si non, ergo adhuc infra terminum parvitatis propriæ manet papyrus, vel alimentum saltem via corruptionis, et sic non habet terminum intrinsecam. Si non remanet, ergo cum omnes illæ partes infra minimum nondum sint æque ultimo dispositæ, quia uniformiter difformiter dispositio introducitur, relinquitur, quod est forma ignis introducetur in aliquas ex illis partibus sine sufficienti dispositione, scilicet calore ut octo, manebit materia sine forma.

Respondetur admisso casu disputationis gratia (nam vix contingere potest, ut ignis vel agens naturale applicetur quantitati ita minori) quod producto calore infra octo in parte minori, quam requiratur ad quantitatem ignis cessat intendere calorem in ea parte, quousque debita quantitas ulterius sit disposita eodem modo, ita quod subito in tota illa quantitate introduci possit calor ut octo, qui est ultima dispositio et sine forma ignis non invenitur; ultima enim dispositio nunquam introducitur, nisi cum forma, et concomitantia reliquorum

accidentium, quorum unum est quantitas debita, unde hæc ultima dispositio, licet in ratione accidentis præcise debebat lege alterationis produci uniformiter difformiter, tamen ut ultima est et necessario annexa ipsi formæ substantiali, introducitur ipsa lege generationis substantialis, scilicet modo formæ substantialis et expectando reliqua accidentia, et dispositiones talis formæ. Et quod producta qualitate aliqua infra ultimam dispositionem in quantitate indebita, cessat actio ulterioris qualitatis productiva, quousque debita quantitas sit disposita, patet ex duobus; tum in generatione viventium, quæ exigunt determinata organa, unde licet una pars minor, vel indesignata habeat qualitatem requisitam ad carnis vel ossis materiam, verbi gratia, talem duritiam, non tamen introducetur ibi forma viventis, quousque organa sint in quantitate debita disposita, ita suo modo non vivens quousque habeat quantitatem, non quidem organizatam, sed sibi debitam dispositam non generabitur. Et secundo id apparet in flamma quæ vicinam superficiem aut partes aeris non inflammat, sed in eis conservat calorem, et si ponatur materia nimis sicca, ut papyrus vel sulphur aliquantulum distans inflammat eam; ergo signum est, quod non movendo vicinas partes, sed conservando calorem potest in aliquid agere. Et sic quando dicitur, quod cessante motu in parte immediata, cessabit in ulterioribus, distinguo; cessante motu conservatione primi caloris simul, concedo, cessante motu, sed non conservatione caloris nego, per illum enim conservatum reliquæ partes moventur usquequo sint æquo pondere omnes dispositæ, ut in omnibus simul cum quantitate requisita calor ut octo, simul per generationem formæ introducatur; postea vero in aggeneratione, continuatione quadam producetur, quia jam supponitur debita quantitas generata. Quomodo autem ultima dispositio non introducatur sola alteratione, sed simul concurrente generatione, in lib. de gener. explicabimus, sed sufficit advertere, quod si ultima dispositio est necessario annexa formæ substantiali, quid mirum quod sit annexa generationi, et sine ipsa non introducatur? Licet cum habitudine ad qualitatem præcedentem per alterationem introductam, cui continuatur vel coordinatur, et ratione filius habitudinis fungitur causalitate seu prioritate dispositionis, et causæ materialis, ut ibi latius explicabitur.

Ad confirmationem respondetur, quod quando pervenitur ad illas angustias, quod alimentum vel combustibile pervenit ad suam minimam quantitatem, non solum in qua esse potest via generationis (inde enim adhuc ulterius progredi potest motus via corruptionis non ejecta forma combustibilis, alias desineret per ultimum esse illa forma, ut supra dictum est) sed etiam in qua esse non potest via corruptionis, quæ est terminus extrinsecus parvitatis, tunc considerandum est, quod licet tota illa pars non receperit uniformiter dispositiones usque ad ultimam; tamen dicendum est, quod vel illæ dispositiones minores ultimo per accidens sunt sufficientes, ut introducatur ultima, quia sublata quantitate debita, reliquæ omne dispositiones formæ præcedentis cessant, et sic solvitur forma substantialis a materia; sublatis autem omnibus dispositionibus subjecti, sive per se a contraria dispositione, sive per accidens destructa quantitate requisita, et consequenter dispositionibus, quæ mediante illa in subjecto sunt tollitur forma, et datur locus ut generans introducat formam sub-

stantialem et dispositionem ultimam, utendo generatione, et non amplius alteratione. Vel dicendum, quod pervenitur ad minimam illam quantitatem infra, quam potest sustantari forma, sed in alia non potest, cessabit motus conservando dispositiones immissas, quousque in reliquis partibus dispositio sufficiens æque introducatur, ut super omnes ultima dispositio cum forma substantiali introduci possit, sicut de igne primo applicatur passum, et generante ignem dictum est.

Secundo arguitur: Si non viventia habent terminum intrinsecum parvitatis, accipiamus corpus quod in toto universo minimam inter omnia quantitatem exigit, et ponatur in sua minima quantitate, tunc dividatur a Deo, vel Angelo, nulla alia alteratione vel dispositione facta, quam divisione, vel facta divisione, adhuc manebit illud minimum vel non. Si manebit, ergo ultra terminum intrinsecum parvitatis invenitur, et sic ille non erat terminus. Si non manet, ergo convertitur in aliud corpus, sed supponimus quod in nullum aliud corpus potest esse minus in toto universo, ergo in nullum aliud corpus potest converti. Et præsertim quia ex vi divisionis non apparet quæ forma possit ibi introduci. Et si dicatur, quod convertetur in corpus proximius circumstans, contra est, tum quia potest contingere quod sit minus dispositum et proportionatum illi corporis circumstanti ut in illud convertatur: tum quia potest Angelus vel Deus dividere illud corpus in vacuo, et tunc non habet circumstans corpus in quod converlatur. Item sit minimum panis vel vini, in quo ejus species salvari possit, et sacerdos intendat consecrare medietatem tantum, tunc medietas erit consecrata, et altera medietas sub forma panis vel vini, dabitur ergo tunc aliquid vini vel panis sub minori minimo, quod est non habere terminum intrinsecum parvitatis. Confirmatur, in ipsa aggeneratione, qua ignis serpit per papyrum, vel vivens convertit nutrimentum, forma tunc introducitur ad modum motus ipsius aggenerationis continuæ, ergo in minores ac minores sine termino determinato parvitatis; ergo similiter quando primo generatur, nec enim magis determinata accidentia exigit in generatione quam in aggeneratione.

Respondetur in illo primo casu, illud minimum aggenerandum et addendum esse corpori viciniori activitatis virtutis, vel si undique circumdetur corpore æqualis activitatis, Deus determinabit in quod convertetur sicut alias causas determinat. Et dum incipit divisio, incipit esse in minori parte infra minimum via corruptionis, quod non est inconveniens. In vacuo autem non poterit illud minimum dividi ab Angelo, resistente tota natura, quia non potest aliud corpus generari, et consequenter neque istud corrumpi aut sine debita quantitate, et dispositionibus permanere. Si vere Deus velit in vacuo dividere, tenebitur conservare substantiam infra minimam quantitatem, quod bene potest facere, sine dispositionibus enim potest conservare formam in materia.

Quoad secundum casum respondetur, quod illa pars media non consecrata cum maneat continuata, et sub eadem quantitate cum alia medietate consecrata, eodem modo conservabitur atque ante consecrationem, eo quod quantitas medietatis consecratæ ex sustentatione divina habet vim substantiæ, et ita facit omnia, quæ ibi faceret substantia, si adesset, si autem ibi adesset substantia in illa medietate, conservaretur alia illi adjuncta, ergo similiter facta consecratione.

Ad confirmationem respondetur aggenerationem fieri per modum motus in minores ac minores partes quia non seorsum ponuntur, sed ut aggregatæ et conjunctæ ei cui aggenerantur: unde in aggeneratione nunquam datur quantitas minor minima separata et seorsum, hoc enim est inconveniens, conjuncta vero alteri majori non solum est inconveniens, sed necessarium in omnibus corporibus. In prima autem generatione fit corpus aliquod per se ut totum, non ut pars aggregata, et ita si fieret in minori ac minori quantitate, fieret sine quantitate sibi debita et propria, quæ debet esse certa ac determinata, sicut alia accidentia.

Ultimo arguitur: Posse dividi in infinitum sine termino est passio quantitatis, et non impeditur per formam substantialem, cui inhæret, cum hæc ipsa forma sit ratio, et radix ipsius quantitatis, et consequenter divisibilitatis in infinitum, ergo potest dato quocunque minimo adhuc dividi, præsertim in homogeneis, quæ ejusdem rationis sunt in toto et in partibus. Nec est assignabile a quo provenial illud impedimentum divisionis ultra minimum, non enim provenit a natura quantitatis secundum se, quia hæc potius petit dividi sine termino nec a forma substantiali, quia hæc est radix talis quantitatis, nec a qualitatibus, quia istæ in puncto conservari possunt et intendi ac remitti, ergo a nullo.

Respondetur, quod posse dividi in infinitum sine termino, non est passio quantitatis in statu naturali, et ut sequitur ad corpus naturale, sed quantitatis mathematice consideratæ, et secundum abstractionem ab omni corpore et motu. Forma autem non est radix quantitatis sub statu mathematico, sed sub statu naturali, id est, ut deservit operationi et motui, aliisque dispositionibus ad generationem requisitis. In statu autem mathematico ponitur solum per considerationem intellectus, quo præcise consideratur id, quod extensionis est, ex vi enim hujus præcise considerati non repugnat dividi, sed tamen ex aliis adjunctis, prout in statu naturali, scilicet prout deservit dispositioni ad generationem et operationi, et ut dimanat a certa, ac limitata forma, sic non potest dividi in quascunque minimas partes servata illa forma. Unde dicitur ad argumentum, quod impedimentum divisionis provenit ex determinata forma, quæ est radix quantitatis, non absolute et sub statu mathematico, sed ut deservit sibi et sub statu naturali, et consequenter determinata est: quod si dividatur, forma tollitur, quæ exigit illam dispositionem, et consequenter ipsa quantitas, quæ pereunte subjecto non potest conservari.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CIRCA SECUNDUM LIBRUM.

DE NATURA ET CAUSIS.

—

QUÆSTIO IX.

DE NATURA, ARTE, ET VIOLENTO.

In ipsa definitione naturæ eas particulas posuit Philosophus, quibus natura ab artificioso,et violento distinguitur. Utrique enim opponitur illa particula, *principium motus ejus, in quod est ;* non enim ex intrinseco principio movetur, sive quod movetur arte, sive quod vi.Et ideo, quia oppositorum eadem est ratio, agendo de natura, quæ principium motus intra se habet, simul agemus de artificioso, et violento,quæ solum habent principium extrinsecum motus. Licet autem natura etiam opponatur supernaturali et libero, tamen ad Physicum non spectat illas differentias per se considerare, quia utrumque tam supernaturale, quam liberum a motu sensibili non dependent : violentum autem et artificiosum in sensibilibus sinveniuntur.

—

ARTICULUS PRIMUS.

Explicatur definitio naturæ.

Varias naturæ acceptiones plerique derivant, sed evidenter S. Thomas ex Philosopho v Metaph. tex. v, ejus acceptiones declarat 1 p. quæst. XXIX,art. 1 ad 4, et hoc modo analogiam hujus nominis explicat : « Nomen, inquit,naturæ primo impositum est ad significandum generationem viventium, quæ dicitur nativitas. Et quia hujusmodi generatio est a principio intrinseco, extensum est hoc nomen ad significandum principium intrinsecum motus. Et sic definitur natura in secundo Physicorum. Et quia hujusmodi principium est formale, vel materiale communiter tam materia, quam forma dicitur natura. Et quia per formam completur essentia cujuscunque rei, communiter essentia cujuslibet quam significat ipsa definitio vocatur natura. Unde Boetius dicit : Quod natura est unum quodque informans specifica differentia, specifica enim differentia est, quæ complet definitionem, et sumitur a propria rei forma. » Ita D. Thomas.

Igitur natura absolute sumpta, et sine addito istis quatuor modis sumitur, scilicet pro nativitate seu nascentia, pro principio motus seu generationis, pro materia, vel forma,pro essentia et quidditate, quæ explicatur in definitione. Aliquando vero natura sumitur cum aliquo addito pro tota universitate rerum, ut quando dicimus : Aliquid est in rerum natura, et D. Thomas sæpe docet totam naturam esse instrumentum Dei, ut I-II, q. 1, art. II, et q. VI, art. 1 ad 6. Aliquando sumitur pro

ipso auctore naturæ, qui non tam est natura, quam origo ipsa, principiumque totius naturæ, et ab aliquibus appellari solet asperieri vocabulo *natura naturans*, id est, ordinans naturam.

In præsenti ergo naturam considerat Philosophus in secunda acceptione pro principio motus intrinseco, ut D. Thomas advertit loco citato et II Physic. lect. II. Quod autem ex principiis istis componitur potius est principiatum, quam principium. Quod si dicas : Cur ergo Philosophus egit de principiis rei naturalis in primo libro, et rerum in hoc secundo agit de natura pro principiis rei naturalis, respondetur quod cum natura definiatur hic respective, ut S. Thomas advertit in hoc secundo Physicorum, lect. 1, id est,sub habitudine ad totum, non inconvenit de principiis rei naturalis tractasse in primo libro, quatenus ex illis constat ens naturale sive in fieri, sive in facto esse. Hic autem de principiis rei naturalis, seu de natura agit sub habitudine, et respectu ad motum, sic enim induit rationem naturæ, in quantum est principium motus, sive active, sive passive, atque ita in primo libro considerantur principia, ut constituentia ens naturale, sive in fieri, sive in facto esse, ibique non tam consideratur principium ut activum, et passivum, quam ut materiale et formale. In præsenti vero considerantur principia non ut constituentia ens naturale, sed ut principiantia motum, et ita consideratur principium ut activum, vel passivum.

Est igitur definitio naturæ : Natura est principium et causa motus, et quietis ejus, in quo est primo, et per se, et non secundum accidens. Primo loco ponitur in definitione naturæ principium, et causa. Cur utrumque posuerit Philosophi multi quærunt, et multa respondent. Aliqui solum majoris explicationis gratia : alii, quod addidit causam ad componendam privationem, quæ est principium motus, et non est natura,quia non est causa. D. Thomas II Physic. lect. 1, dicit poni principium, et causam ad designandum, quod in aliquibus natura, est principium passivum, in aliis activum, et hoc designatur per ly *causa*. Addere etiam possumus, quod quia intendebat Philosophus definire naturam substantialem, ut ex quarta particula constabit, oportuit significare, quod esset principium motus non quomodocunque, sed primum, seu radicale,et positive ordinatum ad motum, ideo nec posuit solum principium, quia hoc etiam convenit privationi, nec solum causam, quia hoc etiam convenit virtuti, sed potentiæ motivæ, quæ est accidens, sed utrumque conjunxit, ut intelligeretur, quod debet esse principium positivum causans motum, non tanquam medium operandi, quod est virtus, sed tanquam principium, quod est radix.

Secunda particula est, *motus, et quietis*. Nomine *motus* non intelligitur solum localis, sed quicunque motus physicus, et componens, sive localis, sive alterationis, etc. Illa autem copula *et*, non intelligitur copulative, ita quod ut aliquid sit natura,oporteat utrumque esse principium, sed intelligitur distributive distributione accommoda : in aliquibus enim natura est principium motus, in aliis quietis, in aliis utriusque solius motus, ut in viventibus, in quibus si omnis motus cessat, cessat vita ; solius quietis,ut in cœlo empyreo, et in toto terræ globo qui perpetuo quiescit ; utriusque, ut gravia, et levia, quæ aliquando quiescunt, aliquando moventur, eo quod in eis unum ordinatur ad aliud,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

scilicet motus ad quietem. Quare tota natura in communi est principium motus, et quietis distributive. Non autem ponitur disjunctive, motus, vel quietis, ne daretur intelligi, quod ad naturam in communi, seu ad totam collectionem naturæ sufficeret alterum, scilicet sola quies vel solus motus; dum autem utrumque distributive intelligitur, omnia in tota collectione naturæ reperiri significatur. Neque est inconsuetum sic tradere definitiones, sicut quando anima definitur a Philosopho quod anima est, qua vivimus, sentimus, loco movemur, et intelligimus: non quod omni animæ in singulari id competat, sed aliquid illorum omni animæ, alicui etiam animæ omnia illa, sicut animæ rationali. Nomine vero *quietis*, non intelligitur pura carentia motus, sed carentia illius cum possessione termini, hujus enim quietis possessivæ, principium reale est natura, carentiæ vero qua tenus est nihil, non datur principium reale.

Tertia particula *ejus in quo est*, ponitur ad excludendum principia extrinseca motus. Hæc enim non constituunt naturam, et sic excluduntur artificialia, quæ non habent motum ortum ex aliqua forma, seu principio intrinseco, sed ab arte, quæ extrinseca est naturæ, et similiter violentum, quod est ab aliqua vi extrinseca, et denique efficientia alicujus motus in aliquid extrinsecum constituit aliquid, nec determinat naturam, sed solum quatenus in se movetur aliquo principio intrinseco; unde ignis non dicitur natura, quia active calefacit aliud extra se, nec animal ex eo quod generat aliud, sed quia habet principium motus in se; ut ignis, quia potest descendere sursum, et aqua, quia potest descendere deorsum, et similiter, quia potest calefieri et corrumpi; ad hoc enim habet principium intrinsecum passivum, et sic omne principium motus convenientis ipsi mobili dicitur natura.

Sed dices: Calefactio ignis, etiam ut actio est, est naturalis neque enim libera, vel artificialis, vel violenta est; ergo procedit a natura ut natura est; et idem dici potest de generatione, quæ est actio procedens a natura, ut natura est.

Respondetur, actiones illas dici naturales, non quia natura constituatur ratione illarum, vel per ordinem ad illas, sed quia consequuntur ad naturam, et ex inclinatione illius sunt, vel ad naturam propagandam ordinantur. Hoc enim quod est efficere, vel movere alteram a se etiam potest competere agenti non naturali, sed artificioso, et violento, imo et principio immobili alia moventi, scilicet Deo. Ex hoc ergo quod aliquid moveat aliud præcise, non dicitur natura, nec perficiens ad rationem mobilis; sed tamen potest dici actio erga alterum naturalis, vel quia naturam generat, vel quia a naturæ inclinatione procedit; quod totum supponit naturam constitutam, non autem formaliter constituitur per hoc, quod sit principium talis motus moventis aliud a se.

Quarta particula est *primo et per se, et non secundum accidens*. Ubi particula *primum*, denotat secundum communem explicationem, quod natura non debet esse principium motus secundarium, et instrumentale, quale est accidens, sed radicale primum quale est substantia: accidens enim est aliquid adjunctum naturæ, non constituens naturam, sed illi constitutæ inhærens. Denique additur illa particula *per se et non secundum accidens*, juxta aliquos solum ob majorem explicationem juxta alios, præsertim

D. Thomam, et secundum textum litteræ, ad excludendum ea, quæ ab aliquo interiori moventur, sed per accidens adjuncto, sicut, v. g. cum medicus curat seipsum, talis sanitas provenit a principio ipsi medico intrinseco, sed tamen quia contingit hunc, qui sanatur, esse medicum: per se enim est quod infirmus sanetur, per accidens vero, quod qui est infirmus sit medicus; ideo non dicitur sanari a natura, sed ab arte, sicut alii infirmi, qui curantur a medico.

Sed instabis contra utramque particulam: Nam potest dari ars ad facienda opera, non alterius, sed sui tantum, sicut ars cantandi, saltandi, et ratiocinandi, etc. quæ non per accidens, sed per se, id est, ex suo objecto solum possunt fieri a principio intus existenti, et in eo, in quo est; ergo per hoc non differunt naturalia ab arte. Item superflue ponitur duplex illa particula *primo per se*; nam si est primum principium, hoc ipso non est accidentaliter conjunctum, et consequenter est per se.

Respondetur quod illa opera artificiosa quantum ad substantiam non fiunt ab arte, sed solum quantum ad modum, quo diriguntur, et sic licet ex parte substantiæ operis sint actiones propriæ ipsius subjecti, et a principio intrinseco fiant, tamen quantum ad modum, quo fiunt secundum talem directionem artificiosam, non fiunt a principio intrinseco ipsi naturæ corporeæ, quæ sola est natura mobilis, de qua in præsenti agimus, sed fiunt a principio adquisito per cognitionem, et non habente radicem in ipsa natura, sed accidentaliter conveniente, et sic dicitur principium intrinsecum, quia inhæret in ipso homine, non quia a natura dimanat. Specialiter autem ars ratiocinandi non dirigit opera naturalia, sed operationes intellectus artificiose disponendo objecta, non introducendo in ipsos actus rationis artificialem et realem formam.

Ad secundum dicitur, quod illa particula *primum* denotat, quod principium debet esse intrinsecum radicale, sed quia non satis explicatur, quid sit esse radicale principium, adhibetur illa particula *per se*; sic enim intelligimus, quod non solum est primum respectu operationis, et motus, sed quod in ipsa essentia rei est primum tanquam per se illi conveniens.

Sic explicata naturæ definitio plures habet difficultates. Sed quia omnes illæ non tam difficultatem faciunt circa ipsam definitionem naturæ, quam circa ea, in quibus ratio naturæ invenitur sequenti articulo declarabuntur.

ARTICULUS II.

In quibus ratio naturæ inveniatur?

Circa ea, quibus convenit ratio naturæ aliquæ se offerunt difficultates. Prima, an ratio naturæ conveniat composito; an solum partibus componentibus, scilicet materiæ, et formæ? Secunda, an conveniat cœlo? Tertia, an conveniat elementis, scilicet gravibus et levibus? Quarta, an conveniat animæ rationali, ut rationalis est? Denique, an conveniat Angelis, et Deo?

De composito.

Si totum compositum sumatur pro supposito subsistente in concreto, manifeste excluditur a Philosopho a definitione naturæ in hoc secundo libro, tex. XII, dicens: « Quod compositum natura quidem non est, sed est, et constat natura, ut homo. » Itaque compositum est

principiatum, non principium: natura autem principium est motus, et quietis; similiter theologia distinguit naturam a supposito, et in Christo fatetur duas naturas et unam Personam; et in Deo tres Personas, et unam naturam, non ergo suppositum, seu Persona natura dicitur.

Si vero loquamur de toto, non pro ipso supposito, sed pro forma totali, sicut, verbi gratia, humanitas, in qua materia et forma inveniuntur; controvertitur ab aliquibus an conveniat illi ratio naturæ, nam ex una parte non videtur id posse negari, cum fides fateatur, quod Verbum assumpsit humanam naturam, id est, humanitatem ipsam, non assumpta Persona; ergo humanitas natura est. Deinde, quia humanitas est principium, et ratio operationis per modum principii *quo*, non per modum principiati, et *quod*, ut evidenter patet in Christo respectu operationum, et motuum, qui media humanitate illi conveniunt, horum enim motuum humanitas est principium *quo*; ergo convenit illi definitio naturæ ab Aristotele designata. Quod enim aliqui dicunt humanitatem in Christo Domino esse operativamut *quod*, et non solum ut *quo*, neque actiones esse suppositorum, sed singularium, supra q. VII, art. II, impugnatum est. Quod si convenit formæ totali esse principium operandi *quod*, de partiali forma substantiali etiam id poterit dici, et sic talis modus operandi *ut quod*, in forma totali non magis excludet illam a ratione naturæ, quam formam partialem.

Ex alia vero parte excludi videtur forma totalis a ratione naturæ, quia licet humanitas sit principium *quo* motus, et quietis, non tamen est primum principium simpliciter et tanquam elementum primum, unde generatio fit, quia ita est principium, quod etiam est principiatum; ex aliis prioribus, scilicet materia et forma, unde non includitur in definitione data, quæ dicit, quod natura est principium motus, et quietis primo et per se, humanitas autem non est principium primum, sed ex primis principiis constans. Et adstipulatur Philosophus V Metaph. text. I, dicens: « Quod natura principium est, et elementum, » sumit ergo naturam non pro quolibet principio, sed pro principio quod est elementum, humanitas autem non est elementum, sed ex elementis. Item ibidem cap. IV, text. V, dicit Aristoteles: « Quod natura est id, ex quo primo inexistente generatur, quod gignitur, » primum autem inexistens, ex quo aliquid generatur, non est integra natura, seu humanitas, sed pars aliqua, ex qua fit humanitas. Nec tamen negat ista sententia humanitatem, seu formam totalem esse naturam sumpta natura pro quidditate, seu essentia, ut opponitur supposito, non tamen esse naturam prout explicatur in definitione Aristotelis, quæ solum includit prima principia motus, et quietis, non quæ sunt ex his.

Hæc difficultas non tanti momenti est, quanti fit ab aliquibus, qui nimis in hanc ultimam sententiam inclinant, sed tamen prima sententia videtur magis conformis menti D. Thomæ qui in V Metaph. lect. IV, explicans illa verba Philosophi text. V, ubi dicit: « Quod est natura ipsa forma ut substantia, » intelligit illa de forma totali, inquiens: « Quod non solum forma partis dicitur natura, sed species ipsa, quæ est forma totius, ut si dicamus, quod hominis natura non solum est anima, sed humanitas, et substantia, quam significat definitio. » Ita D. Thomas. Cum autem in illo loco Philosophus agat de natura eo modo, quo illam definivit in hoc secundo libro Physicorum, siquidem ex illo loco oppositi Auctores suam confirmat sententiam, efficitur planum, quod D. Thomas etiam loquitur de natura, prout hic definita est ab Aristotele, quando illam tribuit formæ totali.

Ad fundamentum oppositum respondetur, quod in definitione naturæ, quando dicitur, quod est primum principium, ly *primum* idem est quod substantiale, seu radicale, ut opponitur accidentali, et instrumentali, non autem oportet, quod sit primum partiale, et per modum primi elementi. Humanitas autem principium substantiale est, et hac ratione primum. Quod vero dicitur humanitatem esse genitam, non vero principium generationis, respondetur humanitatem esse genitam ut *quo*, non ut *quod*; et sic manet intra lineam principii substantialis; id enim quod se habet ut *quo*, est principium ejus, quod se habet ut *quod*. Non autem requiritur quod natura sit principium generationis, sed sufficit quod alterius motus, nam in cœlo datur natura, et non principium generationis.

Ad primam auctoritatem Philosophi dicitur, quod in illis verbis: *Natura quoque principium est, et elementum*, non attribuitur naturæ utrumque copulative, sed naturæ, et elemento attribuitur, quod sit principium, quasi dicat, natura principium, et etiam elementum est principium, non vero natura est elementum, et principium. Quæ constructio litteræ significatur ibi a D. Thoma lect. I, dicens: « Quod natura est principium, sicut illud a quo incipit motus, elementum autem sicut pars prima in generatione rei. » Ad secundum vero locum dicitur, quod ibi Philosophus plures acceptiones naturæ referens ponit secundam, quando dicitur natura, ex qua primo inexistente generatur, quod gignitur: tertium autem modum dicit esse, quando natura dicitur, unde primus motus in unoquoque est eorum, quæ natura sunt in eo secundum quod ipsum est. Qui tertius modus continet definitionem naturæ traditam hic in II Physicor. Ergo perperam ex denegatione illius secundi modi intenditur probari, quod humanitati non conveniat iste tertius.

De materia et forma.

De forma nulla est difficultas, quod sit natura, imo magis esse naturam, quam materiam, aperte docet Philosophus II Phys. cap. I. De materia multi dubitant, et quidam extreme sentiunt in hac parte, sentiunt enim aliqui, solam materiam, vel generalius loquendo solum principium passivum non activum esse naturam, quod attribuitur Scoto in II, dist. XVIII, quæst. unica, ut referunt Conimbricenses in II Physic. c. I, q. III, art. I, et P. Fuente lib. II Physic. q. I, diffic. II. Alii per aliud extremum solum principium activum sentiunt esse naturam, et ita excludunt materiam a definitione naturæ, quod attribuitur Valesio quæst. XI, ad Tyrones, et eam videtur sequi P. Vazquez I-II, disp. XXV, cap. III. Nec possunt hanc sententiam negare, qui existimant rationem naturæ solum analogice convenire materiæ respectu formæ, ut Cabero hic tractatu secundo, disp. I, dub. IV. Et fundamentum hujus sententiæ dependet principaliter ex his, quæ articulo quarto dicenda sunt; præcipue enim fundatur in eo, quia naturale oppnitur violento; ad rationem autem violenti requiritur, quod inveniat resistentiam in passo, quæ fit per activitatem illius, non

per receptionem passivam, alioquin omnis motus erit naturalis, quia omnis motus habet principium passivum: ergo ad rationem naturæ, ut opponitur violento, requiritur principium activum, et non sufficit passivum: quod fundamentum ibidem expondetur.

Fundamentum autem primæ sententiæ ad id redacitur, quia inde primo denominatur natura, unde mobilis esse dicitur, et in tantum est natura, in quantum mutabilis, sed esse mobile, et mutabile, importat principium passivum, ergo ratione illius aliquid denominatur natura.

Confirmatur, quia natura est principium motus intrinsecum, hoc autem non habet ratione principii activi, sed passivi, imo per accidens se habet ad motum, quod habeat principium activum ad illud, sicut si ægrotus habeat principium curationis, scilicet artem medicam, per accidens se habet ad sanationem. Unde etiam activum principium si purificetur ab omni passivo, exuit rationem naturæ, et solum est motor naturæ; ut ergo sit natura, necessario debet supponere principium passivum motus, et ab illo solo denominabitur natura, quia si ab activo denominaretur, etiam remoto passivo fieret denominatio; imo quando datur utrumque principium tam passivum, quam activum, ab activo nullo modo fit denominatio, ut patet in igne, qui non denominatur natura, ex eo quod calefacit active, sed ex eo, quod est mobilis passive. Neque negat hæc sententia, quod viventia habeant naturam; sed dicit, quod viventibus convenit natura ratione passivi principii ad motum, non ratione activi. Unde fit, quod ille motus sit in viventibus naturalis, qui est a principio extra ad quod vivens passive se habet, ut motus cordis, primus actus intellectus, et similia; quæcunque enim determinantur ab alio, dicuntur naturaliter ferri; et recedit a naturali, quod se determinat, de quo D. Thomas I p. q. XVIII, art. III.

Nihilominus dicendum est: Ratione naturæ, ut explicatur definitione data proprie convenire materiæ, et formæ, principio activo et passivo, dummodo sit principium activum motus in seipso, sicut se movent viventia. Hæc conclusio sumitur ex D. Thoma II Physicor. lect. I, ubi inquit: « Quod in rebus naturalibus eo modo est principium motus, quo eis convenit motus, quibus ergo convenit movere, est principium motus activum; quibus autem competit moveri, est in eis principium passivum, quod est materia, quod quidem principium in quantum habet potentiam naturalem ad talem formam, et motum, facit esse motum naturalem. » Ita D. Thomas. Et videri etiam potest in locis articuli quarti citandis, ubi aperte tenet, etiam principium passivum esse capax violentiæ, et consequenter esse in se naturam. Et videri possunt pro hac sententia Conimbricenses ubi supra, et M. Soto in II Physicor. quæstione prima, conclus. III.

Fundamentum est; tum quia motus naturales sunt diversi in diversis naturis, cujus diversitatis ratio debet reducrad diversitatem formæ, et principii activi, ergo forma est principium naturale; tum quia in viventibus proprie invenitur ratio naturæ, alias sola inanimata, non autem viventia constabant natura; cum tamen vivens, in quantum vivens habeat processionem naturalem, scilicet generationem, quæ est opus naturæ, et alios etiam motus naturales: constat autem, quod unicus in hoc distinguitur a non viventi, quia habet principium activum se movendi, quod inanimato

non convenit, ergo principium activum proprie habet rationem naturæ. Nec dici potest motum proprium animalium, verbi gratia, motum progressivum non mere naturalem, sed mixtum ex violento, et naturali, quia fit per elevationem, et depressionem unius partis, et pro ea parte, qua elevatur, est violentus, et contra gravitatem. Contra hoc enim est; tum quia multi alii motus naturales inveniuntur in animali, qui nihil habent de violento, ut motus augmentationis, et nutritionis, motus cordis, pulsationis, etc. Tum etiam quia licet motus progressivus aliquid habeat violentiæ respectu gravitatis, non tamen respectu naturæ animalis, cui motus ille naturalis est, ut pote a propria virtute se movendi, quæ ex ipsa natura animalis, ut animal est, originatur.

Quod vero materia, et principium passivum habeant rationem naturæ, constat, tum quia ipsa materia prima per sui transmutationem vere est causa motus, et susceptionis formarum, ergo vere est principium motus et quietis; tum etiam, quia aliquis motus datur naturalis, qui non habet principium activum, neque ex parte formæ, neque ex parte materiæ, sicut motus cœli, supposito quod cœlum non est vivens, et tamen motus circularis est ei naturalis, ut contra Vazquez, et alios probavimus infra; et dispositiones quæ in aliquo subjecto recipiuntur, in illo sunt motus naturales, et non violenti, alias generatio non fieret naturaliter, et tamen in illo subjecto non habent principium activum, neque ex parte formæ, quia illam expellunt, neque ex parte materiæ, quia in illa recipiuntur.

Ad primum a principio, respondetur Conimbricenses hic quæst. III, art. II, sentire, quod omnis motus est naturalis respectu materiæ, violentus autem respectu compositi, si est contra inclinationem formæ: cæterum non potest omnis motus dici naturalis materiæ, cum non omnis disponat illam ad generationem formæ, quod solum est ei naturale, ut patet in motu, quo projicitur lapis sursum. Quare respondetur, quod licet naturale opponatur violento, et omnis motus habeat principium passivum suæ receptionis, non tamen principium passivum inclinationis, ut autem notavit D. Thomas II Physic. lect. I, principium passivum facit esse motum naturalem, in quantum habet potentiam naturalem ad talem formam et motum, et propter hoc factiones rerum artificialium non sunt naturales, quia licet subjectum naturale sit in eo quod fit, non tamen habet potentiam naturalem ad talem formam, nec est mobile a naturali agente, sed ab artificioso. Si autem quomodocunque recipi, sufficeret ad naturalem motum, projectio lapidis sursum, cum in eo recipiatur, esset naturalis motus, et gratiæ infusio in anima, quia in ejus naturali entitate recipitur.

Ad argumenta facta in favorem Scoti respondetur, dici aliquid naturam in quantum mobilis, sed non ut præcise ad recipiendum, sed etiamsi mobilis sit ad agendum, movent enim quædam ut mota. Itaque principium activum sine ulla mutatione movens, est supra naturam, scilicet Deus. Si autem movet, ut indigens mutatione ad movendum, non excluditur a natura, quia mobilitate inducitur ad movendum.

Ad confirmationem respondetur, probare, quod non omne principium activum est natura, ut si sit principium intrinsecum per accidens, sicut quod infirmus habeat artem curandi, hoc enim principium est acquisitum, non innatum, et sic non est

natura. Sunt tamen alia principia activa, quæ sunt innata et intrinseca per se, et ad motum sui ordinata, ut in viventibus, et talia non excluduntur a ratione naturæ. Et in hoc peccant pleraque argumenta, quæ pro sententia Scoti multiplicantur, probant enim principium passivum esse naturale, et opponi violento, et illud sufficere ad denominationem naturæ, non tamen probant excludi omne principium activum a natura, quando non est pure activum ut Deus, nec est principium solum ad movendum alia, sed etiam se.

Unde respondetur ad ultimum, quod denominatio naturæ non fit a solo principio passivo, sed etiam activo, dummodo habeat illas duas conditiones, quod non sit pure activum sicut Deus, sed movens motum, nec sit ad movendum alia, sed ad proprios motus sui, ratione cujus ignis, ut præcise calefacit aliud, non dicitur natura, quia non est principium motus in se.

Sed adhuc inquires: An materia et forma analogice dicantur participare rationem naturæ: Respondetur plures Auctores analogiam agnoscere, ut Cabero hic tractat. II, disp. I, dub. IV; Cursus Carmelitanorum disp. VII, quæst. VIII et alii. Fundantur, quia Philosophus dicit V Metaph. c. IV propter formam metaphorice omnem substantiam naturam dici, ergo et analogice. Et, II Phys. c. I, dicit quod forma magis est natura quam materia, non ergo materia simpliciter. Adde quod materia non habet secundum se oppositionem cum violento, nisi mediante forma, si enim solum sufficeret principium passivum ad rationem violenti, nec requireretur activa resistentia, quandocunque excluditur forma a materia, pateretur violentiam, quia passive erat ei conjuncta, et aer quando privatur luce, et cœlum cessante motu paterentur violentiam. Denique, materia nullius motus est causa nisi mediante forma, de se enim indifferens est, et in potentia ad diversos motus, ergo sicut causa in potentia est causa secundum quid, ita materia est principium motus, et consequenter natura secundum quid, quia in potentia.

Opposita tamen sententia pluribus placet Auctoribus, nec nobis displicet. Tenet eam Soto II Physic. q. I, Toletus, Placa, et alii; et ratio sumitur ex dictis, quia principium passivum vere et proprie habet rationem naturæ, et non habet esse principium omnis motus dependenter, aut participative a forma, nam per se est principium generationis in suo ordine, scilicet ut causa materialis, sicut est principium corruptionis, et ad illam habet naturalem inclinationem; ergo non est cur a propria et univoca ratione naturæ excludatur. Nec obstat, quod exerceri non potest talis motus sine forma, et dependenter ab ipsa, nam hoc modo etiam forma non potest exercere motum, nisi dependenter a materia. Et ratio naturæ non consistit in exercitio motus, sed in ratione principii; ratio autem principiandi, nec materiæ convenit per formam, nec formæ per materiam, sed utrique in suo genere per se essentialiter convenit, licet conjungi debeant, ut motus exerceatur.

Ad primum fundamentum oppositum ex auctoritate Philosophi respondetur quod in illo primo loco, cum dicit, quod propter formam omnis substantia natura dicitur metaphorice, non sumit ibi naturam physice, et ut in præsenti consideratur pro principio motus, sed pro quacunque quidditate, quæ est terminus generationis, et dicitur natura quasi nata, seu generata. Sumpta ergo natura in hac acceptione

pro termino motus, non pro principio, omnis substantia dicitur natura, id est, quidditas specifica a forma quasi a termino formali. Expositio est S. Thomæ in V Met. lect. V, §. Ponit duos modos, ubi inquit: « Sicut forma vel materia dicebatur natura, quia est principium generationis, quæ secundum primam nominis impositionem natura dicitur, ita species et substantia dicitur natura, quia est terminus generationis: nam generatio terminatur ad speciem generati, quæ resultat ex unione formæ et materiæ. Et ex hoc secundum quamdam metaphoram et nominis extensionem, omnis substantia dicitur natura, quia natura, quam diximus, quæ est generationis terminus, substantia quædam est, et ita cum eo quod natura dicitur, substantia similitudinem quamdam habet. » Ita D. Thomas. Et similiter quando subdit Aristoteles quod materia dicitur natura, quia formæ susceptiva est, ad litteram Philosophus loquitur de natura, non in nostra acceptione pro principio motus, sed pro quidditate rei, quæ est terminus generationis; in hac enim acceptione proprie dicitur natura ipsa forma, seu id quo aliquid actu habet naturam, id est, quidditatem; materia autem dicitur natura seu quidditas, quia hujus susceptiva est, non quia per se actu est talis. Sumendo autem naturam pro principio motus, materia dicitur univoce natura, et si susceptiva sit formæ, quia esse susceptivam formæ intrinsece, et per se illi convenit, et per se est principium rei sicut ipsa forma suscepta.

Ad secundum locum ex Physicis dicitur, quod materia est magis natura, non quod ly *magis* dicat analogiam, sed principalitatem, et comparationem. Bene autem stat, quod inter univoca unum sit principalius et perfectius altero, sicut homo leone in genere animalis. Et ita est magis natura specifice, non generice, inæqualitate se tenente ex parte speciei, non ex parte generis participati, sed hoc analogiam non facit.

Ad fundamentum ex ratione dicemus latius art. IV, quomodo materia seu principium passivum pati possit violentiam, etiam ut passivum est.

Ad secundum respondetur, quod materia est indifferens ad plures motus, ad quos inclinatur nisi per formam, verbi gratia, ut moveatur sursum vel deorsum, augmentatione, vel diminutione, etc. Et tamen per se habet et independenter a forma esse principium recipiendi illos in toto. Alii vero motus sunt, ad quos materia habet immediatam inclinationem et per se, non mediante forma, sicut ad generationem substantialem, et receptionem formarum, licet determinatio ad istam formam potius quam ad illam ab aliquo agente disponente dependeat.

Et quando dicimus, materiam et formam univocari in ratione naturæ, non intendimus quod per se sint univoce in aliquo genere, vel specie, sed supposito quod solum reductive pertinent, dicimus rationem principii et partis componentis, non inæqualiter et analogice, sed per se utrique convenire.

De anima rationali.

Difficultas est, an secundum gradum rationalem sit natura, non solum secundum alios gradus, scilicet vegetativum, et sensitivum; nam natura videtur esse principium motus corporalis ad Physicam pertinentis; motus autem partis rationalis independentes sunt a materia et mobilitate physica, potiusque ad Metaphysicum pertinere videntur, ut

intelligere et velle, quæ etiam aliunde naturæ metas excedunt, quia non sunt determinatæ ad unum, sed universalem habent indifferentiam, et de se permanere possunt, et convenire statui separationis.

Nihilominus asserendum est: Animam rationalem, etiam secundum gradum rationalem naturam esse, pro statu tamen quo est in corpore, status enim separationis ad considerationem de substantiis separatis spectat ad Metaphysicum per se et directe. Et ita Philosophus in hoc secundo libro, text. XXVI, docet quod terminus considerationis naturalis est forma, quæ aliquo modo potest esse separata, scilicet anima rationalis. Unde inquit D. Thomas ibi lect. IV: « Usque ad animam rationalem se extendit consideratio naturalis, quæ est de formis; sed quomodo se habeant formæ totaliter a materia separatæ, et quid sint, vel etiam quomodo se habeat hæc forma, id est, anima rationalis secundum quod est a corpore separabilis, et sine corpore existere potens, pertinet ad Philosophum primum, id est, ad Metaphysicum. » Igitur anima rationalis pro hoc statu ad physicam considerationem pertinet; et consequenter rationem naturæ induit, solum enim pro statu separationis ad Metaphysicum spectat.

Ratio hujus est, quia anima rationalis etiam secundum ultimum gradum rationalitatis vere constituit hominem, et est forma ejus, homo autem est ens naturale, etiam secundum ultimam speciem et gradum, ergo anima, quæ est forma constitutiva ejus, est natura etiam secundum istum gradum, id est, principium talis entis naturalis. Major negari non potest; nam anima rationalis, ut rationalis, est forma hominis, ut definitur in Concilio Viennensi, et in Lateranensi sub Leone X, et ratione constat, quia homo secundum propriam hominis rationem constituitur per aliquam formam, seu gradum formæ, et in quantum homo rationalis est: hæc enim est ultima differentia ejus, ergo forma, quæ dat esse rationale in quantum talis, constituit essentialiter hominem. Est etiam principium motuum rationalium, ut ridendi, flendi, loquendi, quæ licet mediante corpore exerceantur, sunt tamen propria gradus rationalis, non vegetativi, aut sensitivi tantum.

Ad fundamentum oppositum respondetur, quod operationes animæ rationalis, licet secundum se, et propriam rationem spiritualem, sint independentes a corpore, dependent tamen ministerialiter et dispositive, quia pro hac vita exercentur dependenter a sensibus a phantasmatibus, et ratione hujus dependentiæ ad naturam spectant, sicut etiam generatio hominis naturalis est, licet anima non dependeat a corpore quantum ad esse, sed quantum ad informationem. Et cum instatur, quod non sunt operationes determinatæ ad unam, sed indifferentes, aut voluntariæ, respondetur quod ex hoc probatur non esse naturales illas operationes secundum se, et ratione principii a quo egrediuntur, bene tamen ministerialiter et dispositive, propter dependentiam quam habent a sensibus, a quibus etiam dispositive pendet libertatis exercitium; læsis enim vel turbatis sensibus non exercetur libertas. Et hoc non est dici naturales solum ratione modi, sed tota ipsa substantia actus, eo modo dicitur naturalis, quo pendet a principio naturali, scilicet dispositive, ab illa enim dispositione et ministerio sensuum, non solum dependet modus, sed totum ipsum exercitium actuum intelligendi, et volendi. Quod vero in statu separationis a materia, possint hujusmodi actus permanere non obstat, quia

ille status non est connaturalis animæ, sed semper inclinatur ad istum, quem habet in corpore, et ideo anima simpliciter est natura etiam separata, non propter statum separationis, sed propter connaturalitatem ad operandum in corpore, et secundum dispositiones sensuum.

De cœlo.

Specialis difficultas est, an in illo salvetur propria ratio naturæ propter duo? Primo, quia motus ille non est ei naturalis, secundum quod naturale opponitur violento, quia non est ab aliquo principio activo intrinseco, ut autem sit naturale oppositum violento, debet habere principium intrinsecum activum, quo resistat vi extrinsecus illatæ, passivam autem principium nullo modo resistit, ergo non patitur violentiam, et consequenter nec constituit naturam, quia illud est natura, cui naturalis motus, quod violento opponitur, et per violentiam tolli potest. Secundo, quia quies non est cœlo naturalis, neque violenta, ergo neque motus naturalis est, neque ipsum cœlum natura, siquidem natura principium motus et quietis, non motus tantum. Consequentia patet, quia omnis motus naturalis tendit ad quietem, si ergo quies non est naturalis, neque motus. Antecedens vero probatur, Quies non est violenta, quia nullum violentum perpetuum, cœlum autem perpetuo quiesceret post diem judicii; non est naturalis, quia non est acquisibilis motu naturali cœli, alias quamdiu illam non acquireret, non esset in actu perfecto, sicut grave extra centrum non est perfectum, et ideo motus ejus naturalis est, quia tendit ad quietem, nihil enim movetur propter moveri, cum moveri imperfectio sit. Quod si dicatur utrumque cœlo esse naturale, et motum, et quietem, ergo duo contraria sunt ei naturalia, quod repugnat.

Denique, accumulatur difficultas, quia pars cœli, si avulsa ab ipso poneretur in hoc mundo inferiori, neque moveretur, quia non esset assignate, quo motu moveretur, et ad quem terminum, neque quiesceret, quia est extra locum proprium, qui est super elementa, alias enim si quiesceret, naturaliter quiesceret, hoc ipso quod relinqueretur in quocumque loco, et sic quies esset ei naturalis, ac per consequens motus naturalis non esset.

Ultimo, cœlum empyreum habet naturam, cum sit verum corpus, et tamen non potest moveri nec ad id habet principium: ergo natura non consistit in hoc, quod sit principium motus, et quietis.

In hoc puncto aliqui Auctores negant, motum cœli esse naturalem, fundati in illo principio P. Vazquez I-II, disput. XXV, de quo agemus art. IV sequenti. Quod principium passivum non potest pati violentiam, et consequenter neque habet naturam ut opponitur violento. Unde aliqui simpliciter fatentur motum cœli esse violentum, propendere autem in quietem naturaliter, omnis enim motus aut est violentus, aut naturalis, ut docet Philosophus IV Physic, text. LXVII, si ergo motus non est cœlo naturalis, quia solum habet principium passivum, erit violentus, et sic tenet Martinez super cap. I hujus libri, disp. I, q. II. Alii vero dixerunt, neque est violentum illum motum cœli, neque naturalem, sed præternaturalem pro quo citatur Avicenna a M. Soto II Phy. q. I, et Scotus in II, dist. II, in fine, q. VI, et videri potest in IV, dist. XLVIII, q. II, ponens potentiam neutram, mediam inter naturalem et violentam.

Cæterum S. Thomas expresse pluribus in locis, motum cœli dicit esse naturalem, ut videri potest I p. q.

LXX, art. III ad 4, et I de Cœlo, lect. III et IV, et III contra Gent. c. XXIII, et quæst. V de Potentia, art. V, reducens perpetuo rationem naturæ in cœlo ad principium passivum, quo naturaliter est susceptivum motus. Et probatur, quia cœlum habet in se principium passivum inclinans ad motum sui circularem, et hic motus est ei naturalis, non propter terminum in se acquirendum, sed quia naturale est ei influere in hæc inferiora, ut primum alterans, ergo principium inclinans ad hunc motum circularem, natura est, eique conveniunt conditiones naturæ. Et hanc rationem ponit Div. Thomas in IV, distinct. XLVIII, quæst. II, articulo II ad 4, ubi dicit: Quod motus cœli non est de perfectione corporis cœlestis, nisi in quantum per hoc est causa generationis in istis inferioribus; et sic est aliquid naturale ille motus. Est autem cœlum principium passivum, non solum ratione materiæ, sicut omnes aliæ res, sed etiam ratione formæ, quia ex ipsa forma non consequitur motus active sicut in aliquibus, sed ab intelligentia recipitur.

Ad primum fundamentum respondetur in primis, quod etiam principium passivum potest pati violentiam, quando habet inclinationem in formam, qua privatur, et privatur illa sine alterius æque naturalis subrogatione, ut dicemus art. III. Vel secundo dicitur, quod cœlum ut habet adjunctam intelligentiam moventem, etiam resisteret active mediante impulsu intelligentiæ, si sibi inferetur vis ad sistendum motum. Remota autem intelligentia movente, non erit violenta cessatio motus, et sic non resistet.

Ad secundum respondetur quod quies non erit violenta cœlo, eo modo quo fiet post diem judicii, ut docet D. Thomas q. V. de Potentia art. V ad 12, non quod illa quies sit ex aliquo agente naturali; sic enim acquireretur per motum, et motus cœli esset propter quietem, et sic esset motus imperfectus, quamdiu non acquireretur quies. Sed dicitur illa quies naturalis negative, quia provenit ex absentia moventis, cessabit enim tunc Angelus movere cœlum, quia cessabit status generationis, qui ordinatus est a Deo ad complendum numerum electorum, non est autem illa quies positive naturalis et intenta, neque enim motus cœli est propter quietem, sed propter generationem inferiorum. Et ad instantiam, quod tunc motus non erit naturalis, respondetur quod ille motus non dicitur naturalis ratione termini, quasi acquirat aliquid ipsi cœlo, in quo quiescat, sed ratione principii, quia passive inclinatur ad motum sui, quo perficitur et constituitur in ratione primi alterantis.

Ex quo etiam solvitur objectio quorumdam, quia tunc motus est naturalis, quando est acquisitio loci convenientis ipsi mobili, et tunc quies est naturalis, quando est conservativa præsentia convenientis, neutrum autem convenit cœlo, quia non acquiritur ei locus convenientior, ex eo quod moveatur inter eumdem circulum. Sed hoc argumentum, quod fuit Avicennæ, procedit ex imaginatione, quod motus cœli est naturalis, sicut motus corporum imperfectorum, quæ moventur propter aliquid acquirendum, cœlum autem, cum sit corpus perfectum et instrumentum intelligentiæ, movetur ad dandum, non ad acquirendum: et ita Div. Thomas in IV Sent. citato dicit, quod in corpore cœlesti non est aliqua potentia, quæ perficiatur per locum, vel quæ facta sit propter hunc finem, qui est esse in tali loco. Motus ergo cœli solum est naturalis, quia reddit cœlum motum, ut causet in hæc inferiora, non ut sibi acquirat.

Ad aliam replicam, quod duo contraria erunt naturalia cœlo, respondetur id non esse inconveniens pro diversis statibus, sicut grave naturale est quiescere in centro, et moveri extra centrum.

Ad tertium respondetur, quod in illo casu aliqui dicunt, quod pars cœli tenderet sursum. Sed non assignant a quo principio caret enim levitate: et licet sit eminenter leve, tamen etiam eminenter est grave; et ita ex hac parte, non est major ratio ascendendi quam descendendi. Alii dicunt, quod expelletur ab elementis in locum superiorem, sicut oleum ab aqua ut sursum tendat. Cæterum oleum non ascendit per expulsionem aquæ, aut impulsum illi impressum ab aqua; sed quia levior est aqua, et habet partes magis aereas. Nec apparet quomodo elementa possent imprimere aliquem impulsum illi corpori cœlesti, ut sursum ascenderet, et præsertim si in medio daretur vacuum, non apparet a quo impelleretur illud corpus cœleste. Dicendum ergo est ex D. Thoma I de Cœlo, lect. V in fine, quod pars cœli ab illo abstracta neque moveretur sursum, nec deorsum, cum sit eadem ratio totius et partis; totum autem cœlum caret levitate, et gravitate. Et hoc magis apparet considerando, quod corpora quæ moventur ratione gravitatis, et levitatis, moventur propter conservationem sui in proprio centro: propter hanc autem rationem cœlum non ascenderet, quia cum sit incorruptibile, non indiget loco conservante. Sed tamen quia propter suam dignitatem debetur ei locus supra corpora corruptibilia, probabile est, quod illa pars cœli ascenderet ad suum locum, quatenus ex vi suæ creationis est sibi debitum esse in illo loco, non propter conservationem, sed propter dignitatem. Et licet cœlum solum sit mobile a motore extrinseco, hoc intelligitur quantum ad motum circularem in loco proprio, non tamen si extra proprium locum ponatur. Vel certe ab ipso creatore movebitur ad proprium locum, quia ex ipsa creatione illi est debitus propter dignitatem supra alia corpora.

Ad ultimum de cœlo empyreo dicitur, quod licet illud cœlum naturaliter sit ignotum, potest tamen reduci ad definitionem naturæ, quia est principium quietis, sed non motus; neque enim est necesse, quod quælibet natura in particulari sit principium motus et quietis copulative, sed sufficit quod alterius, licet natura in communi considerata utramque complectatur divisive.

De gravibus et levibus.

Difficultas celebris est, an moveantur a principio intrinseco activo, vel passivo, et si est activum, an sit activum per modum dimanationis, sicut passio oritura subjecto, vel per modum productionis, sicut mobile movetur a motore; et eadem difficultas est de motu, quo reducitur aqua ad frigiditatem, vel aliud corpus ad qualitatem propriam, sed de his agendum et infra libro VIII.

De Angelis.

Dicimus: Nullo modo convenire illis definitionem naturæ traditam; licet enim habeant naturam, sumpta natura pro quidditate constituti ex suis prædicatis, non tamen habent naturam, quæ sit in ipsis principium motus imperfecti et divisibilis, sicut est motus physicus: habent autem operationes perfectissimas intelligendi et volendi, quæ propter suam universalitatem sunt capaces attingendi omnem naturam, et ideo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

circulatio ignis vel aeris quam ex motu firmanenti, dicit Aristoteles provenire, primo Meteor. non est ei naturalis, quia non causatur ex principio intrinseco, neque iterum est per violentiam, sive contra naturam, sed est quodammodo supra naturam, quia talis motus inest eis ex impressione superioris corporis, cujus motum ignis et aer sequuntur secundum perfectam circulationem aqua vero secundum circulationem incompletam, scilicet secundum fluxum et refluxum maris.» Ita D. Thomas, qui motus locales sunt, et constat non esse violentos, quia non movent elementa extra proprium locum, sed in suo proprio loco conveniunt: quod si a loco suo amoverent, contraria retur ista circulatio ignis vel aeris motui sursum, quo naturaliter moventur ista elementa, et fluxus maris contrariaretur motui deorsum, quo movetur aqua, quod stare non potest, quia motui sursum solum contrariatur motus deorsum, et e contra quia unum uni est contrarium, ut patet per Philosophum I de Cœlo, tex. XI. Non ergo circularis motus istis elementis in proprio loco conveniens, contrarius est, et consequenter neque violentus: naturaliter autem non est, quia non est a principio intrinseco, et sic est præternaturalis.

Dices: Ergo quando aliquod corpus, verbi gratia, tota per impulsum impressum circulariter movetur, etiam ille motus non erit violentus, et sic non habebit contrarium in illa rota; ergo neque a quo corrumpatur, et sic semel impressus circularis motus, nunquam desinet, nisi ab extrinseco detineatur. Respondetur quod ille motus rotæ necessario fit per aliquem impulsum, qui est qualitas distincta a gravitate, et levitate, ut in octavo libro amplius dicetur. Hæc autem qualitas nisi continue imprimatur a motore, evanescit, quia est in subjecto extraneo, et solum per modum transeuntis imprimitur, sicut species in aere, et motio in instrumento, est enim impulsus instrumentalis quædam motio, quia de se ordinatur ad movenda instrumenta exteriora; unde de se non est permanens, sed desinit, nisi continuo instauretur. Unde ex defectu ipsius etiam si non detur aliud contrarium desinet ille motus rotæ, sicut desinet motus circularis cœli, et ignis, et aeris, cessante Angelo movere, ut libro octavo dicetur.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ. Ad locum Aristotelis respondetur ibi sumere violentum non stricte, sed lato modo, ut etiam includit præternaturale; cum enim violentum duo includat unum ex parte principii activi, quod sit extra, alterum ex parte passi, quod sit contra ejus naturam, tunc est violentum stricte dictum, quando utrumque includit, tunc autem lata sumitur, quando alterum tantum, videlicet quando accipitur pro motu solum, ut a principio extrinseco, sive passum resistat, sive non, et hoc modo includit motum contra et præter naturam; et sic verum est quod omnis motus aut fit vi, aut natura, id est, a principio intrinseco, vel extrinseco; sed non omnis fit contra naturam aut a natura. Et hunc esse legitimum sensum Philosophi constat, quia postquam dixit omnem motum fieri aut natura, aut vi, subdit: «Quippe cum violentus sit præter naturam,» intelligit ergo nomine violenti aliquid præternaturale.

Ad rationem respondetur, omnia corpora propendere in locum determinatum, a quo si extrahantur, violentiam patiuntur; sed tamen dari potest motus, quo neque extrahantur a suo naturali loco, neque ad illum tendant, sed quo in loco proprio moveantur a superiori agente, ut de circulatione ignis et fluxu maris dictum est. Quod vero dicitur cœlum violenter moveri, jam supra rejecimus, et est expresse contra Aristotelem I de Cœlo, a tex. IX, eo quod cœlum neque est grave, neque leve, cum naturalis ejus locus et motus non sit in centro, nec a centro, sed circa centrum. Videatur ibi D. Thomas lectione quinta.

QUÆSTIO X.

DE CAUSA IN COMMUNI.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ sit definitio causæ in communi, et quæ conditiones causæ?

Quid sit causa in actu primo, et per modum principii, ex ipso actu secundo, quod est causare, investigandum est. De hoc vero magna varietas inter auctores orta est, eo quod difficile est assignare aliquid commune omnibus causis in ratione causandi, quod non dicat solum rationem principii vel termini, a quibus etiam res pendent, et non ut a causis, et in Divinis invenitur unum esse ab alio sine aliquo causalitatis genere. Constat autem apud omnes nomine causæ intelligi aliquid, quod sit principium, sed quia non omne principium est causæ, sed latius patet principium, quam causa, et causa quam elementum, ut S. Thomas notavit V, Metaphys. in principio, oportet assignare differentiam, quam addit causa supra rationem principii, quæ sit contractior principio, et latior elemento.

Aliqui ergo diffidentes invenire aliquam definitionem communem omnibus causis, dixerunt nullam dari definitionem causæ in communi, quia est quid analogum ad omnes modos causandi, et ita prius est dividenda, quam definienda, sicut fecit Aristoteles in II Physic. et in V Metaph. Sed certe mirabile est, quod possimus definire principium in communi, et illud definit Aristoteles in initio V Metaph. dicens: «Quod omnibus principiis commune esse primum, unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur;» et solet etiam definiri principium *id a quo aliquid sequitur;* et tamen quod causa in communi non sit definibilis, cum multo magis analogum deberet esse principium, quam causa, cum sit aliquid communius, omnis enim causa est principium, sed non e contra. Et præterea analoga sunt definibilia, quia de illis potest dari scientia, sicut patet in ente; ergo etiam si causa sit analoga ad omnes quatuor causas, poterit tamen definiri, et dato quod essentialiter non definiretur, saltem descriptive posset definiri penes aliquas conditiones communes omnibus causis, sicut est dependere ex parte effectus influere ex parte causæ, et similia; ergo non est omnino neganda definitio causæ; ut, omittam non esse ita certum causam communi esse analogam ad omnes quatuor causas, ut sequenti articulo dicemus.

Varie ergo divisi sunt auctores in explicanda ratione causæ in communi, fortassis ex eo quod inadæquate consideraverunt conditiones ad causam requisitas. Aliqui enim consideraverunt ipsum causare ex parte causæ; alii ex parte causati. Ex parte causæ consideratur influentia, seu derivatio principians causatum; ex parte vero causati consideratur dependentia, et consecutio in esse, et consequenter distinctio a suo causante. Aliqui ergo definiunt causam sic: Causa est *id quod per se influit esse in aliud.* Ita P. Suarez: quam definitionem *aliqui* paululum mutant dicendo, quod causa

est *id ad quod sequitur effectus*, ut P. Rubio, quia tamen videtur petere principium, supponit enim in definitione id de quo quæritur; quærimus enim in quo consistat aliquid esse effectum, et recipere influxum per modum effectus, cum multa deriventur ab aliis, et non sint effectus, ut duæ Personæ in Divinis. Alii definiunt: Quod causa est *id a quo aliquid per se pendet*, ut Conimbricenses hic et Fonseca. Alii dicunt: Quod causa est *id a quo aliquid sequitur*, quam definitionem multis locis tradit D. Thomas ut videri potest II Physic. lect. X, et q. X de Potentia, art. I ad 3, opusc. XXXI. Alii, ut Avicenna, dicunt: Quod causa est *quæ tribuit esse rei*, in quo non differt a prima definitione: idem enim est dicere, tribuit esse, et influit esse, et easdem patitur difficultates, ut infra dicemus.

Veritas tamen est, quod perfecta definitio causæ omnes istas exigit conditiones, et per alteram tantum non perfecte explicatur; exigit enim rationem principii tanquam aliquid communius, exigit rationem influentiæ, seu derivationis ex parte causæ, exigit dependentiam, et consecutionem in esse ex parte causati; unde sequitur, quod intercedere debet diversitas inter causam et causatum. Et ita D. Thomas in diversis locis tradit istas conditiones, significans ex omnibus coagmentandam esse definitionem causæ. Nam in I Physic. lect. I, dicit, quod causæ dicuntur, ex quibus res dependent secundum esse suum vel fieri, ubi per dependentiam in esse, causam definit. Item I p. q. XXXIII, art. I ad 2, dicit: « Quod hoc nomen causæ videtur importare diversitatem substantiæ, et dependentiam alicujus ab altero, quam non importat nomen principium. » At vero in V Metaphys. lect. I, inquit: « Quod principium ordinem quemdam importat; hoc vero nomen causa influxum quemdam ad esse causati; » ubi causam per influxum definit. Denique, locis supra citatis definit causam per consecutionem causati dicens: Quod causa est *id ad quod sequitur*, scilicet sequela physica et quoad esse. Ex hoc autem colligimus, has definitiones non esse sibi contrarias, sed unam adjuvare aliam, et explicare quod in altera deest. Et sic possimus ex illis omnibus colligere plenam causæ definitionem dicendo: *Causa est principium alicujus per modum influxus seu derivationis, ex qua natum est aliquid consequi secundum dependentiam in esse*. Principium ponitur loco generis, et excludit ea a quibus aliquid pendet, non ut a principio sui, sed ut a termino, vel medio, sicut relatio pendet a termino, quantitas ab indivisibili terminante, vel continuante. Per modum influxus ponitur ad assignandam rationem causalitatis, et differentiam a principiis, quæ sine influxu aliquid initiant, ut privatio, et terminus a quo, quæ important principium motus secundum influxum, sed tantum ordinem in id quod ab eis principiatur. Et similiter excluditur conditio sine qua non, ut applicatio, quia non importat influxum, neque rationem principii, sed aliquid concomitans, et requisitum. *Et quæ natum est aliquid sequi* ponitur ad assignandum alteram conditionem causæ, quia non sufficit quælibet derivatio influxus ut sit causalitas, sed talis influxus esse debet, ut ab illo dependeat in esse id, quod causatum est, et sic excluditur generatio et spiratio in Divinis, quæ licet communicent naturam Divinam et esse, tamen illud esse non est dependens; sed est illud met quod est in producente communicatum. Neque oportet, explicare in hac definitione, quomodo sequatur

unum ex alio, an in actu primo, vel secundo: definitio enim data procedit de causa in actu primo dicendo, quod est principium alicujus, principium autem est actus primus.

Sed objicies: Nam imprimis istæ definitiones non explicant, quid sit ipsum causare, sine quo non potest intelligi quid sit causa: nam si dicatur, quod sit influere, æque obscurum est atque ipsum causare, et in Divinis datur influxus et productio, et non datur causa. Nec obstat quod ibi datur influxus in alium, id est, in personam, non in aliud, id est, in esse; nam si sufficit ad rationem principii, quod non sit in aliud, cur non sufficiet ad rationem causæ, vel saltem cur non sufficiet, ut ipsa persona, in quam fit influxus, et productio, sit causata, licet non ipsa natura. Si vero dicatur, quod causare est sequi, instatur, quia ex die sequitur nox sequela physica, et ex vita mors, ex effectu illative sequitur causa, et ex privatione motus, et in Divinis ex parte sequitur Filius in quibus tamen non invenitur ratio causæ. Si vero explicetur causare per hoc, quod est causatum dependere ab alio, restat videre, quid addat dependentia super ipsum procedere, ut non sufficiat processio ad rationem causæ. Et præterea multa dependent ad aliquo, a quo non causantur, ut relatio a termino, motus a privatione, linea a puncto, essentia a suis prædicatis, humanitas a Persona Verbi, quæ tamen omnia causalitatem non dicunt. Denique, istæ definitiones magis videntur attendisse ad explicandam causam efficientem, quæ cæteris videtur manifestior, quia influere solum convenit causæ efficienti, finalis enim non influit vero influxu, nisi mediante actione agentis; materia etiam non influit, sed recipit, et forma actuat, et similiter exemplar non influit, sed imitationem sui per cogitationem præbet; solus ergo influxus causæ, non explicat nisi causam efficientem.

Respondetur instantias allatas non esse efficaces, nam ratio causæ non explicatur per solum influxum quomodocunque, sed per influxum in ipsum esse, ita quod oriatur novum esse, vel saltem novus modus essendi, et consequenter cum dependentia, et limitatione, et diversitate unius ab alio, sicut dicit D. Thomas V Metaphys. citato, quod causa est quæ habet influxum non quomodocunque, sed in esse causati; et I part. p. XXXIII, citata addit, quod causa et causatum important diversitatem in substantia. Influxus ergo cum istis conditionibus explicat rationem causæ, non sine illis, neque ita obscure se habet sicut ipsum causare. Nec convenit Personæ Divinæ etiam in quantum Persona, quia licet fit procedens, non tamen cum illis conditionibus explicatis, scilicet cum diversitate et dependentia in esse.

Ad id quod opponitur contra explicationem causæ, per hoc quod sequatur aliquid ex illa, respondetur quod intelligitur sequela cum eisdem conditionibus, quibus ipse influxus, scilicet quod sit sequela physica, quæ dat esse non logica, quæ solum præbet illationem, et sequatur esse novum et distinctum quod non contingit in Divinis processionibus; et similiter si ista sequela rei causatæ debet esse per influxum, consequenter excluditur terminus a quo, ut quando ex nocte fit dies, vel ex vita mors, etc. quia ab illis sequitur aliquid, ut a terminis, qui relinquuntur, non ut a principiis, quæ influunt et tribuunt esse.

Ad id quod dicitur, quod multa dependent ab aliquo, a quo non causantur, respondetur quod si dependent ab aliquo tanquam a tribuente

et influente esse, dependent ab illo, ut a principio causante. Si vero dependent ab aliquo, ut a termino qui pure terminat, sive ex parte termini a quo, sive ex parte termini ad quem, vel si dependent ab aliquo, ut a conditione applicante, sic istæ dependentiæ non constituunt causam, quia non sunt principia influxus. Et eadem ratione subsistentia Divina non causat humanitatem in Christo, quia non se habet ut influens in illam esse, sed pure, ut terminans in ratione suppositi incommunicabilis, sicut linea terminatur puncto.

Ad ultimum respondetur quod influxus accipitur in definitione largo modo pro omni eo, quod est tribuere aliquod esse, et facere illud dependens a se. Tribuere autem et influere explicatur per ordinem processus ab aliquo, ut a continente et radice, unde originatur in suo genere, non applicante, vel terminante tantum. Et hoc modo materia originat esse recipiendo illud, et sustentando, et reddendo incommunicabile, forma etiam dat esse determinatum, et cum tali vel tali specificatione, et actualitate, finis etiam attrahit et movet ad sui consecutionem in esse, et exemplar tanquam forma extrinseca dat esse, non informando, sed imitando, quæ licet fiant interventu actionis efficientis, non tamen sub ratione efficientis; sed sub formalitate finalizandi, et exemplandi, ut suis locis dicetur.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit causa?

Sit unica conclusio: Quatuor tantum sunt genera causarum. Ita Aristoteles in II Physicorum, textu LXVIII, et ibi D. Thomas lect. X et V Metaphysicæ, tex. II, lect. III, et colligit Philosophus hunc numerum, ex numero quæstionum propter quid, nam propter quid quærit de causa, sed ad quæstionem propter quid non possumus respondere, nisi aliqua dictarum causarum, scilicet vel propter formalem, ut cum quærimus propter quid homo est albus, et dicimus, quia habet albedinem; vel per causam materialem ut cum inquirimus quare homo est corruptibilis, et respondemus, quia componitur ex contrariis; vel per causam finalem, ut cum inquirimus quare aliqui pugnant, et respondemus, ut dominantur; vel tandem per causam efficientem, ut cum inquirimus cur mare fluit et refluit, et respondemus, quia movetur a luna.

Eumdem numerum causarum colligit D. Thomas supra, quia causa est id ad quod sequitur esse alterius, vel ergo consideratur esse causatum absolute et in se, vel ut accipitur, et fit ab alio. Si absolute, causatur per formam, quæ absolute constituit in esse: si ut accipitur, et fit ab alio, oportet quod de ente in potentia fiat ens in actu, sic enim sequitur esse de novo, quatenus id quod est in potentia, reducitur in actum ab eo quod est in actu, et sic oportet assignare duas causas, scilicet illam, quæ est in potentia ut susceptiva actus, et illam quæ causat reducendo in actum seu agendo, et prima est materia, quæ causat recipiendo, et secunda est efficiens. Rursus vero actio agentis debet tendere in aliquid determinatum ex vi alicujus in quo tendit, seu intendit tanquam conveniens, et hoc dicitur causa finalis, et ita sunt quatuor causæ et non plures, quia istæ sufficiunt ad cujuscunque rei constitutionem in esse, et ad istas omnes reducibiles sunt, ergo non sunt ponendæ plures.

Sed inquires, an ista divisio causarum sit analoga vel univoca? Aliqui ut Pater Suarez disp. XXVII Metaphysicæ, sect. I, num. IX, quem sequitur Cabero hic tract. II, disp. II, dubio ultimo tenent esse analogam, quia proprie convenit ratio causæ ipsi efficienti, aliis vero causis improprie, dicitur enim causa, quia influit esse, influxus vero non invenitur proprie in forma vel materia. Et præterea nomen causa est commune Deo et creaturis, substantiæ et accidentia, quibus nihil est univocum, sed analogum. Cæterum hoc solum probat, quod causa entitative considerata non est univoca sed analoga, et hoc non solum currit respectu causarum diversi generis quod solum inquirimus in præsenti, sed etiam in uno et eodem genere causæ, v. g. causa efficiens est analoga ad causam efficientem creatam et increatam, et similiter se habet finis. Quare ex hoc non habetur resolutio difficultatis propositæ, an scilicet ista quatuor genera causarum sint univoca in ratione causandi, sed quod sint univoca in ratione entis creati vel increati. Illa autem ratio influxus non multum urget, quia ut supra dictum est, nomen influxus non sumitur stricte pro sola ratione actionis, sed prout dicit quodcunque tribuere, seu dare positive, quo sensu etiam ipsum recipere materiæ est quoddam dare, dat enim id in quo sustentatur et continetur forma et a quo dependet saltem in informando. Quod si aliqui sumunt influxum in stricta illa acceptione pro sola actione efficientis, non mirum quod sola causa efficiens dicatur causa proprie, et reliquæ improprie, sic enim non tam est dicere quod causa in communi est analoga ad omnia genera causarum, quam quod denominatio causæ efficientis analogice convenit aliis causis.

Quare loquendo de causa secundum proprium conceptum causæ, non est cur dicamus esse analogam ad ista quatuor genera causarum, quidquid sit, an in ratione entis analoga sit respectu causæ creatæ et increatæ, substantialis et accidentalis. Ratio est, quia in generibus istis causarum invenitur propria ratio causæ non participative, nec dependenter ab alia in participando rationem causæ, licet in exercendo causalitatem, una ab altera dependere possit, quia causæ ad invicem sunt causæ. At vero quod materia v. g. habeat vim recipiendi, quod est esse causam materialem, non participat a forma, vel ab efficiente, licet ab utroque dependeat exercitium existendi vel recipiendi. Si tamen aliqua causa non solum in exercitio, sed etiam quantum ad ipsam rationem causandi participative et dependenter se habeat ad aliam, sicut causa principalis ad instrumentalem, tunc analogice de illis dicitur causa, quia instrumentalis reductive pertinet ad efficientem seu ministerialiter, quod est secundum quid.

Sed objicies contra numerum causarum, quia videntur plures causæ quam enumeratæ, nam imprimis objectum est causa specificativa potentiarum et actuum et non efficiens quia non elicit illos, neque formalis quia non informat, sed extra illos est, neque materialis quia non recipit illos, neque finalis quia hæc non specificat in quantum finis, sed ut objectum, ergo. Et idem argumentum potest fieri de idea, quæ est vera causa ideati, nec. tamen pertinet ad aliquam ex assignatis ob eamdem rationem. Item fundamentum est causa relationis, essentia est causa passionum, nec tamen efficienter, quia nec essentia nuda efficit, nec relationes efficiuntur, aliud autem genus causæ non potest illis competere: ac denique instrumentum non potest reduci ad

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

genus causæ efficientis, et multo minus ab alia, quia efficiens est, unde incipit motus; ab instrumento autem non incipit, cum supponat aliud prius a quo incipit moveri instrumentum, ergo est causa distincta ab omnibus.

Contra univocationem causarum arguitur: Materia et forma non sunt simpliciter causæ, ergo neque univoce. Antecedens probatur; nam imprimis non constituunt nec causant aliquid a se omnino distinctum, quia totum non distinguitur a partibus. Item materia est imperfectior forma, et composito, ergo non potest esse causa respectu illorum, quia ab imperfectiori non causatur perfectius, et similiter forma potius est effectus generationis quam causa generati. Denique, accidens analogice est causa respectu substantiæ, tum in genere causæ formalis, quia est actus et forma secundum quid, tum in genere causæ efficientis, quia operatur in virtute substantiæ et ut instrumentum ejus, tum in genere causæ materialis, quia accidens non est subjectum per se sed sola substantia.

Ad primum respondetur quod objectum specificativum reducitur ad causam formalem extrinsecam, quia specificat et determinat ipsum actum tanquam mensura, et ratio specificationis ejus, et distinguit unum actum ab alio; proprium autem est formæ et actus specificare et distinguere. Ad secundum exemplum de idea dicemus sequenti quæstione quod pertinet ad causam formalem extrinsecam, quia Philosophus in II Phys. et V Met. definit causam formalem *quod est species et exemplar*: species propter formam intrinsecam, exemplar propter ideam. Ad tertium exemplum dicitur, quod fundamentum ex quo resultat relatio, et essentia, ex qua dimanant passiones non se habent proprie ut causa efficiens, sed reductive; proprium enim effectivum relationis est efficiens fundamenti, qui enim facit album, v. g. facit consequenter relationem similitudinis ad alterum album, et dissimilitudinis ad nigrum, sed quia istæ relationes fiunt mediante fundamento, cum quo connectuntur et a quo dependent, dicuntur resultare a fundamento in virtute efficientis: et similiter essentia se habet respectu passionum, non enim proprie producuntur ab essentia, sed a generante essentiam, quia qui facit formam, facit consequentia ad formam, et ista connexio seu consequentia inter essentiam et passiones est ratio emanationis, et reducitur ad causam efficientem, quia in virtute generantis essentiam dicuntur resultare ab essentia propter connexionem, ut q. XII amplius dicetur. Ad id quod dicitur de instrumento, respondetur quod reducitur ad causam efficientem, quia licet ab illo non incipiat motus principaliter, et simpliciter, incipit tamen ministerialiter, et participative.

Ad secundum contra univocationem causarum, respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dicitur, quod totum est non simpliciter distinctum a qualibet suarum partium, et hoc sufficit ut quælibet illarum sit vera causa, et non requiritur quod ab omni suo causato distinguatur omni modo sed sufficit, quod ab eo, quod causat immediate distinguatur, non ab omni eo quod inde resultat, et sic forma distinguitur ab eo quod causat in materia, et materia ab eo quod causat in forma, licet id quod resultat ex utriusque unione non distinguatur realiter ab utrisque simul, de quo amplius dicemus sequenti articulo, solutione ad primum.

Ad secundam probationem dicemus sequenti articulo, quomodo non requiritur, quod causa sit simpliciter nobilior suo causato in essendo, sed sufficit quod secundum quid, et hoc modo se habet materia respectu formæ, et totius, ut ibi explicabitur.

Ad id vero quod dicitur de causa dispositiva respondetur non esse ignobiliorem suo effectu formali, quem præbet immediate, scilicet reddere materiam dispositam; est tamen imperfectior respectu formæ, ad quam disponit, eo quod tenet se ex parte causæ materialis, quam determinat, et hæc potest esse imperfectior forma. Ad id quod dicitur, formam esse effectum generationis, respondetur esse effectum illius in genere causæ efficientis, sed tamen formam esse causam generationis in genere finis, quia est terminus, quem intendit.

Ad ultimam probationem respondetur quod illa differentia causarum in accidente et substantia, si sit tanta quod constituat accidens causam secundum quid, tollet univocationem, sed hoc non est ex vi istius divisionis causæ in quatuor genera causarum, sed ex vi alterius divisionis quæ etiam fieri potest intra idem genus causæ, v. g. efficientis secundum quid, vel simpliciter, ut instrumentum, vel causa principalis. Nec tamen semper constituit rationem causæ secundum quid, hoc quod est esse accidens, quia in modo causandi potest esse univocatio, licet res causantes non sint entia univoce, sicut calor efficienter producit alterum calorem ita principaliter et simpliciter, sicut homo hominem, et formaliter constituit calidum ita formaliter, sicut forma ignis ignem.

ARTICULUS III.

Utrum omnis causa debeat esse prior, perfectior, et distincta a suo causato?

Hæ sunt principales conditiones requisitæ communiter ad causandum, et ideo de illis in hoc articulo simul agimus.

Respondeo ergo, et DICO PRIMO: In omni causa necessario debet intervenire distinctio et prioritas aliqua naturæ, quæ nihil aliud est quam prioritas dependentiæ. Sumitur ex D. Thoma q. XXVIII de verit. art. VII, dicente: « Quod in quolibet genere causæ causa naturaliter est prior causato, » et in quolibet. V, artic. XIX, inquit: « Quod in ordine naturæ dicitur aliquid esse prius per comparationem ad principia naturæ quæ quidem sunt quatuor causæ, unde secundum unumquodque genus causæ prius in ordine naturæ est, quod propinquius est causæ. » Ratio est manifesta, quia de essentiali ratione causæ est, quod sit principium a quo aliquid sequitur, et dependet in esse tanquam principiatum ab illo, sed ubi est principium, et principiatum, est ordo prioris et posterioris, quia principium exigit ordinem primi, et si est cum habitudine ad principiatum, se habet ut antecedens, et principiatum ut consequens, alias esset æquale, et eodem modo se habens cum ipso principio, et sic non esset dependens ab illo, quod est non esse causatum; ut ergo detur causatum, oportet quod principium sit antecedens, et principiatum consequens, quia sequitur ad illud, sicque habet ordinem prioris et posterioris, atque adeo distinguitur.

Est autem realis prioritas ista prioritas causalitatis, quia est rea-

lis dependentia et emanatio effectus a causa: licet verum sit, quod relatio prioritatis non semper realis sit, quia causa sæpe non existit in se, quando actu fit effectus, sed in sua virtute. Sed hoc etiam in ipsa durationis prioritate invenitur; prioritas enim unius partis non existit simul cum altera parte succedente, sed jam transiit, nec habet relationem realem.

Dico secundo: Prioritate dignitatis, et perfectionis non omnis causa est simplicitate nobilior et perfectior suo effectu, est tamen nobilior saltem secundum quid. Vocamus nobiliorem simpliciter in præsenti, quæ est nobilior secundum suam naturam, et esse absolute consideratum; nobiliorem vero secundum quid id quod est nobilius non absolute, et in esse, sed in præciso respectu causandi. Et in hoc sensu hæc secunda pars est certa, quia omnis causa debet habere habitudinem causandi, hoc est influendi, seu tribuendi aliquod esse causato, in quo causatum dependeat ab ipsa: semper autem est aliqualis perfectio dare, vel tribuere aliquid, et quod aliud dependeat a se: *Beatius est enim dare, quam accipere.*

Prima vero pars, quod non omnis causa sit nobilior suo effectu absolute et simpliciter, constat in primis ex D. Thoma I-II, q. LXVI, art. VI ad 3, ubi inquit: « Quod causa perficiens est potior suo effectu, non autem causa disponens: » et in quæst. VII de veritate, art. VII ad 1 dicit: « Quod quædam causæ sunt nobiliores his, quorum sunt causæ, scilicet efficiens, formalis, et finalis, sed materia est imperfectior, eo, cujus est causa. » Et idem docet de dispositione, quæ reducitur ad causam materialem. Intellige tamen quod si forma sumatur respectu totius quod constituit, licet componat tanquam forma, tamen ipsa forma et materia comparantur ad totum materialiter, et tanquam quid incompletum, et totum complet, et actuat illas in esse, et sic est perfectius illis, quia omne totum est majus seu perfectius sua parte: et ita dixit D. Thomas in III, distin. II, quæst. I, art. III, quæstiunc. III ad ultimum: « Quod nomine humanitatis intelligitur corpus et anima materialiter, sicut nomine totius intelliguntur suæ partes. »

Et hinc sumitur ratio hujus primæ partis, quia non omnis causa se habet ut perficiens et actuans, sed aliquæ se habent ut constituentes totum, vel disponentes ad illud et tales causæ non possunt esse nobiliores suo effectu, cum sint partes constituentes et omnis pars est minor suo toto, seu imperfectior, et similiter omnis dispositio ordinatur ad formam ad quam disponit, ut imperfectius ad perfectum, et ut via ad terminum, terminus autem cum in eo quiescatur, est perfectior via, in qua est motus ad illum.

Dico tertio: Causa efficiens principalis, et per se aut est perfectior aut æque perfecta cum suo effectu. Conclusio est receptissima, et constat, quia causa principalis aut est univoca, aut æquivoca; si univoca est ejusdem rationis, et consequenter æque perfecta cum suo effectu, ut homo generat hominem. Si æquivoca, est excellentio, effectur sicut sol respectu caloris, vel auri. At vero causa instrumentalis, licet sit alterius rationis ab effectu, tamen quia non est principalis, sed solum ministerialis non est necesse, quod sit perfectior suo effectu, neque enim effectus assimilatur instrumento, sed agenti principali, de quo D. Thomas in IV, dist. I, q. I, art. IV, q. I, ad 3. Nec tamen repugnat aliquando instrumentum, esse æque perfectum suo effectu, vel melius, sicut uno martello potest fieri alius, vel aliquid minus illo, puta clavus.

Dico quarto: Finis cujus gratia si ex natura sua sit finis, semper est nobilior suo finalizato; secus vero si ex natura sua finis non sit, sed ex libito operantis, et similiter finis effectus non est semper nobilior suo finalizato. Conclusio hæc est D. Thomæ de qua specialiter potest videri in II, distinct. XV, artic. I ad 6, ubi inquit: « Quod aliquid potest esse propter aliud dupliciter; uno modo quia ordinatur ad ipsum sicut ad finem proprium et principalem, et sic inconveniens est dicere, quod aliquid sit propter vilius se, ut luna et stellæ, propter vespertiliones, et noctuas, cum finis potior sit his quæ sunt ad finem. Alio modo potest dici aliquid esse propter aliud, cui ex ipso provenit aliqua utilitas, sicut posset rex dici propter rusticum, ex cujus regimine provenit ei pars. » Ubi signanter D. Thomas dicit, quia ordinantur ad ipsum ut ad finem proprium et principalem, ut excludat id quod est finis non per se, nec principaliter, sed per accidens ex sola voluntate operantis, ut si quis philosophetur propter divitias, vel audiat sacrum propter furtum, talis finis non est operis, sed operantis. Loquimur ergo de fine proprio et ex natura sua, de quo verum est quod Aristoteles II Phys. tex. XXXIII, refert ex quodam poeta dicente, quod finis non solum debet esse, quod est ultimum, sed id quod est ultimum et optimum; finis ergo in quo utrumque conjungitur, scilicet, optimum et ultimum, est finis cujus gratia, et talis finis debet esse nobilior, utpote aliquid optimum, et consequenter ut per se primo appetibile, et cujus gratia cætera appetuntur, appetibile autem respectu appetitus habet rationem perfecti, et appetitus rationem perfectibilis, quia appetitus fundatur in potentialitate, qua tenditur ad perfectibile, ut ad terminum, in quo appetitus terminatur et perficitur. Comparatur ergo talis finis, qui ex natura sua finis est, ut ex natura sua perfectior ad ea quæ sunt ad finem. Finis autem qui solum habet rationem ultimi, sed non optimi, dicitur finis effectus, quia scilicet respectu efficientis comparatur, ut terminus in quo sistit actio, et sic cum effectus non sit nobilior suo efficiente, non requiritur quod talis finis sit perfectior suo finalizato, scilicet suo efficiente.

Solvuntur argumenta.

Contra primam conclusionem arguitur: Quia materia et forma unitæ causant totum, et tamen non sunt priores toto neque ab illo distinguuntur in re, sicut supra probatum est quæst. VI, ergo non requiritur in omnibus causis prioritas respectu causati. Et confirmatur, quia quod est prius potest separari ab eo, quod est posterius, eo quod est dependens ab illo, materia autem et forma, ut unitæ non possunt separari a toto, nec totum ab illis, ergo non habent rationem prioris respectu totius quod est causatum. Confirmatur secundo, quia causa et effectus relative se habent, ergo sunt simul natura, quæ est proprietas relativorum, ergo unum non est prius natura altero.

Respondetur huic argumento supra quæst. VI, art. II, fuisse satisfactum. Et in summa dicimus, quod materia et forma unitæ causant totum per resultantiam causalitatis partium ad invicem, quia enim forma causat communicationem sui effectus formalis in materia, et materia sustentationem et terminatio-

nem communicabilitatis in forma, dicuntur causare totum, non autem intelligitur, quod postquam materia et forma sunt unitæ, iterum alia causalitate causent totum, sed ipsæ unitæ sunt totum.

Ad primam confirmationem respondetur quod illud quod est prius altero omnibus modis, et simpliciter in esse respectu alterius, separari potest ab illo, sed id quod est prius non simpliciter, neque omnibus modis respectu alterius, non sequitur quod possit separari ab illo, quia secundum aliam considerationem potest ab illo dependere, sicut causæ ad invicem sunt causæ, et non potest una se expedire a dependentia aliarum, præsertim materia et forma, quæ causant constituendo ipsum totum, a quo dependent, et non ita pure et perfecte causant, quod etiam quando causant, non indigeant simul causari, quia ad hoc causant ut recipiant esse mediante toto, quod constituunt, non vero præcise dant esse sicut causa efficiens; qui ideo debet simpliciter existere, ut efficienter causet.

Ad secundam confirmationem respondetur quod causa et effectus si sumantur relative formaliter, sunt simul natura; si fundamentaliter vel transcendentaliter sunt prius, ipsa enim relatio in tali prioritate causandi, et antecedentia fundatur, licet ut relatio realis sit, debeat utrumque existere. An vero omnis causa transcendentaliter respiciat effectum etiam Divina, tractari solet a Theologis I part. quæst. XXV. Sufficit advertere, quod omnis causa creata transcendentalem ordinem dicit ad effectum, quia non pure respicit ut effectum, sed etiam ut objectum, a quo dependet specificatio suæ operationis, et per quod perficitur in operando in actu. At vero causa increata nullo modo perficitur ex effectu, sed pure perficit illum et sic non habet transcendentaliter habitudinem ad ipsum, ut ad objectum specificans, sed pure ut ad effectum, et nihilominus tanto est major connexio inter Deum et creaturam, quanto magis creatura ab eo dependet, et non e contra; ad connexionem enim sufficit dependentia ex parte unius extremi tantum, non ex utroque, nam si ex uno tantum est, fortius dependet, et sic magis connectitur cum altero, quia dependet ut a superiori causa, et sibi magis intima et necessaria.

Secundo arguitur contra reliquas conclusiones: Causa materialis non semper est imperfectior suo toto, ut patet in composito accidentali; perfectior est enim ipsa substantia substentans, quæ est ens per se, quam album, vel quod est ens per accidens, et in substantia virtualiter continetur ipsum accidens. Similiter e contra totum non est perfectius ipsa forma; solum enim excedit formam ratione materiæ; materia autem potius est causa imperfectionis, cum sit principium potentialitatis et limitationis in forma. Confirmatur, nam multæ causæ efficientes etiam principales, sunt imperfectiores suo causato, ut cœlum est imperfectius vivente, quod causatur ex putrefactione, et animal generans aliquando est imperfectior generato, sicut ex cæco, aut manco nascitur videns et sanum, et ex intellectu et specie intelligibili nascitur conceptus, qui perfectius repræsentat, et magis in actu quam species impressa.

Respondetur totum etiam per accidens esse perfectius ipsa causa materiali, quia includit illam et aliquid amplius, scilicet ipsum accidens, et sic ex parte rerum inclusarum perfectius est, licet ex parte modi componendi sit imperfectius ipsa substantia, quæ habet unitatem per se. Si autem ipsa substantia, ex qua componitur ens per accidens eminentiori modo contineat illud accidens, quod ei adjungitur erit perfectior simpliciter ipso toto, non in quantum causa materialis præcise, sed quia talis substantia est, et tantæ eminentiæ, sed hoc ad causalitatem materialem non requiritur. Ad id vero quod dicitur de forma, respondetur falsum esse quod totum solum excedat formam ratione materiæ; sed etiam excedit ratione modi essendi, quia habet esse completum, et subsistens, ut *quod*, cum forma non habeat esse, nisi ut *quo*, et ut pars incompleta.

Ad confirmationem respondetur quod cœlum non est causa principalis viventium, nisi ut motum ab intelligentia, a qua participat virtutem producendi vitam, vel sine aliis causis in viventibus imperfectis, vel cum aliis causis in viventibus perfectis, quæ propter perfectiores potentias, et organa, tam varia et perfectius disposita, requirunt causas magis determinatas et particulares, quam solum generalem virtutem cœli; et ita docet D. Thomas I p. quæst. LXX, artic. III ad 3: « Quod corpus cœleste, cum sit movens motum habet rationem instrumenti, quod agit in virtute principalis agentis, et ideo ex virtute sui motoris, qui est substantia vivens potest causare vitam. » Et idem habet in q. III de Poten. art. XI ad 13.

Ad id quod dicitur de animalibus imperfectis producentibus perfectiora respondetur quod si loquamur de perfectione individuali, ut quod animal cæcum producat videns et deforme pulchrum hoc non est mirum, quia licet personaliter sit imperfectum, potest tamen virtutem seminalem perfectam habere, et hanc sequitur perfectio in prole, et sic in quantum generans perfectius est. Si vero loquamur de perfectione specifica, ut quando mulus procreatur ex asino et equa, in primis dici potest, quod mutus licet sit perfectior asino, non tamen utroque parente simul, qui est asinus et equa. Nec obstat, quod secundum Aristotelem tota activitas generantis est ex parte masculi; tum quia hoc est incertum, et forte falsum; tum quia licet secundum se ita sit, tamen virtus illa activa in tali materia qualem ministrat equa, et cum talibus accidentibus efficitur virtuosior et potentior, quam ut progreditur a solo illo masculo. Forte etiam mulus non est perfectior asino, quia licet aliquid participet de specie perfectiori, scilicet æque in quantitate, et viribus, aliisque accidentibus, simpliciter tamen in substantia est monstrum, et speciei imperfectioris, quam asinus.

Ad ultimum de specie intelligibili respondetur quod conceptus est perfectior specie impressa, quia non procedit a sola ipsa, sed ab ipsa ut subordinata intellectui, qui est vitalis potentia et perfectior conceptu. Et idem dicitur de actu respectu habitus, a quo procedit ut subordinato potentiæ, et auxilio Divino, quo potentia actui adæquatur; imo in supernaturalibus, licet tota virtus producendi actum sit ab habitu, tamen ex intellectu et habitu fit unum conjunctum perfectius ipso actu præsertim addita specie impressa, quæ tenet se ex parte intellectus, et totum hoc simul excedit actum etiam visionis Divinæ, sufficit enim quod omnes causæ simul sint perfectiores effectu, non altera tantum.

ARTICULUS IV.

Utrum causæ ad invicem sint causæ?

Pervulgatum axioma Philosophorum est, causas ad invicem esse

causas, idque expresse ponit Aristoteles in. II Phys. text. XXX. et V Met. text II. Sed urget vulgaris difficultas, quia sequitur idem esse causam sui, præsertim supponendo quod quælibet causa causat ratione sui esse realis, quod non habetur secundum præcisionem intellectus, sed secundum id quod est in re. Et tunc fit argumentum ex alio axiomate non minus certo, quia causa causæ est causa causati,ergo si materia est causa formæ in re, et rursus forma est causa materiæ, ergo materia est causa sui mediate. Nec potest dici, quod hoc axioma intelligitur de causis in eodem genere causantibus non in diverso. Contra enim est; tum quia non affertur ratio aliqua hujus restrictionis; tum quia oppositum constat exemplis, nam applicans ligna igni, dicitur esse causa combustionis, licet concurrat in genere applicantis, et lignum in genere causæ materialis, et ignis in genere causæ efficientis. Similiter pater generans filiam est causa nepotis geniti a filia, licet filia passive tantum concurrat in sententia Aristotelis et D. Thomæ, pater autem fuit causa activa filiæ. Et denique, Deus dans vocationem dicitur causa boni operis in voluntate licet vocatio concurrat objective, et Deus effective illam faciat.

Denique, sequitur vitiosus circulus in causis: Si enim materia causatur a forma, et rursus forma a materia, ergo vere dicimus ideo formam esse, quia materia sustentat illam, et rursus ideo sustentare materiam, quia a forma, informatur. Hoc autem vitium circuli affert implicationem contradictionis, quia quando dico formam causare materiam, supponitur formam esse,cum causalitas illa formæ sit realis, et existens, et consequenter ejus principium, quod est forma, existere: si autem illa eadem forma causatur a materia, supponitur, quod non habet esse ipsa forma, siquidem causat ipsam, et materiam habere esse, quia causat realiter, ergo idem supponitur habere esse, et non habere esse respectu ejusdem.

Nihilominus hoc axioma expresse ponitur ab Aristotele, ut diximus, et exemplis ab ipso confirmatur, sicut constat, quod labor est causa bonæ valetudinis, quia efficit ipsam, et bona voletudo est causa laboris, tanquam finis ejus, et albedo est causa quod paries sit albus, et paries est causa quod albedo sustentetur in esse. Pro ejus autem explicatione supponendum est, causas intra idem genus causandi non posse ad invicem esse causas, sed solum procedit difficultas respectu causarum, diversi generis. Expressit hoc D. Thomas in quinto Metaphysicorum lectione secunda dicens: « Secundum idem genus causæ aliquid esse causam et causatum esse impossibile. » Cujus tamen rationem reddere aliqui satis difficile putant, præsertim cum aliqua exempla oppositum suadeant, sicut in genere causæ efficientis possunt duo efficientia ad invicem aliquid causare, ut cum agens repatitur a passo, ut duæ manus se calefaciunt ad invicem,ut stomachus effective calefacit vinum,et rursus vinum effective calefacit stomachum,et similia alia passim reperiuntur. Nihilominus quando negamus causas ejusdem generis non posse esse ad invicem causas, intelligimus in eodem sensu, in quo affirmamus, causas diversi generis esse ad invicem causas, scilicet concurrendo simul, et circa idem causatum: sicut materia et forma simul concurrunt,et efficiens et finis, quia etiam quando efficiens producit, vel assequitur finem, ab ipso finalizatur.Circa diversa autem vel diverso tempore non repugnat,

quod etiam in eodem genere causæ unum producat aliquid, et rursus illud productum seu passum, aliquem effectum distinctum producat in suo agente, ut in exemplis allatis constat.

Ratio ergo, quare causæ ejusdem generis non possunt simul, et circa idem esse ad invicem causæ, ea est, quia causæ ejusdem generis requirunt easdem conditiones ad causandum, verbi gratia, in efficienti existentiam, in materia potentialitatem carentem forma, in forma actualitatem ut receptibilem. Si ergo ad invicem sint causæ, unaquæque haberet suas conditiones ut causaret, et non haberet easdem ut causaretur, et e converso, quod repugnat.

Dubium vero est, utrum inter omnes causas diversi generis possit dari mutua ista causalitas et quomodo? Nam aliqui Auctores existimant, causas non esse ad invicem causas, utraque causet realiter et existendo, sed ubi una intentionaliter,seu mediante cognitione causat, alia vero realiter,sicut finis respectu efficientis, exemplar respectu exemplati, materia et forma respectu compositi, nam compositum est finis materiæ et formæ. Et ita Philosophus in exemplis, quæ adduxit pro isto axiomate solum posuit finem et efficiens. Cæterum inter materiam et formam non agnoscunt mutuam causalitatem, neque inter dispositionem ultimam et formam, eo quod istæ causæ requirunt existentiam ad causandum, cum causent realiter: et sic idem sequitur inconveniens, ac si utraque esset causa efficiens, in qua apud omnes constat, quod efficiens, et effectus ad invicem non sunt causæ. Ita plures recentiores, et Cabero hic tract. II, disput. VII, dub. I. At vero P. Suarez disput. XXVII Met. sectione II,numero IV et V sentit materiam non dependere a forma in suo esse, sed ut informata sit, et quia esse informatam requiritur, ut existat saltem secundum naturam, ideo dependet a forma tanquam a conditione, sine cujus actualitate naturaliter non potest esse, et hoc solummodo causatur a forma.

Nihilominus in sententia D.Thomæ simpliciter asserendum est, quod etiam inter causas realiter causantes,ut inter materiam et formam verificatur illud axioma, licet non secundum combinationem omnium causarum verificetur, nam materia et efficiens, forma et finis non sunt ad invicem causæ. De quo videri potest D. Thomas quæst. XXVIII de Verit. artic.VII,et opusc. XXXI, §. II, sed luculentius in V Met. lect. II, ubi sic inquit: « Sciendum est,quod cum sint quatuor causæ, earum duæ sibi invicem correspondent, quia efficiens est principium motus finis autem terminus, et similiter materia et forma, nam forma dat esse, materia autem recipit. Est igitur efficiens causa finis; finis autem causa efficientis: efficiens est causa finis quantum ad esse quidem, quia movendo perducit efficiens ad hoc ut sit finis, finis autem est causa efficientis,non quantum ad esse, sed quantum ad rationem causalitatis; nam efficiens est causa in quantum agit, non autem agit nisi causa finis. Unde ex fine habet suam causalitatem efficiens. Forma autem et materia sibi invicem sunt causæ quantum ad esse; forma quidem materiæ, in quantum dat ei esse actu; materia vero formæ in quantum sustentat ipsam. » Ita D. Thomas, ex cujus verbis colligitur, quod causæ sunt ad invicem causæ, vel quantum ad esse, vel quantum ad causalitatem, et quod materia et forma sunt ad invicem causæ quantum ad esse. Et secundo colligitur, quod non oportet causas esse ad in-

circulatio ignis vel aeris quam ex motu firmanenti, dicit Aristoteles provenire, primo Meteor. non est ei naturalis, quia non causatur ex principio intrinseco, neque iterum est per violentiam, sive contra naturam, sed est quodammodo supra naturam, quia talis motus inest eis ex impressione superioris corporis, cujus motum ignis et aer sequuntur secundum perfectam circulationem aqua vero secundum circulationem incompletam, scilicet secundum fluxum et refluxum maris.» Ita D. Thomas, qui motus locales sunt, et constat non esse violentos, quia non movent elementa extra proprium locum, sed in suo proprio loco conveniunt: quod si a loco suo amoverent, contraria retur ista circulatio ignis vel aeris motui sursum, quo naturaliter moventur ista elementa, et fluxus maris contrariaretur motui deorsum, quo movetur aqua, quod stare non potest, quia motui sursum solum contrariatur motus deorsum, et e contra quia unum uni est contrarium, ut patet per Philosophum I de Cœlo, tex. XI. Non ergo circularis motus istis elementis in proprio loco conveniens, contrarius est, et consequenter neque violentus: naturaliter autem non est, quia non est a principio intrinseco, et sic est præternaturalis.

Dices: Ergo quando aliquod corpus, verbi gratia, tota per impulsum impressum circulariter movetur, etiam ille motus non erit violentus, et sic non habebit contrarium in illa rota; ergo neque a quo corrumpatur, et sic semel impressus circularis motus, nunquam desinet, nisi ab extrinseco detineatur. Respondetur quod ille motus rotæ necessario fit per aliquem impulsum, qui est qualitas distincta a gravitate, et levitate, ut in octavo libro amplius dicetur. Hæc autem qualitas nisi continue imprimatur a motore, evanescit, quia est in subjecto extraneo, et solum per modum transeuntis imprimitur, sicut species in aere, et motio in instrumento, est enim impulsus instrumentalis quædam motio, quia de se ordinatur ad movenda instrumenta exteriora; unde de se non est permanens, sed desinit, nisi continuo instauretur. Unde ex defectu ipsius etiam si non detur aliud contrarium desinet ille motus rotæ, sicut desinet motus circularis cœli, et ignis, et aeris, cessante Angelo movere, ut libro octavo dicetur.

Ad fundamenta contrariæ sententiæ. Ad locum Aristotelis respondetur ibi sumere violentum non stricte, sed lato modo, ut etiam includit præternaturale; cum enim violentum duo includat unum ex parte principii activi, quod sit extra, alterum ex parte passi, quod sit contra ejus naturam, tunc est violentum stricte dictum, quando utrumque includit, tunc autem lata sumitur, quando alterum tantum, videlicet quando accipitur pro motu solum, ut a principio extrinseco, sive passum resistat, sive non, et hoc modo includit motum contra et præter naturam; et sic verum est quod omnis motus aut fit vi, aut natura, id est, a principio intrinseco, vel extrinseco; sed non omnis fit contra naturam aut a natura. Et hunc esse legitimum sensum Philosophi constat, quia postquam dixit omnem motum fieri aut natura, aut vi, subdit: «Quippe cum violentus sit præter naturam,» intelligit ergo nomine violenti aliquid præternaturale.

Ad rationem respondetur, omnia corpora propendere in locum determinatum, a quo si extrahantur, violentiam patiuntur; sed tamen dari potest motus, quo neque extrahantur a suo naturali loco, neque ad illum tendant, sed quo in loco proprio moveantur a superiori agente, ut de circulatione ignis et fluxu maris dictum est. Quod vero dicitur cœlum violenter moveri, jam supra rejecimus, et est expresse contra Aristotelem I de Cœlo, a tex. IX, eo quod cœlum neque est grave, neque leve, cum naturalis ejus locus et motus non sit in centro, nec a centro, sed circa centrum. Videatur ibi D. Thomas lectione quinta.

QUÆSTIO X.

DE CAUSA IN COMMUNI.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ sit definitio causæ in communi, et quæ conditiones causæ?

Quid sit causa in actu primo, et per modum principii, ex ipso actu secundo, quod est causare, investigandum est. De hoc vero magna varietas inter auctores orta est, eo quod difficile est assignare aliquid commune omnibus causis in ratione causandi, quod non dicat solum rationem principii vel termini, a quibus etiam res pendent, et non ut a causis, et in Divinis invenitur unum esse ab alio sine aliquo causalitatis genere. Constat autem apud omnes nomine causæ intelligi aliquid, quod sit principium, sed quia non omne principium est causæ, sed latius patet principium, quam causa, et causa quam elementum, ut S. Thomas notavit V, Metaphys. in principio, oportet assignare differentiam, quam addit causa supra rationem principii, quæ sit contractior principio, et latior elemento.

Aliqui ergo diffidentes invenire aliquam definitionem communem omnibus causis, dixerunt nullam dari definitionem causæ in communi, quia est quid analogum ad omnes modos causandi, et ita prius est dividenda, quam definienda, sicut fecit Aristoteles in II Physic. et in V Metaph. Sed certe mirabile est, quod possimus definire principium in communi, et illud definit Aristoteles in initio V Metaph. dicens: «Quod omnibus principiis commune esse primum, unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur;» et solet etiam definiri principium *id a quo aliquid sequitur;* et tamen quod causa in communi non sit definibilis, cum multo magis analogum deberet esse principium, quam causa, cum sit aliquid communius, omnis enim causa est principium, sed non e contra. Et præterea analoga sunt definibilia, quia de illis potest dari scientia, sicut patet in ente; ergo etiam si causa sit analoga ad omnes quatuor causas, poterit tamen definiri, et dato quod essentialiter non definiretur, saltem descriptive posset definiri penes aliquas conditiones communes omnibus causis, sicut est dependere ex parte effectus influere ex parte causæ, et similia; ergo non est omnino neganda definitio causæ; ut, omittam non esse ita certum causam communi esse analogam ad omnes quatuor causas, ut sequenti articulo dicemus.

Varie ergo divisi sunt auctores in explicanda ratione causæ in communi, fortassis ex eo quod inadæquate consideraverunt conditiones ad causam requisitas. Aliqui enim consideraverunt ipsum causare ex parte causæ; alii ex parte causati. Ex parte causæ consideratur influentia, seu derivatio principians causatum; ex parte vero causati consideratur dependentia, et consecutio in esse, et consequenter distinctio a suo causante. Aliqui ergo definiunt causam sic: Causa est *id quod per se influit esse in aliud.* Ita P. Suarez: quam definitionem *aliqui* paululum mutant dicendo, quod causa

est *id ad quod sequitur effectus*, ut P. Rubio, quia tamen videtur petere principium, supponit enim in definitione id de quo quæritur; quærimus enim in quo consistat aliquid esse effectum, et recipere influxum per modum effectus, cum multa deriventur ab aliis, et non sint effectus, ut duæ Personæ in Divinis. Alii definiunt: Quod causa est *id a quo aliquid per se pendet*, ut Conimbricenses hic et Fonseca. Alii dicunt: Quod causa est *id a quo aliquid sequitur*, quam definitionem multis locis tradit D. Thomas ut videri potest II Physic. lect. X, et q. X de Potentia, art. I ad 3, opusc. XXXI. Alii, ut Avicenna, dicunt: Quod causa est *quæ tribuit esse rei*, in quo non differt a prima definitione: idem enim est dicere, tribuit esse, et influit esse, et easdem patitur difficultates, ut infra dicemus.

Veritas tamen est, quod perfecta definitio causæ omnes istas exigit conditiones, et per alteram tantum non perfecte explicatur; exigit enim rationem principii tanquam aliquid communius, exigit rationem influentiæ, seu derivationis ex parte causæ, exigit dependentiam, et consecutionem in esse ex parte causati; unde sequitur, quod intercedere debet diversitas inter causam et causatum. Et ita D. Thomas in diversis locis tradit istas conditiones, significans ex omnibus coagmentandam esse definitionem causæ. Nam in I Physic. lect. I, dicit, quod causæ dicuntur, ex quibus res dependent secundum esse suum vel fieri, ubi per dependentiam in esse, causam definit. Item I p. q. XXXIII, art. I ad 2, dicit: « Quod hoc nomen causæ videtur importare diversitatem substantiæ, et dependentiam alicujus ab altero, quam non importat nomen principium. » At vero in V Metaphys. lect. I, inquit: « Quod principium ordinem quemdam importat; hoc vero nomen causa influxum quemdam ad esse causati; » ubi causam per influxum definit. Denique, locis supra citatis definit causam per consecutionem causati dicens: Quod causa est *id ad quod sequitur*, scilicet sequela physica et quoad esse. Ex hoc autem colligimus, has definitiones non esse sibi contrarias, sed unam adjuvare aliam, et explicare quod in altera deest. Et sic possimus ex illis omnibus colligere plenam causæ definitionem dicendo: *Causa est principium alicujus per modum influxus seu derivationis, ex qua natum est aliquid consequi secundum dependentiam in esse*. Principium ponitur loco generis, et excludit ea a quibus aliquid pendet, non ut a principio sui, sed ut a termino, vel medio, sicut relatio pendet a termino, quantitas ab indivisibili terminante, vel continuante. Per modum influxus ponitur ad assignandam rationem causalitatis, et differentiam a principiis, quæ sine influxu aliquid initiant, ut privatio, et terminus a quo, quæ important principium motus secundum influxum, sed tantum ordinem in id quod ab eis principiatur. Et similiter excluditur conditio sine qua non, ut applicatio, quia non importat influxum, neque rationem principii, sed aliquid concomitans, et requisitum. *Et quæ natum est aliquid sequi* ponitur ad assignandum alteram conditionem causæ, quia non sufficit quælibet derivatio influxus ut sit causalitas, sed talis influxus esse debet, ut ab illo dependeat in esse id, quod causatum est, et sic excluditur generatio et spiratio in Divinis, quæ licet communicent naturam Divinam et esse, tamen illud esse non est dependens; sed est illud met quod est in producente communicatum. Neque oportet, explicare in hac definitione, quomodo sequatur

unum ex alio, an in actu primo, vel secundo: definitio enim data procedit de causa in actu primo dicendo, quod est principium alicujus, principium autem est actus primus.

Sed objicies: Nam imprimis istæ definitiones non explicant, quid sit ipsum causare, sine quo non potest intelligi quid sit causa: nam si dicatur, quod sit influere, æque obscurum est atque ipsum causare, et in Divinis datur influxus et productio, et non datur causa. Nec obstat quod ibi datur influxus in alium, id est, in personam, non in aliud, id est, in esse; nam si sufficit ad rationem principii, quod non sit in aliud, cur non sufficiet ad rationem causæ, vel saltem cur non sufficiet, ut ipsa persona, in quam fit influxus, et productio, sit causata, licet non ipsa natura. Si vero dicatur, quod causare est sequi, instatur, quia ex die sequitur nox sequela physica, et ex vita mors, ex effectu illative sequitur causa, et ex privatione motus, et in Divinis ex parte sequitur Filius in quibus tamen non invenitur ratio causæ. Si vero explicetur causare per hoc, quod est causatum dependere ab alio, restat videre, quid addat dependentia super ipsum procedere, ut non sufficiat processio ad rationem causæ. Et præterea multa dependent ad aliquo, a quo non causantur, ut relatio a termino, motus a privatione, linea a puncto, essentia a suis prædicatis, humanitas a Persona Verbi, quæ tamen omnia causalitatem non dicunt. Denique, istæ definitiones magis videntur attendisse ad explicandam causam efficientem, quæ cæteris videtur manifestior, quia influere solum convenit causæ efficienti, finalis enim non influit vero influxu, nisi mediante actione agentis; materia etiam non influit, sed recipit, et forma actuat, et similiter exemplar non influit, sed imitationem sui per cogitationem præbet; solus ergo influxus causæ, non explicat nisi causam efficientem.

Respondetur instantias allatas non esse efficaces, nam ratio causæ non explicatur per solum influxum quomodocunque, sed per influxum in ipsum esse, ita quod oriatur novum esse, vel saltem novus modus essendi, et consequenter cum dependentia, et limitatione, et diversitate unius ab alio, sicut dicit D. Thomas V Metaphys. citato, quod causa est quæ habet influxum non quomodocunque, sed in esse causati; et I part. p. XXXIII, citata addit, quod causa et causatum important diversitatem in substantia. Influxus ergo cum istis conditionibus explicat rationem causæ, non sine illis, neque ita obscure se habet sicut ipsum causare. Nec convenit Personæ Divinæ etiam in quantum Persona, quia licet fit procedens, non tamen cum illis conditionibus explicatis, scilicet cum diversitate et dependentia in esse.

Ad id quod opponitur contra explicationem causæ, per hoc quod sequatur aliquid ex illa, respondetur quod intelligitur sequela cum eisdem conditionibus, quibus ipse influxus, scilicet quod sit sequela physica, quæ dat esse non logica, quæ solum præbet illationem, et sequatur esse novum et distinctum quod non contingit in Divinis processionibus; et similiter si ista sequela rei causatæ debet esse per influxum, consequenter excluditur terminus a quo, ut quando ex nocte fit dies, vel ex vita mors, etc. quia ab illis sequitur aliquid, ut a terminis, qui relinquuntur, non ut a principiis, quæ influunt et tribuunt esse.

Ad id quod dicitur, quod multa dependent ab aliquo, a quo non causantur, respondetur quod si dependent ab aliquo tanquam a tribuente

et influente esse, dependent ab illo, ut a principio causante. Si vero dependent ab aliquo, ut a termino qui pure terminat, sive ex parte termini a quo, sive ex parte termini ad quem, vel si dependent ab aliquo, ut a conditione applicante, sic istæ dependentiæ non constituunt causam, quia non sunt principia influxus. Et eadem ratione subsistentia Divina non causat humanitatem in Christo, quia non se habet ut influens in illam esse, sed pure, ut terminans in ratione suppositi incommunicabilis, sicut linea terminatur puncto.

Ad ultimum respondetur quod influxus accipitur in definitione largo modo pro omni eo, quod est tribuere aliquod esse, et facere illud dependens a se. Tribuere autem et influere explicatur per ordinem processus ab aliquo, ut a continente et radice, unde originatur in suo genere, non applicante, vel terminante tantum. Et hoc modo materia originat esse recipiendo illud, et sustentando, et reddendo incommunicabile, forma etiam dat esse determinatum, et cum tali vel tali specificatione, et actualitate, finis etiam attrahit et movet ad sui consecutionem in esse, et exemplar tanquam forma extrinseca dat esse, non informando, sed imitando, quæ licet fiant interventu actionis efficientis, non tamen sub ratione efficientis; sed sub formalitate finalizandi, et exemplandi, ut suis locis dicetur.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit causa?

Sit unica conclusio: Quatuor tantum sunt genera causarum. Ita Aristoteles in II Physicorum, textu LXVIII, et ibi D. Thomas lect. X et V Metaphysicæ, tex. II, lect. III, et colligit Philosophus hunc numerum, ex numero quæstionum propter quid, nam propter quid quærit de causa, sed ad quæstionem propter quid non possumus respondere, nisi aliqua dictarum causarum, scilicet vel propter formalem, ut cum quærimus propter quid homo est albus, et dicimus, quia habet albedinem; vel per causam materialem ut cum inquirimus quare homo est corruptibilis, et respondemus, quia componitur ex contrariis; vel per causam finalem, ut cum inquirimus quare aliqui pugnant, et respondemus, ut dominantur; vel tandem per causam efficientem, ut cum inquirimus cur mare fluit et refluit, et respondemus, quia movetur a luna.

Eumdem numerum causarum colligit D. Thomas supra, quia causa est id ad quod sequitur esse alterius, vel ergo consideratur esse causatum absolute et in se, vel ut accipitur, et fit ab alio. Si absolute, causatur per formam, quæ absolute constituit in esse: si ut accipitur, et fit ab alio, oportet quod de ente in potentia fiat ens in actu, sic enim sequitur esse de novo, quatenus id quod est in potentia, reducitur in actum ab eo quod est in actu, et sic oportet assignare duas causas, scilicet illam, quæ est in potentia ut susceptiva actus, et illam quæ causat reducendo in actum seu agendo, et prima est materia, quæ causat recipiendo, et secunda est efficiens. Rursus vero actio agentis debet tendere in aliquid determinatum ex vi alicujus in quo tendit, seu intendit tanquam conveniens, et hoc dicitur causa finalis, et ita sunt quatuor causæ et non plures, quia istæ sufficiunt ad cujuscunque rei constitutionem in esse, et ad istas omnes reducibiles sunt, ergo non sunt ponendæ plures.

Sed inquires, an ista divisio causarum sit analoga vel univoca? Aliqui ut Pater Suarez disp. XXVII Metaphysicæ, sect. I, num. IX, quem sequitur Cabero hic tract. II, disp. II, dubio ultimo tenent esse analogam, quia proprie convenit ratio causæ ipsi efficienti, aliis vero causis improprie, dicitur enim causa, quia influit esse, influxus vero non invenitur proprie in forma vel materia. Et præterea nomen causa est commune Deo et creaturis, substantiæ et accidentia, quibus nihil est univocum, sed analogum. Cæterum hoc solum probat, quod causa entitative considerata non est univoca sed analoga, et hoc non solum currit respectu causarum diversi generis quod solum inquirimus in præsenti, sed etiam in uno et eodem genere causæ, v. g. causa efficiens est analoga ad causam efficientem creatam et increatam, et similiter se habet finis. Quare ex hoc non habetur resolutio difficultatis propositæ, an scilicet ista quatuor genera causarum sint univoca in ratione causandi, sed quod sint univoca in ratione entis creati vel increati. Illa autem ratio influxus non multum urget, quia ut supra dictum est, nomen influxus non sumitur stricte pro sola ratione actionis, sed prout dicit quodcunque tribuere, seu dare positive, quo sensu etiam ipsum recipere materiæ est quoddam dare, dat enim id in quo sustentatur et continetur forma et a quo dependet saltem in informando. Quod si aliqui sumunt influxum in stricta illa acceptione pro sola actione efficientis, non mirum quod sola causa efficiens dicatur causa proprie, et reliquæ improprie, sic enim non tam est dicere quod causa in communi est analoga ad omnia genera causarum, quam quod denominatio causæ efficientis analogice convenit aliis causis.

Quare loquendo de causa secundum proprium conceptum causæ, non est cur dicamus esse analogam ad ista quatuor genera causarum, quidquid sit, an in ratione entis analoga sit respectu causæ creatæ et increatæ, substantialis et accidentalis. Ratio est, quia in generibus istis causarum invenitur propria ratio causæ non participative, nec dependenter ab alia in participando rationem causæ, licet in exercendo causalitatem, una ab altera dependere possit, quia causæ ad invicem sunt causæ. At vero quod materia v. g. habeat vim recipiendi, quod est esse causam materialem, non participat a forma, vel ab efficiente, licet ab utroque dependeat exercitium existendi vel recipiendi. Si tamen aliqua causa non solum in exercitio, sed etiam quantum ad ipsam rationem causandi participative et dependenter se habeat ad aliam, sicut causa principalis ad instrumentalem, tunc analogice de illis dicitur causa, quia instrumentalis reductive pertinet ad efficientem seu ministerialiter, quod est secundum quid.

Sed objicies contra numerum causarum, quia videntur plures causæ quam enumeratæ, nam imprimis objectum est causa specificativa potentiarum et actuum et non efficiens quia non elicit illos, neque formalis quia non informat, sed extra illos est, neque materialis quia non recipit illos, neque finalis quia hæc non specificat in quantum finis, sed ut objectum, ergo. Et idem argumentum potest fieri de idea, quæ est vera causa ideati, nec. tamen pertinet ad aliquam ex assignatis ob eamdem rationem. Item fundamentum est causa relationis, essentia est causa passionum, nec tamen efficienter, quia nec essentia nuda efficit, nec relationes efficiuntur, aliud autem genus causæ non potest illis competere: ac denique instrumentum non potest reduci ad

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

genus causæ efficientis, et multo minus ab alia, quia efficiens est, unde incipit motus; ab instrumento autem non incipit, cum supponat aliud prius a quo incipit moveri instrumentum, ergo est causa distincta ab omnibus.

Contra univocationem causarum arguitur: Materia et forma non sunt simpliciter causæ, ergo neque univoce. Antecedens probatur; nam imprimis non constituunt nec causant aliquid a se omnino distinctum, quia totum non distinguitur a partibus. Item materia est imperfectior forma, et composito, ergo non potest esse causa respectu illorum, quia ab imperfectiori non causatur perfectius, et similiter forma potius est effectus generationis quam causa generati. Denique, accidens analogice est causa respectu substantiæ, tum in genere causæ formalis, quia est actus et forma secundum quid, tum in genere causæ efficientis, quia operatur in virtute substantiæ et ut instrumentum ejus, tum in genere causæ materialis, quia accidens non est subjectum per se sed sola substantia.

Ad primum respondetur quod objectum specificativum reducitur ad causam formalem extrinsecam, quia specificat et determinat ipsum actum tanquam mensura, et ratio specificationis ejus, et distinguit unum actum ab alio; proprium autem est formæ et actus specificare et distinguere. Ad secundum exemplum de idea dicemus sequenti quæstione quod pertinet ad causam formalem extrinsecam, quia Philosophus in II Phys. et V Met. definit causam formalem *quod est species et exemplar*: species propter formam intrinsecam, exemplar propter ideam. Ad tertium exemplum dicitur, quod fundamentum ex quo resultat relatio, et essentia, ex qua dimanant passiones non se habent proprie ut causa efficiens, sed reductive; proprium enim effectivum relationis est efficiens fundamenti, qui enim facit album, v. g. facit consequenter relationem similitudinis ad alterum album, et dissimilitudinis ad nigrum, sed quia istæ relationes fiunt mediante fundamento, cum quo connectuntur et a quo dependent, dicuntur resultare a fundamento in virtute efficientis: et similiter essentia se habet respectu passionum, non enim proprie producuntur ab essentia, sed a generante essentiam, quia qui facit formam, facit consequentia ad formam, et ista connexio seu consequentia inter essentiam et passiones est ratio emanationis, et reducitur ad causam efficientem, quia in virtute generantis essentiam dicuntur resultare ab essentia propter connexionem, ut q. XII amplius dicetur. Ad id quod dicitur de instrumento, respondetur quod reducitur ad causam efficientem, quia licet ab illo non incipiat motus principaliter, et simpliciter, incipit tamen ministerialiter, et participative.

Ad secundum contra univocationem causarum, respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dicitur, quod totum est non simpliciter distinctum a qualibet suarum partium, et hoc sufficit ut quælibet illarum sit vera causa, et non requiritur quod ab omni suo causato distinguatur omni modo sed sufficit, quod ab eo, quod causat immediate distinguatur, non ab omni eo quod inde resultat, et sic forma distinguitur ab eo quod causat in materia, et materia ab eo quod causat in forma, licet id quod resultat ex utriusque unione non distinguatur realiter ab utrisque simul, de quo amplius dicemus sequenti articulo, solutione ad primum.

Ad secundam probationem dicemus sequenti articulo, quomodo non requiritur, quod causa sit simpliciter nobilior suo causato in essendo, sed sufficit quod secundum quid, et hoc modo se habet materia respectu formæ, et totius, ut ibi explicabitur.

Ad id vero quod dicitur de causa dispositiva respondetur non esse ignobiliorem suo effectu formali, quem præbet immediate, scilicet reddere materiam dispositam; est tamen imperfectior respectu formæ, ad quam disponit, eo quod tenet se ex parte causæ materialis, quam determinat, et hæc potest esse imperfectior forma. Ad id quod dicitur, formam esse effectum generationis, respondetur esse effectum illius in genere causæ efficientis, sed tamen formam esse causam generationis in genere finis, quia est terminus, quem intendit.

Ad ultimam probationem respondetur quod illa differentia causarum in accidente et substantia, si sit tanta quod constituat accidens causam secundum quid, tollet univocationem, sed hoc non est ex vi istius divisionis causæ in quatuor genera causarum, sed ex vi alterius divisionis quæ etiam fieri potest intra idem genus causæ, v. g. efficientis secundum quid, vel simpliciter, ut instrumentum, vel causa principalis. Nec tamen semper constituit rationem causæ secundum quid, hoc quod est esse accidens, quia in modo causandi potest esse univocatio, licet res causantes non sint entia univoce, sicut calor efficienter producit alterum calorem ita principaliter et simpliciter, sicut homo hominem, et formaliter constituit calidum ita formaliter, sicut forma ignis ignem.

ARTICULUS III.

Utrum omnis causa debeat esse prior, perfectior, et distincta a suo causato?

Hæ sunt principales conditiones requisitæ communiter ad causandum, et ideo de illis in hoc articulo simul agimus.

Respondeo ergo, et DICO PRIMO: In omni causa necessario debet intervenire distinctio et prioritas aliqua naturæ, quæ nihil aliud est quam prioritas dependentiæ. Sumitur ex D. Thoma q. XXVIII de verit. art. VII, dicente: « Quod in quolibet genere causæ causa naturaliter est prior causato, » et in quolibet. V, artic. XIX, inquit: « Quod in ordine naturæ dicitur aliquid esse prius per comparationem ad principia naturæ quæ quidem sunt quatuor causæ, unde secundum unumquodque genus causæ prius in ordine naturæ est, quod propinquius est causæ. » Ratio est manifesta, quia de essentiali ratione causæ est, quod sit principium a quo aliquid sequitur, et dependet in esse tanquam principiatum ab illo, sed ubi est principium, et principiatum, est ordo prioris et posterioris, quia principium exigit ordinem primi, et si est cum habitudine ad principiatum, se habet ut antecedens, et principiatum ut consequens, alias esset æquale, et eodem modo se habens cum ipso principio, et sic non esset dependens ab illo, quod est non esse causatum; ut ergo detur causatum, oportet quod principium sit antecedens, et principiatum consequens, quia sequitur ad illud, sicque habet ordinem prioris et posterioris, atque adeo distinguitur.

Est autem realis prioritas ista prioritas causalitatis, quia est rea-

lis dependentia et emanatio effectus a causa: licet verum sit, quod relatio prioritatis non semper realis sit, quia causa sæpe non existit in se, quando actu fit effectus, sed in sua virtute. Sed hoc etiam in ipsa durationis prioritate invenitur; prioritas enim unius partis non existit simul cum altera parte succedente, sed jam transiit, nec habet relationem realem.

Dico secundo: Prioritate dignitatis, et perfectionis non omnis causa est simplicitate nobilior et perfectior suo effectu, est tamen nobilior saltem secundum quid. Vocamus nobiliorem simpliciter in præsenti, quæ est nobilior secundum suam naturam, et esse absolute consideratum; nobiliorem vero secundum quid id quod est nobilius non absolute, et in esse, sed in præciso respectu causandi. Et in hoc sensu hæc secunda pars est certa, quia omnis causa debet habere habitudinem causandi, hoc est influendi, seu tribuendi aliquod esse causato, in quo causatum dependeat ab ipsa: semper autem est aliqualis perfectio dare, vel tribuere aliquid, et quod aliud dependeat a se: *Beatius est enim dare, quam accipere.*

Prima vero pars, quod non omnis causa sit nobilior suo effectu absolute et simpliciter, constat in primis ex D. Thoma I-II, q. LXVI, art. VI ad 3, ubi inquit: « Quod causa perficiens est potior suo effectu, non autem causa disponens: » et in quæst. VII de veritate, art. VII ad 1 dicit: « Quod quædam causæ sunt nobiliores his, quorum sunt causæ, scilicet efficiens, formalis, et finalis, sed materia est imperfectior, eo, cujus est causa. » Et idem docet de dispositione, quæ reducitur ad causam materialem. Intellige tamen quod si forma sumatur respectu totius quod constituit, licet componat tanquam forma, tamen ipsa forma et materia comparantur ad totum materialiter, et tanquam quid incompletum, et totum complet, et actuat illas in esse, et sic est perfectius illis, quia omne totum est majus seu perfectius sua parte: et ita dixit D. Thomas in III, distin. II, quæst. I, art. III, quæstiunc. III ad ultimum: « Quod nomine humanitatis intelligitur corpus et anima materialiter, sicut nomine totius intelliguntur suæ partes. »

Et hinc sumitur ratio hujus primæ partis, quia non omnis causa se habet ut perficiens et actuans, sed aliquæ se habent ut constituentes totum, vel disponentes ad illud et tales causæ non possunt esse nobiliores suo effectu, cum sint partes constituentes et omnis pars est minor suo toto, seu imperfectior, et similiter omnis dispositio ordinatur ad formam ad quam disponit, ut imperfectius ad perfectum, et ut via ad terminum, terminus autem cum in eo quiescatur, est perfectior via, in qua est motus ad illum.

Dico tertio: Causa efficiens principalis, et per se aut est perfectior aut æque perfecta cum suo effectu. Conclusio est receptissima, et constat, quia causa principalis aut est univoca, aut æquivoca; si univoca est ejusdem rationis, et consequenter æque perfecta cum suo effectu, ut homo generat hominem. Si æquivoca, est excellentio, effectur sicut sol respectu caloris, vel auri. At vero causa instrumentalis, licet sit alterius rationis ab effectu, tamen quia non est principalis, sed solum ministerialis non est necesse, quod sit perfectior suo effectu, neque enim effectus assimilatur instrumento, sed agenti principali, de quo D. Thomas in IV, dist. I, q. I, art. IV, q. I, ad 3. Nec tamen repugnat aliquando instrumentum, esse æque perfectum suo effectu, vel melius, sicut uno martello potest fieri alius, vel aliquid minus illo, puta clavus.

Dico quarto: Finis cujus gratia si ex natura sua sit finis, semper est nobilior suo finalizato; secus vero si ex natura sua finis non sit, sed ex libito operantis, et similiter finis effectus non est semper nobilior suo finalizato. Conclusio hæc est D. Thomæ de qua specialiter potest videri in II, distinct. XV, artic. I ad 6, ubi inquit: « Quod aliquid potest esse propter aliud dupliciter; uno modo quia ordinatur ad ipsum sicut ad finem proprium et principalem, et sic inconveniens est dicere, quod aliquid sit propter vilius se, ut luna et stellæ, propter vespertiliones, et noctuas, cum finis potior sit his quæ sunt ad finem. Alio modo potest dici aliquid esse propter aliud, cui ex ipso provenit aliqua utilitas, sicut posset rex dici propter rusticum, ex cujus regimine provenit ei pars. » Ubi signanter D. Thomas dicit, quia ordinantur ad ipsum ut ad finem proprium et principalem, ut excludat id quod est finis non per se, nec principaliter, sed per accidens ex sola voluntate operantis, ut si quis philosophetur propter divitias, vel audiat sacrum propter furtum, talis finis non est operis, sed operantis. Loquimur ergo de fine proprio et ex natura sua, de quo verum est quod Aristoteles II Phys. tex. XXXIII, refert ex quodam poeta dicente, quod finis non solum debet esse, quod est ultimum, sed id quod est ultimum et optimum; finis ergo in quo utrumque conjungitur, scilicet, optimum et ultimum, est finis cujus gratia, et talis finis debet esse nobilior, utpote aliquid optimum, et consequenter ut per se primo appetibile, et cujus gratia cætera appetuntur, appetibile autem respectu appetitus habet rationem perfecti, et appetitus rationem perfectibilis, quia appetitus fundatur in potentialitate, qua tenditur ad perfectibile, ut ad terminum, in quo appetitus terminatur et perficitur. Comparatur ergo talis finis, qui ex natura sua finis est, ut ex natura sua perfectior ad ea quæ sunt ad finem. Finis autem qui solum habet rationem ultimi, sed non optimi, dicitur finis effectus, quia scilicet respectu efficientis comparatur, ut terminus in quo sistit actio, et sic cum effectus non sit nobilior suo efficiente, non requiritur quod talis finis sit perfectior suo finalizato, scilicet suo efficiente.

Solvuntur argumenta.

Contra primam conclusionem arguitur: Quia materia et forma unitæ causant totum, et tamen non sunt priores toto neque ab illo distinguuntur in re, sicut supra probatum est quæst. VI, ergo non requiritur in omnibus causis prioritas respectu causati. Et confirmatur, quia quod est prius potest separari ab eo, quod est posterius, eo quod est dependens ab illo, materia autem et forma, ut unitæ non possunt separari a toto, nec totum ab illis, ergo non habent rationem prioris respectu totius quod est causatum. Confirmatur secundo, quia causa et effectus relative se habent, ergo sunt simul natura, quæ est proprietas relativorum, ergo unum non est prius natura altero.

Respondetur huic argumento supra quæst. VI, art. II, fuisse satisfactum. Et in summa dicimus, quod materia et forma unitæ causant totum per resultantiam causalitatis partium ad invicem, quia enim forma causat communicationem sui effectus formalis in materia, et materia sustentationem et terminatio-

nem communicabilitatis in forma, dicuntur causare totum, non autem intelligitur, quod postquam materia et forma sunt unitæ, iterum alia causalitate causent totum, sed ipsæ unitæ sunt totum.

Ad primam confirmationem respondetur quod illud quod est prius altero omnibus modis, et simpliciter in esse respectu alterius, separari potest ab illo, sed id quod est prius non simpliciter, neque omnibus modis respectu alterius, non sequitur quod possit separari ab illo, quia secundum aliam considerationem potest ab illo dependere, sicut causæ ad invicem sunt causæ, et non potest una se expedire a dependentia aliarum, præsertim materia et forma, quæ causant constituendo ipsum totum, a quo dependent, et non ita pure et perfecte causant, quod etiam quando causant, non indigeant simul causari, quia ad hoc causant ut recipiant esse mediante toto, quod constituunt, non vero præcise dant esse sicut causa efficiens; qui ideo debet simpliciter existere, ut efficienter causet.

Ad secundam confirmationem respondetur quod causa et effectus si sumantur relative formaliter, sunt simul natura; si fundamentaliter vel transcendentaliter sunt prius, ipsa enim relatio in tali prioritate causandi, et antecedentia fundatur, licet ut relatio realis sit, debeat utrumque existere. An vero omnis causa transcendentaliter respiciat effectum etiam Divina, tractari solet a Theologis I part. quæst. XXV. Sufficit advertere, quod omnis causa creata transcendentalem ordinem dicit ad effectum, quia non pure respicit ut effectum, sed etiam ut objectum, a quo dependet specificatio suæ operationis, et per quod perficitur in operando in actu. At vero causa increata nullo modo perficitur ex effectu, sed pure perficit illum et sic non habet transcendentaliter habitudinem ad ipsum, ut ad objectum specificans, sed pure ut ad effectum, et nihilominus tanto est major connexio inter Deum et creaturam, quanto magis creatura ab eo dependet, et non e contra; ad connexionem enim sufficit dependentia ex parte unius extremi tantum, non ex utroque, nam si ex uno tantum est, fortius dependet, et sic magis connectitur cum altero, quia dependet ut a superiori causa, et sibi magis intima et necessaria.

Secundo arguitur contra reliquas conclusiones: Causa materialis non semper est imperfectior suo toto, ut patet in composito accidentali; perfectior est enim ipsa substantia substentans, quæ est ens per se, quam album, vel quod est ens per accidens, et in substantia virtualiter continetur ipsum accidens. Similiter e contra totum non est perfectius ipsa forma; solum enim excedit formam ratione materiæ; materia autem potius est causa imperfectionis, cum sit principium potentialitatis et limitationis in forma. Confirmatur, nam multæ causæ efficientes etiam principales, sunt imperfectiores suo causato, ut cœlum est imperfectius vivente, quod causatur ex putrefactione, et animal generans aliquando est imperfectior generato, sicut ex cæco, aut manco nascitur videns et sanum, et ex intellectu et specie intelligibili nascitur conceptus, qui perfectius repræsentat, et magis in actu quam species impressa.

Respondetur totum etiam per accidens esse perfectius ipsa causa materiali, quia includit illam et aliquid amplius, scilicet ipsum accidens, et sic ex parte rerum inclusarum perfectius est, licet ex parte modi componendi sit imperfectius ipsa substantia, quæ habet unitatem per se. Si autem ipsa substantia, ex qua componitur ens per accidens eminentiori modo contineat illud accidens, quod ei adjungitur erit perfectior simpliciter ipso toto, non in quantum causa materialis præcise, sed quia talis substantia est, et tantæ eminentiæ, sed hoc ad causalitatem materialem non requiritur. Ad id vero quod dicitur de forma, respondetur falsum esse quod totum solum excedat formam ratione materiæ; sed etiam excedit ratione modi essendi, quia habet esse completum, et subsistens, ut *quod*, cum forma non habeat esse, nisi ut *quo*, et ut pars incompleta.

Ad confirmationem respondetur quod cœlum non est causa principalis viventium, nisi ut motum ab intelligentia, a qua participat virtutem producendi vitam, vel sine aliis causis in viventibus imperfectis, vel cum aliis causis in viventibus perfectis, quæ propter perfectiores potentias, et organa, tam varia et perfectius disposita, requirunt causas magis determinatas et particulares, quam solum generalem virtutem cœli; et ita docet D. Thomas I p. quæst. LXX, artic. III ad 3: « Quod corpus cœleste, cum sit movens motum habet rationem instrumenti, quod agit in virtute principalis agentis, et ideo ex virtute sui motoris, qui est substantia vivens potest causare vitam. » Et idem habet in q. III de Poten. art. XI ad 13.

Ad id quod dicitur de animalibus imperfectis producentibus perfectiora respondetur quod si loquamur de perfectione individuali, ut quod animal cæcum producat videns et deforme pulchrum hoc non est mirum, quia licet personaliter sit imperfectum, potest tamen virtutem seminalem perfectam habere, et hanc sequitur perfectio in prole, et sic in quantum generans perfectius est. Si vero loquamur de perfectione specifica, ut quando mulus procreatur ex asino et equa, in primis dici potest, quod mutus licet sit perfectior asino, non tamen utroque parente simul, qui est asinus et equa. Nec obstat, quod secundum Aristotelem tota activitas generantis est ex parte masculi; tum quia hoc est incertum, et forte falsum; tum quia licet secundum se ita sit, tamen virtus illa activa in tali materia qualem ministrat equa, et cum talibus accidentibus efficitur virtuosior et potentior, quam ut progreditur a solo illo masculo. Forte etiam mulus non est perfectior asino, quia licet aliquid participet de specie perfectiori, scilicet æque in quantitate, et viribus, aliisque accidentibus, simpliciter tamen in substantia est monstrum, et speciei imperfectioris, quam asinus.

Ad ultimum de specie intelligibili respondetur quod conceptus est perfectior specie impressa, quia non procedit a sola ipsa, sed ab ipsa ut subordinata intellectui, qui est vitalis potentia et perfectior conceptu. Et idem dicitur de actu respectu habitus, a quo procedit ut subordinato potentiæ, et auxilio Divino, quo potentia actui adæquatur; imo in supernaturalibus, licet tota virtus producendi actum sit ab habitu, tamen ex intellectu et habitu fit unum conjunctum perfectius ipso actu præsertim addita specie impressa, quæ tenet se ex parte intellectus, et totum hoc simul excedit actum etiam visionis Divinæ, sufficit enim quod omnes causæ simul sint perfectiores effectu, non altera tantum.

ARTICULUS IV.

Utrum causæ ad invicem sint causæ?

Pervulgatum axioma Philosophorum est, causas ad invicem esse

causas, idque expresse ponit Aristoteles in. II Phys. text. XXX. et V Met. text II. Sed urget vulgaris difficultas, quia sequitur idem esse causam sui, præsertim supponendo quod quælibet causa causat ratione sui esse realis, quod non habetur secundum præcisionem intellectus, sed secundum id quod est in re. Et tunc fit argumentum ex alio axiomate non minus certo, quia causa causæ est causa causati,ergo si materia est causa formæ in re, et rursus forma est causa materiæ, ergo materia est causa sui mediate. Nec potest dici, quod hoc axioma intelligitur de causis in eodem genere causantibus non in diverso. Contra enim est; tum quia non affertur ratio aliqua hujus restrictionis; tum quia oppositum constat exemplis, nam applicans ligna igni, dicitur esse causa combustionis, licet concurrat in genere applicantis, et lignum in genere causæ materialis, et ignis in genere causæ efficientis. Similiter pater generans filiam est causa nepotis geniti a filia, licet filia passive tantum concurrat in sententia Aristotelis et D. Thomæ, pater autem fuit causa activa filiæ. Et denique, Deus dans vocationem dicitur causa boni operis in voluntate licet vocatio concurrat objective, et Deus effective illam faciat.

Denique, sequitur vitiosus circulus in causis: Si enim materia causatur a forma, et rursus forma a materia, ergo vere dicimus ideo formam esse, quia materia sustentat illam, et rursus ideo sustentare materiam, quia a forma, informatur. Hoc autem vitium circuli affert implicationem contradictionis, quia quando dico formam causare materiam, supponitur formam esse,cum causalitas illa formæ sit realis, et existens, et consequenter ejus principium, quod est forma, existere: si autem illa eadem forma causatur a materia, supponitur, quod non habet esse ipsa forma, siquidem causat ipsam, et materiam habere esse, quia causat realiter, ergo idem supponitur habere esse, et non habere esse respectu ejusdem.

Nihilominus hoc axioma expresse ponitur ab Aristotele, ut diximus, et exemplis ab ipso confirmatur, sicut constat, quod labor est causa bonæ valetudinis, quia efficit ipsam, et bona voletudo est causa laboris, tanquam finis ejus, et albedo est causa quod paries sit albus, et paries est causa quod albedo sustentetur in esse. Pro ejus autem explicatione supponendum est, causas intra idem genus causandi non posse ad invicem esse causas, sed solum procedit difficultas respectu causarum, diversi generis. Expressit hoc D. Thomas in quinto Metaphysicorum lectione secunda dicens: « Secundum idem genus causæ aliquid esse causam et causatum esse impossibile. » Cujus tamen rationem reddere aliqui satis difficile putant, præsertim cum aliqua exempla oppositum suadeant, sicut in genere causæ efficientis possunt duo efficientia ad invicem aliquid causare, ut cum agens repatitur a passo, ut duæ manus se calefaciunt ad invicem,ut stomachus effective calefacit vinum,et rursus vinum effective calefacit stomachum,et similia alia passim reperiuntur. Nihilominus quando negamus causas ejusdem generis non posse esse ad invicem causas, intelligimus in eodem sensu, in quo affirmamus, causas diversi generis esse ad invicem causas, scilicet concurrendo simul, et circa idem causatum: sicut materia et forma simul concurrunt,et efficiens et finis, quia etiam quando efficiens producit, vel assequitur finem, ab ipso finalizatur.Circa diversa autem vel diverso tempore non repugnat,

quod etiam in eodem genere causæ unum producat aliquid, et rursus illud productum seu passum, aliquem effectum distinctum producat in suo agente, ut in exemplis allatis constat.

Ratio ergo, quare causæ ejusdem generis non possunt simul, et circa idem esse ad invicem causæ, ea est, quia causæ ejusdem generis requirunt easdem conditiones ad causandum, verbi gratia, in efficienti existentiam, in materia potentialitatem carentem forma, in forma actualitatem ut receptibilem. Si ergo ad invicem sint causæ, unaquæque haberet suas conditiones ut causaret, et non haberet easdem ut causaretur, et e converso, quod repugnat.

Dubium vero est, utrum inter omnes causas diversi generis possit dari mutua ista causalitas et quomodo? Nam aliqui Auctores existimant, causas non esse ad invicem causas, utraque causet realiter et existendo, sed ubi una intentionaliter,seu mediante cognitione causat, alia vero realiter,sicut finis respectu efficientis, exemplar respectu exemplati, materia et forma respectu compositi, nam compositum est finis materiæ et formæ. Et ita Philosophus in exemplis, quæ adduxit pro isto axiomate solum posuit finem et efficiens. Cæterum inter materiam et formam non agnoscunt mutuam causalitatem, neque inter dispositionem ultimam et formam, eo quod istæ causæ requirunt existentiam ad causandum, cum causent realiter: et sic idem sequitur inconveniens, ac si utraque esset causa efficiens, in qua apud omnes constat, quod efficiens, et effectus ad invicem non sunt causæ. Ita plures recentiores, et Cabero hic tract. II, disput. VII, dub. I. At vero P. Suarez disput. XXVII Met. sectione II,numero IV et V sentit materiam non dependere a forma in suo esse, sed ut informata sit, et quia esse informatam requiritur, ut existat saltem secundum naturam, ideo dependet a forma tanquam a conditione, sine cujus actualitate naturaliter non potest esse, et hoc solummodo causatur a forma.

Nihilominus in sententia D.Thomæ simpliciter asserendum est, quod etiam inter causas realiter causantes,ut inter materiam et formam verificatur illud axioma, licet non secundum combinationem omnium causarum verificetur, nam materia et efficiens, forma et finis non sunt ad invicem causæ. De quo videri potest D. Thomas quæst. XXVIII de Verit. artic.VII,et opusc. XXXI, §. II, sed luculentius in V Met. lect. II, ubi sic inquit: « Sciendum est,quod cum sint quatuor causæ, earum duæ sibi invicem correspondent, quia efficiens est principium motus finis autem terminus, et similiter materia et forma, nam forma dat esse, materia autem recipit. Est igitur efficiens causa finis; finis autem causa efficientis: efficiens est causa finis quantum ad esse quidem, quia movendo perducit efficiens ad hoc ut sit finis, finis autem est causa efficientis,non quantum ad esse, sed quantum ad rationem causalitatis; nam efficiens est causa in quantum agit, non autem agit nisi causa finis. Unde ex fine habet suam causalitatem efficiens. Forma autem et materia sibi invicem sunt causæ quantum ad esse; forma quidem materiæ, in quantum dat ei esse actu; materia vero formæ in quantum sustentat ipsam. » Ita D. Thomas, ex cujus verbis colligitur, quod causæ sunt ad invicem causæ, vel quantum ad esse, vel quantum ad causalitatem, et quod materia et forma sunt ad invicem causæ quantum ad esse. Et secundo colligitur, quod non oportet causas esse ad in-

vicem causas secundum omnem combinationem causarum, sed efficiens et finis sunt ad invicem causæ, finis quidem movendo in intentione, efficiens autem exequendo in exercitio. Similiter materia et forma inter se sunt causæ, quia componunt totum, materia recipiendo formam, et forma actuando materiam. Secundum alias vero combinationes non oportet, quod causæ ad invicem sint causæ.

Hinc ergo sumitur fundamentum hujus sententiæ, quia etiam materia et forma sunt causæ, quæ mutuo dependent realiter inter se, ergo mutuo se causant etiam realiter. Consequentia patet, quia hæc dependentia est unius ab alio, ut a principio, a quo habet esse talis causa, ergo est vera causalitas. Antecedens constat, quia materia dependet a forma ut sit, et forma a materia ut existat, vel saltem ut informet, neque enim materia et forma separatæ, excepta anima rationali, possunt manere in esse saltem naturaliter, ergo saltem naturaliter dependent in esse. Neque ad realitatem taliumcausarum requiritur, quod præcedat existentia in unaquaque earum, sed sufficit concomitanter habere esse, quia in re nunquam datur instans, inquo sit materia sine forma, quodsufficit ut in rei psa causalitas sit realis, licet non pro omni habitudine, et consideratione præcedat esse, ut supra quæst. III et VII sæpius diximus, et iterum quæstione XI dicemus. Unde non sequitur illud inconveniens sicut in causa efficienti respectu sui effectus, quia efficiens requirit existentiam in ipso efficienti ut *quod;* unde si hæc rursum causaretur ab effectu, præsupponeretur ante effectum; et non præsupponeretur. At vero materia, et forma non causant ad invicem præsupponendo suas existentias, nisi tantum ut *quo*, et in hoc non causantur ad invicem, quia nec materia habet a forma rationem potentialitatis receptivæ, nec forma a materia rationem actualitatis informantis, quæ sunt principia *quo* existendi, et per conjunctionem causant esse totius, in cujus communicatione ipsa materia et forma habent esse, et sic ad invicem se causant in esse, causando in se communicationem, unde resultat illud esse. In materia autem susceptiva accidentis, quia supponitur subjectum existens ut *quod*, quia est subsistens et substans ipsi accidenti, tale esse non causatur a forma accidentali, sed causatur aliud esse secundum quid, et accidentale, v. g. esse album vel calidum, et secundum illud dependet subjectum a forma accidentaliter secundum quid. In sententia autem P. Suarez quod forma solum causat conditionem, ut materia existat, et tamen admittendo, quod materia et forma ut causent, requirunt existentiam, non effugitur difficultas, quia si forma causat conditionem, ut existat materia, ergo ante talem conditionem materia non causat, quia non existit, et sic non poterit causare formam, neque forma materiam, quia idem est inconveniens in præsupponendo conditionem, atque in causando et præsupponendo ipsammet existentiam, siquidem sine illa conditione non existit.

Ad rationes dubitandi a principio positas, respondetur ad primam negatur sequela. Et ad probationem respondetur illud axioma causa causæ est causa causati, intelligi de causato formaliter secundum id quod causatum est, non secundum id quod causatum non est ab alio, sicut intelligitur a D. Thoma pluribus locis, præsertim I-II, q. LXXIX, art. 1 ad 1, et q. III de Malo, art. 1 ad 4. Itaque requiritur quod inter causas sit continuatio, et series eadem causalitatum, ita quod in eo quod posterior causa causat, dependeat a priori, et continuetur cum illa; si vero discontinuet ordinem causalitatis cum priori causa, ita quod in quantum causat, non causetur ab altera, vel non subordinetur illi, non verificatur illud axioma sicut patet, quod Deus est causa hominis, et homo est causa peccati, non tamen Deus est causa peccati, quia homo causatus a Deo subtrahit se ab ordine causalitatis Divinæ in peccando. Atque ita quando dicitur causa causæ est causa causati, distinguo: quando est causa causæ præcise in essendo sine continuatione, aut coordinatione ad causalitatem ejus, nego; si habeat coordinationem aliquam, vel impressionem, aut influxum in causalitatem ejus, sive in rationem causandi, transeat; sed hoc modo non se habent materia et forma, quia forma licet det esse materiæ, non tamen illi dat ipsam potentialitatem, vel rationem recipiendi, aut modum causandi proprium materiæ, nec e contra.

Sed instabis: Ergo non repugnabit in eodem genere causæ effectum esse causam efficientis, si producat in sua causa efficiente aliquid distinctum ab esse ipsius causæ. Secundo, ergo pater producens filium non erit causa nepotis, quia non influit in causalitatem filii erga nepotem. Tertio, finis causabit se ipsum, quoad executionem, quia movet efficiens quoad causalitatem ut assequatur sc. Respondetur ad primum non esse inconveniens quod infertur, ut supra diximus, dummodo non in eodem tempore, nec secundum idem efficiens et effectus causent in se mutuo; quid enim repugnat, quod filius productus a patre aliquid producat in patre, puta sanitatem aut calorem aut quid simile? Tunc enim primum efficiens respectu sui effectus se habet ut subjectum, sicut etiam in omni reactione agens repatitur a passo. Ad secundam instantiam dicitur, quod pater licet non moveat filium ad generandum, dat tamen ei virtutem, qua generet, vel dare debet, et sic continuatur causalitati ejus. Ad tertiam instantiam dicitur, quod finis in intentione est causa sui in executione, quia supponitur habere diversum esse, et diversum statum in intentione et executione, et sic non est inconveniens quod secundum unum esse causet aliud.

Ad id quod in argumento a principio afferebatur de causa applicante, et de patre producente filiam, et per illam nepotem, et de Deo movente per propositionem objectivam respondetur, omnia hæc causare movendo ad causalitatem causæ, aut dando virtutem, qua causet in suo genere et ordine, non vero præcise dando esse, sicut materia et forma; et ideo licet ibi sit diversus ordo causæ, tamen causa causæ, quia movet illam ad causandum, est causa causati.

Ad secundum fundamentum respondetur ex his quæ diximus in libris Post. qu. XXV, quod non omnis circulus est vitiosus, sed tantum formalis, scilicet quando sub eadem ratione proceditur ab effectu ad causam, et a causa ad effectus. Cæterum si illud quod est effectus, sive causatum, secundum aliam rationem possit influere in suam causam, et non secundum id quod accepit ab illa, sic non committitur circulus formalis, sed materialis, qui vitiosus non est, et illo Philosophus sæpe est usus, ut ibi ostendimus.

—

ARTICULUS V.

Utrum a duplici causa totali possit dependere idem effectus, vel duæ formæ eamdem materiam informare?

Sensus difficultatis procedit de dependentia ejusdem effectus a pluribus causis totalibus, adæquatis, ejusdem generis, et non subordinatis inter se. Dicuntur *causæ totales* quando habent totam et sufficientem virtutem, quasi in actu primo. Dicuntur *adæquatæ* quando in actu secundo, et non solum in actu primo ad totum effectum producendum se adæquant, nam si plures causæ de se quidem sint sufficientes ad totum effectum producendum, sed de facto uniantur quasi partialiter ad aliquem effectum producendum, erunt quidem causæ totales in actu primo, sed non adæquantes se effectui in actu secundo. Dicuntur causæ *ejusdem generis*, quia de causis diversi generis nulla est difficultas, constat enim omnes quatuor causas inveniri in aliquo effectu; sed difficultas est de pluribus ejusdem generis, verbi gratia de duplici causa efficienti, vel formali, respectu ejusdem effectus. Dicuntur causæ *non subordinatæ* ad excludendum causas subordinatas, quas certum est ad eumdem effectum posse concurrere, sicut causa prima et secunda, cœlum, et elementum.

Potest autem in duplici sensu hæc difficultas controverti. Primo, an possit idem effectus numero dependere a duplici causa totali simul et in actu secundo concurrente ad ipsum, qui est præcipuus sensus hujus difficultatis. Secundo, utrum possit idem numero effectus dependere a duplici causa totali divisive, quod est idem atque contineri eumdem effectum in individuo intra sphæram duplicis causæ totalis; ita quod sicut producitur de facto ab ista, ita posset altera produci sub eadem individuatione. Et procedit quæstio de potentia absoluta Dei, quia naturaliter communis sensus philosophorum est, non posse eumdem effectum a duplici causa totali pendere, licet aliqui id affirmaverint, sed immerito, quia ad minus superfluum est duas causas totales ponere ad eumdem effectum, cum altera sufficiat; natura autem horret superfluitatem; præterquam quod rationes, quæ afferentur ad probandum, quod nec divinitus sit possibile, etiam probant, quod nec naturaliter.

Duæ ergo sunt principales sententiæ in hac parte. Prima negat posse eumdem effectum etiam de potentia absoluta dependere a duplici causa totali, pro qua communiter citantur Thomistæ, Capreolus Ferrariensis, Cajetanus ad III p. q. LXVII, art. VI, ubi tamen loqui videtur secundum ordinem naturæ, de potentia vero absoluta non id negat I p. q. LII, art. III. Videantur etiam Carmelitani hic disp. XV, quæst. III, et disp. IV, q. VI. Sequitur etiam P. Vazquez tom. I in tertiam partem, disp. XXIX. cap. IV: Cabero hic tract. II, disp. VII, dub. II, quamvis non æque censeat de causis materialibus et formalibus. Altera sententia opposita affirmat, quam sequitur Pater Suarez disp. XXVI Metaphys. sect. IV; Fonseca V Metaphys. cap. II, quæst. XV, sect. I; Rubius et alii, idemque tenent de formis substantialibus ad informandam duplicem materiam idem Pater Suarez disp. XV Metaph. sect. X, n. LX, et Fonseca V Met. cap. IV, qu. IV, sect. II, et alii.

Utraque sententia principaliter nititur eidem fundamento opposito modo; prima assignando implicationem, secunda destruendo. Assignatur autem implicatio, tum ex parte causæ, quia stante totalitate causæ in actu secundo ad eumdem effectum, si ab alia produceretur, utraque esset causa totalis in actu et non esset, contineret et non contineret effectum, quia producendo totaliter, esset causa totalis, et relinquendo locum causalitati alterius causæ non esset totalis: tum ex parte operationis, quia esset duplex operatio, et non duplex; duplex quia a duplici principio totali emanaret; non duplex, quia terminaretur ad eumdem effectum: tum denique est implicatio ex parte effectus, quia idem effectus per se dependeret, et non dependeret ab aliqua causa. Per se dependeret, quia utraque causa est aquælis in virtute producendi, et eamdem habitudinem habet ad effectum, ut supponimus; et ita si una est causa per se, etiam et alia: non dependeret per se, quia non habet per se connexionem cum altera, siquidem etiam illa remota æque bene producetur ab alia, quia totalis est. Specialiter autem una materia non potest pendere e duplici forma substantiali, quia quælibet forma substantialis essentialiter habet annexam privationem alterius, quia cum sit substantialis, debet esse prima et sola in materia ut det esse substantiale, quod est esse simpliciter, non supponens aliud prius. Opposita autem sententia nititur in solutione istarum implicationum, quod etiam aliquibus exemplis illustrat, sicut verbi gratia, quod idem corpus Christi existat ut generatum in cœlo, et transubstantiatum in Sacramento, idem corpus potest esse in diversis locis, eadem humanitas assumi a duabus Personis Divinis; idem lumen produci a duobus luminosis penetratis in eodem loco et utroque habente eamdem lucem ut octo: et alia similia multiplicantur, de quibus infra.

De mente S. Thomæ non facile judicari potest, cum raro doctor hujusmodi quæstiones de potentia absoluta Dei disputet, et loca, quæ circa hoc afferuntur, procedunt secundum ordinem naturæ sicut ubi negat plures Angelos posse esse in eodem loco, quia ejusdem rei non possunt esse plures causæ completæ, ut I p. q. LII, art. III, et q. III de Poten. art. VII ad II et in I, dist. XXXVII, qu. III, art. III, nam præterquam quod magis loquitur in istis locis de unitate operationis, quod non possit esse a pluribus causis totalibus, quam de unitate effectus, ut loquimur in præsenti, adhuc tamen in rei veritate non loquimur ibi de impossibilitate in ordine ad divinam omnipotentiam, sed solum id esse impossibile probat per inductionem in omni genere causarum, quæ inductio non respicit potentiam absolutam, sed id quod ex nostra experientia potest deduci.

Pro resolutione ergo DICO PRIMO: Idem effectus numero divisive continetur sub duplici causa effectiva totali, altera creata, altera increata, sub duplici autem creata effectiva non potest contineri. Prima pars hujus conclusionis a nullo potest negari, constate nim per divinam potentiam posse reproduci idem numero, quod desierat, ut patet in resurrectione hominum, ergo idem effectus numero, qui fit a causa creata, continetur adæquate et totaliter in increata. Et ratio hujus est, quia tam divina virtus, quam divina actio sunt infinitæ in Deo, et possunt eamdem rem diversis viis attingere, sicut potest hominem producere creatione, transubstantiatione, formatione sicut formavit Adam, et hoc totum non diversa actione limitata ad diversum terminum sed unica, quæ sua virtute infinita continet omnem effectum causæ creatæ, tam quoad speciem, quam quoad individuatio-

nem, quia etiam secundum individuationem dependet a Deo, qui potest sine causa creata producere totum, quod cum illa, nam quidquid producit causa creata totum participat a Deo; ergo idem effectus numero, qui continetur in causa creata, totaliter etiam continetur in Deo, et potest sine causa creata illum producere.

Secunda pars conclusionis est contra Scotum in II, dist. XX, q. II et contra Patrem Suarez, disp. XXVI Met. sect. V, et alios. Sed sumitur ex D. Thoma quodlib. V, art. VIII et quodlib. III, art. XXV, dicente: « Quod cum in generatione hominis sicut aliorum animalium semen patris sit agens, materia vero a matre ministrata sit sicut patiens, ex quo corpus humanum formantur, impossibile est ejusdem filium nasci, sive sit alius pater sive sit alia mater, sicut etiam non est idem numero sigillum, sive sit alia cera, sive aliud corpus sigilli, ex cujus impressione cera sigillatur. » Ubi pondero D. Thomam non solum affirmare quod variatur effectus numerice variato principio materiali, ut in sigillo variata cera, et in generatione hominis variato principio, quod mater ministrat, sed etiam solo agente variato, ut patet in illis verbis: « Sive sit alius pater, sive alia mater, sive alia cera, sive aliud corpus sigilli. » Ex quacunque ergo parte varietur actio, non potest idem effectus numero prodire. Ratio ac fundamentum hujus est ex limitatione, et pluralitate actionis creatæ, unaquæque enim actio limitatur ad suum terminum, et ad suum principium, a quo emanat, ita quod actio, quæ semel emanat ab uno agente eadem non potest emanare ab alio, et actio quæ semel terminatur ad unum terminum numero non potest terminari ad alium numero, eo quod actio illa egrediens ab agente identificatur cum suo termino, et non potest identificari cum alia adæquato, propter sui limitationem, ergo implicat quod idem numero effectus contineatur sub duplici causa totali.

Consequentia patet, quia ut idem effectus contineretur sub duplici causa deberet contineri actio unius, et effectus ejus sub actione alterius, quia ratio numerica effectus dependet ab individuali actione, a qua procedit. Si autem alia distincta actione limitata procedit, hoc ipso fit diversus effectus numero, quia unaquæque actio limitata transit cum suo effectu, et identificatur cum illo, et in hoc stat ejus limitatio; ergo hoc ipso quod una causa creata diversa actione producit, quæ ob sui limitationem non continet totum, quod est in alia, non potest eumdem numero effectum producere.

Sed instabis dupliciter: Primo, in actione divina; potest enim idem numero effectus diversa actione attingi, v. g. creatione, transubstantiatione, generatione, etc. potest etiam attingi actione agentis creati, et increati, ergo non valet illa consequentia, quod si actio non est eadem numero, neque effectu. Secundo instatur: Quia bene potest virtus inferior contineri eminentiori modo in causa universali; ergo etiam actio inferior poterit contineri in actione eminentiori causæ superioris; ergo poterit efficere eumdem effectum numero, quem actio causæ inferioris, siquidem ex identitate actionis depedet identitas effectus, et propterea Deus potest efficere eumdem effectum numero, quem causa creata, quia continet eminenter eamdem actionem numero, quam causa creata.

Ad primam instantiam respondetur actionem divinam esse illimitatam, et infinitam, et unam numero

ex parte ipsius agentis ad omnes effectus. Unde cum ejus unitas numerica non dependeat ex unitate effectus, potest et diversos effectus producere, et eumdem diversis modis, ut generatione, creatione, reproductione, etc. Et similiter poterit se solo producere eumdem numero effectum, quem causa creata, quia tota ratio actionis creatæ, tam specifica, quam individualis participatur ab actione Dei, et consequenter potest in eumdem effectum, tam specifice, quam individualiter.

Ad secundam vero instantiam dicitur, quod aliæ causæ universales creatæ cum limitatæ sint, non possunt continere in sua eminentia totam virtutem, et actionem causæ inferioris, tam specifice, quam individualiter, eo quod non participatur a causa creata quantumcunque superiore tota ratio, tam specifica, quam individualis causæ inferioris, sive quoad virtutem, sive quoad operationem, ratio enim individualis sumitur a materia cum ordine ad circumstantias, et accidentia, et hanc non causat causa creata, et ideo si causa universalis creata operetur se sola, ejus operatio non poterit attingere eumdem numero effectum, quem causa inferior, quia est limitata, et identificata cum effectu: unde ubi est alia operatio individua, cujus individuatio ita est limitata, quod ab ipsa non derivatur individuatio inferioris actionis, alium etiam effectum numero distinctum postulat, non minus quam actio alterius causæ particularis. Hoc tamen non tollit, quod idem effectus numero possit diversis instrumentis produci, verbi gratia, si hoc animal occidatur a Petro, vel Joanne, idem cadaver fiet, quia occidens non est causa principalis cadaveris, cum tantum faciat motum localem ferri, vel laquei ut occidat, cœlum vero formam cadaveris in hac materia producit.

Dico SECUNDO: Non potest eadem materia numero informari duplici forma substantiali, nec naturaliter, nec de potentia absoluta. Quod naturaliter repugnet, satis indicatur ex ipsa generatione et corruptione; videmus enim generationem unius esse corruptionem alterius, nec aliter generari, seu educi unam formam, nisi aliam corrumpendo quod evidentissimum judicium est, habere inter se incompatibilitatem, præterquam quod ex diversis formis, etiam ejusdem speciei solent sequi accidentia incompatibilia, ut diversæ figuræ inclinationes oppositæ, et accidentia omnino diversa, quæ non possunt compati in eadem materia, ergo neque formæ substantiales, quæ talium oppositorum accidentium sunt principia.

Ex his autem assurgimus ad considerandum rationem a priori, et causam hujus incompatibilitatis, quia in ipsis formis substantialibus sumitur tum ex eo quod substantiales sunt, tum ex eo quod tales, puta diversæ speciei, vel individuationis. Ex eo enim quod substantiales formæ sunt, habent de suo intrinseco conceptu, quod præbeant primum esse, non supponendo aliud prius in subjecto, alioquin non esset substantiale, id est, esse simpliciter, et sub aliis existens: quacunque ergo forma unitur materiæ supponendo aliam, vel simul cum alia, quæ dat esse materiæ, non unitur substantialiter, id est, dando primum esse, et simpliciter esse, et sic ut substantialiter unatur, debet expellere aliam formam: et cum hoc sit de intrinseco et essentiali conceptu formæ substantialis, quatenus substantialis est, necessario debet expellere aliam formam, et fundare privationem illius, hoc ipso quod constituat esse substantiale. Ex eo vero quod tales

formæ sunt, v. g. specifice, vel individualiter distinctæ, sunt etiam incompatibiles in eadem materia, quia ordinantur ad constituendum diversas essentias diversitate specifica, vel individuali; in quorum essentiali conceptu intrat tam materia, quam forma. Si ergo ponuntur duæ formæ substantiales in eadem materia vel resultant distinctæ naturæ seu composita, vel non. Si non resultant, erit tantum unum compositum, ergo et una natura, quod tamen est impossibile, cum habeat plures formas, quæ sunt principia diversarum naturarum, et distinctæ speciei. Si vero resultent duæ naturæ seu composita substantialia, obstat unitas materiæ, quia materia est intrinseca et essentialis pars compositi substantialis, ergo si est eadem materia in utroque composito, non sunt simpliciter diversa, quia non ex omni parte, una enim pars est illis communis.

Dices: Non repugnat, quod materia recipiat duas formas, ita impermixte et distincte, sicut in diversis materiis, nam essentia formæ in eo sita est, ut constituat totum a cæteris distinctum quod non repugnat, etiam si materia sit informata alia forma, quia expulsio non est idem quod informatio, sed effectus ejus secundarius, stante ergo informatione unius, potest impediri expulsio alterius, sicut videmus fieri in formis contrariis, quæ possunt simul poni a Deo in eodem subjecto, etiam in gradibus intensis et sic non sequitur ex duplici forma esse, et non esse alterius, sed duo esse in eadem materia.

Sed hæc instantia non attingit vim implicationis positæ quæ non consistit in eo, quod quomodolibet constituatur totum, vel resultent duo esse, sed quia componitur totum substantiale, et resultant duo esse substantialia; de intrinseco autem conceptu esse substantiale est, quod sit primum esse, et simpliciter esse, et sic necessario involvit negationem, seu expulsionem alterius prioris esse, alias non esset primum, nec simpliciter esse. Unde licet expulsio sit effectus secundarius respectu informationis positivæ, est tamen necessario requisitus, ut illa informatio constituat primum esse, quod est substantiale, et multo magis ut constituat diversam naturam ab ea, qua constituit altera forma quia illa duæ naturæ, seu duo constituta, quæ ex illis formis resultant, essentialiter in suo conceptu includunt non solum formam, sed etiam materiam, et sic cum unitate materiæ, non stat diversitas substantialis totius, quæ est diversitas simpliciter, et ex omni parte.

Dico tertio: Etiam implicat unam formam substantialem actuare plures materias totales et adæquatas. Ratio est, quia illa forma non potest extendi ad informandum plures materias sine additione alicujus majoris virtutis, seu actualitatis, siquidem extenditur ad majorem effectum, et talis actualitas superaddita non potest esse diversæ speciei, sic enim tolleretur essentia formæ, et non esset eadem, quæ antea. Si vero supperadditur illi actualitas intra eamdem speciem, quam tamen ex sua natura non habebat, jam supposita illa actualitate comparatur tota materia, ad quam se potest extendere per modum unius, quia infra sphæram talis formæ sic extense continetur, sicut videmus modo, quod una forma potest informare plus materiæ quam altera, et tamen totum illud comparatur per modum unius ad talem formam, et tanquam plures partes materiæ ab una forma informabiles. Et sic nunquam verificabitur quod una forma informet plures materias totales, quælibet enim materia in tantum

est una et totalis (licet creseat in partibus) in quantum informabilis ab una forma, ita quod contineatur intra sphæram actualitatis unius formæ, ergo repugnat informare duas totales, id est, extra sphæram suæ virtutis contentas. Nisi forte dicatur, quod duæ materiæ totales ponentur, hoc ipso quod sint inter se separatæ, et divisæ, et una forma informet illas, quod divinitus fieri potest, sicut si una albedo ponere in duobus lapidibus, licet ab uno tantum individuaretur. Cæterum hoc non constituit diversas materias totales, nam etiam respectu ejusdem materiæ totalis potest idem contingere, si diversas partes ejus separatas et divisas eadem forma informaret divinitus, sicut unus Angelus duabus rebus inter se separatis inter suam sphæram, potest esse præsens non existendo in medio, et tunc non diceretur esse in pluribus locis adæquatis et totalibus, licet esset res inter se separatæ. Quare totalitas materiæ non sumitur ex separatione et divisione ejus, sed ex coordinatione et continentia sub sphæra actualitatis ejusdem formæ. An vero possit ita fieri, quod eadem forma informet plures partes, vel materias divisas inter se dependet ex his quæ tractanda sunt de principio individuationis in libris de generatione. Eadem autem albedo si in diversis lapidibus poni potest, erit tanquam in subjectis inadæquatis, non totalibus.

Dico quarto: Repugnat dari duas causas finales adæquatas, et ultimas respectu ejusdem effectus finalizati. Dicitur ultimus finis simpliciter, qui subjicit sibi tam operationem, quam operantem. Si vero operationem quidem sibi subjicit, sed non operantem, quia manet de se et habiliter ordinatur ad alterum finem, ut in peccante venialiter, non est tunc simpliciter ultimus finis, sed solum est finis operis, operantis vero secundum quid, ut latius dici solet 1-II, q. 1 et q. LXXXVIII. Loquendo ergo de fine ultimo simpliciter, repugnat duos ultimos fines eamdem operationem finalizare, quia ipsa ratio ultimi simpliciter, et adæquate id impedit, est enim finis ultimus, cui omnia subjiciuntur, ergo non relinquitur aliquid, quod subjiciatur alteri, sed hoc ipso quod proponitur alius finis ultimus, proponitur ut non subordinatus, nec subjectus alteri, ergo ut subtractus ab illo, et sic non omnia subjiciuntur illi, quod est rationem finis ultimi ei denegare.

Quod si dicas: Nam peccans mortaliter constituit se ultimum finem simpliciter, et tamen non subjicit sibi omnes alios fines; neque enim Deum sib subjicit, sed a se abjicit, ergo stat bene quod aliquis habeat ultimum finem, et tamen non subjiciantur illi omnes alii fines, respondetur hoc esse per accidens, quod Deus non subjiciatur physice, quia incapax est talis subjectionis, subjicitur temen moraliter et negative, quia hoc quod est abjicere Deum ne sit finis ultimus operantis, est negative subjicere sibi, id est, infra se ponere, et contemnere Deum.

Dico ultimo: In causis efficientibus totalibus, et adæquatis probabilius est eumdem effectum posse dependere a duplici causa totali, si altera sit increata, si vero utraque sit creata, probabilius est id implicare. Hæc conclusio conciliat utramque sententiam supra relatam, et prior pars videtur manifestari ex aplis supra allatis, referendo ipsas sententias, et maxime hoc servit ad declarandum, quomodo in mysterio Eucharistiæ illa conversio habeat terminum substantialem, scilicet Corpus Christi, secundum substantiam suam, non ut reproductum vel de novo pro

ductum, denominatio enim producti supponit non esse, de quo fit transitus ad esse, denominatio vero reproducti supponit illud esse prius admissum et deinde restauratum, sed tamen ipsa substantia, ut pendens de novo ab alia actione, quæ de se totaliter erat productiva, et de facto convertit totum panem in corpus Christi, habet pro termino ipsum corpus non absolute, ex non esse, sed ex pane factum. Et præter solutionem implicationis oppositæ, quæ est præcipua ratio, quam pro ista sententia solvendo argumenta ponemus; a priori potest reddi ratio quia idem numero effectus continetur in virtute plurium actionum totalium, scilicet Dei se solo operantis, et creaturæ cum Deo: ergo non est ratio cur ab illis simul dependere non possit, præsertim quia actio, qua Deus concurrit cum creatura, et qua se solo concurreret, eadem est ex parte Dei. Consequentia patet, quia istæ actiones totales non se impediunt ad invicem propter eminentiam et infinitatem actionis increatæ, quæ totalitatem actionis creatæ continet in se, et consequenter eumdem effectum numero, quem causa creata producit. Et similiter non indiget Deus alia actione ex parte sui ad attingendum sub alio modo totali illum effectum, ab illa, qua concurrit cum causa creata, ergo non se impediunt istæ actione ex parte agentis, ut simul attingat eumdem effectum numero, neque ex parte effectus se impediunt quia est idem effectus utriusque actionis, et quod totaliter sit ab una, non obstat, quia est totalitas subordinata et participata a Divina, ergo, etc.

Sed dices: Persona Divina continet omnem totalitatem, quæ in persona creata ad terminandum naturam, et tamen non potest eadem natura simul terminari a persona creata, et increata, ergo similiter non poterit idem effectus totaliter esse a causa creata et increata. Negatur consequentia, et est notanda disparitas, quia per se primo ratio actionis effectivæ non est ad excludendam formaliter aliam causam effectivam, sed ad dandum totum esse effectui; unde cum ejus propria habitudo et institutio non sit ad excludendum aliam causam, sed ad ponendum effectum, solum reducitur exclusio ad limitationem actionis, quæ non potest continere eumdem numero effectum, quem alia actio limitata. Cæterum personalitas per se primo et formaliter instituta est ad reddendum naturam incommunicabilem ulteriori termino, non ad producendum effective; unde si in subjecto invenitur talis terminus incommunicabilitatis, non compatitur simul alium terminum et personalitatem, et sicut duæ formæ substantiales repugnant, quia utraque dat primum esse, ita duæ personalitates, quia utraque dat ultimum terminum, licet quia persona Divina continet eminenter totam perfectionem personæ creatæ possit loco illius subrogari, sed non simul conjungi: duæ tamen personæ Divinæ, quia talis conditionis sunt, quod una earum non excludit aliam a communione ejusdem naturæ, sed a communione ejusdem personæ, ut dicit S. Thomas III p. qu. III, art. VI, eo quod tantum relative opponuntur, et sic solum in relatione ipsa incommunicabiles sunt, non in esse et natura, ideo simul in eadem natura assumpta esse possunt. Ex eo ergo, quod una causa eminenter continet aliam, potest facere idem quod altera, et quia continet eadem numero actionem eminentiali modo potest etiam eumdem numero effectum attingere, ex eo vero quod ejus formalitas non est ad exclusionem, et incommunicabilitatem, sed præcise ad efficiendum, non repugnat quod simul cum altera causa eumdem effectum faciat.

Et hinc manet probata secunda pars conclusionis, quia actiones creatæ sunt limitatæ, et finitæ, et sic una non potest continere totam rationem et individuationem alterius, et sic semper habet diversum effectum et diversam actionem et fieri, quarum una non est altera eminentior. Et hic etiam currunt omnes implicationes supra allatæ pro ista parte, licet in quantum militare videntur etiam contra primam partem conclusionis, solvendæ a nobis sunt.

Solvuntur argumenta.

Triplex implicatio supra posita fuit referendo primam sententiam. Prima, ex parte causæ. Secunda, ex parte actionis. Tertia, ex parte effectus. Ad primam respondetur non sequi, quod sint duæ causæ totales, et non totales in casu posito, sed utraque erit totalis ex parte causæ, et effectus producti, licet non totalitate modi producendi, quia non omni modo, quo una producit, producit altera, ut si autem causa totalis non requiritur quod omni modo, quo altera producat, sed totum quod altera, producat, quæ est solutio Cajetani I p. q. LII, supra cit. hæc sequitur quod altera causa nullum actum agit, sed idem novo modo, vel simul producendo si a principio utraque; causa applicetur: vel ad conservandum, si post productionem ei applicetur, et tunc non agit actum, sed conservat actum vel ad convertendum aliquid de novo in illud sicut in transubstantiatione, ibi enim formalis terminus est idem corpus Christi, non absolute, sed sub respectu conversionis explicatum, id est, corpus Christi, ut ex pane, ut docet S. Thomas III p. q. LXXVIII, art. V, ubi substantia est terminus, et non solum respectus, sed sub illo respectu.

Ad secundam implicationem constat ex dictis dandam esse duplicem actionem in casu quo duæ causæ totales agant, non quomodocunque, sed una eminenter continendo aliam sub omni ejus modo etiam individuali, et ideo potest extendi totaliter ad idem, ad quod alia: secus vero quando sunt duæ actiones limitatæ et finitæ, ut dictum est, unde non sequitur confusio actionum, sed continentia unius in alia totaliter propter eminentiam suam, et sic attingit eumdem effectum, sed diverso modo eminentiori.

Ad tertiam implicationem, respondetur quod ille terminus *per se* est æquivocus, aliquando enim significat *per se*, id est, non per aliud, aliquando *per se*, id est, non contingenter, sed per necessariam connexionem. Dicimus ergo, quod effectus potest procedere a duplici actione totali, primo modo *per se*, quia immediate continetur in virtute utriusque, non tamen illo secundo modo *per se*, quia non est per se requisita altera causa, ut detur effectus, sicut uterque; oculus videre potest unam et eamdem rem, et per se videt, quia uterque continet in sua virtute objectum, non tamen necessario uterque oculus requiritur ad videndum, quia altero clauso, vel ablato potest idem objectum integre videri.

Quod si instes: Quia causa continet in sua virtute istum effectum ab alia productum; ergo habet per se connexionem cum illo, quia cum tota collectione sui objecti habet connexionem, sicut totum objectum cum ipsa potentia, et sic necessario requiretur talis causa, respondetur, hoc argumentum etiam procedere contra continentiam ejusdem effec-

tus specie in duplici causa, et non solum ejusdem effectus numero, cum tamen constet posse a diversis causa procedere effectus ejusdem speciei, ut calor procedit a cœlo, et ab igne; et tamen currit idem argumentum, quia si per se continet utraque causa calorem, utraque causa necessarie requiretur ad calorem. Respondetur ergo, quod causam per se continere effectum stat dupliciter uno modo perfeitate ipsius causæ, quia hoc per se requiritur ad ejus virtutem et perfectionem, alio modo perfeitate effectus, propter necessitatem ipsius in dependendo a tali causa. Primo modo dicitur utraque causa totalis per se continere effectum alterius, et sic potest effectus multis modis contineri in aliqua causa, imo quanto perfectior causa est, tanto pluribus modis continet effectum, nec tamen omnes modi necessarii sunt ad effectum. Secundo vero modo effectus non continetur in duplici causa totali, neque hoc requiritur, ut ab utraque causa possit dependere.

Ad exempla, quæ pro opposita sententia adstruenda adducta sunt, ad duo prima constat ex dictis, quia procedunt in duplici causa totali, altera increata, altera creata. Ad ultimum vero exemplum, quod procedit de duabus causis creatis, respondetur quod in illo casu, supposito quod illa luminosa sint æqualis perfectionis omni modo, ita quod neutrum possit alterum perficere, vel modificare; dico quod vel suam virtutem unient sicut duo portantes lapidem, quorum quilibet erat sufficiens portare; licet enim agentia naturalia, non possint sic pro libito suam virtutem modificare, et continere; tamen quando duo agentia naturalia concurrunt simul, ne mutuo se impediant in agendo, possunt ratione ipsius concursus mutuo se modificare, et in unam virtutem conspirare in agendo. Vel secundo dico, quod in illo casu propter tam æquale impedimentum utriusque causæ æque perfecte concurrentis, circa idem subjectum mutuo se impedient, ita quod utrumque cessabit ab agendo, quia non est capax materia recipiendi effectum utriusque, quia ut ponit casus utrumque est luminosum ut octo; duæ autem luces in summo gradu non possunt in eadem parte subjecti recipi, saltem naturaliter.

Ex quo sequitur quod si sol producat lucem in aere, poterit Deus eamdem numero conservare remoto sole, quia continet eminenter in sua virtute et actione illum effectum numero totaliter, non tamen poterit eadem numero lux conservari ab altero sole, tanquam a causa principali, quia producit diversa actione limitata, non continente totum effectum numero, et totaliter alterius solis.

Contra secundam conclusionem instari potest: Quia non repugnat duas formas recipi simul in eadem materia, neque ex parte materiæ, neque ex parte formarum, neque ex parte unionis; ergo ex nulla parte. Non ex parte materiæ, quia ipsa simul habet capacitatem omnium formarum, quæ non destruitur per receptionem unius; ergo bene poterit a Deo introduci alia forma conservata priori. Non ex parte formarum, quia non sunt immediate, et positive contrariæ sicut formæ accidentales. Quod autem ex una forma sequatur privatio alterius, non obstat, quia est effectus secundarius, qui potest impediri a Deo remanente primario, ut patet in quantitate, a qua tollit extensionem ad locum, quæ est effectus secundarius. Nec ex parte unionis, quia hæc non repugnat, si extrema non pugnant.

Respondetur repugnantiam plurium formarum in eadem materia simul sumi ex eo quod dictum est, quia essentialiter formæ substantiales ordinantur ad constituendum esse substantiale, quod in tantum est substantiale, in quantum est primum et substans aliis; repugnat autem in aliqua materia inveniri duo esse æque prima, et consequenter æque substantialia. Et quia potentialitas materiæ substantialis est, et ad substantiale esse ordinata, ideo non habet potentialitatem ad recipiendum plures formas substantiales simul, sed successive. Effectus autem secundarii non semper possunt impediri a Deo stante primario, præsertim quando sunt negativi, et intrinsece modificantes primarium, sicut non potest impedire in homine negationem leonis, in fide vel opinione obscuritatem, et similiter in forma substantiali, quod non det primum esse et substans aliis, atque adeo, quod non supponat aliam formam priorem.

QUÆSTIO XI.

DE CAUSA MATERIALI, FORMALI, ET EXEMPLARI.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit causa, et causalitas materialis?

Cujuslibet causæ consideratio consistit in quatuor, scilicet quid sit actus primus, seu constitutivum talis causæ, et quibus conveniat. Secundo, quid sit actus secundus, seu causalitas. Tertio, quæ sit conditio requisita ad causandum. Quarto, quid sit ejus effectus, et causatum.

Circa primum, supponenda est definitio causæ materialis, tradita a Philosopho in hoc libro, cap. II, quod *causa materialis est, ex qua fit aliquid, cum insit*. Quam definitionem explicamus sic, quod per illam distinguitur causa materialis a privatione, ex qua etiam fit aliquid, sed non tanquam ex eo, quod inest et permanet, sed quod non manet, neque est; transit enim privatio, et succedit forma. Cur autem definiat Philosophus materiam per id *ex quo aliquid fit*, non per id *in quo aliquid recipitur*? Ratio videtur esse, ut complectetur omnia ad quæ se extendit causalitas materiæ, ex materia enim fit compositum, et fit forma, sed compositum non recipitur; forma vero recipitur. Unde per ly *fieri* complectebatur formam et compositum, per ly *recipi* solam formam, quæ tamen ex eo quod fit ut *quo*, et non ut *quod*, recipitur. Quod si aliqua forma non fit ex materia, ut anima rationalis, tamen adhuc pertinet ad istam definitionem, quia licet non fiat, nec dependeat in esse a materia, dependet quoad statum tamen informandi et communicandi se materiæ.

Hoc supposito dicimus, quod actus primus causandi materialiter potest inveniri. Primo, in materia prima respectu formæ. Secundo, in materia et forma unitis respectu totius. Tertio, in ipso toto respectu accidentium. Quarto, in uno accidenti respectu alterius, sicut quantitas respectu coloris, potentia cognoscitiva respectu cognitionis. Quinto, in dispositionibus respectu formarum ad quas disponunt. De materia respectu formæ constat ex supra dictis, quæstione tertia. Quod vero partes materialiter se habeant ad totum, quatenus trahuntur ad ejus esse ab eoque actuantur, docet pluribus locis S. Thomas ut in III part. qu. XC, artic. I, par. I, q. VII, art. III, ad. 3, et quæst. LXV, art. II, idque etiam explicat ex Philosopho

tus specie in duplici causa, et non solum ejusdem effectus numero, cum tamen constet posse a diversis causa procedere effectus ejusdem speciei, ut calor procedit a cœlo, et ab igne; et tamen currit idem argumentum, quia si per se continet utraque causa calorem, utraque causa necessarie requiretur ad calorem. Respondetur ergo, quod causam per se continere effectum stat dupliciter uno modo perfeitate ipsius causæ, quia hoc per se requiritur ad ejus virtutem et perfectionem, alio modo perfeitate effectus, propter necessitatem ipsius in dependendo a tali causa. Primo modo dicitur utraque causa totalis per se continere effectum alterius, et sic potest effectus multis modis contineri in aliqua causa, imo quanto perfectior causa est, tanto pluribus modis continet effectum, nec tamen omnes modi necessarii sunt ad effectum. Secundo vero modo effectus non continetur in duplici causa totali, neque hoc requiritur, ut ab utraque causa possit dependere.

Ad exempla, quæ pro opposita sententia adstruenda adducta sunt, ad duo prima constat ex dictis, quia procedunt in duplici causa totali, altera increata, altera creata. Ad ultimum vero exemplum, quod procedit de duabus causis creatis, respondetur quod in illo casu, supposito quod illa luminosa sint æqualis perfectionis omni modo, ita quod neutrum possit alterum perficere, vel modificare; dico quod vel suam virtutem unient sicut duo portantes lapidem, quorum quilibet erat sufficiens portare; licet enim agentia naturalia, non possint sic pro libito suam virtutem modificare, et continere; tamen quando duo agentia naturalia concurrunt simul, ne mutuo se impediant in agendo, possunt ratione ipsius concursus mutuo se modificare, et in unam virtutem conspirare in agendo. Vel secundo dico, quod in illo casu propter tam æquale impedimentum utriusque causæ æque perfecte concurrentis, circa idem subjectum mutuo se impedient, ita quod utrumque cessabit ab agendo, quia non est capax materia recipiendi effectum utriusque, quia ut ponit casus utrumque est luminosum ut octo; duæ autem luces in summo gradu non possunt in eadem parte subjecti recipi, saltem naturaliter.

Ex quo sequitur quod si sol producat lucem in aere, poterit Deus eamdem numero conservare remoto sole, quia continet eminenter in sua virtute et actione illum effectum numero totaliter, non tamen poterit eadem numero lux conservari ab altero sole, tanquam a causa principali, quia producit diversa actione limitata, non continente totum effectum numero, et totaliter alterius solis.

Contra secundam conclusionem instari potest: Quia non repugnat duas formas recipi simul in eadem materia, neque ex parte materiæ, neque ex parte formarum, neque ex parte unionis; ergo ex nulla parte. Non ex parte materiæ, quia ipsa simul habet capacitatem omnium formarum, quæ non destruitur per receptionem unius; ergo bene poterit a Deo introduci alia forma conservata priori. Non ex parte formarum, quia non sunt immediate, et positive contrariæ sicut formæ accidentales. Quod autem ex una forma sequatur privatio alterius, non obstat, quia est effectus secundarius, qui potest impediri a Deo remanente primario, ut patet in quantitate, a qua tollit extensionem ad locum, quæ est effectus secundarius. Nec ex parte unionis, quia hæc non repugnat, si extrema non pugnant.

Respondetur repugnantiam plurium formarum in eadem materia simul sumi ex eo quod dictum est, quia essentialiter formæ substantiales ordinantur ad constituendum esse substantiale, quod in tantum est substantiale, in quantum est primum et substans aliis; repugnat autem in aliqua materia inveniri duo esse æque prima, et consequenter æque substantialia. Et quia potentialitas materiæ substantialis est, et ad substantiale esse ordinata, ideo non habet potentialitatem ad recipiendum plures formas substantiales simul, sed successive. Effectus autem secundarii non semper possunt impediri a Deo stante primario, præsertim quando sunt negativi, et intrinsece modificantes primarium, sicut non potest impedire in homine negationem leonis, in fide vel opinione obscuritatem, et similiter in forma substantiali, quod non det primum esse et substans aliis, atque adeo, quod non supponat aliam formam priorem.

QUÆSTIO XI.

DE CAUSA MATERIALI, FORMALI, ET EXEMPLARI.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit causa, et causalitas materialis?

Cujuslibet causæ consideratio consistit in quatuor, scilicet quid sit actus primus, seu constitutivum talis causæ, et quibus conveniat. Secundo, quid sit actus secundus, seu causalitas. Tertio, quæ sit conditio requisita ad causandum. Quarto, quid sit ejus effectus, et causatum.

Circa primum, supponenda est definitio causæ materialis, tradita a Philosopho in hoc libro, cap. II, quod *causa materialis est, ex qua fit aliquid, cum insit*. Quam definitionem explicamus sic, quod per illam distinguitur causa materialis a privatione, ex qua etiam fit aliquid, sed non tanquam ex eo, quod inest et permanet, sed quod non manet, neque est; transit enim privatio, et succedit forma. Cur autem definiat Philosophus materiam per id *ex quo aliquid fit*, non per id *in quo aliquid recipitur*? Ratio videtur esse, ut complectetur omnia ad quæ se extendit causalitas materiæ, ex materia enim fit compositum, et fit forma, sed compositum non recipitur; forma vero recipitur. Unde per ly *fieri* complectebatur formam et compositum, per ly *recipi* solam formam, quæ tamen ex eo quod fit ut *quo*, et non ut *quod*, recipitur. Quod si aliqua forma non fit ex materia, ut anima rationalis, tamen adhuc pertinet ad istam definitionem, quia licet non fiat, nec dependeat in esse a materia, dependet quoad statum tamen informandi et communicandi se materiæ.

Hoc supposito dicimus, quod actus primus causandi materialiter potest inveniri. Primo, in materia prima respectu formæ. Secundo, in materia et forma unitis respectu totius. Tertio, in ipso toto respectu accidentium. Quarto, in uno accidenti respectu alterius, sicut quantitas respectu coloris, potentia cognoscitiva respectu cognitionis. Quinto, in dispositionibus respectu formarum ad quas disponunt. De materia respectu formæ constat ex supra dictis, quæstione tertia. Quod vero partes materialiter se habeant ad totum, quatenus trahuntur ad ejus esse ab eoque actuantur, docet pluribus locis S. Thomas ut in III part. qu. XC, artic. I, par. I, q. VII, art. III, ad. 3, et quæst. LXV, art. II, idque etiam explicat ex Philosopho

II Physicorum, lectione V, circa tex. XXXI, ubi inquit: « Quod licet partes speciei, qui ponuntur in definitione, comparentur ad suppositum per modum causæ formalis, tamen ad ipsam naturam, cujus sunt partes, comparantur ut materia, nam omnes partes comparantur ad totum ut imperfectum ad perfectum, quæ quidem est comparatio materiæ ad formam. » Ubi apparet, quod partes non dicuntur simpliciter causa materialis totius, sed modum materiæ habere quatenus considerantur ut imperfectæ respectu totius, in quo perficitur compositio. De causa vero materiali accidentium non pertinet ad præsens disputare, an immediate subjectentur in toto vel in materia, de hoc enim in libris de generatio Deo dante agemus. Sed in præsenti sufficit advertere, quod sive subjectentur in toto, sive in materia subjectum *quod*, et ratio sustentandi accidentia debet esse ipsa substantia, quia sola ipsa debet esse per se, et hoc est sustentativum accidentium. Cæterum non omnia accidentia æque immediate recipiuntur in substantia, sed aliqua sunt, quæ immediate recipiuntur, ut quantitas in corpore, potentiæ operativæ in anima, alia vero sunt quæ mediantibus istis recipiuntur, sicut actus vitales et habitus operativi mediantibus potentiis, et figura vel color mediante quantitate. Quod ex eo contingit, quia unum accidens habet connexionem cum alio, taliter quod nisi supponat illud non potest convenire subjecto, sicut actus vitalis cum sit actus secundus non potest convenire subjecto, nisi supponendo potentiam, quæ est actus primus. Quam doctrinam ex D. Thoma I-II, q. VII, artic. I ad tertium, et qu. II de Virtutibus, art. III ad secundum retulimus in Logica qu. XV, art. V.

Statim vero se offerebat difficultas ex illo vulgari axiomate: Quia actus et potentia sunt in eodem genere, quod ex Aristotele communiter admittit D. Thomas præsertim II part. quæst. LIV, artic. III, et quæst. LXXVII, articul. I, ut inde ostendat potentias operativas non esse substantias, quia actus, ad quos ordinantur, accidentia sunt. Videtur autem in præsenti instari illud axioma, cum dicamus substantiam immediate esse potentiam receptivam accidentium. De hoc autem axiomate variæ explicationes a diversis traduntur, de quo videri potest Pater Suarez disp. XIII, Metaphys. sect. II, et nos aliquid attingemus sequenti quæstione. Breviter dicimus, illud axioma intelligi de potentia et actu per se, et essentialiter ordinatis, ut quando actus specificat potentiam, et ab illo pendet in proprio esse sicut materia per se ordinatur ad formam, et potentia operativa ad operationem, seu actum, a quo specificatur. In his enim bene valet, quod actus et potentia sunt in eodem genere, quia si actus specificat potentiam, et trahit ad suam speciem, consequenter utrumque debet manere sub eodem genere. At vero substantia non specificatur neque essentialiter pendet ab accidente sed e converso. Unde non oportet, quod talis potentia et actus sint in eodem genere, quia unum est specificativum alterius.

Denique, loquendo de causa dispositiva, etiam reducitur ad causam materialem respectu formæ, ad quam disponit. Unde dicit D. Thomas I-II, q. XXVII, art. III: « Quod ad materialem causam reducitur dispositio, » et in IV, dist. XVII, q. II, art. V docet: « Quod dispositio reducitur ad causam materialem si accipiatur dispositio, quæ disponit materiam ad recipiendum, secus autem de dispositione agentis ad

agendum, quia illa reducitur ad genus causæ efficientis. » Imo etiam ad rationem causæ formalis reducitur a D. Thoma in IV, dist. II, q. II, art. I, quæstiuncul. I ad secundum ubi dicit: « Quod dispositio reducitur ad genus formæ, ad quam disponit. » Et non mirum, quod omnes istas reductiones dispositio habeat, quia est medium deserviens efficienti ut agat, materiæ ut determinetur et præparetur ad formam, formæ ut termino ad quem tendit et a quo specificatur, et sic secundum varias considerationes ad diversas causas reducitur sicut medium quod participat de extremis, et ad extrema reducitur. De quo etiam videri potest D. Thomas q. XXVIII, de Verit. art. VIII.

Unde constat, inefficaciter aliquos probare, quod dispositio non pertinet ad causam materialem, quia non recipit formam, sed sola materia patitur illam; quod vero præparet materiam non pertinet ad causam materialem, quia hoc vel fit expellendo oppositam dispositionem, et hoc facit formaliter, non materialiter, vel juvando actionem efficientis, et hoc facit efficienter, non materialiter. Nihilominus hæc probatio, solum est contra hoc, quod dispositio sit causa materialis principaliter, et per modum subjecti; sic enim constat, quod dispositio non recipit formam, non tamen probat, quod reductive non pertineat ad genus causæ materialis, quatenus præparatio materiæ non solum fit tollendo oppositam dispositionem, qui est effectus secundarius et negativus, sed etiam indifferentiam et potentialitatem materiæ positive determinando ad hanc formam potius, quam ad aliam; materia autem sic determinata materialiter recipit formam, et ita illa determinatio materiæ ad eamdem causam materialem reducitur.

Causalitas materiæ.

Multiplex et varia circa hoc Auctorum sententia. Cum enim materia causet dupliciter, scilicet in fieri, quando primo res generatur, et materia per immutationem sui recipit formam, et in facto esse, quando per modum compositionis cum forma constituit totum, quia utrobique est dependentia a materia, ut a principio causante, dividuntur valde Auctores in assignando causalitatem materiæ, quæ pro utroque deserviat. Unde aliqui ut Conimbricenses II Physic. quæst. VI et VIII, assignant duplicem causalitatem materiæ, aliam circa compositum, quæ solum ordine sunt una causalitas, non formaliter: et dicunt hanc causalitatem esse modum superadditum materiæ. Alii ut Pater Suarez disp. XIII Metaphys. sect. IX, tenent quod causalitas materiæ respectu formæ, si sumatur in fieri est ipsa generatio seu unitio, ut pendens a materia, causalitas vero in facto esse dicit, quod est ipsa unio: et istas causalitates dicit esse distinctas ex natura rei, sicut generatio distinguitur a forma, et unitio ab unione. Alii solam actionem agentis quatenus ex receptione educitur formâ, dicunt esse causalitatem materiæ nec aliam requirendam esse. Ita Cabero hic tract. II, disp. III, dub. II, qui addit, causas istas formæ et materiæ constitui in actu secundo per connotationem effectus existentis. Alii explicant causalitatem materiæ per receptionem formæ. Sed quia hoc ipsum inquirimus, scilicet quid sit receptio formæ, dicunt aliqui consistere hoc in influxu in formam per modum passionis, qui in re non distinguitur ab actione efficientis, in compositum vero per modum unionis. Ita Martinez II Physic. q. III,

notab. III. Alii denique existimant hanc receptionem seu causalitatem materiæ non esse aliud, quam exhibitionem sui ad formam, et sic non distingui causalitatem materiæ ab ipsa materia. A qua sententia non discedunt Scotistæ, qui juxta sententiam Doctoris subtilis dicunt causalitatem materialem fundamentaliter esse aliquid absolutum non distinctum ab ipsa entitate materiæ, quia per suam entitatem causat compositum. formaliter vero in actu secundo dicere respectum ad causatum quia formaliter constituitur causa per respectum, de quo videri potest Fluente II Phys. q. III, diffic. II, art. I.

Nihilominus dicendum est: Quod causalitas materiæ est concursus passivus, a quo forma dependet, sive in essendo, sive in informando, quo nihil est aliud realiter, quam ipsa passio illata ab agente, non prout ab agente, sed prout in materia et ex materia: et ista causalitas servit tam ad formam, quam ad compositum. Deducitur ex Philosopho III Phys. tex. XIX et ibi D. Thoma lect. V, ubi dicitur: « Quod actio est actus activi, et passio actus passivi; » ergo passio constituit passum in actu secundo. Et in I contra Gent. c. XVI dicit: « Quod materia non fit causa in actu, nisi secundum quod alteratur, et movetur, » actualis ergo causalitas materiæ, est immutatio ejus recipiens formam. Et VIII Met. lectione ultima inquit: « Quod nulla est causa faciens unum ea, quæ sunt composita ex materia, et forma nisi quod movet potentiam in actu. »

Et applicatur hæc sententia, quia materia dicitur causa in actu primo, in quantum est potentia receptiva formæ, ut actuata per formam constituat compositum quod resultat ex tali conjunctione materiæ, et formæ, sed potentia receptiva non potest aliter concurrere quam ipsa potentialitate ut passive se habente, quia potentialitas formaliter opponitur actualitati, quæ vel actuando vel agendo causat in actu secundo; ergo potentialitas causare debet passive se habendo; passio ergo, a qua dependet forma ut sit in materia est concursus seu causalitas ejus in actu secundo sed constat, quod passio est immutatio ipsius subjecti pendens quidem ab agente, ut illata ex actione, sed orta ex materia, et in materia, ut ex patiente et recipiente, ergo ipsa causalitas materiæ. Deinde, probatur eadem pars, quia passio ista seu mutatio, et passivus concursus habet materiam pro principio passivo, et formam pro termino, et est ratio, per quam dependet forma a materia, et non convenit alteri, quam materiæ causare per illam; ergo habet omnia requisita ut sit causalitas materiæ. Primum patet, quia passio non innascitur ex solo agente, sed etiam ex potentia subjecti; agens enim quod nullum habet subjectum nullam infert passionem, ergo passio habet pro principio ipsum subjectum seu materiam. Secundum patet, quia ista passio seu concursus passivus facit aliquid de novo esse in materia, ergo terminatur ad aliquid receptum, et positum in materia, quod non est aliud quam forma, ergo terminatur ad formam. Tertium vero constat, quia in tantum dependet forma a materia, sive in essendo sive in informando, in quantum forma, quæ est in potentia materiæ reducitur in actum ut recepta in materia, et non extra ipsam; ergo hæc dependentia formæ a materia fit mediante mutatione materiæ de potentia in actu, sic enim actu pendet forma a materia subjective, in cujus potentia antea erat objective, ergo mediante mutatione materiæ passiva et reducta de

potentia ad actum pendet forma a materia, et consequenter causatur ab illa. Quartum denique constat, quia agentis propria datur causalitas, quæ est actio formæ, causalitas, quæ est actuatio: neutri ergo propria est passio, sicut materiæ, licet unio communis sit materiæ et formæ secundum denominationem uniti, et conjuncti.

Quod vere iste concursus passivus materiæ deserviat etiam ad causandum in facto esse tam formam, quam compositum, constat; nam quod attinet ad formam, ipsamet passio seu mutatio, qua primum facta est, et conjuncta materiæ manet in facto esse per continuationem ejusdem formæ in materia, sicut actio manet in facto esse in effectu, quamdiu in eo manet existentia, qua est productus. Unde in Logica q. XVII, art. III, circa tertiam difficultatem diximus ex D. Thoma fundari relationes causæ et effectus in ipsa actione et passione, non prout considerantur in fieri tantum, sed in facto esse, hoc est prout relinquitur aliqua determinatio ex ipso fieri actionis et passionis in rebus, ergo manet ipsa passio in facto esse virtualiter, et sic continuatur causalitas erga formam. Et hoc ex ipsa natura motus deducitur, quia ut D. Thomas advertit I Phys. lect. II, res quæ movetur, est in potentia ad duos actus, scilicet ad actum imperfectum, qui est motus, et ad actum perfectum, qui est terminus motus. Sic ergo materia eadem causalitate respicit formam per passionem in fieri, et cum est in termino motus in facto esse, quia licet cesset motus, manet tamen terminative in suo termino. Eadem autem causalitas, quæ respicit formam in fieri et in facto esse, necessario attingere debet compositum, quia ex ipsa communicatione et conjunctione materiæ et formæ necessario compositum resultat, ergo causalitas quæ attingit formam conjungendo illam passive, consequenter debet attingere compositum, neque est necesse multiplicare causalitates.

Quod si objicias: Nam materia et forma causant mediante unione ipsum compositum, ergo etiam mediante eadem, materia causabit formam et e contra; siquidem eadem est causalitas materiæ erga compositum, et erga formam. Item materia causat per modum causæ intrinsecæ, est enim pars constitutiva compositi, ergo est assignanda illi causalitas intrinseca, hæc autem non est passio sed unio; nam passio est mutatio ab agente in materia: unio vero intrat ipsam unitatem compositam ex extremis, et eadem ratione non potest causalitas materiæ primo, et per se sumi respectu formæ; sed respectu compositi, quia respectu formæ causalitas ejus non potest esse intrinseca. Item quia passio in fieri est idem cum motu et actione, et in facto esse est idem cum forma, seu effectu, vel ejus unione, ergo causalitas materiæ in facto esse ab unione et receptione formæ non distinguitur. Patet consequentia, quia id quod remanet ex passione in facto esse, non est aliud quam effectus productus ut subjecto unitus seu receptus, et hæc receptio non nisi unione fit, etiam præciso quocunque alio, et ipsa unio non est effectus per modum termini causatus a materia, sed tanquam modus, et medium uniendi se ipso educitur a materia, ergo habet omnia requisita, ut sit causalitas materiæ in facto esse.

Ad primum respondetur unionem non esse causalitatem materiæ respectu compositi, tum quia est communis materiæ et formæ, et sic oportet aliquid ulterius assignare, quo distinguatur causalitas materiæ a causalitate formæ; tum, quia unio

non est ipsa causalitas materiæ formaliter, sed consecutive si sumatur pro relatione unitorum, vel si sumatur pro ipsa actione, passione ad unionem requisita, sic passio ut importat passivum concursum, est causalitas materiæ, ut autem tendit ad coadunandum extrema in aliquam unitatem, sic fundat unionem, quæ est relatio, non causalitas.

Ad secundum respondetur, materiam esse causam intrinsecam, id est, inclusam in composito non tamen respectu formæ, quam recipit; ad hoc autem non exigitur distincta causalitas respectu formæ, et respectu compositi, quia respectu compositi solum est resultantia quædam, non ex sola causalitate materiæ, sed ex concursu utriusque causalitatis, scilicet materiæ et formæ resultans: qua ratione materia et forma simul proprie non causant totum, tanquam a se distinctum, sed ex earum causalitatibus consequitur, ut utrumque includatur in toto.

Ad tertium negatur consequentia, et dicitur, quod sola unio formæ in facto esse non potest esse causalitas materiæ, quia ut dictum est unio secundum se est relatio communis, et ejusdem rationis seu æquiparantiæ in materia et forma, et sic oportet aliquid addere præter unionem, ut distinguatur a causalitate formæ, scilicet passivum concursum, qui in facto esse dicit continuationem seu determinationem ex priori passione in fieri relictam, seu continuatam. Unde sola et præcisa unio, etiamsi esset medium inter materiam et formam, et non causaretur ab illa ut effectus, sed ut tale medium adhuc non habet omnia requisita, ut sit causalitas materiæ in eo in quo distinguitur a causalitate formæ.

Sed inquires: An receptio materiæ distinguatur ab unione, et possit una separari ab alia saltem divinitus? Aliqui affirmant, et ducuntur quia dicit Philosophus III Physic. cap. III, formam in materia recipi, esse quod accidentale, unde et receptio seu causalitas materiæ est passio quæ est prædicamentum accidentale, unio autem materiæ et formæ aliquid substantiale est, præsertim si partes se ipsis uniuntur. Deinde, quia videmus hæc duo separari, quia anima unitur materiæ, nec tamen recipitur in illa, cum non dependeat ab illa, ergo non repugnabit per Divinam potentiam unum sine alio stare etiam ab aliis formis. Et sic concedunt, quod formaliter ex receptione formæ in materia non resultat totum quousque adveniat unio.

Cæterum si hæc sententia solum vult, quod passio et unio sint distinctæ formalitates, quia sunt distincta prædicamenta, est enim unio relatio resultans ex passione, sic illam admittimus. Si autem vult posse istam resultantiam unionis impediri ita quod posita passione, non sequatur unio formæ, est implicatoria, quia implicat ponere passionem et actionem sine termino, et terminum sine unione formæ, neque enim terminus actionis et passionis est forma secundum se tantum, aut ut dependens tantum a materia, et non ut unita seu faciens unum cum subjecto, sicut calefactio non solum habet pro termino calorem, sed etiam calidum, et generatio equi non solum habet pro termino formam equi ut receptam, sed etiam ipsum equum, qui est unum resultans ex unione formæ et materiæ equi, ergo illa actio non potest sistere in receptione formæ, et non transire ad ipsam unionem, et resultantiam totius, ita quod unio separetur a receptione formæ, alioquin daretur generatio equi sine equo, et calefactio sine calido, si autem non potest actio separari ab

ipso toto, quod producitur, et consequenter ab unione partium, ergo neque passio seu receptio, quæ est idem cum actione, poterit ab unione formæ separari.

Ad oppositum fundamentum respondetur quod formam recipi accidentarium est materiæ prædicabiliter, sed non prædicamentaliter; accidit enim materiæ talis forma substantialis, quia sine ipsa in particulari conservari potest sub alia, quod tamen non tollet ipsam formam et unionem substantialem esse, sicut hominem habere duas manus, vel duos oculos accidentale est homini, non tamen manus accidens sunt, neque enim omne quod accidit, accidens est prædicamentale, sed sufficit quod essentiale non sit.

Ad secundum respondetur quod quando forma non educitur e materia, unitur illi sine receptione, quia creatur illa forma independenter a materia, et ut independens unitur et sic probat argumentum, quod non omnis unio est receptio, non tamen quod receptio potest inveniri sine unione, præterquam quod licet anima rationalis sumatur sine dependentia sui a materia, non tamen sine dependentia materiæ a se, quæ per aliquam immutationem, seu passionem sui unitur formæ, et causat in forma non esse, sed informantem esse, et sic semper unio est cum aliqua dependentia, etiam formæ.

Conditiones materiæ ad causandum.

Ad tres possunt reduci, secundum triplicem respectum materiæ; primo enim consideratur conditio requisita ex parte sui; secundo, per respectum ad alias causas, cum quibus duo causat, vel quibus subordinatur; tertio, respectu effectus seu causati, cui conjungitur.

Quantum ad primum conditio requisita ex parte sui est existentia, de qua dicimus, in materia prima respectu formæ substantialis requiri existentiam ad causandum passive, sed non prærequiri, in causa vero materiali accidentium, quæ est subjectum sustentans, etiam existentia prærequiritur. Sumitur hæc doctrina ex D. Thoma VIII Metaphysicorum, lectione IV, ubi inquit: « Quod accidentia non habent materiam, ex qua sint, sed substantia est ejus subjectum; subjectum autem habet aliquid simile materiæ, in quantum est receptibile accidentis. Differt autem a materia, in quantum materia, non habet actu esse nisi per formam, subjectum autem non constituitur in esse per accidens. » Et opusc. XXXI, in principio. dicit: « Quod materia est illa, quæ recipit esse per formam, subjectum autem non recipit esse a forma accidentali, sed sustentat eam in esse. » Unde constat, quod quia materia prima recipit formam dantem esse, non oportet, quod habeat existentiam antecedenter ad causationem, sed sufficit quod habeat illam concomitanter, et in termino suæ causationis, quia recipit illam per formam: at vero subjectum sustentans, quia non recipit esse simpliciter ab accidentibus, sed supponit, consequenter præhabet esse ante talem causationem materialem.

Et si objicies: Quia omnis causa realis debet existere ad causandum, causalitas autem in actu supponit causam in actu, alioquin esset causa tantum in potentia, imo et pro illo priori quo causat, necessario supponitur causa esse realis et in actu, alioquin causalitas realiter non exiret ab illa, ergo non solum concomitanter, sed etiam pro illa prioritate antecedenti prærequiritur existentia. Respondetur quod causa realiter causans in re, et quantum ad instans in quo, necessario debet

existere, sed ad hoc sufficit existentia concomitans; seu illa quam habet materia in ipso toto, sive quod corrumpitur, sive quod generatur: in illa autem prioritate naturæ, seu causalitatis materiæ non requiritur existentia, sed sufficit ad realitatem causæ realitas potentiæ suscipientis esse, non habentis esse, nam hoc quod est recipere et habere capacitatem ad esse, aliquid reale est, sed est realitas entis in potentia, quale est materia, non entis in actu; ens autem potentiale hoc ipso, quod habet capacitatem ad esse, licet nondum intelligatur habere esse, aliquid reale est, quia si esset nihil, non esset capax habendi esse. Et ratio hujus est, tum quia illa prioritas causandi non explicat, quod res sit, vel quomodo sit, sed qua ratione, et sub qua formalitate causet, causare autem materiæ non est causare actualitatis, sed potentialitatis, quia recipere in quantum tale ad actualitatem non pertinet, et sic pro illa prioritate non explicatur actualitas, quam in re habet materia, sed potentialitas: tum etiam, quia forma, licet pro illo priori intelligatur dependere a materia, non tamen totam realitatem explicat pro tunc causalitas materiæ, sed solum realitatem, quæ potentialitatis est, quod vero habet de actualitate, participat ab ipsa forma, ad quam tendit talis concursus materiæ, ut ab illa habeat esse. Quare realis causalitas sufficit, quod in re sit realiter a materia, non tamen oportet, quod in omni signo et consideratione omnis realitas ejus explicetur, sicut homo sub conceptu hominis præcise non explicat realitatem entis, licet in se ens reale sit.

Secunda conditio requisita in materia ad causandum materialiter, est ordo seu determinatio, quam habet ab aliis causis, ex quarum concursu dependet in causando, sicut patet, quod a causa efficiente mediantibus dispositionibus determinatur, et applicatur materia ad hanc formam, vel ad illam, et similiter determinatur a concursu Divino, non materiali, sed effectivo ut libro octavo dicemus; et sic istæ determinationes, seu dispositiones sunt conditiones necessario requisitæ ad causandum materialiter. An vero materia prima, quia in genere causæ materialis est prima, aliquid causalitatis habeat in reliquas causas materiales, respondetur habere causalitatem in omnes, ad quas ejus receptio extenditur, quia enim omnes materiæ secundæ sunt substantiæ compositæ ex materia et forma; consequenter resolvuntur in materiam primam, et dependent ab illa, ut a primo recipiente, non ut a primo determinante; primum enim determinans est primum agens, non potentia materiæ.

Tertia conditio sumitur in materia per ordinem ad effectum, et præter proportionem, quæ requiritur inter materiam et formam, quæ provenit ex dispositionibus, requiritur etiam ut conditio indistantia, seu approximatio inter materiam et formam, ut uniantur et resultet compositum, quæ indistantia non est idem, quod unio, nam separata anima a corpore potest illi fieri præsens, sicut alteri corpori, sine hoc quod informet illud.

Effectus materiæ.

Tres possunt numerari effectus, circa quos versatur materia, et quinque rationes, quæ sunt causalæ in illis. Versatur enim materia circa formam recipiendo, compositum constituendo, generationem patiendo ab agente. Rationes autem causatæ sunt. Primo, esse formæ si sit dependens a materia, vel modus essendi informative, si non sit dependens. Secundo, causat limitationem, forma enim limitatur per ordinem ad materiam. Tertio, causat incommunicabilitatem, quia est ultimum subjectum, ultra quod non transit forma. Quarto, causat individuationem. Quinto, causat unitatem, et constitutionem compositi, simul concurrendo cum forma.

Quod materia versetur circa illa tria constat, quia omnia illa dependent a materia ut a principio, compositum quidem, quia resolvitur in materiam, et sic dependet ab illa; forma autem quia sine materia esse non potest, si sit forma educta, vel saltem sine illa informative esse non potest, quod pertinet ad modum essendi formæ. Denique, generatio dependet a materia, quia est transmutatio, quæ sine materia stare non potest, quæ est subjectum mutationis. Sunt tamen qui putant solum compositum esse effectum causæ materialis, eo quod materia causat, ut causa intrinseca; solum autem est intrinseca respectu compositi. Sed respondetur quod materia causat formam, non componendo, sed recipiendo, et respectu ejus non est causa intrinseca, et tamen forma dependet ab illa; est tamen intrinseca respectu compositi, quatenus resultat ex conjunctione materiæ et formæ.

Quod vero omnes illas rationes causet materia constat, nam quod limitet formam, tradit D. Thomas prima parte, quæstione septima, articulo primo, eo quod forma de se est communicabilis huic, vel illi materiæ, et non limitatur ad unam, nisi quatenus recipitur, seu ordinatur ad determinatam materiam; sic enim ex hac receptione vel ordine, non potest ultra communicari alteri materiæ totali, nec transire de materia in materiam, quia individuatur ab una, et ut individuata limitatur ad illam; materia autem transit ad plures formas saltem divise licet sit ratio, ut nec forma, nec natura transeat ad plura, sed in se sistat; similiter quod sit principium incommunicabilitatis, et individuationis, docet tertia parte, quæst. septuagesima septima, art. II, et opusc. XXIX, et pluribus aliis locis, ex quibus ostendemus in libris de Generatione, materiam esse principium individuationis, quia est ultimum subjectum, ultra quod non fit communicatio, et multiplicatio, formæ, nec naturæ.

Solum potest esse difficultas circa compositum et formam, quia non apparet, quomodo forma causetur in suo esse a materia, nisi in quantum redditur sustentata, et recepta, quod non est aliud, quam formæ communicari materiam, et sic non tam ipsa forma causatur, quam ipsa communicatio materiæ. Ex parte autem compositi constat, quod non causatur a materia, nisi simul concurrente forma, sic autem compositum non est quid distinctum ab ipsa materia et forma, et sic proprie non est quid causatum: si autem sumatur materia respectu formæ, sic non causat compositum, sed alteram partem ejus, scilicet formam.

Respondetur quod materia causat formam eo modo, quo dependet ab illa, scilicet vel quantum ad esse, si forma sit educta, et in sui productione et conservatione dependens a transmutatione et receptione materiæ, vel quantum ad officium informandi, quia forma non potest esse modo informativo, nisi dependenter a concursu passivo materiæ recipientis formam; unde S. Thomas opusc. XXXI, §. Viso quod sunt, dicit: « Quod materia dicitur causa formæ, in quantum forma non est, nisi in materia. » Et quando instatur, quod iste effectus non est aliud

quam communicatio materiæ, respondetur quod ex parte rei communicatæ non distinguitur effectus causæ formalis, vel materialis, a sua causa, ex parte tamen ipsius communicationis dicit unionem, quæ saltem præsuppositive importat aliquam immutationem novam, aut illam relinquit. Et præterea ex tali communicatione resultant alii effectus, non in ipsa re communicata, sed in eo cui communicatur, v. g. quod forma sit limitata, individuata, educta, existens, etc. qui effectus sunt in ipsa forma. Quod vero dicitur de composito, respondetur causari ab utraque parte, scilicet materia et forma unitis, non tamen proprie, sed dicitur resultare, et consequi ex vi prioris causalitatis, qua materia communicatur formæ, et forma materiæ, de quo plura diximus supra q. VI, art. III.

ARTICULUS II.

Quid sit causalitas formæ, et ejus effectus?

Sicut articulo præcedenti ad quatuor capita reduximus ea, quæ pertinent ad causam materialem, scilicet ad actum primum seu rationem causandi, ad actum secundum seu causalitatem ejus, ad conditiones requisitas ad causandum, et ad effectus ab illa causatos; ita similiter in præsenti eadem de causa formali explicanda sunt.

Igitur quantum ad primum, forma ex opposito se habet ad materiam, quod sicut materia est potentia receptiva formæ, quæ potentia non est superaddita entitati materiæ; ita forma est actus, qui dat esse rei, sive substantialis, sive accidentalis, quæ actualitas non est aliquid superadditum entitati formæ, sicut nec potentialitas materiæ. Quare ratio seu principium causandi est ipsa actualitas formæ per seipsam; ita quod secundum se est actus primus, seu principium actuans, et dans esse juxta quod dicit D. Thomas I p. quæst. LXXVI, art. VI et VII: « Quod forma per seipsam facit rem esse in actu, cum per essentiam suam sit actus, nec dat esse per aliquod medium; » et in V Metaph. lect. II, inquit: « Quod hæc est ratio quare forma est causa, quia perficit rationem quidditatis rei. » Igitur ratio causandi in forma est ipsa actualitas, quatenus perfectiva est quidditatis.

Causalitas formæ.

Non minus difficultatis habet explicatio causalitatis formæ, quam materiæ, nec minus in ea est concertatio opinionum. Certum est autem, quod sicut materia causat per passivum concursum, seu receptionem formæ, quæ etiam ordinatur ad constituendum compositum, ita forma causat per actuationem et informationem materiæ, quæ ordinatur ad constituendum compositum. Plerique ergo existimant, causalitatem formæ non addere aliquid supra entitatem formæ, quia seipsam exhibet ad componendum totum, et solum addit relationem ad effectum; quem effectum ponunt esse ipsum compositum, unionem vero solum se habere ut conditionem, qua approximant inter se materia et forma. Ita ex schola Scoti docet Fuente I Physicorum, quæst. V, difficul. I, artic. III, et II Physic. quæst. III, difficul. II, art. I. Alii negant causalitatem mediam inter causam formalem et materialem præter connotationem effectus formalis, ut Cabero hic tract. II, disp. III, dub. II. Plerique qui ponunt unionem esse aliquid medium inter materiam et formam, in ipsa constituunt causalitatem formæ, licet difficulter explicetur, quomodo distinguatur a causalitate materiæ in ea sententia, quæ ponit unam tantum unionem inter materiam et formam; nam si dicatur esse causalitatem formæ ut actuatio, et materiæ ut receptio, hoc est quod inquirimus, quid addat receptio et actuatio supra unionem. Tenet tamen eam sententiam Pater Suarez disp. XV Metaphys. sect. VI; Araujo VIII Metaphys. qu. V, art. II; Carmelitani hic disp. IX, quæst. III; Cajetanus autem I part. quæst. LXXVI, art. I, §. In responsione ad sextum, dicit causalitatem formæ, esse actum secundum, quo redditur actus subjecti, et hoc non est ipsa forma, neque ipsum subjectum, nec aliquod ens medium, sed subjectum et formam in tali esse indivisa. Quod est explicare causalitatem formæ per ipsam unionem, quæ non est medium inter formam et materiam, sed ipsa forma, ut in aliquo uno concurrens cum materia.

Complicatius videtur explicasse istam causalitatem Martinez II Physicorum, quæst. III, per tres conclusiones, quarum prima est, quod causæ formalis et materialis est idem influxus, scilicet unio, quod intelligit de influxu in totum; in secunda vero ait, quod influxus materiæ est diversus ab actu formæ, quia materia patiendo et sustinendo influit, actus autem formæ est unio. Et tandem docet, quod influxus materiæ est idem cum influxu efficientis. Unde tenetur fateri, quod influxus formæ, si est idem cum influxu materiæ, sit etiam idem cum influxu efficientis, et influxus efficientis sit idem cum unione: cum tamen in hoc sit diversa ratio inter formam et materiam, quia materia supponitur efficienti, et ab illo patitur, unde cum passivo identificetur cum actione, non mirum, quod causalitas materiæ, ut passivo seu passivus concursus, identificetur cum causalitate agentis. At vero forma non patitur ab agente, sed producitur, et est terminus ejus quo, posito cessat actio; ergo informatio seu causalitas formæ non potest esse idem quod actio, neque ut producens est, sic enim cessat actio posita forma, neque ut passio est, quia forma non patitur ab agente, sed subjectum.

Nihilominus dicendum est: Quod in forma intrinsece denominante, causalitas formalis, seu actus secundus non distinguitur ab actu primo, superaddendo aliquid intrinsecum, sed solum penes extrinsecas conditiones, quas connotat et requirit. Cujus fundamentum est, quia effectus formalis non distinguitur intrinsece ab ipsamet forma ut communicata, non ergo requirit aliquam causalitatem mediam tanquam rationem formalem actuandi, et communicandi se, si enim effectus non distinguitur ab ipsa causa, neque indiget medio causante ipsum. Nec per aliquam causalitatem secundam est magis in actu forma, quam per seipsam, sed per seipsam immediate actuat et communicatur, requirit tamen aliquid extrinsecum tanquam applicationem, quod immutat ipsam formam, ut communicetur materiæ, sicut unio formaliter fit per ipsam entitatem extremorum immediate, licet requirat immutationem activam, vel passivam, ut ipsa extrema conjungantur. Et defectu hujus conditionis, seu applicationis non semper unio est in actu, nec semper informatio seu causalitas formalis est in actu, quia scilicet remota applicatione, seu conditione requisita, ipsa actualitas formæ non manet passive communicata, licet habeat in se totam formalitatem causalitatis et actus secundi. Et hoc magis explicatur ex differentia inter materiam et formam, quia cum materia causet

mediante potentia receptiva : potentia autem ista est indifferens, et per aliquam mutationem sui debet determinari ad talem vel talem formam, vel saltem reduci in actum, ut actu sit recipiens, inde est quod actualis causalitas materiæ non fiat per ipsam solam potentialitatem, sed per aliquid superadditum, quo actualiter materia immutetur ad recipiendum. In forma autem totum est oppositio modo ; causat enim per actualitatem, quæ secundum se est determinata ad actuandum, et seipsa immediate actuat, quando recipitur et conjungitur materiæ, neque indiget nova actualitate superaddita ut materiam reddat actuatam, et compositum constituat, et sic non oportet, quod in actu secundo constituatur per aliquid superadditum entitative ipsi formæ, tanquam per rationem formalem causalitatis. Itaque ipsa causalitas formalis est actualis communicatio formæ, quæ non est aliud quam unio, juxta quod dicit S. Thomas quæst. III de Verit. art. III : « Quod formatio in formis intrinsecis fit per modum inhærentiæ, » id est, unionis. Sed tamen in hac unione formalis ratio uniendi, non est aliquod medium, vel aliquid superadditum formæ, sed seipsa est actus secundus uniendi, licet non semper sequatur effectus formalis, quia desunt conditiones extrinsecæ, vel agentis applicantis, vel materiæ applicatæ, quæ sunt conditiones extrinsecæ, quia non magis reducunt in actum potentialitatem aliquam formæ, ut dicatur in actu secundo informans, sed solum applicant actualitatem, quam habet forma ; et sic communicatio formalis quasi active semper in actu secundo est ex parte formæ, sicut et ipsa forma, non tamen semper habet adjunctam passivam communicationem, quia deest materia, vel applicatio ad eam.

Dices : Forma per unionem pendet a materia, ergo per ipsam magis est formaliter causata, quam causans, siquidem in quantum causans non dependet, et in quantum unita dependet, implicat autem quod idem formaliter sit ratio, qua fit causans et causatum. Item, compositum est effectus formæ, et similiter ipsa materia habet esse a forma ; ergo respectu illorum indiget aliqua causalitate media superaddita quia effectus distincti sunt. Tertio, ipsa forma secundum se solum est actualitas communicabilis, non autem ipsa actualis communicatio, ut patet in accidente separato, quod solum aptitudine est inhærens, non actu, et anima separata aptitudine est informans, non actu ; ergo per actualem informationem et communicationem ipsa forma reducitur de actu primo ad secundum, et de potentia ad actum. Denique, ipsa unio educitur de potentia materiæ, neque enim fit per se, ergo non est causalitas formæ sed effectus ejus.

Ad primum respondetur, formam dependere a materia per unionem, quatenus tenet se ex parte formæ, et est unio perfectiva, nego ; quatenus tenet se ex parte materiæ, et est unio receptiva, concedo ; sed hæc unio pertinet ad materiam, et per illam dependet forma. Et quidem P. Suarez disputatione illa XV, sect. VI, n. X, non reputat inconveniens, quod eadem unio sit causalitas materiæ ut receptiva, et ut est a materia, sit vero causalitas formæ, ut est a forma, et sic sub diversis rationibus est causalitas et causata. Sed tamen nos non ponimus unionem mediam per modum vinculi, quæ sit a forma et a materia, sed ponimus diversas communicationes in forma et in materia, sicut diversas entitates, et per communicationem formæ, ut est ab ipsa forma, non causatur ipsa, sed causat aliquod esse in materia,

communicatio autem materiæ fit per ipsam potentiam materiæ non absolute, sed ut immutatur actu ad recipiendum. Quare unio ex parte recommunicatæ, et unitæ præcise, non est dependentia, sed ex parte ejus cui fit communicatio in eo, in quo a tali communicatione dependet, vel perficitur, ut patet in Verbo unito humanitati, quod non dependet ab humanitate, sed humanitas ab ipso.

Ad secundum dicitur, quod effectus proprius et immediatus formæ est ipsa forma communicata, quæ est effectus formalis, et quia hic reddit actuatam materiam, et simul cum ipsa compositum constitutum, dicitur materia et compositum effectus formæ, qui tamen non requirunt distinctam causalitatem, quia sub eodem effectu formali attinguntur, qui effectus formalis a forma non distinguitur, nec distinctam causalitatem requirit.

Ad tertium respondetur, quod forma secundum se est communicabilis in actu primo ; et ipsa etiam ratio communicandi in actu secundo, quantum ad actualitatem intrinsecam, non tamen quantum ad denominationem causandi in actu secundo, quia hoc dependet ab aliquo extrinseco, scilicet a receptione hujus communicationis in materia, defectu cujus neque accidens separatum dicitur inhærere, neque anima separata informare, sicut actio ut præcise egrediens ab agente, tanquam actualitas secunda, non denominat agentem sed ratione effectus producti, imo ipse Deus, qui est actualitas pura, et actus secundus agendi, non denominatur agens quousque effectus ad extra sit productus. Sic ergo non mirum, quod ipsa forma secundum se sit actualitas secunda informandi, non tamen denominat quousque ei materia applicetur, et recipiat.

Ad ultimum respondetur, quod unio si est aliquid medium inter formam et materiam, educitur a materia, sed nos illam sic non ponimus. Et tamen adhuc in illa sententia potest dici, quod educitur tanquam modus causandi simul cum ipsa forma, non ut res, et sic non est aliquid pure causatum, sed ratio causandi.

Conditiones formæ ad causandum.

Conditiones requisitæ ad causandum formaliter possunt considerari sicut in materia, vel in ordine ad se, et hæc est existentia, vel in ordine ad alias causas, ut concursus agentis, approximatio materiæ, et dispositio ejus, vel denique in ordine ad effectum, sicut quod materia sit illi proportionata ad recipiendum effectum formalem, et similia.

Et quantum ad primum, existentia requiritur in forma ad causandum in suo genere, et ordine, scilicet ut sit existens per modum principii *quo*, non ut *quod*, sufficit enim quod forma ad informandum concomitanter, et in re habeat existentiam, non autem quod antecedenter, licet sit forma subsistens, quæ in se existentiam habet ; reliquæ formæ solum habent illam in ipso composito, et secundum se solum habent existentiam ut *quo*, et tanquam principium dandi esse, et hoc solum prærequiritur in prioritate causalitatis suæ, scilicet ut præcedat in causando formaliter, tanquam principium existendi, non ut existens, sed hoc habet in termino suæ causationis, de quo plura diximus supra qu. VII, artic. III et V.

Quoad secundum, requiritur in primis approximatio, seu indistantia materiæ erga formam informantem, quia cum debeat esse intima illi, non potest informare rem dis-

tantem : et quod distinguatur distantia ab informatione, vel receptione materiæ, articulo præcedenti probavimus. Requiritur etiam concursus agentis, quatenus vel materiam subjicit formæ, vel formam educit de materia, aut movet ad unionem, et consequenter requiritur concursus primi agentis, scilicet Dei, qui non concursu formali, sed effectivo movet formam sicut reliqua agentia.

Quoad tertium, requiritur proportio materiæ ad informandum, quia materia improportionata, vel non determinata non recipit effectum formalem formæ. Ad hoc tamen sufficit dispositio, quæ ex parte materiæ se tenet, qua posita ipsa forma, se ipsa dat effectum materiæ sic proportionatæ, et determinatæ, proportio autem intrinseca, ut quod materia et forma sint ejusdem ordinis, ut materia cœlestis ad formas cœlestes, et sublunaris ad inferiores, non pertinet ad conditionem, sed ad intrinsecam rationem istarum causarum.

Effectus formæ.

De effectu primario formæ non est difficultas, quod sit formalis effectu, qui non est aliud quam ipsamet forma, ut communicata ; sed difficultas est tum circa ea, quibus forma communicat hunc effectum ; tum circa effectum secundarium formæ, qui est expulsio alterius, nam effectus positivi secundarii eodem modo et ordine communicantur a forma, sicut primarius, illum enim sequuntur.

Et quantum ad primum, invenimus formam et causare aliquid in materia actuando illam, et causare aliquid in composito constituendo illud ; circa generationem autem nihil causat sicut materia, quia forma consequitur generationem, ut terminus ejus, non causat ipsam. Et multi existimant formam non habere causalitatem erga materiam, sed erga compositum, quod sine dubio tenere debent illi, qui affirmant materiam de se naturalite posse esse sine forma licet propter successionem generationum, non possit esse sine illa ; hoc enim multos sentire refert Pater Suarez disp. XV Met. sect. VIII, n. XIII, et in specie formam non habere causalitatem erga materiam, affirmat Cabero hic tract. II, disp. III, dub. II, et Fuente II Phys. q. III, diffic. II, et fundatur tum in eo quod materia non habet existentiam a forma, sed secundum se, ergo non causatur a forma, sed solum ab agente producente entitatem ejus, tum quia forma solum causat ut causa intrinseca, solum autem est intrinseca composito, non autem materiæ : ergo proprie solum causat compositum ; tum denique, quia esse formæ est dare aliquod esse formale, et specificum, hoc autem directe solum convenit composito, ergo solum compositum proprie causatur a forma.

Cæterum expressa D. Thomæ sententia est : Formam exercere causalitatem aliquam in materiam actuando illam, et communicando esse, licet non causando ejus entitatem, ut potentialis est ; sed ut determinata et actuata, et dependens in esse ab ipsa forma in ipso composito : et ita in opusc. XXXI, §. Viso autem, quod sunt, inquit D. Thomas : « Quod materia est causa formæ, in quantum forma non est, nisi in materia, et forma est causa materiæ, in quantum materia non habet esse in actu, nisi per formam, materia enim et forma dicuntur relative ad invicem, ut dicitur in II Physic. dicuntur etiam relative ad compositum, sicut pars ad totum. » Ubi manifeste distinguit D. Thomas

causalitatem formæ in materiam et in compositum, quia materia non habet esse, nisi per formam ; quod etiam asserit in VIII Met. lect. IV, et opusc. XV, cap. VIII, dum inquit : « Quod materia secundum se considerata caret forma, per quam participat esse in actu secundum proprium modum. » Et similiter docet D. Thomas quod materia per formam determinatur, et perficitur, ejusque indifferentia tollitur, et ad speciem aliquam reducitur, ut patet in I p. q. VII, art. I, et I Met. lect. XII, in fine, ubi inquit : « Quod materia eum sit infinitarum formarum, determinatur per formam, et per eam consequitur aliquam speciem. »

Ex quibus constat, quod entitas materiæ, et considerari potest ut potentialis est, et privata formis, indifferensque ad illas, et sic nullo modo causari potest a forma ; quæ solum dat determinationem ad esse et tollit privationem, non autem entitatem causat sub indifferentia, et potentialitate, et privatione sui : et potest considerari ut existens, determinata, et actuata in rerum natura, et sublata potentialitate, et indifferentia tum ad essendum, tum ad causandum determinatum compositum : et quantum ad hoc materia physice dependet a forma, quia non potest tolli ejus indifferentia, nisi per formam, ea autem non sublata, materia non potest causare aliquod compositum determinatum, dependet ergo a forma in causando compositum. Dependet etiam in existendo, quatenus non existit materia sub indifferentia et privatione, sed ut reducta ad aliquem actum substantialem, per quem participat esse substantiale, et consequenter esse simpliciter, quod non supponit aliud prius, alias accidentale esse ; dependet ergo a forma materia in existendo simpliciter et substantialiter quantum ad esse determinatum, sicut subjectum dependet a forma accidentali in essendo secundum quid, verbi gratia, ut sit album, vel calidum, etc.

Unde patet ad apposita fundamenta ; negamus enim materiam secundum se habere existentiam independenter a forma, ut sup. q. III et VII, late tractatum est. Et dato quod haberet aliquam existentiam, illa tamen est imperfecta, et insufficiens, ad existendum simpliciter sine forma, sicut accidens sine subjecto. Similiter licet forma sit causa intrinseca composito, et illi præbeat speciem et existentiam, tamen hoc non potest facere in composito, nisi tollendo indifferentiam materiæ tanquam causa extrinseca potentiæ et identitati illius, sed intrinseca effectui formali, qui est communicatio sui, per se enim actuat, et tollit indifferentiam, qua sublata, resultat totum, in quo intrinsece includuntur materia et forma, in eoque existunt.

Circa effectum secundarium formæ, sunt qui existimant, formam introductam, in subjecto expellere aliam effective ut instrumentum agentis, sicut unum corpus expellit alterum a loco. Alii vero contra, non posse expellere effective, quia deberent se mutuo tangere, ut expellerent. Si autem se tangunt, simul sunt in eodem subjecto. Quod si non ita fit expulsio, oportet explicare, quomodo unio unius formæ causet expulsionem fieri defectu causæ conservantis, quia statuit Deus ad positionem unius formæ, non concurrere ad conservandum aliam.

Cæterum, hoc ultimum effugium non explicat naturas rerum, illa enim non conservatio, vel est debita naturæ talis formæ sic introductæ, vel non : si non, ergo pro libito Deus tollet illam a subjecto, et sic potius desinit annihilatione, id est,

suspensione concursus, quam corruptione. Si primum, restat ostendere, quid sit illud, ratione cujus una forma aversetur consortium alterius, ut postulet non conservationem illius. Ille autem modus expellendi effective nullo modo debet admitti, in quo contingit multos falli illa similitudine corporis expellentis aliud a loco, quod non potest dici de forma; tum quia forma non agit effective in materiam, quia ipsa est terminus efficientis et moventis materiam, non vero agens in materiam, sed actuans, et sicut non actuat effective, ita neque expellit oppositam effective, quia actuando expellit: si autem effective expelleret, deberet producere aliquid per talem efficientiam, et de illo sic producto esset eadem difficultas, an expelleret effective, vel formaliter; nam si formaliter, idem diceretur de prima forma; si effective, ergo producendo aliud, et reddit processum in infinitum; præterquam quod unum corpus expellens aliud a loco, imprimit illi impulsum seu motum, quo removetur ab uno loco, et ponit in alio forma, autem producta non potest aliquid imprimere in forma, quæ expellitur, quia illa desinit esse; ergo non expellit effective.

Quare expulsio unius formæ ab alia reducitur ad oppositionem, quam habet una forma ad aliam, quæ oppositio fit per privationem adjunctam, quam una forma habet respectu alterius, non per efficientiam. Quod colligitur ex D. Thoma XI Metaphys. lect. XII, ubi inquit: « Forma secundum quod in se consideratur, constituit speciem in genere substantiæ, secundum autem quod una forma habet sibi intellectam privationem alterius formæ, diversæ formæ sunt contrariarum differentiarum principia, nam privatio quodammodo contrarium est. Et per hunc modum opponuntur animatum et inanimatum, rationale et irrationale, et alia hujusmodi. » Ita D. Thomas. Quare est necesse, quod una forma respectu alterius habeat expulsionem effectivam, sed privativam, quæ privatio fundatur in una forma respectu alterius, hoc ipso quod limitata et determinata est, non solum in se, sed etiam in ordine ad alteram, quod tamen non eodem modo contingit in omnibus formis, nam aliquæ consistunt in indivisibili, ita quod aliquo addito vel subtracto, solvitur ejus species, sicut numerus, figura, formæ substantiales, quia cum substantiales sint, dant primum, et essentiale esse, unde habent negationem alterius primi esse, et tales formæ habent essentialiter sibi annexam privationem alterius, neque est separabilis ab illa, licet sit effectus secundarius, quia fundatur in ipsa indivisibili ratione specifica. Aliæ vero formæ sunt non consistentes in indivisibili, sed habentes aliquam latitudinem, quia possunt crescere magis et minus, et tales non fundant immediate privationem, sed contrarietatem, et quando forma perfecte sibi subjicit subjectum, tunc expellit aliam propter contrarietatem perfectam, alia vero potest privatio separari a forma. Posita vero privatione, non est necesse quod una forma tangat aliam, ut expellat illam, et simul sint, sed potius quod privet illam, et simul non sint, atque ita instans unius sit desitio alterius.

Ex dictis colliges: Deum non posse concursu materiali, aut formali aliquid causare. Et de materiali constat, quia fit mediante receptione, seu mutatione, quæ potentialitatem supponit, Deus autem est actus purus. Concursus autem formalis, vel est formæ constituentis seu actuantis materiam, ut resultet totum, vel

solum terminantis, non ut aliquod totum resultet, sed ut pure aliquid perficiatur, vel trahatur ad esse alterius. Primo modo repugnat Deo causalitas formalis, quia est primum ens, unde non potest dari aliquid ipso tamquam parte constitutum, quia omne totum est majus sua parte, et specialiter forma informans, est forma participata ab aliquo agente, quod Deo repugnat, ut tradit S. Thomas prima parte, q. III, artic. VIII. Secundo vero modo non repugnat Deum se ipso terminare formaliter, sicut personalitate terminat humanitatem, et essentia sua supplet vicem speciei in beatis, quia species de se non constituit aliquam tertiam naturam cum intellectu, sed pure perficit ipsum in esse intelligibili. Et sic dicit D. Thomas III: contra Gentil. cap. LI « Quod species intelligibilis unita intellectui, non constituit aliquam naturam, sed perficit ipsum ad intelligendum, quod perfectioni divinæ essentiæ non repugnat. » Ex quo datur intelligi, quod illa solum informatio repugnat divinæ essentiæ, quæ non pure perficit, sed etiam perficitur, sicut quæ constituit aliquam tertiam naturam.

ARTICULUS III.

Ad quod genus causæ reducatur idea seu exemplar?

Philosophus diffiniens causam formalem in hoc secundo libro, dixit: « Quod forma est species, et exemplar; per speciem intelligendo formam inhærentem, quæ constituit aliquam speciem; per exemplar autem formam imitabilem: seu unico verbo, species est forma informans, exemplar est formans, quia non est in ipso formato sed extra, et ideo ad tractatum de causa formali pertinet tractare de exemplari. Definitur autem idea, ut tradit D. Thomas q. III de Verit. a. I, ex D. Augustino XII de Civitate, cap. XXV, quod idea est *forma, quam aliquis imitatur ex intentione agentis determinante sibi finem:* vel ut alii definiunt: idea est *id ad quod respiciens artifex operatur;* ubi forma ponitur loco generis. Sed quia forma potest habere plura munera, est enim id quo aliquid constituitur, et id quo aliquid efficit, et id unde aliquid sumit participationem, determinatur per sequentes particulas, in qua acceptione sumatur forma. Nam per illam particulam *quam aliquid imitatur*, exprimitur differentia formæ intrinsecæ, quæ est forma participata a forma ideali, quæ est forma extrinseca participabilis. Et denique per ultimam particulam *ab agente ex intentione finis*, excluditur forma naturaliter operans, vel fortuito, ut cum ignis generat ignem, forma ignis non est idea.

Difficultas ergo est, an idea sit subjective in intellectu, an objective, id est, an sit ipse conceptus, an objectum: et quam habeat causalitatem. Et quidam dicunt, ideam esse ipsum objectum cognitum, quod quis respicit imitandum: alii, quod est conceptus ipse formalis. Hoc secundum sequuntur Pater Suarez disp. XXV Met. sect. I, et Vazquez I p. disp. LXXII, cap. II, loquens de idea Dei, nam de idea artificis creati dicit esse objectivum conceptum. Primum vero sequuntur plures ex schola D. Thomæ et Scoti, sed diversis viis; nam Scotus sensit ipsum objectum ad extra faciendum ut cognitum esse ideam et sic creaturam, ut cognitam a Deo esse ideam sui, ut in se existens, et hoc est esse diminutum, quod Scotus assignat creaturis antequam sint in se. Alii vero non ipsi rei faciendæ,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ut cognitæ assignant rationem exemplaris, sed alteri rei, a qua ista res facta participatur, et deducitur, quatenus cognita est, v. g. in Deo non ipsi rei creatæ, sed essentiæ divinæ, ut imitabili a creaturis assignant rationem ideæ. Et in hac parte difficultas maxima oritur ex eo, quod ideæ utrumque debet attribui, scilicet, esse id quod imitandum est ab artifice, quod utique non convenit conceptui formali, sed objectivo, qui cognoscitur ut imitandus, et similiter convenire illi debet quod influat et dirigat vitaliter, seu formet ipsum artificem ad producendum ideatum, quod non convenit objecto, sed conceptui, objectum enim secundum se sumptum non influit vitaliter in opus, sed ut formatum ab intellectu.

Sit tamen unica conclusio: Ratio ideæ, neque est ipsum objectum ad extra, ut cognitum denominatione extrinseca, neque ipse conceptus formalis, ut præcise est id, quo intellectus redditur cognoscens, et secundum habitudinem ad intellectum, quem informat, sed secundum habitudinem rei repræsentatæ ad rem extra quam format. Hæc conclusio sumitur ex D. Thoma I part. q. XV, art. II ad 2 ubi inquit: « Quod sapientia, et ars significantur ut quo Deus intelligit, sed idea ut quod intelligit. Deus autem uno intellectu intelligit multa, et non solum secundum quod in se ipsis sunt, sed etiam secundum quod intellecta sunt, quod est intelligere plures rationes rerum, sicut artifex dum intelligit formam domus in materia, dicitur intelligere domum, dum autem intelligit formam domus, ut a se speculatam (ex eo quod intelligit se intelligere eam) intelligit ideam vel rationem domus. » Et in corpore articuli idem expresserat dicens: « Ideam operati esse in mente operantis, sicut quod intelligitur, non autem sicut species qua intelligitur, quæ est forma faciens intellectum in actu. Forma enim domus in mente ædificatoris est aliquid ab eo intellectum, ad cujus similitudinem domum in materia format. » Et similia videri possunt in primo, d. XXVII, quæst. II, art. III ad 4. Ubi distinguitur in ipso conceptu seu forma artificis varias habitudines, et in quantum est res quædam in se, et in quantum est medium præcise cognoscendi objectum, et in quantum est medium comparandi id quod cognoscitur ad id quod ab ipso fit, et secundum hanc ultimam considerationem attribuit ipsi rationem ideæ. Cum ergo D. Thomas attribuat ideæ, quod debet esse in mente operantis, et non tanquam id *quo* intelligit, sed tanquam id *quod* intelligit, non possumus in ejus sententia attribuere rationem ideæ objecto prout cognito ad extra; sic enim non est in mente operantis, neque ipsi conceptui formali per habitudinem ad intellectum, quem informat: sic enim est id *quo* intelligit, non id *quod* imitatur; sed objectum, ipsum, prout beneficio conceptus intra ipsum redditur immateriale, et denudatum a conditionibus materiæ, et ut habet habitudinem imitabilitatis ad id, quod in materia est, sic est idea, sicut Plato ponebat ideas separatas a materia, sed quod ipse tribuebat eis realiter et subsistenter, nos tribuimus illis beneficio intellectus. Quia tamen contingit intellectum formare ideam accipiendo ab objecto aliquo extra se aliquid, ut ex illo aliud fiat, ideo aliquando ratio exemplaris, et ideæ attribuitur etiam ipsi rei ad extra, et sic Divus Thomas utrique attribuit rationem exemplaris tam formæ, quæ est in mente artificis, quam objecto extrinseco, a quo illam desumit, ut patet I part. quæst. XLIV, artic. III, et in quæst. III de Verit. articulo I, ubi dicit: « Esse proprium Dei, quod ejus ideæ sunt tantum in mente Divina, et non extra. »

Et ratio est, quia ad ideam requiritur quod non solum cognoscatur res in se absolute, sed accipiatur sub comparatione formæ imitabilis ab alio, in quo ejus similitudo exprimatur, non per propagationem naturalem, sed per imitationem dirigibilem ab intellectu, ergo ista ratio formæ, ut imitabilis non propagatione, sed directione, licet sumatur a re extra objective, non tamen formaliter invenitur, nisi in ipso intellectu dirigente et exprimente. Specialiter autem ipsa res facienda et exemplanda, non potest habere rationem ideæ (sicut aliqui dicunt, quod quando exemplar est omnino perfectum et distinctum, tunc est conceptus ipsius rei faciendæ.) Etenim res facienda quantumcunque perfecte exprimatur, si concipitur ut est in se, et in suis conditionibus materialibus ad extra, semper concipitur, ut ideata et exemplata, quia sub illis conditionibus in re ideata est, ergo exemplar, et idea illius non potest esse ipsa res facienda, prout perfecte cognoscitur in se, sed ut proponitur imitandum, et participandum ab illa, idem autem non potest participare se ipsum; ergo distingui debet objectum, quod formatur tanquam idea ab objecto, quod cognoscitur ut faciendum ad extra, et ideandum.

Quod vero ipse conceptus formalis secundum se, et in ordine ad intellectum, ut ad subjectum, non sit idea, inde probatur, quia conceptus secundum habitudinem ad ipsum intellectum est forma, quam artifex intelligit, non id quod imitandum proponit, nec ad cujus instar aliquid facit, nec enim ad instar conceptus, ut est qualitas afficiens intellectum fit res ideata ad extra, sed idea est aliquid intellectum quod tanquam imitandum accipitur: est enim id, ad quod artifex intendens operatur: conceptus autem ut informat ipsum intellectum non est res cognita, quam attendit artifex ut imitandam, sed id *quo* cognoscitur illud, quod imitandum est. Et hinc oritur, quod conceptus possit esse unus, etiamsi multa attingat, dummodo attingat sub eadem ratione, quia sub illa egreditur unico modo ab intellectu, et sic habet unitatem; idea autem sumitur secundum comparationem formæ imitabilis ad ideatum, et sic multiplicatur secundum diversam comparationem talis imitabilitatis ad rem imitantem. Verum est, quod aliquando laxiori significatione solet conceptus quilibet dici exemplar, non secundum propriam rationem exemplaris, sed secundum quod præcise dicit rationem cognoscendi, et similitudinem expressam, ut Sanctus Thomas docet q. III de Verit. art. III, et I part. quæst. XV, art. III.

Quare restat, quod exemplar formaliter sit ipsum objectum imitabile, non prout cognitum tantum denominative extrinsece, sic enim vel est id, a quo intellectus accipit speciem, quam formet ideam, non autem ipsa idea formata, vel est id quod ideandum est ab illa. Est ergo idea ipsum objectum intrinsece cognitum, hoc est in ipso conceptu redditum immateriale, et intelligibile per modum expressionis, sic enim comparatur ad res ideatas, ut forma immaterialis ad formam in materia; quod in re non invenitur, nisi in ipso conceptu, non sub habitudine formæ informantis, quam intellectus intelligit, sed sub habitudine objecti expressi in conceptu, et formantis aliud extra conceptum. De quo videri possunt plures Auctores ex Thomistis apud M. Gonzalez I p. disp. XLVII, sect. II.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur: Res repræsentata in verbo, si sumatur realiter, non est aliud quam ipse conceptus, in quo objectum relucet tanquam in speculo, præter ipsum autem conceptum non invenitur nisi objectum extra, et denominatio cogniti, ergo si idea non est objectum extra, sed forma in mente artificis, oportet quod sit ipse conceptus formalis, qui tamen non est imitabilis a re extra. Confirmatur: res intra conceptum repræsentata non potest esse causa realis, vere et proprie respectu rei ad extra, ergo in ipsa formaliter non consistit ratio ideæ. Antecedens probatur, quia rem esse cognitam intrinsece, nihil reale addit supra ipsum conceptum formalem, neque enim objectum ex eo quod sit cognitum intra intellectum, acquirit aliquid reale, sed aliquid rationis, ex eo enim Logica agit de ente rationis, quia agit de rebus, ut cognitis ab intellectu.

Respondetur, probare argumentum, quod idea realiter et identice non distinguitur a conceptu formali, ut dictum est, sed tamen conceptus habet duplex officium seu formalitatem; alteram respectu intellectus, et sic reddit ipsum cognoscentem, tanquam terminus cognitionis, alteram respectu objecti, et sic reddit illud immaterializatum, et intellectum in actu; eo quod intellectui non redditur proportionatum objectum, nisi intra ipsum sit, ubi redditur illuminatum luce intelligibile, sicut color redditur visibilis per lucem visibilem. Primo modo conceptus formalis non est idea, quia non est forma, ut imitabilis, sed ut constituens cognoscentem. Secundo vero modo est ipsa idea, seu exemplar, quæ est forma intra intellectum tanquam res intellecta et imitabilis, et ita S. Thomas non negat ideam esse idem quod conceptus, dum inquit I p. q. XV, art. 1: « Quod similitudo domus præexistit in mente ædificatoris, et hæc potest dici idea domus. » Non tamen ut reddit cognoscentem tamquam *quo*, sed ut reddit objectum cognitum, id est, illuminatum ut *quod*, ad cujus similitudinem aliquid format, ut dicit ibidem art. II.

Ad confirmationem respondetur, ideam esse causam realem realitate conceptus, a quo non distinguitur, non realitate superaddita objecto extra conceptum. Logicus autem non considerat ipsam rationem objecti, ut in conceptu redditur immaterializatum, et intellectum in actu, illustratum et manifestum, hoc enim pertinet ad libros de Anima, sed id quod resultat in objectis cognitis secundum intentiones, v. g. ordinem prædicabilitatis, non rationem immitabilitatis realiter, et ad extra.

Secundo arguitur: Conceptus non est cognitum ut *quod*, sed ut *quo*, nisi quando reflexe cognoscitur, ergo non potest in idea, nisi per cognitionem reflexam, quod est falsum, alioquin ipsa entitas conceptus esset idea, quia hæc est quæ cognoscitur reflexe. Consequentia patet, quia idea non est id *quo* aliquid intelligitur, sed *quod* est intellectum et cognitum; ut ex D. Thoma diximus, ergo si conceptus non est id quod est cognitum ut *quod*, non est idea. Antecedens vero probatur, quia respectu cognitionis directæ conceptus solum se habet, ut medium in quo repræsentatur objectum, ergo non se habet ut objectum cognitum ut *quod*, nisi quando reflexe cognoscitur. Confirmatur, quia finis apprehensus movet finaliter, sicut idea imitabiliter, sed in fine apprehensio solum est conditio, ratio vero formalis est in ipso objecto secundum se; ergo similiter in idea conceptus se habebit ut conditio, seu applicatio, non ut constitutivum; unde quando aliquis vult operari per ideam, ipsa cognitio, seu conceptus applicat illam ad opus, ergo cognitio deservit, ut applicatio, non ut constitutivum ideæ.

Respondetur distinguendo antecedens: conceptus non est cognitum ut *quod*, nisi reflexe, quando cognoscitur ipsa entitas conceptus, concedo; si solum cognoscatur objectum, ut constitutum in esse objecti illuminati, et intellecti ut *quod*, nego; sic enim verbum non ponit in numero cum ipso objecto ad intra, cum ad hoc maxime ponatur verbum in nobis, ut objectum reddatur spiritualizatum, seu illuminatum, et formatum in esse objecti per modum termini intellecti intrinsece, ut constat ex D. Thoma II contra Gent. c. LIII, et opusc. XIII et XIV. Ad hoc ergo ut objectum in conceptu reddatur cognitum ut *quod*, et ipsum verbum constituat objectum cognitum intrinsece, non indiget reflexione, et in hoc consistit idea, bene tamen indiget reflexione, ut cognoscatur entitas conceptus. Quare D. Thomas etiam ipsi conceptui attribuit quod sit cognitum ut *quod*, cum dixit in qu. IV de Verit. art. II ad 3: « Quod conceptio intellectus non solum est id quod intellectum est, sed etiam id quo res intelligitur, ut sic id quod intelligitur, possit dici, et res ipsa et conceptio intellectus. » Et I part. quæst. XV, articul. II: « Forma domus in mente ædificatoris est aliquid ab eo intellectum, ad cujus similitudinem domum format. »

Ad confirmationem respondetur esse disparem rationem de fine et de idea, quod finis movet ad sui assecutionem, idea vero ad sui imitationem. Objectum autem assequibile non est res ipsa, ut denudata a conditionibus materialibus, et reddita immaterialis in mente, sed ut existit individualiter in re extra intellectum. At vero objectum imitabile ex directione intellectus, debet esse formatum per ipsum intellectum, ut in re ad extra ponatur res exemplata et derivata a tali forma, et ita idea non habet esse intra intellectum tanquam conditionem si ut finis, sed per se ei convenit ut ratio. Quando vero dicitur applicari per ipsam cognitionem ad opus, respondetur applicari per cognitionem non ut formantem ipsam ideam, sed ut imperantem efficaciter ejus executionem, postquam est formata.

Tertio arguitur: Idea sic explicata a nobis non potest habere veram causalitatem, ergo non est vera causa. Nam quod non sit causa materialis, constat, cum non recipiat formam, sed originet ipsam. Neque est finalis, quia ut nuper dictum est, non movet ratione bonitatis realis, et habendo apprehensionem tanquam conditionem, sicut requiritur ad rationem finis. Neque est causalitas formalis, quia non informat intrinsece per unionem, quæ est causalitas formæ. Si autem dicatur causare formaliter extrinsece, in primis non apparet in quo consistat ista causalitas, nec est alia quam objectiva, qua movetur artifex ad formandum ideam, in quo tamen non consistit causalitas causæ exemplaris: tum quia non requiritur per se ad exemplar quod accipiatur, et formetur ab aliquo objecto ad extra, sed tantum quod in intellectu detur species, et repræsentatio rei faciendæ, undecunque accipiatur, tum quia ista objectiva motio non est ipsa causalitas exemplaris, sed antecedit formationem ejus, movendo intellectum ad formandum conceptum et ideam, quæ postquam est formata, causat exemplatum, et hæc causalitas jam non est objecti-

va, id est, ab objecto ad intellectum. Nec denique est causalitas efficiens, quia non potest efficienter causare, nisi modo metaphorico, eo quod idea tantum operatur per imitationem, quæ non est influxus physicus, sed cognitus, et media excitatione factus, quod pertinet ad causam moralem, non physicam.

Respondetur hoc argumentum petere difficultatem de causalitate ideæ. In quo aliqui existimant, non habere causalitatem nisi metaphoricam, id est, in ratione esse cogniti, non in ratione esse physici. Ita Martinez in hoc libro, c. III, q. I, et Fuente II Phys. q. VIII, diff. III, art. I. Et ad causam efficientem esse reducendam, censet P. Suarez disp. XXV Met. sect. II.

Nihilominus dicendum est: Causalitatem ideæ reduci possi ad efficientem et finalem, sed specialiter et proprie ad formalem, quatenus est forma intrinseca formans, sed non informans. Est communis inter Thomistas, et quod habeat rationem causæ finalis sumitur ex D. Thoma qu. III de Verit. art. I, in fine corporis, et III contra Gent. cap. XIX, ubi id expresse dicit. Ratio vero efficientiæ attribuitur a D. Thoma quodl. VII, artic. III, ubi inquit: « Quod artifex cognoscit artificiatum per eam formam, per quam ipsum facit. » Et ratio est, quia idea et ars simul concurrunt ad artificiatum, et idea se habet ut forma practica; ergo ut operativa et efficiens per artem. Ratio enim practici efficientiam importat, sive ex propriis, sive ex voluntate participatam: nam ideam operari adjuncto amore voluntatis, docet D. Thomas I p. quæst. XLV, artic. VI. Quare sicut agens naturale operatur per formam suam, cui assimilat effectum, et illa forma est ratio operandi, quia est ratio assimilandi, ita agens artificiale ratione formæ idealis assimilat sibi effectum, consequenter ratione illius operatur efficienter directive, seu intentionaliter, non efficienter executive.

Quod vero proprie pertineat ad ideam ratio causæ formalis extrinsecæ sumitur ex Aristotele V Metaphys. text. II, ubi inquit: « Quod forma est species et exemplar. » Quem textum explicans S. Thomas ibidem lect. II, ait: « Alio modo dicitur causa, species, et exemplar, et hæc est causa formalis, quæ comparatur dupliciter ad rem, uno modo sicut forma intrinseca rei, et hæc dicitur species; alio modo sicut extrinseca a re, ad cujus tamen similitudinem res fieri dicitur, et secundum hoc exemplar rei dicitur forma. » Ratio autem est, quia forma intrinseca non est aliud, quam quædam forma participata ab idea, ad cujus similitudinem fit, et per ordinem ad quam regulatur ejus veritas et perfectio, sicut in artificialibus forma artefacti derivatur a forma artificis, et per illam regulatur ejus propria ratio, in naturalibus autem formæ naturales regulantur, et participantur ab ideis Divinis, ergo idea habet rationem formæ extrinsece specificantis, et originantis formam anticipatam, quæ informat subjectum intrinsece, ergo in eadem linea causandi, qua forma intrinseca causat, debet etiam idea extrinsece causare, in quantum forma intrinseca est quædam expressio ideæ et per eam regulatur, et specificatur propria ratio talis formæ. Specificativum autem causam formalem importat. Et ex eadem ratione constat, ideam habere rationem causæ finalis, quia forma exemplata respicit exemplar ut perfectivum sui, et per convenientiam ad ipsum perficitur, ergo ut finem, quia perfectio alicujus, finis ejus est. Neque obstat, quod actio producens exemplatum, non intendit pro fine ipsam conformitatem ad exemplar, sed formam ipsam in se, conformitas vero solum se habet, ut commensuratio et regulatio quædam formæ inducendæ: hoc inquam non obstat, quia non repugnat quod ipsa regula etiam sit finis, quando ex ipsa regulatione resultat aliquod bonum, et perfectio in regulato, ut constat in morali actu.

Quod si petas: In quo consistat ista causalitas formalis extrinseca, respondetur, quod cum forma extrinseca non communicet se ipsam immediate per conjunctionem sui, oportet quod exemplar identificet suam causalitatem cum actione efficientis, eo quod non operatur sine arte efficiente et dirigente, sed tamen in illa directione, et operatione artis et datur processus efficientiæ, quatenus res extrahitur de non esse ad esse a principio artis, et datur imitatio passiva, et specificabilis a forma exemplati, per quam regulatur, et sub hac ratione dicit causalitatem formalem extrinsecam, quatenus per imitationem dat speciem; specificativum autem causa formalis est. Neque hoc est addere novum genus causæ præter quatuor; tum, quia illud Aristoteles posuit numerando exemplar inter causas; tum quia ad formalem reduxit.

Unde ad appositas instantias respondetur. Ad primam, de causalitate finalis dicitur, quod idea non est finis, ut assequibilis, sed ut imitabilis, et ideo non oportet, quod habeat apprehensionem tanquam conditionem tantum sicut finis, qui in re est assequibilis, et sic reductive tantum pertinet ad causam finalem.

Ad secundam instantiam, quod attinet ad explicationem ipsius causalitatis formalis, in quo consistat, jam dictum est. Quod vero dicitur istam causalitatem esse objectivam, respondetur non consistere in causalitatem objecti ad potentiam, hæc enim non requiritur per se ad rationem exemplaris, sed tantum antecedenter in nobis, quia acquirimus cognitionem ab objectis, sed causalitas ista formalis est per conformitatem formæ imitabilis ad rem extra, ut deductam ab illa per imitationem; ut enim sæpe docet D. Thomas agendo de veritate, ut I part. quæst. XVI et quæst. I de Veritate; aliquando cognitio quæ est veritas formalis, sumitur ab objectiva, quæ transcendentalis est, aliquando e converso veritas in rebus sumitur ab intellectu, ut in artefactis; et ideo omnis veritas creata sumitur per conformitatem ad ideas Divinas, a quibus exemplatur, tanquam artificiatum; sicut ergo in nostra cognitione veritas sumitur a rebus per conformitatem ad eas ut ad objecta, ita quando exemplatur aliquid ab idea, sumit veritatem ab illa per conformitatem imitationis, quæ etiam est specificatio quædam veritatis.

Ad ultimam instantiam de causalitate efficientiæ, respondetur hanc habere ideam, non ut objectum cognitum præcise, sed ut cognitam practice, quod per artem et imperium movet efficienter, cujus efficaciæ ratio oritur a voluntate, quæ est primum movens quoad exercitium et imperium, ut doceri solet I-II, quæst. IX et quæst. XVII. Unde hæc efficientia non magis metaphorica est, quam quæcunque efficientia voluntatis, et mediante motione voluntatis efficientia artis practicæ in intellectu.

De essentia vero Divina quomodo sit idea, ut cognita imitabiliter et comparative ad creaturas, cui creaturæ assimilantur, tanquam eminentissimo exemplari similitudine quidem æquivoca, sed perfectissime exprimente, et attingente, quidquid participatur in creatura, ad Theologos remittimus, qui de hoc agunt, I p. q. XV.

QUÆSTIO XII.

DE CAUSA EFFICIENTI.

Dari causas efficientes tam per se notum est, quam dari effectus, et ideo non inquirimus, an detur vera efficientia, etiam in causis creatis, cum constet tam multos effectus earum dari. Sicut autem in causa materiali, et formali ad quatuor capita reduximus, quæ tractanda sunt, ita in causa efficienti. Potest enim considerari primo ipsa causa operans, tam ut principium *quod*, quam ut principium *quo*. Secundo, ejus causalitas. Tertio, conditiones causandi. Quarto, res causatæ. Et quidem terminus seu effectus causæ efficientis non habet aliquam difficultatem, cum omne illud quod est dependens in esse, sit efficienter causabile, et quod est transmutabile modo corporeo, est etiam effectibile motu physico. Similiter de conditionibus causandi, quæ sunt duæ, scilicet ex parte efficientis existentia, et ex parte passi approximatio non disputabimus in præsenti, quia de existentia egimus supra quæst. VII, et obiter in hac disputatione attingemus, quomodo requiratur ad efficiendum. De approximatione autem infra libro VII, tractandum est, ubi agemus de contactu agentis, et mobilis. Quare in præsenti solum duo restant explicanda, scilicet, de ipso efficienti quid sit, ejusque principio formali operante ut *quo*, et secundo, de ejus causalitate.

—

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit causa efficiens, et quotuplex?

Causa efficiens brevissime definita est a Philosopho in hoc secundo libro, cap. III, text. IX et I de Generat. tex. LV. Efficiens est *id unde primum principium est mutationis, et quietis*, quod aliis verbis dici solet: *Est id unde incipit motus.* Et alii extensius: *Est principium extrinsecum per se, a quo primo profluit motus.* Per ly *principium* convenit cum reliquis causis, et cum privatione; per ly *extrinsecum* differt a materia et forma, et convenit cum privatione et fine; per ly *per se* differt a privatione, quæ solum est principium per accidens; per ly *profluit* differt a fine, qui solum intentione et metaphora agit, non profluxu, et executione.

Ut autem videamus hæc omnia includi in definitione Aristotelis tradita, solum oportet ejus particulas formaliter, et cum præcisione intelligere. Etenim causa materialis et formalis, non possunt esse primum principium mutationis, eo quod causant requirendo unionem, seu media unione, quæ autem unita causant, supponunt causam priorem unientem, atque adeo immutantem, quia omnis unio, in aliqua mutatione fundatur, et sic materia et forma non possunt esse primum principium mutationis, siquidem debent esse mutatæ, ut causent tanquam conjunctæ. Per hoc autem quod dicitur principium, si præcise intelligatur, distinguitur a fine, quia finis non est pure principium, sed etiam terminus; nec simpliter est principium mutationis, sub formalitate mutationis, sed intentionis ejus, et sic non est principium mutationis, ut executæ, quæ proprie mutatio est; ante executionem enim intenditur mutatio, non est mutatio. Denique, privatio excluditur per illam particulam *primum*, et per illam particulam *unde*; licet enim privatio sit principium, non tamen est primum, quia negatio supponit affirmationem, et subjectum, in quo est; unde materia est prior privatione, efficiens autem etiam est prius materia in suo genere in causando. Similiter ly *unde*, dicit originem a quo; privatio autem non dicit originem sed derelictionem termini a quo, neque est aliquid, et sic ab illa non incipit mutatio.

Ex qua explicatione solvuntur plura, quæ contra hanc definitionem adduci solent. Primo enim objicitur, quia hæc definitio coincidit cum definitione naturæ; dicitur enim natura primum principium, motus et quietis, etc. Ubi ly *primum principium*, applicatur non solum efficienti, sed etiam materiæ et formæ, aliisque principiis entis naturalis, in hac autem definitione idem applicatur causæ efficienti, cum dicitur primum principium, unde est mutatio, et quies; ergo inconvenienter hic vel ibi, ponitur ly *primum principium*. Secundo, quando dicitur primum principium, vel sumitur primum absolute, et simpliciter, vel in determinato genere. Si primum, non convenit definitio efficienti, sed fini; quæ est prima inter omnes causas, vel saltem non omni efficienti, sed tantum primæ causæ, quia illa est primum principium simpliciter, unde incipit motus, a causa autem secunda non incipit, nisi ex subordinatione ad primam. Et dato quod conveniat etiam causæ secundæ, non convenit, nisi causæ principali, quia instrumentum non habet in se principium, unde incipit motus, quia non habet in se virtutem ad effectum principalem, sed accipit a causa superiori. Et tertio, quia ista definitio non convenit omni causæ efficienti, nam causæ creanti non convenit, quæ maxime est efficiens, et tamen non est principium mutationis, quia creatio non est mutatio, cum careat subjecto, ut docet S. Thomas I p. q. XLV, art. II.

Ad primum respondetur, naturam dici primum principium motus, non absolute, sed ejus in quo est; et sic est primum principium intrinsecum. At vero causa efficiens est primum principium etiam extrinsecum mutationis. Unde non coincidit ejus definitio cum definitione naturæ.

Ad secundum respondetur, quod sumitur ly *primum* respective ad alia genera causarum, et respective ad mutationem, ut mutatio est executa, non ut intenta, et sic primum genus causæ in executione est efficiens, quæ tamen supponit causam finalem, quæ est causa in intentione. Ad id quod additur de causa prima et secunda respondetur, quod etiam causa secunda est primum principium motus in genere efficientis, sed non in omni ordine efficientis, id est, si comparetur genus efficientis ad alia genera causarum, primum genus est efficiens, sed tamen intra ipsum efficiens dantur diversi ordines; et causa secunda non est primi ordinis, licet sit primi generis. Similiter dicimus de instrumento, quod est primum principium motus ministerialiter, non principaliter, quod est esse primum secundum quid; et reductive, quia sic est causa.

Ad tertium respondetur, quod Philosophus posuit nomen mutationis, quia tantum loquebatur de efficiente supponente materiam; erat enim apud veteres creatio ex nihilo omnino ignota, propter illud axioma: Ex nihilo fit. Si tamen extendatur diffinitio ad causam creantem, oportet etiam extendere nomen mutationis ad mutationem metaphysicam, seu ex modo significandi, quæ salvatur in hoc præcise, quod fiat transitus de non esse ad esse; physica autem mutatio est de non esse ad esse in aliquo subjecto, et hæc mutatio negatur creationi, prima vero non negatur, sed asseritur a D. Thoma citato loco primæ partis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Circa divisionem causæ efficientis. Primo, dividitur causa efficiens *in causam per se, et per accidens*, de qua divisione agemus in quæstione de subordinatione causarum: causa per se dividitur *in principalem et instrumentalem*, de qua agemus ibidem. Principalis causa plures habet divisiones; dividitur enim in causam primam, et secundam, universalem et particularem, essentialiter subordinatam et accidentaliter subordinatam, æquivocam et univocam, totalem et partialem, liberam et necessariam, physicam et moralem; de quibus divisionibus aliqua attingemus in disputationibus de subordinatione causarum universalis et particularis, primæ et secundæ: de partiali et totali, satis egimus supra tractando an possit duplex causa totalis simul concurrere ad eumdem effectum. De æquivoca et univoca aliquid attingemus in sequenti articulo, ubi etiam agemus de efficiente ut *quod*, et ut *quo*: et non tradimus in præsenti definitiones omnium istarum causarum, quia non possumus illas explicare, nisi tractentur difficultates, quæ circa illas versantur.

Advertendum tamen est, plures ex istis divisionibus non convenire specialiter causæ efficienti; nam causa per se et per accidens, universalis et particularis, æquivocæ et univocæ, totalis et partialis, etiam in fine, et aliis causis possunt inveniri. Proprie autem ad causam efficientem videtur pertinere ratio principalis et instrumentalis, eo quod ad solam efficientem pertinet agere, per communicationem virtutis, et ideo potest movere instrumentum. Similiter causa moralis ad efficientem pertinet, et ad illam reducit Aristoteles in cap. III hujus libri, agens de causa efficiente, licet motio metaphorica finis, etiam aliquibus moralis videatur, de quo infra quæst. XIII. Quare D. Thomas in hoc II Physic. lect. V, omnes divisiones causæ efficientis reducit ad quatuor: « Quadruplex, inquit, est causa efficiens, scilicet perficiens, præparans, adjuvans, et consilians. Perficiens est, quæ dat complementum motui, seu mutationi, sicut quæ introducit formam substantialem in generatione. Præparans seu disponens est, quæ aptat materiam ad ultimum complementum. Adjuvans, quæ non operatur ad proprium finem, sed ad finem alterius. Consilians autem in his, quæ agunt a proposito est, quod dat agenti formam per quam agit: nam agens a proposito agit per scientiam, quam consilians sibi tradit. » Hæc D. Thomas, ubi obiter explicat causam moralem in consiliante, principalem autem et instrumentalem in reliquis.

ARTICULUS II.

Utrum in causis creatis principium efficiendi ut quo sit accidens?

Supponimus formam substantialem requiri ad operandum tanquam radicale principium, ita ut accidens non sit totale principium efficiendi præsertim alias substantias, licet aliqui oppositum senserint. Est tamen communis sensus Aristotelis, quod forma substantialis sit principium *quo* generationis substantialis ut patet I de Generat. textu LIV et LV, et ibi D. Thomas lect. XX, in fine Expressius tamen id habet Philosophus in II de Anima, textu XXIV, ubi inquit: « Quod id, quo vivimus et sentimus, bifariam dicitur, et perinde atque id quo sumus, et id etiam quo sani sumus, atque videmus, quoddam enim scientiam, quiddam animam dicimus, quippe cum utroque scire dicamur. » Et subdit: « Quod scientia et sanitas

forma quædam et species est, et ratio et tanquam actus suscipientis scientiam, anima autem id, quo vivimus, et sentimus, et intelligimus primo. » Ergo secundum Philosophum anima, quæ est forma substantialis, primum principium est, seu radicale agendi. Et idem docet D. Thomas I part. q. LXXVII, art. I ad 4, et aliis locis. Et ratio manifesta, quia forma accidentalis non potest esse primum principium operandi, quia non est prima ratio et principium essendi; ita enim se habet aliquod in operando sicut in essendo, operari enim sequitur esse, sed principium essendi ut *quo* principale est forma substantialis, ergo etiam est principale principium ut *quo* operandi.

Nec valet dicere, quod accidens in ratione productivi est nobilius, non in ratione entis. Nam contra est, quia si accidens in ratione productivi principalis, et totalis est nobilius substantia, etiam in ratione entis erit, quia principalis ratio producendi est activitas, et hæc constat actualitate, actualitas autem est perfectio entis, ergo si in ratione actualitatis et activitatis est perfectius, in ratione entitatis perfectius est: alias enim quomodo totam entitatem rei producendæ continere posset et dare, si in entitate est inferior?

Quare tota difficultas reducitur ad hoc, an ipsa forma substantialis sicut est principium radicale et primum operandi, ita sit proximum et immediatum, an vero requiratur aliquod accidens superadditum tanquam principium proximum operandi respectu cujuscunque operationis etiam substantialis; de quo est præcipue difficultas, quomodo possit accidens attingere substantiam tanquam virtus operativa. In quo est celebris controversia inter D. Thomam et Scotum. Nam Scotus in II, distin. XVI, quæst. I, et in IV, distin. XII, q. III et IX Metaph. q. VII, et communiter ejus schola, et Durandus in IV, dist. XII, q. II, et Valles controversia III ad tyrones et alii existimant substantiam se ipsa esse immediatum principium agendi. At vero D. Thomas oppositum tenet I p. q. LIV, art. III, et qu. LIX, art. II, et qu. LXXVII, art. I et quæstiuncul. CXV, art. I ad 5, et pluribus aliis locis, et sequuntur communiter Thomistæ, ut Cajetanus locis citatis, et Ferrariensis IV contra Gent. c. LXVI, et alii qui possunt videri in cursu Carmelitanorum hic in disp. X, q. IV, et Suarez disp. XVIII Met. sect. II, n. IX.

Sit ergo unica conclusio: De facto substantia operatur medio accidenti tanquam principio proximo et immediato, et de possibili substantia creata non est capax, ut sit immediate principium operandi. Prima pars deducitur ex experientia, quia videmus multa generari distantibus vel absentibus suis agentibus substantialibus, relicta aliqua virtute, seu dispositione accidentali ut patet, cum sol generat aurum in visceribus terræ, a qua tam longe distat substantia solis, et cum ignis reddit ferrum candens calore suo, a quo exuritur stuppa etiam extincto igne, a quo processit calor, et ex semine deciso ab animali generatur aliud animal, etiam mortuo, vel absente illo, a quo decisum est, in his igitur casibus non datur substantia quæ immediate operetur illum effectum. Non substantia distans, vel absens, quia hæc non est ibi, ubi est actio et effectus: non substantia illi propinquior, verbi gratia, cum generatur aurum a sole, terra, vel lapis, quæ illi magis appropinquant, quia est omnino dissimilis ipsi auro, et per accidens est, quod ibi sit terra, vel lapis, posset enim esse quodlibet aliud corpus, quod æque bene produceret

illud aurum, si per substantiam ipsam, quæ omnino dissimilis est : et non per virtutem accidentalem superadditam a cœlo, debet illud producere. Nec denique ipsa Dei substantia producit istos effectus absente vel distante causa, quia sic tollimus actiones a causis secundis, et ad solum Deum reducimus generationes rerum absentium, vel distantium, cum tamen videamus quod aliquis dicitur vere, et proprie filius alicujus, licet sit absens, vel distans, quando generatur et nascitur ; imo rarissime animal est indistans quando filius gignitur perfecte.

Nec valet dicere, quod est dispositive ab illa causa distanti, vel absenti, licet non effective. Contra hoc enim est, quia si solum procedit dispositio a tali causa, et ipsa dispositio effective non attingit substantiam, quia accidens est, et ab ipsa substantia causæ non producitur, quia absens vel non existens est ; ergo quantumcunque disponat tamen iste effectus, qui est substantia, nunquam verificari potest, quod sit effectus illius, quia esse effectum est idem quod procedere, et sic tollimus effectus a causis secundis, licet ponamus dispositiones. Ridiculum autem est recurrere ad naturam universalem, cum in unaquaque natura sit particulare principium motus, seu effectus, ut dicit S. Thomas opusc. XXXV.

Secunda pars conclusionis difficilioris est probationis, duplici tamen discursu probatur a D. Thoma. Prima ratio est prima parte, quæstione LIV, articulo tertio, et quæst. LXXIX, articulo primo, quia operatio est actus secundus operantis, sicut esse seu existentia est actus secundus essentiæ, ergo ut operatio distinguitur ab esse principium quoque operandi debet distingui a principio essendi ; constat autem quod in rebus creatis operatis operatio distinguitur ab esse, siquidem operatio distinguitur ab esse, si quidem operatio debet procedere a substantia existente : similiter contingit operationes multiplicari, et variari, non variato esse, ergo in omni re creata principium proximum operandi distinguitur a substantia, quæ est principium essendi. Primum antecedens constat, quia operatio comparatur ad operantem, sicut actus secundus, et ultimus ad primum, ergo habet se sicut esse respectu essentiæ. Prima vero consequentia probatur, quia omnis potentia distinguitur penes ordinem ad actum proprium, et per se specificativum illius, quia actus est qui distinguit, ergo cum proprius, et per se actus operans sit operatio, et actus essentiæ sit existentia, proprium principium operandi erit distinctum a principio per se ipsius esse. Nec obstat, quod etiam accidens habet esse, et sic etiam probaretur de illo, quod primario respicit esse, et indiget alio principio proximo ad operandum. Contra enim est, quia accidens non habet per se esse, sed in alio, et sic non est principium per se essendi, nec immediatum. Principium autem per se ipsius esse est substantia, unde hæc sola dicitur per se existens.

Sed objicies contra hanc rationem : Quia instatur in multis, nam in primis dici potest, quod esse, et operari se habent tanquam actus primarius et secundarius, vel tanquam duo actus inadæquati, operari enim consecutive se habet ad esse, ergo possunt pertinere ad idem principium specificabile. Secundo, instatur in ipsa substantia, quæ saltem remote est principium operandi, et ordinatur ad operationem, si autem ratio facta aliquid probat, etiam probat quod non sit principium remotum, vel non ostendit, quod non sit proximum. Tertio, instatur in ipsa substantia, quatenus est principium assivum precipiens accidentia, nam etiam principium passivum specificatur ab actu recepto, sicut activum ab actu elicito, et tamen potest substantia immediate recipere aliquod accidens, licet potentia recipiens, et actus receptus non sint in eodem genere ; ergo similiter poterit esse immediata potentia operationis, licet potentia et actus non sint in eodem genere. Ultimo instatur quia ipsæ potentiæ dimanant immediate a substantia, ergo substantia immediate influit in illas, dimanatio enim causalitas, et influxus est.

Ad primam instantiam, respondetur quod operatio licet sit actus secundarius entitative, quia sequitur ad esse, est tamen primarius in specificando aliquod principium, et non substantiam, quia hæc non specificatur ab alio extra, cum sit absolute in se, et ad se, et sic tota ejus specificatio est ante operationem ; ergo præter substantiam aliud est principium specificabile per se ab operatione, et hoc est accidens. Nisi dicatur, quod operationes nullo modo specificant, sed tantum secundario consequuntur ad specificativum ; quod est destruere alterum principium in Philosophia notissimum, et a nobis in libris de Anima tractandum, scilicet quod operativa in quantum talia distinguuntur penes operationes, quia essentialiter ordinantur, et determinantur diversa operativa per ordinem ad diversas operationes ad quas per se tendunt. Ergo si substantia se ipsa est operativa, se ipsa est specificabilis ab operatione, vel si non est specificabilis, non est se ipsa operativa.

Ad secundam instantiam dicitur, quod hoc ipso quod substantia est remotum principium operationis, non potest specificari ab illo ; tum quia esse remotum principium est esse principium radicale et virtuale ; specificativum autem non specificat nisi formaliter, quia determinat suum specificatum, et species rei non convenit illi radicaliter, sed formaliter ; tum etiam quia principium remotum, et radicale stat bene, quod sit indifferens ad plures operationes quæ in illo radicantur, et sic ab illis non specificatur, nec determinatur, sed supponit aliud a quo determinetur, et ad quod per se ordinetur scilicet esse ; et sic bene stat, quod remote, id est, radicaliter, et indifferenter ordinetur operationes, et tamen non specificetur ab illis, et sic dari debet aliud principium ab operatione specificandum.

Ad tertiam instantiam dicitur, quod accidentia, licet recipiantur in substantia, non tamen primo, et per se specificant eam, quia supponunt ipsam in esse constitutam, ut sustentet accidentia, non perficitur autem ab accidentibus nisi secundum quid, unde non currit in illis dictum axioma, quod potentia et actus sunt in eodem genere, non enim intelligitur, nisi de actu ad quem per se ordinatur, vel a quo specificatur potentia. Imo nec verificatur in omni specificativo extrinseco, nam potentia, quæ est qualitas, specificatur ab operatione, quæ est actio, et generatio, quæ est accidens a termino, qui est substantia. Unde D. Thomas in I, dist. VII, quæst. I, articul. II ad 2, docet : « Quod non oportet quod in eodem genere ponantur potentiæ, et actus præcipue de potentiis activis. » Intelligitur ergo quod actus et potentia sunt in eodem genere, id est, invenitur actus et potentia in eodem genere, sicut dicit Aristoteles IX Metaphys. quod in omni genere invenitur actus et potentia, ut homo in potentia seu in fieri et in actu,

album in potentia et in actu pertinent ad idem genus, et sic exponit S. Thomas q. de Anima, art. XIII. Vel secundo, actus et potentia dicuntur esse in eodem genere reductive solum, et secundum proportionem, quia potentia proportionatur actui. Vel tertio, sunt in eodem genere, quando ordinantur actus et potentia ad componendum unum per se ut materia et forma in genere entitativo, species et potentia in genere cognoscibili. Nec nostra probatio in hoc axiomate fundatur, sed in eo potentia specificatur ab operatione, quæ est distincta a substantia, et substantia non specificatur ab operatione, sed ordinatur ad esse, ergo aliquid est potentia, quod non est substantia.

Ad ultimam instantiam dicitur, quod dimanatio est actio, sed eadem cum productione substantiæ : agens enim immediate producit substantiam, et mediate passiones ejus, quia qui dat formam, dat consequentiam ad formam, et ita dimanatio est ipsa actio agentis tangens immediate substantiam, et mediate passiones, ut dicemus articulo ultimo.

Secunda ratio D. Thomæ sumitur ex I p. q. LXXVII, art. I. Si forma substantialis est immediatum principium operationum, habens formam, semper haberet operationem in actu, sicut habens animam semper est vivens in actu, sed habens formam non semper est actu operans aliquando enim quescit ; ergo ipsa forma substantialis non est potentia operativa. Prima sequela probatur, quia forma in quantum forma est actus non ordinatus ad alium actum, quia est actus ultimus generationis, sed in quantum actus, non est principium operans, alias esset operans actu et non potentia ; ergo ratione alicujus superadditi est operans. Quod si dicas, bene posse eumdem actum esse formam actu informantem, et in potentia operantem, ut patet in calore, qui secundum se est actus informans, et potentia calefaciens, contra est, quia calor est potentia calefaciens, quia supponit aliud primum, et radicale, cujus ipse est instrumentum operandi, unde si substantia, cujus est instrumentum, non est semper actu operans, neque ipse calor semper actu operabitur. At vero si substantia se ipsa esset actus operans, cum non esset operans ut instrumentum alterius prioris operantis, sed se ipsa immediate operaretur, cum se ipsa sit actus, se ipsa semper esset actu operans, sicut semper est actu informans ; in eadem enim indivisibili entitate fundaretur, tunc operari et informare.

Solvuntur argumenta.

Primo, arguitur auctoritate D. Thomæ qui in II contra Gent. cap. LXIX, ait : « Quod si formæ accidentales, quæ sunt in rebus corporalibus habent proprias actiones, multo magis forma substantialis habebit propriam actionem, per quam similis forma introducatur in generatione : » ergo concedit formæ substantiali aliquem influxum et actionem, ut distinguitur ab accidentali. Et in III p. q. LXVII, art. III, inquit : « Quod actio formæ accidentalis ita dependet ab actione forma substantialis, sicut esse accidentis dependet ab esse substantiæ. » Et subdit : « Quod quando accidens separatum operatur, actio, et efficientia formæ substantialis suppletur a Deo, tanquam a primo agente, a quo dependet omnis actio formæ substantialis, et accidentalis. » Ubi etiam aperte distinguit actionem formæ substantialis ab accidentali, quod non verificatur, nisi substantia habeat actionem aliquam proprie et immediate.

Respondetur in utroque loco attribuere D. Thomam actionem substantiæ non immediate, et proxime, sed radicaliter, et mediate, ut sequenti articulo explicabimus. Unde non negat agere substantiam, mediante accidente, tanquam virtute, ut in illo loco contra Gentiles citato, inquit dicens : « Quod formæ accidentales agunt in virtute formæ substantialis, et sic producunt effectum similem non sibi tantum, sed ei in cujus virtute agunt ; » ergo intelligit D. Thomas agere substantiam mediante accidentali virtute.

Secundo, arguitur ratione fundamentali Scoti : Quia substantia est nobilior ipso accidente, et est id, in quo assimilatur genitum generanti, ergo oportet, quod substantia aliquem influxum habeat immediate in ipsam substantiam genitam. Patet consequentia, quia virtus accidentalis semper manet inferior ad attingendum substantiam et assimilandum in illa ipsi generanti ; ergo non potest esse tota ratio proxime, et immediate generandi illam. Si dicatur substantiam esse principium radicale et remotum, accidens autem instrumentale et propinquum quod potest esse imperfectius forma genita, contra hoc est primo, quia non obstante influxu instrumenti, semper ipsi causæ principali attribuitur influxus, et motus ; tum in ipsum instrumentum, tum in ipsum effectum, ergo per hoc quod dicitur accidens instrumentum substantiæ, non tollitur, sed adstruitur, quod substantia proxime agat. Nam vel influit vere in tale instrumentum, vel non ; si non influit, nec instrumentum redditur majoris virtutis, quam habeat ex se, et sic cum ex se sit inferius ad substantiam, nunquam poterit illam attingere. Si vero influit ipsa substantia in ipsum accidens, utique ille influxus actio quædam est, et sic a substantia immediate dimanat aliqua actio. Secundo, quia non repugnat aliquam substantiam ita perfectam esse, sicut illud conjunctum ex substantia et accidenti, nec enim hoc infinitam perfectionem postulat ; ergo non est, cur substantiæ creatæ non attribuatur operari immediate per se ipsam : nec est aliqua ratio, cur substantiis, quæ de facto sunt, id non attribuatur. Tertio, quando passum est distans ab agenti, vel virtus, qua operatur, est illud accidens, quod est in passo, vel quod est in agente. Non quod est in passo ; tum quia hoc solum dispositive se habet ad formam, non effective ; tum quia cum non possit accidens operari in abstracto ut calor, sed in concreto ut calidum, si calor existens in ligno, verbi gratia, produceret ignem in eo, lignum in quantum calidum in se produceret ignem, et se corrumperet. Si autem accidens, quod est in agente, producit substantiam, ruit totum fundamentum ad ponendum, quod accidens attingat substantiam, scilicet quia quando agens est distans, oportet quod media aliqua virtute a se diffusa operetur, siquidem ipsa virtus non diffusa, sed in agente existens operatur. Quarto, quia calor de se est virtus sufficiens ad producendum similem calorem, ut causa principalis, ergo etiam forma substantialis ad producendum similem formam, quia non minus est illi proportionata, nec minus activa, et in actu, quam forma accidentalis, respectu similis formæ. Denique, quia potentia radicalis quæ est in substantia, non minus specificari debet et ordinari ad operationem, cujus est radix, quam potentia immediata, et proxima ; radix enim ad fructum se habet, ut ad specificativum, ergo si hoc non obstante, substantia potest

esse radicale principium, etiam et proximum.

Ad principalem rationem respondetur solutione ibi data. Ad primam replicam dicemus sequenti articulo ; sufficit tunc advertere, quod accidens existens in ipso agente non est instrumentum motum, sed conjunctum ipsi agenti, quod non est proprie instrumentum, sed virtus ipsius operantis, consequens formam substantialem, ut radicem a qua habet totam rationem agendi, ut deducitur ex D. Thoma 1p. qu. LXXVII, art. 1 ad 3 et 4, et quæst. CXV, artic. 1 ad 5. Virtus tamen ab agente diffusa, et decisa, ipsa diffusione, qua emittitur sufficienter, dicitur mota ab operante ; erit enim ab illo ut virtus ejus, et sic non indiget influxu seorsum proveniente ab ipsa substantia.

Ad secundam instantiam respondetur illam in multis deficere, verbi gratia, oculos cum specie potest videre colorem, intellectus cum lumine gloriæ videre Deum, substantia cum subsistentia superaddita suppositatur, et conjunctum ex istis non est infinitæ perfectionis ; ergo poterit dari aliquis oculus ita perfectus, qui sine specie videat ; intellectus, qui sine lumine gloriæ sit beatus ; substantia, quæ sine subsistentia superaddita propria, vel aliena subsistat. Similiter ergo non poterit substantia sine accidenti operari, licet conjunctum ex substantia et accidente non sit infinitæ perfectionis. Et ratio istorum est, quia hoc petit limitatio rei creatæ, ut indigeat accidente ad operandum, eo quod ipsa operatio in omni creatura est aliquid ei accidentale, sicut existentia, ut ponatur extra causas, si enim operatio esset ipsa substantia creaturæ, operari in actu esset de intrinseca ejus ratione, et sic non operaretur præsupponendo totam constitutionem sui, et existentiam, sed ipsa operatione constitueretur, si quidem pertineret ad ipsam substantiam rei. Quare ipsa limitatio creaturæ exigit hoc, quod ejus operatio accidentalis illi sit, et consequenter, quod etiam potentia proxima elicitiva illius sit accidentalis, ut ostensum est, quia debet specificari abo peratione. Videatur Div. Thomas opusculo LXIX, ubi late ostendit, quomodo nulla creatura potest esse bona, et perfecta, nisi accidentibus superadditis.

Ad tertiam instantiam respondetur aliquos ita existimare, quod quando ignis, verbi gratia, generat ignem per virtutem a se diffusam, non producit effective ignem a calore existente in passo, sed in igne generante, quia calor in passo solum dispositive se habet respectu ignis geniti. Sed obstat difficultas proposita, nam si ignis, a quo calor est diffusus, sit distans, vel non existens ; et animal, a quo decisum est semen jam sit mortuum, quomodo potest effective procedere ille effectus, ab igne illo distante, vel non existente, nisi quatenus manet aliqua virtus illius ? Hæc autem est in aliquo passo, ergo non potest negari, quod ab illa virtute disponente, effective procedat effectus.

Quare dicendum est, quod virtus diffusa ab agente quæ actuat et determinat materiam passi ad aliquam formam est dispositio ejus. Sed quia virtus diffusa est etiam virtus agentis, ut docet S. Thomas I-II, quæst. CXII, art. V ad 3, ideo etiam a tali virtute non repugnat procedere effective effectum sicut ab agente. Et cum instatur, quod ab ipso ligno recipiente calorem, non potest effective produci ignis, et se destruere, respondetur quod ut dicemus in libris de Generat. dispositio existens in uno subjecto non agit effective in ipsum, sed solum materiam ejus disponit formaliter ; sed dispositio existens in una parte agit in sibi immediatam, vel in corpore contiguo agit effective in immediatum, quod tangit, hoc enim modo multiplicatur calor per medium, v. g. per aerem vel lignum agente una parte in aliam, et non idem in se ipsum ; et similiter in generatione animalis prius formatur una pars ab immediato agente, et per illam formantur aliæ. Et pars quæ immediate agit in aliam, agit in virtute primi agentis, v. g. ignis a quo movetur, et a quo diffunditur virtus, et aliquando pars illa sic calefacta, pervenit ad summum calorem et convertitur in ignem, et sic effective agit ignem in partem immediatam, aliquando non ignitur in se propter aliquod impedimentum, et tamen effective operatur usque ad ultimam dispositionem in aliud, ut cum aerem immediatum non accendit, et comburit papyrum vel sulphur distans. Quod si ignis sufficientem calorem non relinquit, et tamen producitur ignis, id erit quia suppletur quod deest ab alia causa, vel ab agente universali, et ille dicetur producere ignem. Et sic salvatur, quod in instanti generationis, et si compositum corrumpatur in quo sunt accidentia, datur virtus a qua effective procedat generatio, scilicet ab ea quæ est in parte proxima vel contigua, quæ non desinit esse. Quomodo vero desinentibus dispositionibus antecedentibus ad desitionem compositi corrupti, maneat materia ejus determinata dispositive ad formam, quæ generatur, dicemus lib. I de Gen.

Ad quartam instantiam respondetur ex D. Thoma in I, dist. V, q. II, art. 1 ad 3, colorem esse proportionatam virtutem, ut immediate agat alium calorem virtute propria, non propter perfectionem in essendo, aut causando, sed quia est ex natura sua immediata ratio agendi, et immediate specificabilis ab operatione accidentali, et ejus effectu, quod non convenit substantiæ nisi radicaliter et mediate ut dictum est. Et sic in ente limitato major dignitas est non immediate exequi, et operari, sed tanquam primum, et mediatum seu radicale principium. Et ex hoc patet solutio ad ultimam instantiam. Radix enim, quæ non immediate operatur, non specificatur formaliter ab operato.

Ultimo arguitur : Quia si substantia indiget accidente ad operandum, sequitur quod sit operans per accidens, et non per se, quia ex accidenti est operativa, et consequenter per accidens, quod opponitur ei, quod per se est operativum, unde magis erit operativum accidens, quam substantia, quia per se et non per aliud operativum est, et sic neque substantia erit effectus per se substantia generantis.

Respondetur probare argumentum, quod substantia est per accidens operativa formaliter, et proxime ; radicaliter autem, et primo id habet per se, et constituitur in ratione radicalis operativi per modum supositi per formam intrinsecam ; in ratione autem operativi proximi, vel etiam operantis actu per formam accidentalem : quamquam et hoc ipsum quod est per accidens, dicitur dupliciter, vel per accidens, id est, per aliud, vel per accidens, id est, contingenter, et secundum quid, et substantia dicitur operativa per accidens, id est, per aliud, non tamen contingenter, et secundum quid ; quia potentiæ operativæ illi conveniunt per necessariam connexionem, sicut propriæ passiones.

ARTICULUS III.

Utrum accidens indigeat peculiari influxu substantiæ ad operandum?

Quia dictum est accidens esse virtutem, et instrumentum substantiæ, quod in virtute substantiæ operatur, explicare oportet, quam virtutem accipiat hoc accidens a substantia, vel quem influxum, ut in virtute illius dicatur agere.

In hac difficultate P. Suarez disp. XVIII Metaph. sect. II, num. XXI, tenet formam substantialem influere per se ipsam, et simul cum calore, v. g. in effectum suum, qui est substantia, unde videtur partialem aliquem influxum attribuere ipsi formæ substantiali, qui conjunctus cum calore tanquam cum instrumento, fortificet virtutem accidentis, ut ultra propriam virtutem producat substantiam, quia sola virtus accidentalis non sufficit. Et Conimbricenses II Phys. c. VII, q. XIII, art. III, eamdem opinionem tribuunt Thomistis, quatenus dicunt derivari a substantia ad accidentia virtutem quamdam quasi intentionalem, quæ ro ipsa accidens est; efficacitate vero substantia. Et in hanc sententiam citant D. Thomam III p. q. XIII, art. II, et in IV, dist. I, q. I, ar. IV, et III de Potentia, art. VII.

Cæterum oppositum aperte sentit D. Thomas qui nullam operationem tribuit formæ substantiali, nisi mediante qualitate, quam dicit esse virtutem agendi, ut videri potest in I. dist. III, q. IV, art. II, ubi inquit: « Quod forma substantialis ignis nullam operationem habet, nisi mediantibus qualitatibus activis et passivis, quæ sunt quasi virtutes et potentiæ ipsius; » et ad secundum inquit: « Quod essentia ipsius animæ est principium operandi, sed mediante virtute, principium autem essendi est immediate, quia non est accidens. » At vero illam virtutem per modum intentionis transeuntis non ponit S. Thomas nisi respectu instrumenti separati, quod ipsa motione principalis agentis applicatur ad agendum, non in ipsa manens, et completa, ut constat in III p. quæst. LXII, art. IV, et qu. LXXVIII, art. IV. Unde communiter discipuli D. Thomæ negant hunc influxum a forma substantiali in accidentalem, sed ipsa virtus accidentalis est id, quo forma substantialis influit, ut docet Cajetanus I part. qu. LIV, art. III, in solutione secundæ rationis Scoti, et Magister Soto II Phys. qu. IV, art. II.

Ratio hujus sententiæ est, quia ille influxus emanans a forma substantiali in accidentalem, non potest esse nisi per modum transeuntis, scilicet quandiu actu operatur, quando enim non operatur per illam virtutem, non influit actu substantia, quia non operatur actu: quod si permanenter substantia influit in ipsum accidens, ergo quando actu operatur, non indiget alio novo influxu, ut per talem virtutem operetur, et hoc est nostrum intentum, quod sufficit illa perpetua conjunctio accidentis ad substantiam, ut sine novo influxu operetur. Si autem est motio actualis, et transiens, non potest esse aliqua substantia, quia sic oporteret quod procederet per aliquam actionem; et non posset illa substantia, qua dicitur motio, actuare ipsam virtutem accidentalem, alias enim ab ipsa substantia agente immediate posset etiam actuari sine medio illo influxu. Si autem est accidentalis ille influxus et motio, non solvuntur difficultates, sed instaurantur, quia istud accidens per modum actualis influxus eamdem improportionem habebit ad producendam substantiam, quam ipsa virtus permanens accidentalis, et influxus ejus, et iterum iste influxus, seu actio non potest esse immediate a substantia, nisi per virtutem superadditam, sicut alia quæcunque operatio, ut supra probatum manet. Denique, superfluit iste influxus, quia virtus permanenter existens in substantia ex ipsa conjunctione permanenti illi subordinatur, et tanquam aliquid substantiæ agit, ergo non indiget novo influxu, ut subordinetur ipsi substantiæ, et participet ab ea rationem virtutis, sicut indiget instrumentum separatum, quod non operatur, nisi ut motum a principali agente, quia per hanc motionem illi subordinatur, et conjungitur, ut dicemus in quæstione de instrumentis.

Sed objicies primo auctoritatem S. Thomæ III p. q. LXXVII, ar. III ad 2, ubi inquit: « Quod actio formæ accidentalis dependet ab actione formæ substantialis, sicut esse accidentis ab esse substantiæ; ergo sentit dari ibi duplicem actionem, sicut datur duplex esse, alioquin si esset tantum una actio, quomodo verificatur, quod dependet ab actione substantiæ. Et confirmatur, ex Philosopho II de Gen. tex. LV, ubi reprehendit aliquos, qui dicebant formam substantialem non agere, et dicit ipsos omisisse principalem causam quæ est forma, et quidditas, cum tamen attribuerent corporibus potentias atque vires, quibus instrumentaliter generarent, ergo idem inconveniens sequitur, si formæ substantiali non attribuimus aliqm influxum, quam ipsarum virtutum, quæ sunt instrumenta.

Respondetur S. Thomam intelligi de dependentia actionis formæ accidentalis ab actione formæ substantialis tanquam ab actione radicali, seu suppositali, quatenus substantia est principium agendi primum et mediatum, accidens autem proximum et immediatum. Et hanc radicalem actionem supplet Deus in accidente separato, quia supplet ejus dependentiam a subjecto. Ad confirmationem respondetur, quod ut notat S. Thomas super illum locum, Philosophus improbat opinionem eorum, qui dicebant materiam primam informatam primis qualitatibus esse principium transmutandi, et omittebant formam substantialem tanquam alterum principium transmutationis. Ex quo non sequitur, quod forma substantialis habeat actualem influxum in ipsa accidentia, sed sufficit quod radicalem.

Secundo, arguitur: Quia virtus accidentalis sola, remoto omni influxu substantiæ, non continet in se totum effectum producendum, qui est substantia, alioquin solum accidens esset totale, et integrum principium producendi substantiam, ergo si substantia non habet alium influxum præter ipsum influxum virtutis accidentalis, totum quod fit in substantia, fit in sola virtute accidentis. Nec sufficit dicere, quod virtus, ut conjuncta vel subordinata substantiæ, operatur ultra propriam virtutem, quia illa conjunctio, et subordinatio non est aliqua virtus absoluta superaddita, sed aliqua nova relatio, vel denominatio inter substantiam et accidens, conjunctio enim relatio est, quod totum nihil activitatis aut virtutis superaddit.

Confirmatur, quia vel accidens se habet ut instrumentum vere, et proprie motum a substantia, vel solum similitudinarie, quatenus substantia est radix illius. Si primum, requiritur vera et propria motio, seu influxus a substantia in accidens, alias non esset vere et proprie instrumentum. Si secundum, talis radicatio potius est radicatio in esse, quam communicatio operandi,

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS

non est enim aliud quam continentia ipsarum passionum seu virtutum in subjecto, a quo emanant, et sustentantur, et sic cum omnes virtutes æque dimanent a subjecto, et æqualiter habeant illud pro radice, sequitur quod ex attentione ad unam operationem non impediatur alia, siquidem ad hoc non requiritur aliquis influxus substantiæ, sed sola radicatio virtutum, hæc autem non remittitur ex attentione ad unam, magis quam ad aliam.

Respondetur virtutem accidentalem esse totam virtutem producendi tanquam virtus proxima, et immediata, dependens tamen a radicali, et mediata quæ non habet influxum actualem in ipsam virtutem, sed solum radicalem, alioquin respectu talis influxus, non esset radicale principium, sed etiam proximum. Et quando quæritur, quid sit iste radicalis influxus, respondetur entitative et in re non esse distinctum ab ipso influxu actuali, qui procedit mediante virtute accidentali, sed distingui secundum dependentiam, et modum, quatenus procedit ab accidente, ut dependente, et radicato in ipsa substantia, ut in principio primario, et consequenter etiam operatio ab utroque pendet, sicut etiam concursus simultaneus primæ causæ, entitative non est aliud, quam ipsa actio causæ secundæ, ut dependens a prima, ut etiam Auctores oppositi fatentur, et dicemus q. XXV. Similiter ergo influxus substantiæ, et accidentis est idem entitative, radicaliter a substantia, et formaliter ab accidente, ut dependens, et subordinato illi. Et quando instatur, quod ista subordinatio non addit, nisi quamdam relationem supra ipsum accidens, respondetur, non addere relationem tantum prædicamentalem, sed etiam secundum dici, quæ est fundamentum relationis prædicamentalis, quæ nihil aliud est, quam aliquis modus, seu perfectio, quam habet accidens, ex eo quod dimanat a substantia, v. g. calor aliquam perfectionem magis participat ex eo quod est calor animalis, quam ex eo quod est calor ignis, et D. Thomas I p. q. LXXVIII, art. IV ad 5 inquit: « Quod cogitativa habet quamdam eminentiam in homine non per id quod est proprium sensitivæ partis, sed per aliquam affinitatem, et propinquitatem ad rationem universalem, secundum quamdam refluentiam, et ideo non sunt aliæ virtutes; sed eædem perfectiores, quam in aliis animalibus. » Ecce fatetur D. Thomas unum accidens esse perfectius in uno subjecto quam in alio, ex conjunctione ad tale subjectum, quod utique non dicit solam relationem, sed aliquam modificationem, seu perfectionem vel modum perfectionis superadditum, ratione cujus dicitur operari in virtute substantiæ ultra propriam virtutem.

Ad confirmationem respondetur, virtutem substantiæ accidentalem proprie non esse instrumentum, sed ipsam virtutem principalis agentis, quæ propter radicationem in ipsa substantia, et dependentiam ab illa, ut a principio *quod* operativo, dicitur habere modum instrumenti. Et ad id quod dicitur de attentione ad quam operationem, quod impedit illam, respondetur hoc non provenire ex influxu actuali substantiæ animæ in potentias, sed ex limitatione potentiarum, quæ in eodem subjecto non possunt simul operari, vel plura operari et attendere, æque intense et præsertim quando indigent tali temperamento vel dispositione organi, quæ facilius immutatur et consumitur, si una potentia nimis attendat et laboret, et sic non relinquit alteri dispositiones, ad operandum in eadem perfectione.

Ex quibus colliges, qua ratione explicetur, quod forma accidentalis, sive in naturalibus, sive in supernaturalibus sit tota ratio agendi, quia præter ipsam virtutem accidentalem, qua aliquid constituitur potens, operari talem speciem actus, reliquum quod manet, solum est principium radicale operandi, et principium *quod*, tota ergo ratio operandi ut *quo*, et ut ratio formalis specifica, est ipsa virtus, sive innata in naturalibus, sive adveniens in supernaturalibus, quia tota species actu supernaturalis est, ergo et tota virtus specifica.

Ultimo arguitur: Quia generatio est actio distincta ab alteratione, siquidem habet distinctum terminum, v. g. calor est terminus alterationis, et ignis generationis, ergo non procedit ignis a solo calore, qui producebatur toto tempore antecedente instans generationis, sed alia actio elicitur in illo instanti, quæ generatio est, ergo ab alio principio, scilicet a substantia; accidens enim, et quidquid accidenti provenit a substantia, est inferius ad producendam substantiam. Confirmatur, nam si actio solum procedit formali concursu ab accidente, solum formaliter et actu pendebit ab illo, et non a substantia, et sic substantia actualiter erit in otio, quia actu non pendet ab illa operatio. Et hoc specialem difficultatem habet in actibus vitalibus, qui debent esse a principio intrinseco vitæ, quod est substantia ipsa animæ, quæ si actu non influeret in operationes, nulla esset differentia inter actiones vitales et non vitales, nam etiam principium non vitalium, v. g. calor radicatur in substantia.

Respondetur generationem esse distinctam actionem ab alteratione, ut probabitur in I lib. de Generat. licet aliqui putent non esse actionem realiter distinctam ab alteratione, quia terminus ejus, scilicet substantia per necessariam sequelam resultat posita ultima dispositione, et ita non indiget distincta actione. Quod tamen valde difficile est loquendo de propria resultantia, eo modo quo passiones resultant a natura, nam vel illa ultima dispositio est in genito vel in corrupto; si in corrupto implicat ab illa resultare substantiam genitam, quia tota illa dispositio periit cum corrupto, et sic non magis ex illa resultat substantia genita, quam ex ipso corrupto. Si vero est in ipso genito, non resultat substantia ex tali dispositione, licet sit illi annexa, sed potius dispositio resultat ex illa, quia est propria passio, seu accidens illius. Sed de his in libro de Generatione. Nunc dicimus admisso quod generatio sit actio distincta ab alteratione, non procedere a distinctis principiis, sed a substantia mediis accidentibus, quia istæ actiones ordinate se habent, et ita ex eisdem principiis procedunt, sed alteratio procedit a calore, v. g. ut a principio sibi adæquato, generatio vero ut a principio sibi deservienti ex subordinatione ad substantiam, ex qua habet esse virtus propria substantiæ in agendo, licet inferior in essendo, ut S. Thomas dicit I p. q. XV, art. I ad 5.

Ad confirmationem respondetur operationem actu dependere a substantia mediate, id est, mediante virtute accidentali, quam agit in ipsum terminum, non autem oportet, quod dependeat immediate actualiter, sed radicabiliter; nec est ulla ratio cur ipse terminus, seu effectus productus non immediate producatur a substantia, et dependeat ab illa, si habet actualem concursum seorsum in ipsam virtutem operantem. Neque hoc est substantiam esse in otio, sed vere operari ut principium *quod*, non ut *quo*; operatur

enim per suas potentias et virtutes, non sine illis, neque influendo actuante concursum illarum. Et ad id quod dicitur de actibus vitalibus, respondetur differentiam inter actus vitales et non vitales, non esse, quia in illis actu influat substantia, non in istis, sed quia in illis viventia se movent, et non pure moventur, unde oportet, quod a principio intrinseco procedit actio, non solum ut operante, sed etiam ut se movente, quod non procedit in non viventibus, in utrisque tamen substantia operatur, vel movet ut principium radicale et ut *quod*, non proxime et ut *quo*.

ARTICULUS IV.

Quæ sit causalitas efficientis?

Pervulgatum apud omnes est actionem esse causalitatem agentis, tanquam medium quoddam influendi in effectum, nam quod efficiens sola sua entitate non causet, nec effectus sola sua entitate procedat, colligitur ex differentia inter causam efficientem, et formalem, quia in causa formali effectus non est aliud quam ipsa causa, ut communicata, seu unita alteri, unde posita applicatione, seu unione, non indiget medio causante suum effectum. At vero efficiens habet effectum distinctum a se, quem tangit seu immutat tanquam terminum, qui transit de non esse ad esse. Unde indiget præter applicationem ad agendum aliquo superaddito ultra suam entitatem, quo dicatur ista entitas actu immutari, vel emanare a se, sola enim entitas causæ, nec est ipsa entitas effectus immutata, quia habet distinctum effectum a se, nec est ipsa actualis immutatio quia hæc transit, et entitas permanet.

Cæterum, quia in actione multa latent, et ab ea connotantur, invenitur enim ex parte agentis emanatio, ex parte passi immutatio, ex parte effectus ipsum fieri seu motus invenitur relatio seu ordo, et agentis ad terminum, et termini ad agens, restat videre secundam quam rationem, seu formalitatem dicatur actio causalitas agentis, qua denominetur causans. Nam apud Scotum, et ejus discipulos distinguitur de actione, ut est speciale prædicamentum, et ut est ratio causandi ipsi agenti comparative ad effectum, et de prima dicunt, quod consistit in respectu extrinsecus adveniente, de quo diximus in Logica quæst. XIX, et hic respectus consistit non in ordine ad effectum productum, sed ad passum, seu subjectum, actio enim ut prædicamentum ex illa, quæ opponitur passioni, et passio pertinet ad subjectum. De secunda vero dicunt, quod formaliter consistit in relatione intrinseca, seu prædicamentali resultante ex positione termini, et subjectata in agente, fundamentaliter autem consistit in ipso fieri effectus, ut tendit ad factum esse. Ita videri potest P. Fuente II Physic. q. IV, art. II, num. XLIII et XLIV. Fundamentum est, quia in causa efficiente invenitur ordo ad effectum fundamentaliter, quod est ipsa virtus absoluta, ex qua sequitur fieri, et tendentia ad effectum, et sic ipsa causalitas efficientis est aliquid absolutum, sed talis fluxus seu fieri non facit, quod causa formaliter respiciat effectum, quia fieri non est in causa ad effectum, sed a causa et habet ipsam causam, ut terminum a quo, id est, principium a quo manat, respicientia autem causæ ad effectum non comparatur ad causam, ut ad principium a quo, sed ut ad subjectum quod respicit effectum: ergo non consistit actio formaliter in ipso fluxu et tendentia, sed in ordine et relatione.

Confirmatur, quia actio remoto motu non est nisi relatio causæ ad effectum, sed per motum, vel per actionem quatenus involvit motum, non potest constitui causalitas efficientis, ergo constituitur per relationem. Major est D. Thomæ III part. qu. XLI, art. I ad 2, ubi inquit: « Quod remoto motu actio nihil aliud importat, quam ordinem originis secundum quod a causa aliqua procedit, » et idem docet q. XLV, art. II et III. Minor probatur, tum quia salvatur actio sine motu, ut creatio; tum quia motus solum facit, quod actio respiciat passum, hoc enim transmutatur per motum, non vero quod respiciat effectum, formaliter autem actio debet esse ad effectum.

Alii auctores amissa ista causalitate relativa docent, causalitatem efficientis consistere in ipsa actione ut importat dependentiam, seu emanationem a causa, quod est fieri effectus. Ita P. Suarez disp. XVIII Metaph. sect. X, n. VIII; Conimbricenses II Phys. cap. VII, quæst. VI, art. II, et alii. Et fundatur in hoc, quia hoc fluere seu fieri est medium inter producens et productum, agens et effectum, est etiam id quo causa intrinsece attingit effectum, quasi via ad illum, ergo habet totum quod requiritur ad causalitatem causæ efficientis, causalitas enim est id, quo constituitur agens in actu secundo, et ita debet mediare inter virtutem, quæ est actus primus, et effectum.

Alii denique constituunt causalitatem efficientis non in ipsa actione secundum se, sed potius in ipso agere, seu exercitio talis actionis, quod nihil est aliud quam ipsum subesse actioni ex parte causæ. Ita plures Auctores, qui citantur in cursu Carmelitano II Physic. disp. X, sectione ultima, et Fonseca V Metaph. q. XIII, sect. III. Ratio est, quia causalitas causæ est id, quo ultimate dicitur causa operari in actu secundo, ergo non consistit in sola actione considerata, ut est exercite agens, seu in ipso exercere actionem, ibi enim est ultima ratio agendi, unde si actio separaretur ab omni subjecto, non diceretur aliquid efficere per illam; ergo sola actio nisi sumatur exercite, non dicit ipsam causalitatem agentis.

Prima conclusio: Actio ut causalitas formalitate causandi non est relatio, sed aliquid absolutum, et de prædicamento actionis. Duas partes habet conclusio. Prima est negativa, quod non est relatio. Secunda positiva, quod sit de prædicamento actionis. Et notanter dico, esse causalitatem sub formalitate causandi, ut distinguamus a formalitate respiciendi, hæc enim in causa, relatio est. Probatur ergo prima pars, quia si formalitas actionis est relatio, vel est relatio secundum esse, et de prædicamento relationis, vel de alio prædicamento, tanquam relatio secundum dici. Si hoc secundum, oportet assignare quodnam sit hoc prædicamentum, et non invenitur aliud, quam prædicamentum actionis, ut in secunda parte conclusionis ostendemus. Si primum, vel illa relatio fundatur in ipsa virtute causæ, ut est in actu primo, vel ut est in actu secundo. Prima relatio non constituit causam actu causantem, sed causativam, seu potentem causare, unde semper convenit ipsi causæ, etiamsi actu non operetur, unde respicit effectum non existentem, sed futurum, vel possibilem, quod non stat cum relatione prædicamentali. Secunda vero relatio supponit ipsam operationem, seu actum secundum, quia super illam fundatur, per ipsam autem relationem non accresceit nova ratio actualitatis, sive activitatis ad effectum, sed pura respicientia ad illum; pura

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS ® CENTRAL DE PUBLICACIONES

autem respicientia non producit, nec reddit effectum productum, sed respectum; ergo tota formalitas causandi erat ante relationem in ipso actu secundo, licet non tota formalitas respiciendi, quia erat tota ratio, qua redditur effectus productus.

Nec obstat, quod aliqui concedunt causalitatem formalem supponere effectum productum, non tamen fundamentalem, quia ratione fundamentalis causa est prior effectu, ratione autem relationis est simul cum illo. Sed contra est, quia id quod supponit effectum productum, et non est prius, sed simul cum ipso, non est active producens, id est, faciens transire de non esse ad esse, et ponens extra causas, sed positum extra causas supponit, et sic pure respicit, non efficit, formalissima autem ratio causalitatis efficientis est ponere extra causas; ergo quidquid est præter ponere extra causas, non pertinet formaliter ad efficientiam, sed ad respicientiam, et sic esse simul cum effectu non est proprium, et formale causæ, ut causa est, sed ut relativa.

Secunda vero pars conclusionis probatur, quia illa causalitas, ut ostensum est, non est de prædicamento relationis, neque potest esse de prædicamento quantitatis et qualitatis loquendo de formali actione, quia quantitas et qualitas sunt termini actionis, et motus, ut dicetur in quinto libro. Ergo erit de prædicamento actionis, nam de aliis prædicamentis non est dubium, nam substantia est actio, sed agens, passio infertur ex actione, et supponit illam, nec denominat agens, sed patiens, locus vero et situs, et alia prædicamenta nihil habent pertinens ad constituendam efficientiam. Sed tamen hoc intelligitur de actione creata, nam increata est extra prædicamentum, et est ipsa substantia Dei; similiter non intelligitur de actibus immanentibus, ut pure immanentes, non ut includunt virtualiter actionem transeuntem, nam ut pure immanentes non sunt de prædicamento actionis, eo quod non important motum, sine quo non datur ordo ad passum, et actio sine ordine ad passum non est prædicamentum actionis, ut statim ex D. Thoma dicemus et amplius q. XIV.

Secunda conclusio : Actio non est formaliter causalitas agentis, secundum quod connotat motum, seu ordinem ad passum, neque ut dicit fieri ex parte effectus passive accepta, sed ut dicit actum secundum ipsius agentis, qui est ipsa emanatio seu fieri active, et secundum denominationem ab. Pro hujus intelligentia est, advertendum, quod actio dicit ordinem, seu connotationem ad effectum, ad passum, et ad agens. In effectu importat fieri seu produci, in passo motum seu passionem, in agente actum secundum, id est transitum de otio ad operationem, quam D. Thomas dicit esse mutationem ipsius agentis in II, dist. I, q. I, art. V ad 4. Et quidem ut denominetur agens omnes istæ connotationes requiruntur, nihil enim denominatur agens ante terminum, seu effectum, si enim agit, aliquid debet agere, nec denominatur inferens passionem ante ipsam mutationem seu motum, nec denique agit, nisi sit in actu secundo agendi. Sed tamen per se, et formaliter actio non constituit causalitatem, nisi ut tenet se ex parte agentis per ordinem ad effectum, ut ad terminum, quia oportet, quod denominet agens causare, et operari. Quod si effectus requirat mutationem passi, etiam habebit motum adjunctum. Et hoc præcipue petit actio de prædicamento actionis, quia cum sit illativa passionis oportet, quod dicat ipsum *ab*, per modum motus. Et ita dicit

S. Thomas in I, dist. LXI, q. IV, art. III ad 3 : « Quod actio secundum quod est prædicamentum, dicit aliquid fluens ab agente, et cum motu, et ideo non est in Deo actio, quæ est prædicamentum. » Itaque actio prædicamentum, non solum dicit respectum ad effectum, sed etiam ad passum; contraponitur enim talis actio passioni. Ut autem est causalitas efficientis præcise solum respicit effectum, quia solum hoc est causatum; motum vero solum respicit prout effectus mutat passum, et sic in quantum causalitas solum respicit effectum terminative, ut causatum, et agens denominative ut causans. An vero etiam inhæsive sit in ipso agente in libro tertio dicemus.

Ex quo colligitur, quod causalitas agentis formaliter non potest explicari per ipsum fieri effectus, quia ita fieri explicatur passive, et supponit facere active, ergo habet se ut causa, et causare; causalitas autem agentis formaliter non est causari, nec tenet se ex parte effectus, sed ex parte causæ, eo quod non est ipsa dependentia, a qua effectus dependet, sed actus secundus causandi a quo dependet, ergo causalitas non debet explicari formaliter per ipsum fieri ex parte effectus, sed active ex parte causæ. Colligitur secundo parum referre, quod actio explicetur per modum formæ vel per modum exercitii, ipsa enim forma actionis est forma exercitii agendi, sed significatæ in abstracto dicitur actio, in concreto vero dicitur agere, seu operari; idem est autem loqui de forma in concreto, et in abstracto quantum ad substantiam, licet significantius, significetur hoc exercitium causalitatis per ipsum agere, et ita dicit D. Thomas in III Phys. lect. IV, circa finem : « Quod motivum dicitur secundum potentiam, movens autem in ipso agere, in quantum agit actu. »

Ad fundamentum Scoti, respondetur quod fieri seu fluxus, ut tenet se ex parte effectus passive, non constituit formaliter causam, sed ut tenet se ex parte ipsius causæ, ut explicatum est. Sic enim est formalis ratio causandi, licet non sit formalis respiciendi, et sic causalitas debet formaliter reperiri inter causam, et effectum formalitate causandi : quod fit per ipsam actionem, non formalitate respiciendi, quod fit per ipsam relationem. Et quando dicitur quod fluxus respicit causam ut terminum a quo, non vero, per ipsum causa respicit effectum. Negatur, quod per ipsum non respiciat effectum, non quidem respicientia puræ relationis, sed respicientia causationis. Ita enim est a causa emanative, quod est ad effectum, ut ad terminum causatum per talem emanationem; et sic causare formaliter pertinet ad actionem, respicere formaliter ad relationem, licet id quod est causare formaliter, sit respicere fundamentaliter. Et quando dicitur, quod fieri non est in causa, sed a causa, et sic non denominat illam intrinsece, respondetur quod fieri, ut est ex parte effectus, non est in causa, sed in effectu, fieri autem per modum actionis ex parte causæ, denominative est in agente, quatenus ab eo emanat, sed entitative, et inhæsive est in passo, vel in effectu juxta opinionem ponentium actionem in passo, sufficit enim quod entitas actionis inhæreat in aliquo, non vero quod secundum omnem denominationem inhæreat. Si vero ponatur actio in agente, nulla est difficultas.

Ad confirmationem respondetur, dictum S. Thomæ intelligi de causa, quæ est in actu ultimo et secundo ad operandum, in tali enim causa remoto motu non datur fluxus aliquis, seu actio per modum ulti-

mæ actualitatis, quia jam ista supponitur in causa, sed solum remanet ordo originis; sed si causa non sit secundum se in actu ultimo, non solum indiget relatione, sed etiam actualitate, quæ est fundamentum hujus relationis, ut dicatur formaliter causare. Cujus ratio est, quia quando dicitur aliquid addere relationem, semper intelligitur de relatione fundata, fundamentum autem istius relationis est actus secundus, non primus; unde posito actu secundo, actio non addit, nisi relationem. Quod si iste actus secundus non possit haberi in causa, nisi mediante aliqua mutatione causæ, requiretur motus ad illam actionem, non ut causalitas formaliter, sed ut id, sine quo talis causalitas non habetur in tali causa, quæ indiget mutatione, ut transeat de actu primo ad secundum.

Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur quod ille fluxus seu fieri, ut tenet se ex parte effectus, non est formaliter causalitas, sed præsupponit illam, quia non se habet ut actualitas secunda sumpta active, sed ut effectus consecutus passive.

Ad fundamentum ultimæ sententiæ respondetur quod ratio actus ultimi operandi convenit tam ipsi agere in exercitio, quam ipsi actioni, quia ipsa actio exercitium est agentis, et solum differentia est in modo significandi actionis, ut forma in abstracto, ipsius agere ut exercitii in concreto.

APPENDIX.

De dimanatione.

Quædam sunt, quæ dimanare dicuntur a sua causa per modum resultantiæ, et non per modum actionis, sicut propriæ passiones ab essentia, relatio a fundamento, actio ab agente. Et aliqui existimant passiones dimanare ab essentia per veram actionem, et aliquando separatim a productione illius rei, a qua resultat, ut quando aqua calida reducitur in frigiditatem; quam sententiam tenet Pater Suarez disput. XVIII Metaphysic. lect. III, n. IV et V. Alii vero præsertim ex Thomistis dicunt non intervenire actionem aliquam ortam ab essentia in ipsas passiones, sed ipsa actione generantis immediate terminata ad naturam mediate attingit passiones : ipsa vero actio se ipsa egreditur, quia est ipsa egressio effectus ut *quo*. Ita de passionibus docet Cajetanus I par. q. LXXVII, art. VI, in solutione ad 3; Ferrariensis IV contra Gen. cap. LXV, §. Ad difficul. tactam: Conradus I-II, q. CX, art. III, §. Sed dicitur; Soto in Logica, cap. de proprio, aliique plures apud eursum Carmelitanum hic disp. X, q. VII. Alii ex schola Scoti existimant passiones, quæ identificantur cum substantia ut potentiæ activæ, et similes, non emanare a substantia, sed fieri ipsa actione generantis. Quæ vero distinguuntur a substantia, ut quantitas, relationes extrinsecus advenientes per veram actionem a substantia emanare. Videri potest apud P. Fuente II Phys. q. IV, diffic. IV, art. IV.

Respondetur ergo : Dimanatio nem entitative esse actionem generantis, vel formaliter vel virtualiter, respectu tamen essentiæ, a qua passio dicitur emanare, non est actio, sed connexio passionum cum essentia, quæ postulat ut posita actione generantis, ab ipsa etiam attinguntur passiones. Quod ergo emanatio respectu essentiæ non sit proprie actio, sumitur ex D. Thoma I par. q. LXXVII, art. VI ad 3, ubi inquit : « Quod emanatio proprii accidentis a subjecto non est per aliquam

transmutationem, sed per aliquam naturalem resultantiam, » et idem repetit art. VII sequenti ad primum; distinguit ergo S. Thomas emanationem ab actione, quæ est prædicamentum, quia apud D. Thomam actio quæ est prædicamentum, sine transmutatione, et motu non est. Unde idem est negare quod resultantia illa sit transmutatio, et negare quod sit actio, quia si esset actio, deberet esse eductiva, et unitiva illius accidentis ad subjectum, quod sine transmutatione non fit.

Ratio et fundamentum est, quia ponere novam actionem distinctam a generatione pro emanatione passionum, et superfluum est et impossibile. Superfluum quidem, quia eadem actio, quæ dat formam, dat consequentiam ad formam, actio ergo generantis non sistit in nuda substantia, sed eam producit ornatam accidentibus a quibus dependet substantia, ut existat et operetur; pertinet enim ad generantem ponere suum terminum totaliter, et absolute in esse, et in ea dispositione qua operari possit, siquidem ad hoc est ut operetur, ergo debet illi tribuere illa, sine quibus neque existit, neque operatur, qualia sunt accidentia propria.

Et ex hoc ostenditur, quod sit impossibile emanationem esse actionem distinctam a generatione ortam ex ipsa essentia rei genitæ. Primo, quia ad elicientiam actionis, quæ vera operatio et actio est, requiritur virtus operativa, et non potest immediate a substantia elici, ut articulo secundo probatum est, ergo non potest substantia nuda producere aliquid per veram actionem, alias ruit totum fundamentum ad distinguendum potentias operativas a substantia. Secundo, quia propria passio solet esse principium agendi, ut calor calefaciendi, visus videndi. Si ergo per actionem propriam produceretur a substantia, haberet duplicem actionem cum calefacit, aliam producentem calorem, aliam per calorem calefacientem. Deinde ut S. Thomas probat opusc. XLVIII, cap. de proprio, si essentia per veram efficientiam produceret passiones, id faceret per actionem eductivam, creativa enim hic non habet locum cum producatur accidens dependenter a subjecto, propria autem passio recipitur in toto subjecto, verbi gratia, calor in igne, intellectus in anima, ergo si ipsa essentia active producit passionem, quam recipit, secundum idem erit activum, et passivum, in actu, et potentia respectu ejusdem, quod implicat, ut ostendemus in lib. VII, nisi forte dicatur esse actionem immanentem, qua producitur propria passio. Sed hæc neque convenit omni substantiæ, sed tantum viventi, neque est productiva termini, qui ulterius sit principium agendi, sicut solent esse propriæ passiones. Et quando dicit D. Thomas I par. quæst. LXXVII, art. VI, quod subjectum in quantum est in actu, est productivum accidentis proprii, et in quantum in potentia, receptivum, loquitur de productivo non per propriam actionem elicitam a se, sed a generante, quod mediante ipsa substantia reddita in actu attingit passiones.

Sed objicies : Nam sequitur ex hoc, quod passiones non pendeant ab essentia secundum causalitatem physicam, sed secundum illationem logicam, scilicet secundum connexionem; consequens est falsum, alias non fluerent physice, nec dependerent passiones ab essentia, sed ipsa essentia esset in otio et quiete, utpote nihil realiter causans : præterquam quod non est assignabile, quid desit illi emanationi, ut sit vera efficientia, cum sit verus effluxus, et originatio unius ab alio, cum ve-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ra dependentia. Sequela vero probatur, quia si dependet physice, et causatur passio ab essentia, in quantum emanat ab illa in aliquo genere causæ dependet, nec est aliud quam in genere causæ effectivæ, licet enim etiam recipiatur passio in substantia, tamen receptio non est emanatio.

Respondetur emanationem esse veram et physicam causalitatem, non tamen distinctam ab ipsa generatione, quæ ut attingit substantiam, dicitur generatio, ut autem mediante ipsa substantia progreditur ad passiones ratione debiti, et connexionis cum illa, dicitur emanatio. Et sic substantia est principium passionum, non ut primo eliciens productionem illarum, sed ut medium, et ratio progrediendi actionem ad illas, ita quod generatio non sistat in ipsa, sed mediante ipsa ulterius transeat ad passiones, et quantum ad hoc est principium ipsius ulterioris transitus, et ratione suæ connexionis cum passione juvat, et conducit ad illum progressum actionis, et sic non est in otio et quiete, sed vere agit actione generationis, non elicita a se, sed terminata ad se et ratione sui ulterius progrediente. Hoc enim contingit, quando aliquod agens ordinate producit multa, prius attingens unum, et mediante illo aliud; illud enim quod immediate attingitur, quatenus est ratio transfundendi actionem ad terminum secundum, dicitur active se habere, ut dicit D. Thomas opusculo citato sicut clavus influxus trabi, si mediante clavo movetur, quamvis totus motus effective sit ab homine movente clavum, et trabem, tamen clavus etiam se habet active ad motum trabis, sic subjectum movetur a generatione, et est ratio ut ipsa generatio transeat ad passiones attingendas. Nec potest dici, quod terminus secundarius non attingitur ab actione, alias esset primarius. Contra enim est, quia si nullo modo attingitur, nullo modo pertinebit ad ipsam actionem, et sic nec secundarius erit. Et quando dicitur, quænam conditio deficiat, ut emanatio sit vera actio, respondetur quod respectu generantis nulla deficit, quia vera actio est, respectu vero essentiæ deficit, quod sit primum principium, unde incipit motus, cum non ab ipsa incipiat, sed a generante.

Secundo objicies: Specialiter de illis passionibus, quæ aliquando impediuntur, et iterum fluunt, ut cum aqua calida reducitur ad frigiditatem, lapis remoto obstaculo descendit, tunc enim illa frigiditas est de novo producta, et distincta numero ab ea, quæ antea corrupta fuit, et ad eam Deus de novo concurrit, cum de novo sit in rerum natura, et in aqua fit novus motus, cum per transmutationem ejus a calore in frigus reducatur aqua, quæ transmutatio non fuit in prima generatione, ergo fit illa frigiditas nova actione, sicut et novo motu, et non actione generantis: quæ jam præteriit, et generans amplius non influit, ergo per actionem productam ab ipsa substantia. Confirmatur, quia si passiones se ipsis emanant ab essentia, et non media actione, se ipsis sunt ipse effluxus ab essentia, ergo inseparabiles erunt ab essentia, sicut ipse effluxus et actio inseparabilis est, cum tamen constet quantitatem separari a substantia, cujus est proprietas.

Ad hoc argumentum respondebimus infra q. XXIII, agendo de motu gravium et levium, ubi ex mente D. Thomæ ostendemus in forma producta per generationem, virtualiter manere generationem, sublatoque impedimento iterum explicari in passionem, et emanationem, virtualiter posse esse motum, si removeat contrarium impediens se.

Ad confirmationem respondetur proprias passiones, quæ non sunt modi, separari per se ab essentia, impedita actione generantis et effluxu emanationis, ne ipsas tangat; vel supplente Deo ipsam sustentationem earum in subjecto, nec enim sunt essentialiter ipsa actio, sed terminus ejus.

Nota.

De subordinatione causarum tam principalis, quam instrumentalis hic agendum erat, sed tractatus iste provectioribus convenientior est quam tyronibus: ad ultimum octavi libri reservatur, ubi agitur de comparatione mobilium ad moventia usque ad primum motorem.

QUÆSTIO XIII

DE FINE.

Eumdem ordinem servabimus in explicanda causa finali, quem in reliquis causis, ut primo agamus de ratione formali causandi, et conditione requisita. Secundo, de causalitate. Tertio, de effectibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum apprehensio finis sit ratio causandi, vel solum conditio?

Duo supponenda sunt. Primum est, finem debere habere rationem boni, et appetibilis ut sit finis, nec sub ratione mali posse aliquid finalizare. Quod licet aliqui auctores negent, nunc tamen id supponimus, ut tradi solet I-II, q. VIII, art. I, et I p. q. V, artic. IV. Cujus ratio manifeste sumitur ex ipsa essentia finis: est enim id cujus gratia aliquid fit, si autem sit malum sub ratione mali, hoc ipso habet rationem disconvenientis, et inappetibilis, ergo illius gratia, seu amore nihil potest appeti, quod enim est disconveniens, quomodo potest esse gratum aut illius gratia cætera appeti? Constat autem quod si aliquid appetitur sub ratione mali appeti debet ut disconveniens sibi; nam si est conveniens sibi, licet alteri disconveniens, et malum, hoc ipso appetitur sub ratione boni, non sub ratione mali; unde quæcunque mala etiam ipsum non esse rationem boni inducere debent, ut appetantur, vel comparative ad aliquid pejus, vel ex deceptione existimante bonum, sicut non esse sub ratione carendi a præsenti miseria appetitur. Et inimicus odio habetur in se ipso vel per actum fugæ, quia oritur illud odium ex abominatione et fuga disconvenientiæ, quæ est in inimico, vel actu prosecutionis, quo fertur voluntas in inimicum ut nocivum mihi, et sic odio dignum in se quia mihi bonum est reputare dignum odio, quod mihi est disconveniens.

Secundo, suppono varias esse divisiones finis, quas in præsenti non possumus exacte discurrere, pertinet enim potius ad Philosophum moralem, vel Theologum; breviter dicimus, quod cum finis, et terminus videantur esse idem, sicut contingit dividi rationem termini, ita et finis. Sunt autem quatuor, quæ termini, vel finis rationem habere possunt. Primo, id quod est terminus cujuscunque agentis. Secundo, dicitur terminus, seu finis id quod appetitur quasi terminus inclinationis, et appetitus. Tertio, id cui appetitur, terminat enim appetitum tanquam subjectum, cui aliquid attribuitur. Quarto, id quo consequimur finem, illo enim terminatur

ra dependentia. Sequela vero probatur, quia si dependet physice, et causatur passio ab essentia, in quantum emanat ab illa in aliquo genere causæ dependet, nec est aliud quam in genere causæ effectivæ, licet enim etiam recipiatur passio in substantia, tamen receptio non est emanatio.

Respondetur emanationem esse veram et physicam causalitatem, non tamen distinctam ab ipsa generatione, quæ ut attingit substantiam, dicitur generatio, ut autem mediante ipsa substantia progreditur ad passiones ratione debiti, et connexionis cum illa, dicitur emanatio. Et sic substantia est principium passionum, non ut primo eliciens productionem illarum, sed ut medium, et ratio progrediendi actionem ad illas, ita quod generatio non sistat in ipsa, sed mediante ipsa ulterius transeat ad passiones, et quantum ad hoc est principium ipsius ulterioris transitus, et ratione suæ connexionis cum passione juvat, et conducit ad illum progressum actionis, et sic non est in otio et quiete, sed vere agit actione generationis, non elicita a se, sed terminata ad se et ratione sui ulterius progrediente. Hoc enim contingit, quando aliquod agens ordinate producit multa, prius attingens unum, et mediante illo aliud; illud enim quod immediate attingitur, quatenus est ratio transfundendi actionem ad terminum secundum, dicitur active se habere, ut dicit D. Thomas opusculo citato sicut clavus influxus trabi, si mediante clavo movetur, quamvis totus motus effective sit ab homine movente clavum, et trabem, tamen clavus etiam se habet active ad motum trabis, sic subjectum movetur a generatione, et est ratio ut ipsa generatio transeat ad passiones attingendas. Nec potest dici, quod terminus secundarius non attingitur ab actione, alias esset primarius. Contra enim est, quia si nullo modo attingitur, nullo modo pertinebit ad ipsam actionem, et sic nec secundarius erit. Et quando dicitur, quænam conditio deficiat, ut emanatio sit vera actio, respondetur quod respectu generantis nulla deficit, quia vera actio est, respectu vero essentiæ deficit, quod sit primum principium, unde incipit motus, cum non ab ipsa incipiat, sed a generante.

Secundo objicies: Specialiter de illis passionibus, quæ aliquando impediuntur, et iterum fluunt, ut cum aqua calida reducitur ad frigiditatem, lapis remoto obstaculo descendit, tunc enim illa frigiditas est de novo producta, et distincta numero ab ea, quæ antea corrupta fuit, et ad eam Deus de novo concurrit, cum de novo sit in rerum natura, et in aqua fit novus motus, cum per transmutationem ejus a calore in frigus reducatur aqua, quæ transmutatio non fuit in prima generatione, ergo fit illa frigiditas nova actione, sicut et novo motu, et non actione generantis: quæ jam præteriit, et generans amplius non influit, ergo per actionem productam ab ipsa substantia. Confirmatur, quia si passiones se ipsis emanant ab essentia, et non media actione, se ipsis sunt ipse effluxus ab essentia, ergo inseparabiles erunt ab essentia, sicut ipse effluxus et actio inseparabilis est, cum tamen constet quantitatem separari a substantia, cujus est proprietas.

Ad hoc argumentum respondebimus infra q. XXIII, agendo de motu gravium et levium, ubi ex mente D. Thomæ ostendemus in forma producta per generationem, virtualiter manere generationem, sublatoque impedimento iterum explicari in passionem, et emanationem, virtualiter posse esse motum, si removeat contrarium impediens se.

Ad confirmationem respondetur proprias passiones, quæ non sunt modi, separari per se ab essentia, impedita actione generantis et effluxu emanationis, ne ipsas tangat; vel supplente Deo ipsam sustentationem earum in subjecto, nec enim sunt essentialiter ipsa actio, sed terminus ejus.

Nota.

De subordinatione causarum tam principalis, quam instrumentalis hic agendum erat, sed tractatus iste provectioribus convenientior est quam tyronibus: ad ultimum octavi libri reservatur, ubi agitur de comparatione mobilium ad moventia usque ad primum motorem.

QUÆSTIO XIII

DE FINE.

Eumdem ordinem servabimus in explicanda causa finali, quem in reliquis causis, ut primo agamus de ratione formali causandi, et conditione requisita. Secundo, de causalitate. Tertio, de effectibus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum apprehensio finis sit ratio causandi, vel solum conditio?

Duo supponenda sunt. Primum est, finem debere habere rationem boni, et appetibilis ut sit finis, nec sub ratione mali posse aliquid finalizare. Quod licet aliqui auctores negent, nunc tamen id supponimus, ut tradi solet I-II, q. VIII, art. I, et I p. q. V, artic. IV. Cujus ratio manifeste sumitur ex ipsa essentia finis: est enim id cujus gratia aliquid fit, si autem sit malum sub ratione mali, hoc ipso habet rationem disconvenientis, et inappetibilis, ergo illius gratia, seu amore nihil potest appeti, quod enim est disconveniens, quomodo potest esse gratum aut illius gratia cætera appeti? Constat autem quod si aliquid appetitur sub ratione mali appeti debet ut disconveniens sibi; nam si est conveniens sibi, licet alteri disconveniens, et malum, hoc ipso appetitur sub ratione boni, non sub ratione mali; unde quæcunque mala etiam ipsum non esse rationem boni inducere debent, ut appetantur, vel comparative ad aliquid pejus, vel ex deceptione existimante bonum, sicut non esse sub ratione carendi a præsenti miseria appetitur. Et inimicus odio habetur in se ipso vel per actum fugæ, quia oritur illud odium ex abominatione et fuga disconvenientiæ, quæ est in inimico, vel actu prosecutionis, quo fertur voluntas in inimicum ut nocivum mihi, et sic odio dignum in se quia mihi bonum est reputare dignum odio, quod mihi est disconveniens.

Secundo, suppono varias esse divisiones finis, quas in præsenti non possumus exacte discurrere, pertinet enim potius ad Philosophum moralem, vel Theologum; breviter dicimus, quod cum finis, et terminus videantur esse idem, sicut contingit dividi rationem termini, ita et finis. Sunt autem quatuor, quæ termini, vel finis rationem habere possunt. Primo, id quod est terminus cujuscunque agentis. Secundo, dicitur terminus, seu finis id quod appetitur quasi terminus inclinationis, et appetitus. Tertio, id cui appetitur, terminat enim appetitum tanquam subjectum, cui aliquid attribuitur. Quarto, id quo consequimur finem, illo enim terminatur

actio, et sic datur finis cujus gratia, qui est id quod appetitur ut ratio cæterorum. Secundo, datur finis *cui*. Tertio, finis *quo*. Id vero quod est terminus agentis quomodocunque dicitur finis effectus, et non finis causa, qui etiam aliquando vocatur finis propter *quem*, sicut providentia regis est propter securitatem rustici quia scilicet est effectus ejus. Et finis causa semper est nobilior suo finalizato, finis autem effectus non est nobilior sed inferior causa sua.

Finis causa, sive finis, cujus gratia dividitur in finem ultimum, et non ultimum. Finis ultimus est ad quem omnia ordinantur sine subordinatione ad alterum. Non ultimus ad quem ordinantur aliqua cum subordinatione, et dependentia ad alterum. Et habet veram rationem finis, etiam non ultimus, sed participatam, in quo rationem medii aliquo modo induit; simpliciter tamen habet rationem finis, quia simpliciter est appetibile, licet participative, sicut substantia creata est ens per se, participative tamen ab increata; ex quo intelligitur alia divisio finis ultimi, quod alius est finis ultimus simpliciter, id est, in omni genere, cui omnia in quocunque genere subordinantur, vel ultimus in aliquo genere, et respectu hujus appetentis. Solet etiam distingui finis in finem operis, et finem operantis. Primus est ipsi operi debitus secundum se. Secundus, ex intentione operantis præfixus; et denique alius est finis primarius, qui primo et directe intenditur, alius secundarius, qui ex consequenti, et alio præsupposito.

In præsenti disputatione solum agimus de fine cujus gratia, quia solum iste est finis causa, et condistinguitur a reliquis causis. Et in hoc articulo intendimus discernere rationem formalem causæ finalis a conditione requisita; constat enim concurrere ad appetitum finis, et propriam ejus bonitatem ex parte rei appetibilis et apprehensionem, seu propositionem ejus, ut manifestetur appetitui, et inquirimus an utraque ista ratio concurrat ut ratio formalis, vel altera ut conditio, et altera ut ratio formalis.

Sunt autem duæ principales sententiæ in hac parte. Prima, et communior sententia est, quod cognitio solum est conditio finalizandi, ratio vero formalis est ipsa bonitas, quæ convenit rei secundum se, et non ratione apprehensionis, sive secundum esse possibile, sive secundum esse existens. Ita communiter discipuli D. Thomæ, Cajetanus I-II, q. I, ar. 1; Ferrariensis 1 contra Gen. c. XLIV, §. Sciendum secundo; Soto II Phys. q. III, §. Causa finalis; Suarez dis. XXIII Met. sect. VIII; Fonseca, Pereira, et alii, quos citat Ægidius lib. I de fine, q. VI, ar. IV.

Secunda sententia principalis tenet apprehensionem finis non esse conditionem sed rationem formalem causandi. Ita Medina I-II, quæstion. I, art. I, idemque attribuitur Soncinati, et Capreolo, et aliis, qui auctores non sentiunt realem bonitatem non pertinere ad rationem formalem finis, apprehensionem, et habere se bonitatem apprehensam sicut calor lucidus; lux enim non est conditio constituendi calorem in esse visibilis, sed formalis ratio; sic bonitas finis non solum ut subest suo esse, sive possibili sive existenti, sed etiam ut subest esse apprehenso formaliter redditur finalizans.

Inter has duas sententias principales, duæ mediæ interjacent, quæ illas quodammodo modificant. Prima est P. Vazquez XII, disp. II, cap. II et III, qui distinguit de cognitione, seu conceptu formali, et objectivo, et dicit quod finis, ut dicit conceptum objectivum, et esse intentionale in intellectu, sic induit rationem formalem finalizandi. Cæterum ipse conceptus formalis, a quo denominatur res cognita, et in quo res ipsa repræsentatur, dicit quod solum unum est conditio requisita ad finalizandum. Aliter sententia est Magistri Bannez I p. q. XC, ar. II, ad argumenta primæ sententiæ, qui affirmat cognitionem non esse formalem rationem finis sed radicalem, quatenus cognitio est radix appetitus tendentis in finem; et hac ratione potest pertinere apprehensio ad rationem objectivam specificantem.

Nihilominus sit unica conclusio: Apprehensio non est ratio formalis finalizandi, sed conditio requisita ad finem pro ea parte, qua finis etiam est objectum, neque est conditio solum per modum applicationis, sed etiam per modum existentiæ. Itaque sicut in efficiente datur duplex conditio, altera existentiæ in se, altera applicationis ad passum, ita in appetibili, quod habet rationem finis, et objecti, apprehensio utramque præstat conditionem, et applicationis ad appetitum, et existentiæ in esse objectivo, ut intentionaliter, et metaphorice moveat. Fundamentum est, quia esse apprehensum est conditio omnis objecti propositi voluntati, sive sit finis, sive medium, *nihil enim est volitum, quin præcognitum*. Quod ergo est commune fini, et non fini, non potest esse ratio formalis finalizandi, sed pertinet ad communem rationem finis, et medii seu cujuscunque appetibilis, et hæc ratio communis est esse objectum voluntatis, unde in fine distinguitur ratio objecti a ratione finalizandi, ut sumitur ex D. Thoma I-II, quæst. XVIII, articul. IV et V, et advertit etiam Cajetanus ibidem, quæst. I, artic. III, ut statim explicabimus. Quod non solum convincit cognitionem, et conceptum formalem esse conditionem, et non rationem formalem, sed neque ipsam rationem conceptus objectivi ut apprehensi, et ut habentis esse intentionale, quia hoc ipsum est commune omni appetibili, et objecto volito, sive sit finis, sive non; ergo non est propria ratio finis, neque ut ratio *quæ*, neque ut ratio *sub qua*, ratio enim *sub qua* est formaliter et magis determinata, quam ratio *quæ*, ut patet in ipsa luce, et colore: lux enim formalizat, et perficit colores in ratione visibilis. Si ergo esse cognitum est communius, quam finis, cum etiam requiratur, ut sit volitum id quod non est finis, non potest esse ratio formalis *sub qua* ipsius finis.

Et urgetur hoc amplius: Quia apprehensio non potest esse formalis ratio determinativa boni, et appetibilis in ipsa linea appetibilitatis, quia apprehensio pertinet ad rationem manifestativi, et cognoscibilis; appetibile vero ad rationem boni realis, et convenientis appetenti; unde illa apprehensio non addit aliquid in genere, et linea appetibilis, sed supponit illam, et solum manifestat, unde nullus intendit apprehensionem tanquam aliquid consequendum, vel fruendum. Si autem apprehensio se haberet ut ratio formalis simul cum ipsa bonitate reali, utramque deberet esse in eadem linea, et genere appetibili, sicut lux, et color sunt in genere visibili, ergo si apprehensio appetibile sunt in diverso genere, quia unum in genere cognoscibili, et manifestabili, alterum in genere volibili, non potest utraque ratio formaliter se habere, sed una ut ratio formalis, altera ut conditio, sine qua tamen bonum non movebit, sicut ignis non existens vel non applicatus non comburit. Et ideo est conditio insupplebi-

lis a Deo apprehensio, quia non solum est conditio per modum applicationis, sed etiam per modum existentiæ ad finalizandum requisitæ.

Sed inquires duo. Primum, quomodo distinguatur formalis ratio objecti et finis in ipso bono. Secundum, an bonitas ipsa realis sit formalis ratio finis, quatenus bonum transcendentale est, et passio entis, an quatenus est bonum relate et secundum convenientiam; hoc enim est, quod dividitur in honestum, utile, et delectabile.

Ad primum respondetur distingui sine dubio rationem objecti, et finis ut supra diximus, et differunt penes diversa officia, et respectus: est enim munus objecti specificare actum, tanquam principium extrinsecum, a quo pendent actus in sua specificatione, unde objectum invenitur tam in eo quod est finis, quam quod non est finis, tam respectu potentiæ appetentis, quam cognoscentis, in omnibus enim actibus specificatio est ab objectis. At vero munus finis non est specificare, seu determinare id quod ad speciem, et constitutionem rei pertinet, sed terminare, et ultimare ea, quod pertinet ad exercitium, et executionem rei fiendæ: nullus enim movetur ad aliquid faciendum, vel exequendum, nisi sibi ponatur finis operationis, et motus, alias maneret infinitus, et impertransibilis, si non poneretur sibi aliquid ubi sisteret et quiesceret, et ideo finis importat bonitatem, seu perfectionem sistentem motum, et sic movens ut in se sistatur, et sic diffundit suam bonitatem non propugnando illam efficienter, sed præbendo id ad quod efficientiæ motus terminetur.

Ad secundum respondetur, quod bonum, ut sit finis, sine dubio non debet habere solam bonitatem transcendentalem sub conceptu absoluto, sed sub conceptu convenientis, et ordinate ad alterum, cui est bonum; quia finis est id cujus gratia aliquid fit, ergo debet esse conveniens respectu ejus, quod fit propter illud, alioquin gratia illius non erit, si non habet ordinem convenientis ad se. Urgent vero aliqui: In amore amicitiæ, in quo amicus appetitur et non ut conveniens mihi, sic enim esset amor concupiscentiæ. Item quia ipsa convenientia non est ratio formalis appetendi, est enim relatio, quæ non appetitur, neque intenditur ratione sui. Sed hæc parum urgent. Ad primum enim dicitur, quod amor amicitiæ non respicit amicum propter bonitatem transcendentalem, qualis invenitur etiam in rebus inanimatis, sed propter bonitatem, quam in se habet, non ut convenientem mihi convenientia solius utilitatis, aut quatenus mihi servit, bene tamen convenientia communicationis, et familiaritatis, quæ est convenientia honesti, amicitia enim fundatur super aliquam communicationem bonorum, ut dicit D. Thomas II. II, q. XXIII, art. I. Ad secundum dicitur, quod qui appetit bonum ut conveniens, non appetit ipsam relationem convenientiæ, sed id quod fundat talem relationem.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur: Quia diversa ratio apprehensi facit diversitatem in appetitu non vero diversum appetibile, sicut appetitus innatus, et elicitus, differunt penes apprehensum, vel non apprehensum, et appetitus sensitivus, et intellectivus penes diversum modum apprehensi. Quod etiam testatur S. Thomas I p.qu. LXXX, art. II ad 1, ubi inquit: « Quod differentiæ apprehensi sunt differentiæ appetibilis, unde potentiæ appetitivæ differunt secundum differentiam apprehensorum, sicut secundum propria objecta, » ergo ratio apprehensi ad formalitatem pertinet appetibilis. Et apertius I-II, q. XXXI, art. 1 ad 1, ubi inquit: « Quod cum appetitus animalis sit bonum apprehensum, diversitas apprehensionis pertinet quodammodo ad diversitatem objecti. » Et idem fere habet ibi quæst. XXX, art. II ad 2.

Respondetur quod apprehensio, quæ facit differre specificative potentias appetitivas, non est apprehensio formalis, et ex parte subjecti se tenens, sed radicalis, seu objectiva, ut deducitur ex D. Thoma I p. q. L, ar. II ad 2, id est, res ipsa appetibilis, sic considerata quod fundat diversum modum appetibilitatis, quæ requirit diversum modum movendi, et inclinandi potentias; ubi apprehensio ipsa non est ratio formalis, sed conditio, sicut eadem res ut futura, vel ut præsens fundat in appetitu diversos actus, scilicet spei vel gaudii, timoris, vel tristitiæ, cum tamen variatio præsentis, vel futuri, non variet ipsam intrinsecam naturam appetibilis, sed quamdam conditionem ejus, scilicet existentiam, quæ intrinsece requiritur, et ideo res ipsa ut fundat istum diversum modum existendi, redditur diverso modo appetibilis: sic ut fundat diversum modum existentiæ objectivæ, quæ requiritur ad movendum metaphorice, et intentionaliter, constituit diversum appetibile, et specificat diversos appetitus. Unde dicit D. Thomas q. XXII de Ver. ar. IV ad 1: « Quod voluntas ab appetitu sensibilis non distinguitur directe per hoc quod est sequi apprehensionem hanc vel illam, sed ex hoc quod est determinare sibi inclinationem, vel habere determinatam ab alio, qua duo exigunt potentiam non unius modi, sed talis diversitas requirit diversitatem apprehensionum; unde quasi ex consequenti accipitur distinctio appetitivarum virium penes distinctionem apprehensivarum, et non principaliter. » Ita D. Thomas, ubi satis clare traditur doctrina posita per apprehensionem radicalem, vel formalem quatenus in aliquo appetibili radicatur diversus modus movendi, quod utique per diversam apprehensionem fit, non tamen apprehensio ipsa formalis est ratio distinguendi. Et similiter quæst. XXV de Verit. art. I ad 6, dicit: « Sumi distinctionem virium appetentium ex diversitate apprehensionis per accidens, per se autem ex diversitate apprehensorum. »

Secundo arguitur: Quia multa sunt, quæ movent non per bonitatem realem, sed per apprehensam, ut patet in omnibus, qui ex deceptione moventur circa impossibile, vel quodcunque bonum apparens, ergo est major connexio inter apprehensionem et appetitum, quam inter bonitatem realem et appetitum ipsum, nam sine apprehensione finis movere non potest, sine bonitate autem reali potest dummodo sit apprehensa, ergo formalius, et intimius concurrit apprehensio, quam bonitas realis. Unde videmus, quod variata apprehensione, vel dictamine variatur species actu, v. g. de bono in malum, et e contra de timore in tristitiam, et aliis similibus.

Respondetur bonitatem apprehensam movere ratione bonitatis realis, ut supplere per ipsam repræsentationem, et ut dans eminentiam objectivam, et intentionalem ipsi appetibili, ut intentionaliter, et metaphorice moveat; unde non sequitur quod apprehensio sit ratio formalis, sed quod suppleat, et deferat secum id quod est ratio formalis, scilicet ipsam bonitatem realem appetibilis.

Quod vero non possit suppleri ipsa apprehensio, sicut suppletur bonitas realis ideo est, quia apprehensio non est conditio extrinseca importans solam applicationem ipsi passo, vel alicui extrinseco, talis enim conditio suppleri potest a Deo, quia extrinseca est, sed apprehensio dicitur conditio intrinseca, quia non est conditio conjungens alicui extrinseco, sed ut præbens ipsi appetibili esse intentionale, et objectivum, ut metaphorice moveat; unde sic requiritur apprehensio in fine quæ dat existentiam intentionalem, sicut existentia realis in efficiente, quæ est conditio insupplebilis a Deo, neque enim potest operari res non existens sicut nec finalizare res non apprehensa. Quod vero bonitas realis possit suppleri, non est quia sola apprehensio sit ratio formalis, sed quia est medium, seu conditio repræsentans id quod est appetibile, applicatio autem repræsentativa non est necesse quod supponat existentiam rei applicatæ, siquidem gerit vices illius et in se habet eam; applicatio autem physica supponit semper existentiam rei applicatæ, inexistens enim applicari nequit, quia non gerit vices ejus. Quod vero dicitur sola apprehensione variata variari in specie actus appetitus, jam diximus id fieri ratione diversæ apprehensionis radicalis, et ex parte objecti, non formalis, quæ est solum conditio.

Ultimo arguitur: Quia motio formalis causandi debet esse id cui formaliter correspondet ista motio, sed non correspondet bonitati reali, quia bonitas realis solum est principium causalitatis veræ et realis; ergo ut induit rationem cogniti, et intentionalis esse. Similiter per rationem apprehensionis induit modum prioritatis in causando, quam non habet in ratione bonitatis realis; sic enim potius est posterior, utpote pertinens ad executionem; ergo status apprehensionis pertinet ad rationem formalem finalizandi.

Respondetur quod motio metaphorica licet metaphorice sit motio, vere tamen est aliqua causalitas in re, licet explicetur modo metaphorico per motionem, ut articulo sequenti dicitur. Unde correspondet ista causalitas ipsi bonitati reali non absolute, sed ut vestitæ intentionali, et objectiva existentia, quæ non se habet ut ratio formalis, sed ut conditio, sicut realis existentia non est formalis ratio operantis effective, sed conditio: et licet finalizet vere, movet tamen metaphorice; ad hoc enim sufficit realis bonitas sub existentia intentionali, ut statim explicabitur. Quod vero dicitur, habere prioritatem ratione apprehensionis, respondetur quod ex se sicut radicaliter objectiva, ita est radicaliter prior; ut autem formaliter apprehensa, formaliter prior in intentione; ut vero induit existentiam realem, sed ultima in executione quia est effectus, non causa.

ARTICULUS II.

Quæ sit causalitas finis?

Ex hac difficultate dependet alia, quæ simul cum ipsa declarata manebit, scilicet an finis sit vera, et physica causa: habent enim se correlative causa, et causalitas, et in tantum est vera et physica causa, in quantum veram et physicam causalitatem habet.

Duo autem supponimus in præsenti. Primum est, omnes fere intelligere aliquid metaphoricum, et improprie dictum intervenire in causalitate finis, tum quia id expresse docet Aristoteles I de Generat. tex. v, inquiens: « Quod id cujus gratia, non est activum, nam sanitas

non factivum est, nisi secundum metaphoram. » Tum quia finis non movet, nisi prout in cognitione, atque adeo modo intentionali, quid distinguitur a naturali et mobili. Tum etiam, quia finis movet ut terminus, in quem ponderat actio, ut ibi terminatur, non ut principium actionis, unde ut reddatur principium, oportet extrahi a realitate existentiæ ad objectivam apprehensionem, tum denique, quia finis movet alliciendo et attrahendo, attractio autem non est propria motio, quia motio est transitus aliquis, illa autem attractio solum est convenientia, et sympathia unius ad alterum, ut trahatur ab illo quod non nisi translative dicitur motio.

Secundo, suppono quod (ut latius dicemus sequenti articulo) causalitas finis se extendit tam ad operantem, quam ad ejus effectus, licet diversimode, nam effectus, et actiones agentis respicit finis, ut causata a se, agens autem, seu operans ut mobile a se: et ita dicit D. Thomas quæst. v de Potent. art. I: « Quod finis non est causa, nisi secundum quod movet efficientem ad agendum. » Unde et finis dicitur causa causarum, quia movet alias causas ad agendum.

Et ratio est, quia agens non operatur, nisi ut determinatum ad aliquid quod operetur, alias a casu, et per accidens operabitur; determinatur autem a fine, qui est terminus in quem tendit agens; ergo motio finis ita debet respicere actiones, et effectus, ut rem causandam, quod etiam ipsum agens respiciet tanquam mobile, quod determinat ut operetur. In ipsis autem agentibus, quia alia sunt exequentia, alia imperantia et dirigentia, finis non potest immediate movere illud agens, quod est pure executivum, et cognitione carens, sed illud quod se dirigit, et movet in finem, a cujus directione executiva agentia moventur. Non enim bonitas finis potest movere, nisi aliquem appetitum; appetitus autem vel est innatus, vel elicitus, innatus debet esse directus ab aliquo dirigente ipsum in finem, quia ipse non sed dirigit, elicitus autem supponit cognitionem, in hoc enim consistit quod sit elicitus, et sic prima motio finis debet esse in appetitum se dirigentem in finem, deinde in agentia, quæ sunt directa ab alio, quia omne quod est directum non a se, supponit aliud a quo dirigatur, et cum non sit processus in infinitum, oportet venire ad aliquod, quod se dirigat in finem, et hoc est appetitus rationalis.

Difficultas ergo præsens ad hoc solum reducitur, ut explicemus, quid sit vere et proprie illud, quod metaphorice, et improprie vocamus motionem in causalitate finis; oportet enim quod sit vera causalitas, et propria, licet sit metaphorice actio seu motio, sicut Christus dicitur leo metaphorice propter fortitudinem, non quia sit in eo metaphorice fortitudo, sed est metaphorice leonina, vero autem divina, similiter finalizatio metaphorice dicitur motio, vere autem causalitas finis, et inquirimus quid sit illud vere.

Varie circa hoc sentiunt auctores. Principales autem sententiæ reducuntur ad quinque. Prima asserit consistere in qualitate, nempe in aliquo actu intellectus, vel voluntatis, scilicet cognitione excitante, vel volitione, aut intentione ipsius finis. Ita Cabero hic tract. II, disput. VI, dubit. III. Secunda asserit esse ipsam actionem agentis præsertim voluntatis operantis, quæ actio sub respectu egressionis, et dependentiæ ab agente dicitur actio, sub dependentia a fine, est finalizatio. Quid sit autem ista dependentia a fine restat explicandum. Ita Suarez disput. XXIII

Met. sect. IV; Rubius tract. de causa finali, quæst. III; Carmelitani hic disput. XIV, quæstion. V, et plures Thomistæ ad I-II, quæst. I, artic. I. Et ad idem reducitur sententia Scotistarum, quod causalitas finis fundamentaliter sumpta est idem cum actione voluntatis, qua eligit, vel imperat media, formaliter vero est relatio distincta a relatione causæ efficientis, sicut ipse finis distinguitur, et hæc relatio subjectatur in ipsa causa, et terminatur ad effectum. Ita Fuente II Physicor. quæstion. VII, difficult. III, art. II. Sed mirum est, quod fundamentum hujus relationis dicitur esse ipsa actio efficientis, et tamen subjectari dicitur in ipso fine. Quomodo ista cohærent? Cum relatio nunquam separetur a fundamento.

Tertia sententia dicit, causalitatem finis esse aliquid medium inter finem et finalizatum resultans a fine, sicut actio est medium inter efficiens, et effectum. Quam sententiam placuisse quibusdam recentioribus referunt Fonsesa et Conimbricenses. Sed neque ipsi videntur ab ea abhorrere, nam Fonseca V; Metaphys. cap. II, q. XIII, sect. III Conimbricenses II Physic. cap. VII, q. VI, art. II, dicunt causalitatem finis esse modum ipsius finis, licet ab eo realiter indistinctum; et q. XXI, art. III ad 2, inquiunt actionem ipsius intellectus proponentis voluntatis finem, præcedere causalitatem finis, et sic non ponunt in actione veritatem hujus metaphoræ. Quarta sententia non distinguit causalitatem finis a bonitate ipsius finis, nisi secundum quamdam moralitatem, quatenus bonitas finis attrahit, et intentionaliter efficit, ut effectus agentis intuitu ejus fiat, et sic ab eo pendeat. Ita Ægidius lib. I de Fine in communi, quæst. VI, articul. VI, §. III. Quod totum non videtur differre ab excitatione, et propositione objecti per intellectum ut docet prima sententia. Ultima sententia constituit causalitatem finis in quodam conflato ex causalitate physica, et morali: physica quatenus dependentia finalizati a fine realis est: moralis autem quatenus dependet saltem tanquam a conditione ab existentia objectiva, et intentionali. Ita Arantio VIII Met. q. IX, art. II.

Sit unica conclusio: Metaphorica motio, qua finis dicitur causare secundum veritatem, est primus amor finis, ut passive pendens ab appetibili, non ut active elicitus a voluntate. Hæc conclusio unum supponit et alterum declarat. Supponit quod causalitas finis, licet metaphorice sit motio, vere tamen esse causalitatem realem, quia alias si totum, quod datur in causalitate finis, esset metaphoricum, et nihil reale, finis nonesset vera causa physica, cum tamen sit præcipua, et prima causarum, imo per excellentiam est id, cujus causa seu cujus gratia cætera fiunt; ergo si nullam veram causalitatem habet, vera causa non est.

Quod vero explicanda sit causalitas finis per ipsum appeti, et amari passive, quod in re est ipse amor a voluntate elicitus, non ut a voluntate elicitive, sed ut ab ipso pondere appetibilis passive, sumitur ex D. Thoma q. XXII de Verit. artic. II, ubi inquit: « Quod sicut influere causæ efficientis est agere, ita influere causæ finalis est appeti, et desiderari. » Et primo contra Gen. cap. LXXV, ratione V, inquit: « Quod causalitas finis in hoc consistit, quod propter ipsum alia desiderantur, et ita quanto finis est perfectior et magis volitus, tanto voluntas volentis finem ad plura extenditur. » Et I-II, quæst. XXVIII, artic. VI, inquit: «Quod omne agens agit propter finem aliquem, finis autem est bonum desideratum, et amatum unicuique, ergo manifestum est quod omne agens agit quamcunque actionem ex amore aliquo.» Sentit ergo D. Thomas, quod influxus, et causalitas finis mediante amore diffunditur: neque enim bonitas finalizans diffunditur realiter, id est, non per sui propagationem, et alterius boni productionem, sed per sui affectum, et ordinationem in ipsum bonum. Idem expressit Scotus q. IV prologi, §. Aliter dicitur, ubi inquit: « Quod finis non est causa, nisi in quantum amatus, et desideratus movet efficiens ad efficiendum. »

Ratio conclusionis est, quia finis finalizat in quantum appetibile et bonum; bonum autem est id, quod omnia appetunt, ut desinit Philosophus, ergo si actione appetibilitatis est causa, reductio ejus in actum erit formalis causalitas, appetibile autem formaliter reducitur in actum per actualiter appeti, propria enim actualitas appetibilis est appeti actu. Item quia finis non finalizat nisi prout in intentione, ergo ejus causalitas intra ipsam voluntatem esse debet, non in aliquo extra voluntatem; neque apparet aliud quam actus ipse voluntatis, quo redditur finis amatus; nam quidquid aliud est, sive habitus aliquis, sive potentia voluntatis, minor actualitas est, quam ad actualem influxum requiratur. Alii vero actus posteriores isto amore causati sunt a fine potius, quam causalitas ejus. Imo ipsemet amor finis, ut elicitus a voluntate est causatus a fine, ut autem passive pendens ab ipso pondere appetibilis causalitas finis est, ut statim magis explicabitur.

Ut autem hoc radicitus percipiatur, advertendum est, amorem seu appetitum actualem pendere a duplici principio, scilicet ab appetibili ut attrahente, et efficiente appetitum, quod explicatur per modum cujusdam ponderis, seu spirationis inclinantis juxta illud Augustini: Pondus meum amor meus, eo feror quocunque feror; » et sic voluntas fit ponderosa ex ipsa conjunctione, et immutatione appetibilis. Secundo, pendet amor ab appetente, seu voluntate eliciente, quando est appetitus elicitus sicut quando est innatus pendet ab instituente naturam, et dirigente in finem. Et quidem ille actus seu amor ut est actus seu operatio causæ respicit ipsam ut efficientia, seu actio. Ut vero pendet ab objecto, adhuc fundat duplicem habitudinem, aliam specificationis, quæ proprie respicit ipsum ut objectum per modum specificativi, et pertinet ad genus causæ formalis extrinsecæ. Alia est habitudo finalizationis, quatenus actus ille etiam postquam est specificatus respicit alterum, cujus intuitu et gratia fiat, vel si intuitu sui fit, in se habet rationem finis distinctam a ratione objecti. Itaque dependentia actus ab objecto est communis tam objecto, qui est finis, quam qui non est finis, et solum consistit in dependentia ab ipso, ut determinante speciem actus; at vero finis non constituit speciem, sed movet agens ad exercitium actionis, et quia non potest exercere actionem, nisi per aliquam inclinationem, quæ generaliter dicitur appetitus, neque inclinatio potest tendere nisi ad aliquid certum, prius necesse est, quod reddatur inclinatio proportionata respectu illius termini, in quem tendit, et illa proportio, seu immutatio reddit inclinationem quasi conjunctam ipsi appetibili, et sic inclinatio ponderosa facta tendit in finem, et quanto plus facit aliquod donum ponderare in plures actiones, tanto universalior, et perfectior finis est, et si facit ponderare in omnes, tunc est ultimus finis, et dicitur appeti, et diligi toto corde, imo et amari charitate quia chari-

tas addit super amorem communiter dictum æstimationem rei volitæ quasi magni, et cari pretii, ut dicit S. Thomas I-II, quæst. XXVI, art. III. Quare hæc immutatio, seu pondus appetibilis in voluntate in re per actum amoris fit, sed quatenus est elicita perfecte a voluntate, dicitur actio voluntatis, et effectus finis, quatenus vero est ab appetibili et subordinatur ei ad amandum, est causalitas finis, et secundum hanc rationem est ab objecto proposito, et præcedit rationem ejus ut est a voluntate elicitive, sicut spiratio amorem perfectum, dictio intellectionem.

Et hoc ipsum agnovit D. Thomas in loco nuper citato art. II, ubi inquit: « Quod appetibile dat appetitui primo quidem quamdam coaptationem ad ipsum, quæ est quædam complacentia appetibilis, ex qua sequitur motus ad appetibile, et ex ista immutatione appetitus ab appetibili, amor nominatur passio. » Et solutione ad 3. cum objecisset, quod amor non importat ipsum motum appetitus, sed principium motus, et sic non est passio, et motus, respondet: « Quod amor etsi non nominat motum appetitus tendentem in appetibile, nominat tamen motum appetitus, quo immutatur ab appetibili, ut ei appetibile complaceat. » Præcedit ergo immutatio complacentiam, quia immutatur ut placeat, et sic est causalitas finis, quia redditur appetibile actu amatum, seu appetitum non denominatione extrinseca sumpta ab actione amandi, sic enim consequitur illam, et non est aliquid reale; sed ab immutatione, qua redditur appetibile conjunctum ipsi appetitui, et appetitus ille coaptatus ipsi appetibili, et sic ipsum appetibile se habet, ut gravitas, et pondus voluntatis, tam respectu sui, quam aliorum. Et convenienter sic ponitur causalitas finis, quia finis est causa movens modo immobili, non se movens, sed alia immutans, ut patet XII Met. text. XXXVII, lect. VII, apud D. Thomam, et ita causalitas ejus non debet quæri in ipsomet fine, neque in aliquo motu ab eo egrediente, sed in ipso effectu ejus, scilicet in ipso amore, qui est effectus, et causalitas finis secundum diversas habitudines, et considerationes, sicut etiam quia Deus immobiliter operatur se ipso est actus ultimus operandi, actio autem operata ad extra est effectus Dei, et non aliquid medium inter effectum, et causam.

Solvuntur argumenta.

Primo objicies: Nullus effectus potest coincidere cum sua causalitate, siquidem causalitas est ratio influens in effectum, et ipse exitus rei causatæ, sed amor est effectus finis, etiamsi sit primus quo finis amatur, quia ab ipso fine allicitur, et determinatur voluntas ad amandum finem, ergo ipse amor non est causalitas finis sed causatum.

Secundo: Finis per cognitionem propositus excitat appetitum ad amorem, ergo ante ipsum amorem habet causare, et habet causalitatem, scilicet excitationem ipsam. Antecedens constat, quia voluntas in amore finis dependet essentialiter a propositione, et ostensione objecti, ergo aliquid influit objectum, seu finis in illum amorem, et sic ante actum voluntatis finis habet causalitatem, ergo non consistit in solo amore.

Tertio: Quia ratio finis ut causet, est realis ejus appetibilitas, et non intentionale esse apprehensionis, ergo causalitas debet esse aliquid reale correspondens isti rationi formali, alias si causalitas realis non est, ipsa causa finalis non erit, sed esse actu amatum, seu appetitum non est aliquid reale, sed extrinseca denominatio, ergo non potest esse causalitas vera finis, sicut neque ipsum esse cognitum.

Quarto: Quia causalitas finis est moralis, et motio quædam metaphorica, sed moralis causalitas non est aliquid positivum emanans a causa, alias esset aliquid physicum, et non morale, et realis motio non metaphorica, ergo non est ipse actus voluntatis, seu amor etiam prout pendet a fine. Nam illa dependentia a fine vel est realis, et physica, vel non; si non, ergo prout sic non dependet realiter a fine, nec causalitas finis aliquid reale est; si vero est dependentia physica, cur non dicetur realis motio, sed metaphorica etiam prout pendet a fine?

Quinto: Ista actio voluntatis est etiam causalitas efficientis, et sub ea ratione, qua efficientis est, non est causalitas finalis, sed potius effectus ipsius finis, alioquin confunderentur istæ causalitates, si sub ea ratione, qua est causalitas efficientis, esset causalitas finis, ergo aliquid debet dari præter rationem actionis, ut reddatur causalitas finis, quia si nihil amplius additur, una formaliter erit altera. Illud autem quod additur, debet esse aliquid reale saltem ut modus, et sic oportet explicare quid sit, et frustra confugiemus ad motionem metaphoricam, si datur realis modus præter modum actionis, et causalitatis efficientis, qui tamen non potest procedere a fine, cum finis quandoque realiter non existat, apprehensio autem solum se habet ut conditio, non ut ratio causandi.

Ultimo: Finis operatur alliciendo, et attrahendo voluntatem, ut velit, ergo causalitas non potest esse volitio, quia per volitionem non allicit ad volendum, sed jam est allecta, ergo non est causalitas alliciendi.

Ad primum respondetur, quod amor secundum diversas considerationes est causalitas, et effectus finis, nam ut active elicitur ab appetitu, est effectus finis, gratia enim finis operatur voluntas, alias non amaret finem propter finem, quod esset non habere illum pro fine. At vero iste amor finis ut passive se habet ad objectum appetibile, quatenus connaturalizatur illi, et accipitur a voluntate, ut pondus suæ inclinationis immutans ad complacendum, sic est causalitas finis, et ratio appetendi, et exequendi alia, de quo amplius dicemus solutione ad ultimum.

Ad secundum respondetur, quod ipsa cognitio, seu objectum ut cognitum causat amorem, et amor pendet ab illo secundum duplicem considerationem, et ut actus quatenus actio elicita est a voluntate, et ut causalitas quatenus passiva quædam immutatio, et connaturalitas est ipsius appetibilis in appetitu, et prout causalitas dependet, et causatur a fine excitante per cognitionem immediate per se ipsam, sicut actio, et omnis alia causalitas a sua causa est immediate per se ipsam. Ut autem ille amor est actio elicita causatur a fine, tanquam effectus, mediante ipsa immutatione appetitus passiva ut causalitate. Quomodo autem ista passiva immutatio appetibilis erga appetitum præcedat amorem, ut actio est, statim explicabimus.

Ad tertium respondetur, causalitatem finis esse realem, prout ly *reale* distinguitur contra ens rationis, non prout distinguitur contra ly *intentionale*: oportet enim quod finis causet mediante cognitione, ut proponente, et movente voluntatem, quæ motio intentionalis est, vere tamen in re existens, et verum ef-

fectum habens in voluntate, scilicet amorem, non solum ut elicita actio voluntatis, sed etiam ut passio est ab appetibili. Et quando dicitur, quod esse amatum est extrinseca denominatio, distinguo : in objecta ad extra, esse amatum est denominatio, concedo ; in ipso vero affectu interiori esse amatum, quod est idem atque ipsum appetibile esse conjunctum voluntati, et spirare, seu ponderare in illa ad amorem sui, et aliorum, sic nego. Vere enim effectus ab appetibili ipso pendet, et determinatur, et hoc vocatur amor passive.

Quod si instes : Nam passio est posterior actione, ergo non potest causalitas finis esse amor ut passio, et effectus ejus ut actio, cum causalitas sit prior effectu, non ad ipsum consecuta, respondetur, quod passio consecuta ad actionem non potest esse causalitas finis, sed effectus, multo magis quam ipsa actio, ad quam talis passio consequitur, et sic amor ut est actus immanens receptus passive in voluntate, postquam elicitur ab ipsa, non est causalitas finis, sed effectus. At vero id quod dicimus esse causalitatem finis, est passio seu spiratio appetibilis in appetitu, quæ influit in elicientiam amoris perfecti, quatenus redditur appetitus immutatus ab appetibili seu determinatus, et quasi ponderosus factus ab appetibili, ut tendat in ipsum, et in alia propter ipsum : et sic dicit D. Thomas I-II, quæst. XXVI, art. II, quod prima immutatio appetitus ab appetibili vocatur amor. Unde talis passio non est illata ex actione sed actus ut spirans, id est, ex vi objecti ponderans et dans principium actionis, seu inclinationis, quæ est amor perfectus, ut docet ibidem S. Thomas solutione ad 1, et inde infert ibidem artic. III ad 4, quod magis homo in Deum potest tendere per amorem passive quodammodo ab ipso Deo attractus, quam ad hoc eum propria ratio possit ducere. Quare ista immutatio potentiæ ab objecto sine elicientia actus non est, sed ut a potentia elicitur perfecte et consummate est elicientia amoris, ut ab objecto conjungente se voluntati per actum, ut spiratio est, et pondus objecti, et a propositione objecti pendens, sic dicitur passio, non quidem secuta ex actione, sed spirata ab objecto et voluntate, ut amoris actus perfecte eliciatur.

Ad quartum respondetur, quod causalitas finis est metaphorice actio, ut dicit Philosophus I de Generat. text. LV, sed non metaphorice est causalitas, sicut jam supra dictum est; quatenus ergo vera causalitas est, veram quoque et realem mutationem importat, et identice est idem cum actu amoris; formaliter autem est vera dependentia ab ipso appetibili ut spirante, ratione cujus dicitur moralis motio, sed vera dependentia.

Ad quintum respondetur, quod causalitas finis non est ipsa causalitas efficientis formaliter, sed identice. Id autem quod formaliter addit, est vera et realis dependentia ab objecto, non quatenus specificante, sed quatenus spirante, et appetitui se conjungente, ut pondere, et inclinetur in alia. Et sicut actus intellectus pendet a virtute intellectiva efficienter, et a præsentia objecti formaliter, et tamen vere dependet ab objecto in suo genere, ita quod assimilatur illi terminus cognitionis, sic amor ille, et pendet a potentia eliciente, et ab objecto ponderante, seu spirante inclinationem ad objectum, et hoc non facit objectum nisi conjunctum, et coaptatum nisi appetitui, et talis conjunctio, seu dependentia, et ordo ad appetibile, aliquid reale est in ipso effectu, ut dependente ab appetibili,

et sic est causalitas finis, quia communicat voluntati pondus, et inclinationem ut ratione sui cætera appetantur.

Ad ultimum respondetur, verum esse, quod finis attrahit, et allicit voluntatem, et hæc attractio est ad hoc ut voluntas velit : sed in illa volitione sunt duo, alterum quod est causatum a fine, alterum quod est ratio causandi; neque est mirum, quod causalitas identificetur cum causato : quia etiam actio identificatur cum effectu. Id ergo, quod elicientiæ seu actionis est in illa volitione, est causatum a fine, quod vero coaptationis et conjunctionis est cum appetibili, seu ordinis ad ipsum, quo redditur ponderans in appetitu, ut inclinetur ad se, et ad alia, hoc dicitur attractio per modum causalitatis ad actum, ut explicatum est.

ARTICULUS III.

Ad quæ objecta se extendat causalitas finis, an solum ad media, vel etiam ad ipsum amorem finis ?

Actus, qui a fine causari possunt, id est, gratia illius fieri, quidam pertinent ad ordinem intentionis, quidam ad ordinem executionis. Nomine autem ordinis intentionis intelligimus illos actus, qui respiciunt finem ut objectum volitionis ; nomine vero ordinis executionis eos actus, qui respiciunt media usque ad realem finis attingentiam in suo esse. Ad primum ordinem pertinet primo simplex volitio finis, desiderium illius, fruitio seu delectatio in mente, intentio. Ad secundum ordinem pertinet electio quam antecedit consilium et consensus, deinde imperium, usus, executio mediorum, assecutio finis, delectatio de ipso assecuto, seu possesso de quibus late S. Thomas I-II, a quæst. VIII usque ad XVII. Itaque ordo intentionis incipit a fine volito, et terminatur in volitione mediorum. Ordo vero executionis incipit a mediis volitis et terminatur in fine secundum esse reale assecuto.

In hac autem difficultate non loquimur de actibus divinis, licet enim Deus agat propter finem, tamen neque ipse, neque actus voluntatis ejus sunt res finalizatæ a fine, quia actiones internæ Dei cum sint ipsa substantia Dei, non possunt esse causatæ ab aliqua causa, solum ergo effectus ad extra finalizantur a Deo.

Igitur circa assignanda objecta, ad quæ se extendit finis, varia est Auctorum sententia. Quidam enim solum media, et actus, qui versantur circa media, dicunt finalizari a fine, non ea quæ pertinent ad intentionem, et amorem finis. Ita P. Vazquez I-II, quæst. I, disp. III, cap. II; Lorca ibidem disp. III; Cabero hic disp. VI, dub. IV, et alii. Fundamentum est, quia finis movet metaphorice prout in intentione, ergo esse in intentione est conditio requisita, ut moveat, et causet, ergo intentio ipsa non est causata a fine, sed solum actus, qui post intentionem sequuntur, quales sunt, qui versantur circa media. Et fortius urget hoc, si nomine intentionis intelligamus ipsum amorem finis, quem præcedenti articulo diximus esse causalitatem finis; ergo non est effectus illius, alias esset causa sui, sed solum amor aliorum a fine.

Alii e contra sentiunt non solum actus, qui versantur circa media, sed etiam qui versantur circa finem esse effectus finis, non solum ipsam intentionem, sed etiam simplicem amorem finis : de qua sententia videri possunt P. Suarez disp. XXIII Met. sect. III, n. VII : Curiel I-II, quæst. I, art. I, dub. II, §. 4; Conimbricenses II Physic. cap. VII, quæst.

XXII, articul. I, qui tamen dicunt, perfectissimam causalitatem finis versari circa media, imperfectam vero circa amorem ipsius finis. Et aliqui etiam licet concedant intentionem finis esse finalizatam ab illo non tamen simplicem amorem finis, sed hunc requiri tanquam causalitatem, vel conditionem finalizandi : ita Fonseca V Metaphys. capit. II, quæst. X, sect. II.

Et fundamentum pro hac parte generaliter est, quia finis causat appetitum sui, non solum respectu mediorum, sed etiam ad appetendum se, quia non appetitur gratia aliorum, sed gratia sui; ergo etiam amorem sui finalizat, quia nihil aliud est finalizare, quam gratia sui appeti. Verum est magis istam causalitatem finis reluere respectu intentionis, quam respectu amoris simplicis ipsius finis, eo quod intentio licet directe sit de fine, de connotato tamen dicit ordinem ad medin, quatenus dicit ordinem ad finem ut assequendum per media : simplex autem amor finis nihil de mediis connotat.

DICO ERGO PRIMO : Agens propter finem finalizatur ab ipso, non ut effectus, sed ut subjectum motum a fine. Hæc est contra Ægidium lib. I de Fine in communi, quæst. VI, art. V, §. II et VII, et alios quos ibi citat, qui totaliter excludit agens a causalitate finis. Ratio tamen nostræ conclusionis sumitur ex dictis præcedenti articulo, quia finis non potest causare actionem agentis nisi movendo, et excitando agens ut velit, et agat propter finem, ergo actio ita debet esse effectus finis, quod agens sit excitatum, et motum.

DICO SECUNDO : Ea, quæ pertinent ad ordinem executionis tam media ipsa volita, quam volitiones circa talia media, et actiones externæ circa ipsa, sunt effectus finalizati a fine. De hac conclusione non est controversia inter Auctores, quia omne illud est effectus finis, quod fit gratia finis, præsertim si supponitur finis volitus, et amatus, sed omnia ista media, et actiones fiunt, vel appetuntur gratia finis, et supponunt finem volitum, et amatum, ergo sunt effectus finalizati a fine.

Solum dubitabis, quomodo causalitas finis, quæ est motio metaphorica, et in re ipsum amari, seu appeti finis, derivetur ad actiones externas, siquidem finis ut volitus nihil reale illis potest imprimere, ratione cujus dicatur finis realiter causare illa, sed solum ponit denominationem extrinsecam in mediis, vel actibus externis, non ergo sunt effectus proprie, et realiter ipsius finis.

Propter hoc aliqui valde laborant in explicanda continuatione hujus causalitatis finalis cum rebus, et operationibus externis. Et quidam solum ponunt extrinsecam dependentiam, et influxum in actiones externas, quatenus modo quodam morali subduntur internis. In ipsis autem internis actibus influxum, seu dependentiam immediatam a fine ponunt. Ita P. Suarez disp. XXIII, Metaphys. sect. IV, num. XVII et XVIII. Alii vero etiam intrinsecam, et propriam dependentiam, et causalitatem finis ponunt in operationibus et effectibus externis, quatenus gratia ejus fiunt : quod certe nisi ponatur in actionibus divinis, non poterit causalitas finalis in Deo salvari, siquidem actus interni Dei non causantur a causalitate finis, si quid ergo finaliter a Deo causatur, solum potest esse effectus, vel actio externa.

Respondetur ergo, causalitatem finis eo modo continuari cum actibus, et effectibus externis, quo continuatur inclinatio appetitus, seu voluntatis cum ipsis actibus, et effectibus externis a tali inclinatione

emanantibus. Quia enim actiones externæ, et consequenter effectus earum fiunt ab agente, ut inclinato ad agendum et sine inclinatione agens non operatur, omnis autem inclinatio oritur, et dependet ab aliquo primo amore, quo volitus est finis, et ille amor ut pendens ab appetibili, a quo accipit inclinationem et pondus, est causalitas finis, ut præcedenti articulo explicavimus, ita omnis actus, et effectus qui ex tali amore derivatur, secundum inclinationem ejus, et connexionem cum illo, virtualiter participat ipsam causalitatem finis, quatenus ex primo amore reliqua derivantur. Et sicut prima causalitas finis realis est ratione actus amoris cum quo identificatur, ita virtualis causalitas realis est ratione inclinationis, quæ ex isto primo amore derivatur in reliquos actus. Quando ergo dicitur, quod actiones externæ et effectus earum, quæ sunt ipsa media executa solum extrinsece participant rationem finis amati, respondetur, quod si ly *amatum* sumatur pro denominatione orta in objecto ex ipso actu amoris, sic extrinsece tangit actus, et effectus ex amore secutos. Si autem ly *esse amatum*, sumatur pro conjunctione passiva appetibilis ad appetitum, cujus gratia cætera appetuntur, et in quo continetur, sic virtualiter manet in actibus et effectibus, qui sicut ex ipsa inclinatione amoris realiter derivantur, ita virtualiter participant ipsam causalitem finis, quæ in tali amore spirativo, identificato cum ipso actu amoris, consistit.

DICO TERTIO : Finis habet pro effectu finalizato etiam ipsum actum intentionis erga finem, imo etiam ipsum simplicem amorem finis in quantum est actus elicitus a voluntate. In prima parte conclusionis conveniunt fere omnes Auctores, præter P. Vazquez supra citatus in I sent. Ratio est, tum quia intentio non præcise versatur circa finem, sed etiam attingit media in obliquo, et sic pro hac parte causari debet a fine : tum etiam, quia intentio supponit simplicem amorem finis, a quo derivari potest, nam supponit finem amatum; ergo potest elici intentio ex amore, et gratia finis voliti, nihil autem amplius requiritur, ut aliquid sit causatum a fine, quam quod sit gratia et amore finis, hoc enim est esse finalizatum.

Unde patet ad rationes dubitandi pro prima sententia allatas. Ad primum dicitur, quod finis prout in intentione finalizat, non prout in intentione formali, sed radicali : amor autem ille simplex finis est initium, seu radix intentionis, et sic finis prout formaliter volitus, et radicaliter intentus est causa finalizans etiam ipsam intentionem formalem.

Ad secundum respondetur, quod finis non est causa sui secundum idem, sed secundum diversa; finis enim ut amatus est causa sui, ut sit intentus, alliciendo ad sui intentionem, et mediorum volitionem.

Secunda pars conclusionis majorem habet difficultatem, et alii sunt qui affirmant, alii qui negant, et utraque pars testimoniis utitur D. Thomæ et ratione : sed nos utrumque conciliamus ex distinctione data de amore passive, seu spirative, et elicitive, seu perfecte sumpto; nam amor ut præcise est ab appetibili, non est effectus finalizatus a fine, sed causalitas ejus, ut articulo præcedenti ostendimus; ut autem active elicitur a voluntate, sic est effectus finalizatus a fine, siquidem agendo, et eliciendo propter aliquem finem agit, alias a casu, vel fortuito eliceret illum actum, et ex alia parte supponit finem sufficienter conjunctum voluntati per ipsummet

amorem, ut præcise est ab appetibili, ergo habet quidquid requiritur ut amor ille elici dicatur propter finem, seu gratia finis amati, id est, conjuncti ipsi appetibili. Et in hoc sensu intelligimus quod dicit D. Thomas II-II, de Verit. art. II: «Quod influere causæ finalis est appeti: » adjuncto eo, quod dicit I, II, q. XXVI, art. II ad 3: « Quod amor non nominat motum tendentem in appetibile, sed nominat motum appetitus, quo immutatur ab appetibili, ut ei appetibili complaceat. » Sic ergo amor ut ab appetibili, seu appetibile ut conjunctum appetitui est causa finalizans, et causans ut elicitive ametur gratia talis appetibilis immutantis appetitum ut complaceat. Et sic etiam salvatur, quod docet D. Thomas I-II, quæst. I, art. I: « Quod omnis actio humana est propter finem, etiamsi agat actionem, quæ est ultimus finis. » Ergo etiam actio, quæ est amor ultimi finis, ut actio propter finem est: et I part. quæstion. XCII, inquit: « Quod intellectus movet voluntatem per modum finis, quia bonum intellectum est objectum voluntatis, et movet ipsam ut finis: » sed respectu primi amoris datur bonum propositum per intellectum: ergo movet voluntatem, et hoc alliciendo; et per modum motionis finis; ergo ille amor sic elicitus est finalizatus a fine. Nec obstat, quod objectum concurrit ad amorem sui efficienter, ut aliqui existimant, et sic non concurrit motu metaphorico, sicut requiritur ad finem. Respondetur enim, quod etiam data hac sententia, quæ tamen non est certa, nullum est inconveniens quod utamque causalitatem habeat objectum secundum diversas considerationes. Et D. Thomas in auctoritate allata per modum finis dicit concurrere, quod nobis sufficit. Præterquam quod in hac sententia objectum ipsum non concurrit efficienter, sed actus intellectus movens voluntatem.

Quod si dicas: Nostram rationem nimium probare, probat enim quod etiam amor, ut passive est ab appetibili, est propter finem, et causatus a fine, quia supponit bonum propositum per intellectum, quod movet ut finis. Respondetur, quod amor sic consideratus non est a fine ut causatus, sed ut causalitas, et sic dicetur esse a fine eo modo, quo causalitas est a causa, et actio ab agente. Et hoc ideo quia influere causæ finalis est appeti, et desiderari, ut dicit D. Thomas supra citatus, alias non verificatur quod finis gratia et amore sui moveat, nisi aliquis amor supponatur saltem in quantum est appetitus immutatus ab appetibili, seu coordinatus illi, ut finaliter movent, nam ut est ab appetitu elicitus ille amor, jam debet supponere finem, quia omne agens elicit active, et agit propter finem, et ut dicit D. Thomas III contra Gent. c. II: « Finis est, id quo tendit impetus agentis. »

Ex quibus etiam solvuntur fundamenta sententiæ contrariæ. Primo enim arguunt: Quia causalitas finis est amor, ut jam sæpe dictum est, quia finis non dicitur causare, nisi in quantum aliquid fit gratia, et amore illius, ergo supponitur amor finis, ut aliquid fiat propter finem, et sic ipse amor non est effectus ejus. Item, quia si ille amor simplex sit effectus finis, non apparet quare bruta non moveant se in finem, cum ipsum apprehendant, et simplici amore in illum ferantur. Nec requiritur quod apprehendatur convenientia finis in ordine ad alterum, id est, ad media, sed sufficit quod in ordine ad se ut ametur; hoc autem apprehendit brutum, fertur enim in aquam, verbi gratia, ut convenientem ad extinguendam sitim. Denique, primus amor non potest esse ex fine, nisi in quantum aliquis se movet ex fine ad illum amorem, si enim non se movet, non agit ex fine, sed agitur sicut bruta, sed in primo amore nullus seipsum movet, sed tantum a Deo, ut probat D. Thomas I-II quæst. IX, art. IV, ex Aristotele VI Ethicor. cap. XVIII, ergo ille primus amor non est effectus causatus a fine, quia non est a se movente, et dirigente in finem. Et ad hoc etiam facit quod toties dicit S. Thomas quod bonum est finis ut amatum, ut videri potest I-II, q. XXVIII, art. VI, et in III, distinct. XXVII, q. I, art. I, et quæst. XXI de Verit. art. II, in corpore, ergo finis supponit amorem sui, non causat.

Ad primum respondetur, quod amor est causalitas finis ut passive derivatur ab appetibili, est autem causatus a fine, ut elicitive a voluntate, eo quod voluntas in eliciendo amorem finis, propter finem sibi conjunctum agit, et a fine allicitur.

Ad secundum respondetur, bruta non agere propter finem, quia etsi alliciantur a bonitate finis absoluta deficit tamen illis electio, et intentio tam formalis, ad quam se moveant, quam radicalis, ex qua se moveant, quia carent voluntate initiante intentionem, et hoc ideo quia non moventur a bonitate, ut importat ordinem finis, sive ad media, sive ad ipsum appetentem, et hoc est quod dicit D. Thomas I-II, quæst. I, art. II: « Quod bruta non cognoscunt rationem finis, id est, ipsam convenientiam finis, ut ordinate, et comparative se habet. » Ex hoc autem non sequitur quod finis solum finalizat media, sed etiam potest finalizare simplicem amorem sui, quia etiam in illo amari potest finis cognoscendo ipsam rationem finis, id est, ipsum ordinem convenientiæ, quem habet ad appetentem, quod non cognoscunt bruta.

Ad tertium respondetur, quod primus amor finis est a Deo ut movente efficienter, quia non supponit prioremactum ex parte hominis, quo se efficienter moveat, non tamen sequitur, quod in illo actu non agat propter finem, cum ad hoc ipsum Deus moveat ut gratia finis cogniti, et ipsi voluntati conjuncti, et coaptati, velut in ipsum finem. Unde habet sufficientem rationem, et applicationem, ut amet finem propter ipsum et gratia ejus, non tamen ut efficienter moveat se, qui ad hoc requiritur ut ex uno actu se moveat ad alium actum; ut autem propter finem velit, sufficit idem actus sub diversa formalitate, scilicet ex conjunctione et coaptatione finis, ut spirante in ordine ad elicientiam ipsius ut perfecte est a voluntate amante, et sic quod sufficit ad motionem finis, quæ est metaphorica et minor, non sufficit ad efficientem quæ est physica et major.

Et ad auctoritates S. Thomæ respondetur, quod finis non causat nisi ut amatus et desideratus, non quidem secundum quod ly *amatus* est denominatio extrinseca ab amoris actione proveniens in objectum, si enim præsupponit ipsam actionem amoris ex fine factam, et non est aliud quam denominatio extrinseca, non causalitas vera; sed prout ly *amatus* dicit ipsum appetibile conjunctum appetitui et immutans illud, quod fit ipsum amorem non ut formaliter est elicientia, sed ut passive est ab appetibili.

CIRCA LIBRUM TERTIUM

DE MOTU ET INFINITO.

—

QUÆSTIO XIV.

DE MOTU ET ACTIONE.

—

ARTICULUS PRIMUS.

Explicatur definitio motus, et ejus essentialia constitutiva.

Motus etsi pluribus modis ab Aristotele declaratus sit, unica tamen definitione definitur, scilicet : *Actus entis in potentia prout in potentia*, licet enim dixerit Philosophus, quod motus est actus mobilis ut mobile, et iterum quod est actus activi et passivi, prout talia sunt. tamen per hæc non introducit novam definitionem, sed explicat difficultates ex illa definitione ortas, scilicet quomodo motus pertineat ad mobile, et ad movens. Tota autem definitio ab Aristotele tradita ad hoc tendit, ut ostendat motum esse actum imperfectum, id est, cui aliquid restat acquirendum ad differentiam earum diffinitionum, quas tradiderunt antiqui, et Philosophus reprobat, qui collocabant motum sub non ente, vel sub inæqualitate aut similibus; prout ex text. cap. 1, colligitur.

Pro explicatione autem definitionis traditæ, notanda sunt verba D. Thomæ, III Physic. lect. 1, ubi de natura motus loquens : « Quod antequam aliquid moveatur, est in potentia ad actum perfectum, qui est terminus motus, et ad imperfectum qui est motus, sicut aqua antequam incipiat calefieri, est in potentia ad calefieri, et ad calidum esse ; cum autem calefit, reducitur in actum imperfectum, qui est motus, sed respectu sui adhuc remanet in potentia. » Quam doctrinam etiam tradit s. doctor XI Metaphys. lect. IX. Ex quo colligitur, quod res potest considerari in triplici statu. Primo, in potentia tantum sine aliqua reductione ad actum. Secundo, in actu ultimo. Tertio, medio modo, quando est partim in actu, partim in potentia. Et quando est in potentia tantum, nondum movetur; quando est in actu perfecto, seu ultimo, cessat motus : quando medio modo se habet, tunc est in moveri, et in transitu de uno ad aliud.

Ex his ergo explicatur motus per suas partes. Primo dicitur *actus*, quasi loco generis, et sumitur actus pro eo, quod distinguitur a potentia, abstrahendo ab actu perfecto, vel imperfecto. Et licet includat motus aliquid potentiæ, ponitur tamen in genere actus et non potentiæ, quia præcipuum officium motus est reducere mobile in actum, licet quia id facit tanquam actus imperfectus aliquid potentialitatis includat. Invenitur autem in motu duplex habitudo potentialitatis, altera respectu mobilis, seu subjecti recipientis motum, in quo convenit motus cum aliis formis, quæ etiam reducunt subjectum de potentia ad actum informando illud. Et ad hoc explicandum ponitur sequens particula *entis in potentia*, id est, subjecti existentis in potentia. Non autem dicitur corporis in potentia ne supponatur id, quod probandum erit de subjecto motus, scilicet quod sit corpus quia est divisibile. Altera autem habitudo potentialitatis in motu est ad ulteriorem terminum, in quo distinguitur a reliquis formis, quæ solum actuant subjectum in quantum est potentia ad se, motus autem actuat subjectum, non solum ut est in potentia ad se, sed ut est in potentia ad ulteriorem terminum, et propterea dicitur, quod est *entis in potentia prout in potentia*, sicut æs quando movetur ad formam statuæ, non actuatur a motu in quantum æs, sed in quantum in potentia ad statuam, ita D. Thomas III Physic. lect. II, §. Manifestat, etc.

Ex qua explicatione solvuntur plures instantiæ, quæ contra istam definitionem objici possunt. Non potest argui, quod est redundans, quia convenit aliis, et quod est diminuta, quia non explicat omnia, quæ sunt de essentia motus. Et quod conveniat aliis probatur, nam convenit omnibus formis imperfectis, quæ relinquunt subjectum in potentia ad alias formas, ad quas ordinantur, et tamen non sunt motus sicut forma embryonis relinquit materiam in potentia ad formam perfectam equi, et similiter calor ut quatuor ad calorem perfectum ut octo, et tamen neque forma embryonis, neque calor ut quatuor sunt motus, ergo, etc. Quod vero sit diminuta probatur, quia non explicat aliqua, quæ sunt de concepto motus, v. g. quod sit ab agente, et in passo et ad terminum ad quem, quæ habitudines sunt essentiales motui, cum motus essentialiter sit via et tendentia ab uno ad aliud, ergo definitio data undique deficit.

Ac primum respondetur, formam imperfectam dupliciter sumi posse. Uno modo, quia est imperfecta in ratione formæ comparative ad aliam perfectiorem : alio modo, quia non solum est imperfecta comparative ad aliam formam, sed etiam habet statum potentiæ et imperfectionis, qui est tendere ad formam, tanquam ad terminum : hoc enim requiritur ut actus ille ita sit imperfectus, quod non sit terminus motus, quantumcunque enim forma sit imperfecta in ratione informandi, si tamen non habet illum statum imperfectionis, qui est tendere, non est motus, sed terminus motus, nam hoc ipso quod forma aliqua informat, et cessat tendere ad ulteriorem terminum, cessat motus. Unde calor ut quatuor licet sit imperfectus in informando respectu caloris ut octo, tamen si cessat tendere ad calorem ut octo, non informat ut motus, sed ut forma imperfecta, et sic intelligitur definitio motus, quod sit actus entis in potentia, prout in potentia, id est, prout habens statum potentiæ, qui est tendere ad actum.

Ad secundum respondetur, quod illæ habitu dines etsi non ponantur expresse, ponuntur tamen virtualiter. Per hoc enim quod dicitur *entis in potentia prout in potentia*, denotatur subjectum, quod patitur, seu transmutatur ; sic enim est in potentia dum mutatur de uno ad aliud. Ubi autem est passio, virtualiter insinuatur actio, quia passio non est nisi transmutatio ab aliquo agente. Similiter habitudo termini a quo ad terminum ad quem insinuatur in eadem particula *prout in potentia*, intelligitur enim quod sit in habitudine, et potentia ad ulteriorem terminum, qui est terminus ad quem, ubi consequenter insinuatur terminus a quo, quia non est transi-

tus ad terminum ad quem, nisi ex aliquo termino a quo.

Explicata definitione motus restat explicare, an conveniat omni motui, tam successivo quam instantaneo, tam continuo quam discreto, quod est inquirere, an successio, et continuitas sint de essentia motus hic definiti. Aliquorum enim sententia est, solum motum successivum in hac definitione includi non mutationem instantaneam, ut generatio substantialis. Quam sententiam videntur tenuisse aliqui antiqui, qui ut refert D. Thomas XI Metaph. lect. IX, dicebant, quod motus est exitus de potentia in actum non subito: ex recentioribus tenent illam M. Soto III Physic. quæst. I, concl. III, quem sequuntur Conimbricenses III Physic. quæst. I, art. II ad 3, licet fateantur esse contra D. Thomam. Fundamentum est, quia tales actiones instantaneæ non sunt actus entis in potentia, siquidem in uno, et eodem instanti completur tota mutatio, et sic tota est simul in actu, non partim in actu, partim in potentia, sicut requiritur ad rationem motus. Item quia alias creatio esset mutatio, quod negat D. Thomas I part. quæst. XLV, art. II ad 2 et 4, nam est productio instantanea faciens transire de non esse ad esse, et non minus habet de potentia et actu secundum diversas prioritates naturæ, quam generatio, vel illuminatio. Denique, quia alias actus immanentes intellectus, et voluntatis essent motus hic definiti, siquidem sufficit, quod sint mutationes instantaneæ, et habeant actum, et potentiam secundum diversa instantia naturæ, non temporis.

Nihilominus difficultatem hanc ita resolvit D. Thomas V Physic. lect. II, in principio ubi inquit Aristoteles supra in III: « Ubi motum definivit, accepit nomen motus secundum quod est commune omnibus speciebus mutationis, hoc modo accipit hic nomen mutationis, motus autem accipitur magis stricte pro quadam mutationis specie. » Ita D. Thomas. Ex qua doctrina colligitur in hac definitione definiri mutationem generaliter sumptam, prout comprehendit instantaneam et successivam, et hæc ipsa est sententia M. Soto ubi supra. Ratio autem est, quia etiam mutatio instantanea est actus entis in potentia, prout in potentia, quia in generatione substantiali materia, quæ habet rationem subjecti, est in potentia mutationis, et transitus de una forma ad aliam, ergo ipsa mutatio habet quidquid requiritur ad rationem motus sic definiti, siquidem est actus existentis in potentia, supponens ipsum subjectum, ut in potentia existens, scilicet materiam primam: et de potentia transire ad actum, quatenus in eodem instanti datur fieri, et factum esse, et relinquendo unum terminum a quo, et transeundo ad terminum ad quem; ergo mutatio instantanea etiam in definitione motus comprehenditur. Quare Philosophus in hac definitione motus posuit exempla in omnibus mutationibus, alteratione, augmento, motu locali, et generatione, ut patet in hoc tertio libro, lectione secunda apud D. Thomam. Unde non accepit generationem lato modo prout etiam alterationem antecedentem comprehendit; nam cum posuisset exemplum in alteratione, et augmento, non poterat iterum nomine generationis intelligere alterationem.

Cæterum loquendo de mutatione instantanea actus immanentis intentionalis, illa excluditur a motu physico hic definito, ut patet per Aristotelem III de Anima, textu XXVIII ubi loquens de sentire, et intelligere inquit: « Quod alia est species motus; motus enim imperfecti actus, simpliciter autem actus alter est qui perfecti, » ubi S. Thomas explicans hunc textum, inquit: « Quod motus physicus est actus existentis in potentia, quia videlicet recedens ab uno contrario, quandiu movetur non attingit alterum contrarium, quod est terminus motus, sed est in potentia ad ipsum, et quia omne quod est in potentia, in quantum hujusmodi est imperfectum, ideo ille motus est actus imperfecti. Sed iste alius motus est actus perfecti, est enim operatio sensus tam facti in actu per speciem. » Ita D. Thomas et similiter videri potest I part. quæst. XVIII, articulo I. Ubi satis profunde naturam motus explicat, quia in tantum dicitur esse in potentia, in quantum subjectum motus ita recedit ab uno contrario, quod nondum attingit aliud, sed aliquo modo est in potentia ad illud et hoc est esse actum imperfecti, id est, esse actum subjecti in tali dispositione positi, quod nondum habet formam, nec attingit illam; quando vero aliquid operatur attingendo actu ipsam formam quam habet illa operatio non est motus de potentia ad actum, sed habens actum, et ideo non continetur in ista definitione motus, qui est actus existentis in potentia, prout in potentia. Actus autem immanentes versantur circa objectum, etiam quando actu habent illud, imo tunc perfecte operantur circa objectum, quando magis actuantur ab illo, et possident illud, ergo talis operatio non consistit in motu physico definito procedente de potentia ad actum, et ideo dicitur motus perfecti, id est, existentis in potentia. Unde patet operationem de se non requirere potentialitatem in eo, a quo procedit, sed salvari posse cum summa actualitate, invenitur enim operatio remoto motu, quando operans non respicit objectum ut non habitum, sed etiam habendo illud, operatur circa illud cognoscendo, vel amando.

Ad argumenta supra posita respondetur. Ad primum, quod licet in eodem instanti generationis simul sit fieri, et factum esse, tamen vere invenitur transitus, et mutatio de potentia in actum, secundum diversa instantia, et prioritates naturæ, mutatur enim aliquid de non esse ad esse. In actu autem immanente, ex eo præcise quod immanens est, non fit transitus de potentia ad actum circa objectum cognitum, nisi per accidens, si objectum non sit sufficienter unitum aut habitum in ipsa potentia, per se enim loquendo quanto magis in actu habetur ipsum objectum, tanto perfectior est operatio circa ipsum. Et licet producatur species expressa, ad quam est in potentia per speciem impressam, tamen non consistit ratio actus immanentis in hujusmodi productione nam etiamsi non producatur talis species expressa, sicut non producitur in sensu externo, vel etiam postquam producta est in intellectu, datur vera operatio cognitionis circa objectum; de quo amplius dicetur in tertio de Anima.

Ad secundum de creatione respondetur, non esse mutationem, quia deest illi subjectum sine quo non datur actus existentis in potentia, atque adeo deficit illi una pars definitionis motus; dicitur tamen mutatio non ex parte subjecti, sed ex parte termini transeuntis de non esse ad esse, quod est significari per modum motus, ut dicit S. Thomas I p. q. XLV, art. II ad tertium.

Quod vero attinet ad continuitatem motus, an sit de essentia motus, quod sit continuus, vel includatur etiam in hac definitione motus discretus, respondetur, motum discretum alium inveniri in naturalibus, alium in spiritualibus. In spirituali-

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bus non est aliud, quam pluralitas operationum indivisibilium, et sic est extra latitudinem motus physici qui divisibilis esse debet. In naturalibus autem motus discretus non est aliud, quam plures motus continui interrupti, sicut quantitas continua, divisione facta redditur discreta. Est tamen differentia in hoc, quod quantitas discreta licet ex vi divisionis, et multitudinis tantum non constituat particularem speciem quantitatis, quia tamen induit diversam ordinationem partium divisarum, et mensurationem, ideo numerus constituit diversam speciem quantitatis. At vero motus discretus non induit rationem exeuntis de potentia ad actum, nisi tantum eam, quam habet continuus, per cujus interruptionem redditur discretus, et sic non constituit distinctam speciem, sed reducitur ad speciem continui.

Quod si ultimo inquiras, an motus localis Angeli includatur in motu physico hic definito, respondetur, in sententia D. Thomæ motum Angeli fieri per ipsam actionem intellectus secundum quod habet efficaciam aliquid transmutandi, et sic ipsa actio movendi Angeli est conceptio intellectus, ut expresse affirmat sanctus doctor opuscul. XI, art. III. Unde consequenter removeri debet motus localis Angeli a ratione motus physici, sicut ipse actus intellectus. Adhuc tamen abstrahendo ab hoc, etiamsi motus localis sit aliquid præter conceptionem intellectus, excluditur tamen a motu physico, etiam quando est motus continuus in Angelo, quia non est simpliciter divisibilis, sed solum ex parte subjecti, in quo est motus, quia ut dicit D. Thomas I part. quæst. LIII, art. I, Angelus dum movetur partim est in termino a quo, et partim in termino ad quem, ut tamen partialitas non referatur ad substantiam Angeli, sed ad locum, quia in principio motus continui Angelus est in toto loco divisibili a quo incipit moveri, sed dum est in ipso moveris, est in parte primi loci quem deserit, et in parte secundi loci, quem occupat. Itaque motus Angeli est indivisibilis subjective, divisibilis autem terminative. Sed de hoc latius pertinet ad Theologos.

ARTICULUS II.

Utrum motus distinguatur ab actione et passione, a termino a quo et ad quem?

Omnes habitudines, quæ in motu reperiuntur, reducuntur ad ista quatuor, eo quod in omni motu seu mutatione, ut inquit D. Thomas quæst. III de Potent. art. III, est duplex processus, scilicet inter terminos a quo et ad quem, et inter movens et mobile. Inquirimus ergo, quomodo distinguatur motus ab actione et quomodo etiam distinguatur a termino.

Et quantum ad terminum ad triplicem sententiam reducuntur varia placita auctorum. Prima affirmat actionem et passionem inter se et a motu distingui realiter. Ita sentiunt, qui existimant actionem esse in agente, et passionem in passo, de quo sequenti articulo agemus. Eamdem sententiam communiter sequitur schola Scoti, in qua distinguitur actio prædicamentalis, et actio physica, et actionem prædicamentalem constituunt in respectu agentis ad passum, quia per talem actionem formaliter constituitur agens in ordine ad passum, et sic apud ipsos actio prædicamentalis non est productio termini, sed formalis relatio agentis ad passum, unde distinguunt realiter actionem et passionem inter se, et a motu. Actio autem physica

sumitur ab ipsis pro ipsa forma fluente, quæ ut respicit passum, dicitur passio physice, et ut est ab agente, actio, et sic tales respectus, non constituunt ipsum agens ad passum, sed ipsum motum, seu formam fluentem, cum qua aliqui putant identificari istos respectus, alii vero etiam differre putant, solumque identificari cum motu tanquam cum subjecto. De qua sententia Scotistarum videri potest Fuente lib. III Physic. q. II, fere per totam.

Secunda sententia non agnoscit, nisi distinctionem rationis inter actionem, et passionem, et motum: sed adhuc dividuntur. Nam quidam existimant non distingui nisi ratione, quia motus se habet ut gradus superior respectu actionis, et passionis. Quod attribuitur M. Soto III Phys. quæst. II, concl. III, §. Quæritur, et tenet Cabero III Physic. disp. I, dub. II. Alii vero existimant motum se habere ad actionem, et passionem non ut genus, cum sint prædicamenta primo diversa, et motus est postprædicamentum; sed tanquam quid præsuppositum ad actionem, et passionem, cum quo tamen identificantur taliter, quod sola ratione ratiocinata ab eo distinguuntur. Ita Rubius III Physicor. tractat. I, quæst. VII, et P. Suarez disp. XLIX Metaph. sect. II, qui etiam addit num. XIII, quod licet actio, et passio differant ratione ratiocinata, motus tamen, et passio, nec ratione ratiocinata differunt, sed sola nominis appellatione eo quod eamdem definitionem habet Philosophus motus, et passio, et D. Thomas I-II, quæstione I, articulo III, dicit: « Quod calefactio passio nihil aliud est, quam motus ad calorem. »

Tertia sententia est, quod actio, pasio, et motus distinguuntur a parte rei, non tamen distinctione reali, ut res a re, sed distinctione modali. Est communis Thomistarum ut videri potest apud Nazarium I part. quæst. XXIV, art. I; Araujov Metaphys. quæst. I, artic. IV; collegium Carmelitanum III Physic. disp. XVII, quæst. II, ubi plures citantur.

Circa secundum respectum, id est, habitudinem inter terminum a quo, et ad quem in motu, etiam variant auctores. Nam quidam distinguunt motum a termino ad quem sola ratione ratiocinata, sumunt enim motum pro ipsa entitate, seu forma fluente, quæ solum differt a termino ratione status, quia scilicet vel est in via, vel est in termino, in mutatione, vel mutato esse. Alii ex opposito distinguunt motum a termino realiter, quia revera motus non est forma fluens, nam forma non fluit, sed fit totaliter de novo, motus autem se habet ut via, seu tendentia ad istam formam, unde videmus separari motum a termino, et e contra, nam incipiente motu est motus sine termino, et cessante motu est terminus sine motu, ergo distinguuntur, quia separantur. Alii denique existimant distingui motum a termino modaliter, seu formaliter, realiter vero motum non esse aliquid præter res, ad quas est motus.

Dico primo: Actio, et passio non respiciunt motum tanquam genus, et gradum sibi essentialem, sed sunt conditionis intrinsecæ ipsius motus, eique quasi subjecto convenientes. Sumitur ex Aristotele III Physicor. text. XXII, ubi inquit: « Quod omnino neque doctio est idem cum disciplina, neque actio idem quod passio, sed motus cui hæc insunt. » Et D. Thomas III Physicor. lect. IV, dicit: « Quod cum motus abstrahat a ratione actionis et passionis, non continetur in prædicamento actionis, neque passionis, ut aliqui dixerunt. »

Et præter rationem insinuatam

quod actio, et passio sunt prædicamenta primo diversa, et sic non habent genus supra se, deducitur fundamentum conclusionis ex eo; quia actio et passio identificantur cum motu a parte rei; ergo non possunt respicere illud pro genere, nisi multiplicetur in eis motus; quod est falsum, ut probat Philosophus ibi, quia alias si essent duo motus actio rederet motum subjectum in quo est, et sic si subjectum est agens, moveretur in quantum agens, quod est falsum, quia agens ut agens solum movet; si autem est in passio, moveretur passum duplici motu respectu unius, et ejusdem termini, quod est falsum, non ergo multiplicatur motus in actione, et passione, et consequenter motus non est genus ad illa; repugnat enim quod aliquid sit genus ad duas species, et non multiplicetur in illis, siquidem contrahitur et dividitur per differentias talium specierum, unde si non dividitur, sed identificatur cum utraque specie, non est genus illarum, sed aliquid præsuppositum. Et hoc est quod dixit Philosophus quod actio et passio sunt idem cum motu, cui hæc insunt; inesse autem illi denotat, quod habet rationem subjecti, seu præsuppositi, non subjecti ut *quod*, sed ut *quo*, tanquam conditiones necessariæ motus, siquidem motus essentialiter est fluxus, et tendentia quædam, quæ necessario requirit fluere ab aliquo, et tendere ad aliquid in aliquo subjecto, quod est includere actionem, et passionem. Et sicut in ipso termino in facto esse actio, quæ identificatur cum termino, habet ipsam entitatem termini ad modum subjecti, et rei, cum qua identificatur, ita et ipse motus, qui est terminus in fieri, habet actionem quasi formalitatem sibi identificatam.

Quod si dicas: Non repugnare, quod gradus genericus corrupta specie maneat in alia specie, quæ est sub eodem genere, ut cum circulus transit in semicirculum non corrupta ratione figuræ, quæ est gradus genericus, ergo non repugnabit etiam eumdem motum identificari cum actione et passione saltem entitative, licet multiplicetur formaliter motus actionis, et passionis. Sed contra est, quia implicat, quod corrupto gradu specifico remaneat idem gradus genericus, quia ab eadem forma provenit gradus genericus et specificus; corrupta ergo forma, neque specificus gradus manet, neque genericus, licet posset manere similis gradus, quia utraque species est sub eodem genere, sed non idem. Si vero dicitur multiplicari motum formaliter, sed non entitative, ergo multiplicabitur effectus ejus formalis, et sic duplici motu movebitur etiam respectu ejusdem termini, quod tanquam inconveniens infert Aristoteles in hoc libro, text. XIX.

DICO SECUNDO: Actio et passio non distinguuntur sola distinctione rationis, sed distinctione modali, seu formali reali, tam inter se, quam a motu. Quæ distinctio formalis non est illa, quam ponit Scotus, qua dixit distingui ea a parte rei, quorum unum non est de conceptu alterius, sed distinctio formalis, de qua loquimur est idem quod distinctio modalis, quæ ab omnibus admittitur. Conclusio ergo posita est D. Thomæ qui affirmat actionem et passionem importare diversas habitudines motus, et remoto motu nihil remanere, nisi habitudinem originis, et receptionis, ut patet 1 part. q. XXVIII, artic. III ad 1, et quæst. XLI, artic. I ad 2, et quæst. XLV, art. II ad 1, ubi inquit: « Quod actio, et passio conveniunt in substantia motus, et differunt solum secundum diversas habitudines, » ut dicitur

III Physic. » Et ita oportet, quod subtracto motu, non remaneant nisi diversæ habitudines, » et idem repetit articulo sequenti.

Ex quo sumitur fundamentum hujus sententiæ, quia in actione, et passione importantur diversæ habitudines ad movens, et ad mobile secundum rationem originis, et receptionis, vel ergo istæ habitudines sunt relationes prædicamentales, et secundum esse, vel secundum dici. Si primum, manifestum est aliquid addere ad motum, quia relatio aliquid est præter suum fundamentum. Si secundum, ergo sunt aliquid absolutum fundans illam relationem, et sic cum fundent relationes diversas, utpote ad diversos terminos se habentes, non poterunt omnino esse idem fundamentum, sed oportet quod distinguantur non minus, quam ipsæ relationes fundatæ. Item potest dari actio sine motu, ut patet in creatione, ut S. Thomas affirmat I p. q. XLV, art. II et III. Ergo actio ex suo conceptu differt a motu tanquam aliquid a parte rei distinctum; motus enim non se habet ut genus, sed ad modum subjecti respectu actionis, ut dictum est, si ergo ex natura sua aliquando separari potest a motu, signum est a parte rei distingui. Ut omittam, quod actio, et passio sunt distincta prædicamenta, ergo postulant distinctionem plusquam rationis; quia cum prædicamenta sint coordinationes entium realium, ubi sunt distincta prædicamenta, debent esse distinctæ series realitatum, et consequenter diversa realitas saltem modalis.

Ex eodem principio constat decere distingui passionem, et motum, quia importatur in illis diversa habitudo; nam passio respicit subjectum, ut recipiens ab agente, et sic habitudo ejus est inter subjectum, et agens; dicitur enim aliquid pati ex eo quod trahitur ad agentem, ut dicit S. Thomas I-II, q. XXII, art. I. At vero motus respicit terminum per modum transitus et tendentiæ ad illum de imperfecto ad perfectum, et sic respicit terminum per modum transitus inter terminum a quo et ad quem, non formam per modum receptionis ab agente, ergo diversas importat habitudines.

Quod vero distinctio istorum trium non sit nisi modalis ex eo probatur, quia ut realitas illa motus dicatur actio non requiritur realitas superaddita, sed quod eadem se habeat ad agens secundum rationem originis ab eo, solum ergo est modus aliquis non realitas distincta, sed ejusdem realitatis nova respicientia, et modificatio. Et constat etiam ex eo, quia eodem actu, quo impello vel percutio alterum, ille dicitur percussus, vel impulsus, non ergo requiritur distinctus actus, seu realitas, ut motus sit actus activi, et actus passivi, sed sufficit distincta modalitas.

DICO TERTIO: Considerando motum respectu termini ad quem, motus entitative non distinguitur ab eo realiter, sed modaliter ratione diversi status imperfecti et perfecti, fieri et in facto esse, potest tamen secundum aliam considerationem reduci ad prædicamentum actionis, et passionis, et similiter est post prædicamentum. Sumitur hæc conclusio ex D. Thoma III Physic. lect. IV, §. Respondet ad tertium inconveniens, in fine, ubi inquit: « Quantum ad id, quod est in rerum natura de motu (id est, quantum ad entitatem) motus ponitur per reductionem in illo genere, quod terminat motum, sicut imperfectum reducitur ad perfectum, sed quantum ad id, quod ratio comprehendit circa motum, scilicet esse medium quoddam inter duos terminos, sic jam

implicatur ratio causæ, et effectus, nam reduci aliquid de potentia in actum non est nisi ab aliqua causa agente. Et secundum hæc motus pertinet ad prædicamentum actionis, et passionis. » Idem repetit in v Physic. lect. III, § 1.

Itaque quod motus reducatur ad prædicamentum sui termini, et non distinguatur realiter ab illo, ex eo constat, quia motus, et terminus ejus solum differunt sicut fieri, et factum esse, sicut res in tendentia et in termino, in potentia et in actu, si autem esset diversa res in fieri, et in facto esse, nunquam verificaretur quod ista res quæ modo est consummata, aliquando fuit inchoata, et in fieri, unde si illa res, quæ est in facto esse, distinguitur ab ea, quæ est in fieri, illa quæ est in facto esse, solo illo instanti fieret, non vero motu, quia quidquid motu, et fieri antecedenter se haberet, pertineret ad aliam realitatem. Et non sufficit sola distinctio rationis, sicut est inter genus, et differentiam, quia ibi solum intervenit potentia logica, et secundum compositionem intellectus, quia uterque gradus radicatur in eadem forma, motus autem dicit potentiam physicam ad terminum secundum realem transitum, et successionem de uno in aliud, quod sine aliqua distinctione saltem diversi status nequit intelligi; quia vero iste transitus et mutatio non stat sine origine ab aliquo, et receptione in aliquo in quo fit mutatio, necessario reducitur ad actionem et passionem, ut identificatur cum illis.

Quod denique motus etiam sit post prædicamentum, ex eo constat, quia motus potest sumi dupliciter. Uno modo pro eo cum quo identificatur, sive sit forma ipsa, ad quam tendit, sive actio, et passio, sine quibus non tendit. Secundo, pro ipso statu, seu conditio, in qua constituit formam, vel actionem, est enim motus status quidam oppositus quieti; termini enim motus non solum est ipsa res, ad quam tenditur, sed etiam quies in illa, ut notat S. Thomas I p. q. V, art. VI. Sic ergo motus, ut nominat statum quemdam oppositum quieti, cum sit status, seu conditio consequens ad plura genera, dicitur postprædicamentum, quia postprædicamentum est conditio aliqua, seu ratio consecuta ad plura prædicamenta, ut in Logica diximus. Motus autem pro re, cum qua identificatur ut imperfectum cum perfecto, vel ut medium inter agens et patiens reducitur ad ea prædicamenta, cum quibus identificatur.

Dico ULTIMO : Motus stricte sumptus ut condistinctus a mutatione generaliter dicta addit supra mutationem hæc tria. Primo, quod sit inter terminos positive contrarios, et non solum inter privationem et formam. Secundo, quod habeat pro subjecto aliquod ens in actu completum, licet mutatio salvetur in sola materia prima. Tertio, quod se habeat ut fluxus inter duos terminos, seu mutationes; in uno enim motu includuntur duæ mutationes, scilicet ex parte termini a quo corruptio, et ex parte termini ad quem generatio. De hac conclusione agemus infra libro V, quæst. XIX, interim videri potest S. Thomas XXVIII de Verit. artic. I, ubi sic inquit : « Differentia est inter motum et mutationem, nam motus unus est, quo aliquid affirmative significatum abjicitur, et aliud affirmative significatum adquiritur : est enim motus de subjecto in subjectum, » ut dicitur in V Physicorum : « Unde unus motus alterationis est, quo album abjicitur, et nigrum adquiritur : sed in mutationibus, quæ sunt generatio et corruptio, aliter se habet, nam generatio est mutatio de non subjecto in subjectum, ut de non albo in album : corruptio vero est mutatio de subjecto in non subjectum, ut de albo in non album. Et ideo in abjectione unius, et adeptione alterius oportet duas mutationes intelligi, quarum una sit generatio, alia corruptio vel simpliciter, vel secundum quid. Sic ergo idem motus figuratur per ablationem unius, et inductionem alterius, non autem significatur eadem mutatio, sed diversa. » Similia habet V Physic. lect. II. Et bene nota, quod ut detur duplex mutatio, scilicet corruptio et generatio, oportet quod terminus a quo sit aliquid positivum, quod corruptione tollatur. Si autem terminus a quo sit privatio, ejus corruptio non est distincta mutatio a generatione formæ, quia privatio non corrumpitur transeundo de esse ad non esse, cum non habeat esse, sed ipsa productione formæ introductæ in subjecto privatio solvitur. Tunc ergo intercedit corruptio ut realis mutatio, quando ex parte termini a quo est aliquid positivum incompatibile cum termino ad quem, quod debet mutari de esse ad non esse; et ideo quia motus est inter duos terminos positivos, includit duplicem illam mutationem corruptionis unius, et generationis alterius. Et quia est inter terminos contrarie sive positive oppositos quæ sunt accidentia, ideo requiritur, quod subjectum motus sit ens in actu, seu substantia completa, et non solum materia prima, sicut sufficit pro generatione substantiali.

Solvuntur argumenta.

Pro prima sententia arguitur : Quia actio et passio sunt distincta prædicamenta, ergo debent realiter distingui, siquidem solum entitates reales constituunt prædicamentum. Confirmatur, quia forma fluens, et manans ab aliquo agente posset ab alio emanare, et in alio subjecto recipi, ergo illæ dependentiæ actionis, et passionis variari possent in ipsa entitate formæ, ergo non identificantur cum illa, sed realiter distinguuntur.

Respondetur, quod ad distinctionem prædicamentorum sufficit distinctio modalis, sicut ubi, et situs respectu substantiæ, aut quantitatis, et in multorum sententia relatio respectu fundamenti. Ad confirmationem respondetur, quod dato quod eadem numero forma posset procedere ab alio agente, solum sequitur quod ille modus actionis, et passionis posset esse alius; non tamen quod sit realitas, et non modus; hæc enim est natura modorum, ut licet identificentur cum re, tamen possint amitti, vel desinere esse, ipsa re permanente, licet non possint separatim existere sine re, ut patet in ubi, et situ, et relationibus, quæ amittuntur, vel ponuntur, subjecto non perenute, et tamen identificantur ut modi.

Pro secunda sententia arguitur ad probandum quod motus sit genus ad actionem, et passionem. Primo, quia non possunt aliter connecti actio, et passio cum motu nisi secundum prædicationem essentialem, alias accidentaliter motui convenirent. Secundo, quia ipsa actio essentialiter est quædam mutatio, quia per illam agens mutatur de non agente in agens, et similiter per passionem mutatur patiens, et habent se per modum viæ, et fluxus, quia non durant nisi quamdiu effectus producitur, et est in fieri, ergo habent totam rationem motus. Denique, motus non potest esse subjectum actionis, vel passionis, quia non denominatur ab illis, neque, enim motus dicitur agens, vel pa-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tiens, ergo non tribuunt ei effectum formalem, et sic non habent illum pro subjecto, sed pro genere.

Respondetur, connexionem inter actionem, et passionem cum motu non esse connexionem generis cum differentia, vel specie, sed modi cum re modificata, ad quam requiritur intrinsece, sicut figura requiritur quantitatem, substantia substantiam, tempus requirit motus tamquam aliquid præsuppositum essentialiter, et fides requirit obscuritatem intrinsece, non ut constitutivum, sed ut modificativum sui.

Ad secundam probationem dicitur, quod actio etiamsi subjective sit in agente, non mutat ipsum agens tamquam motus, sed actualitas, seu forma, quæ constituit agens non motum, sed moventem sicut etiam forma substantialis, vel accidentalis constituit aliquid tanquam forma, non tanquam motus. Si tamen causa creata movetur ad hoc ut agat illa motio non est formaliter per actionem illius, sed per concursum, seu auxilium causæ superioris moventis.

Ad tertiam probationem dicitur, quod motus non est subjectum actionis denominative, et ut *quod*, sed identificative, et ut subjectum *quo*, sicut etiam relatio identificatur cum fundamento, et habet illud ut subjectum identificationis, subjectum autem inhæsionis est ipsum suppositum, in quo est tale fundamentum, et similiter figura identificatur cum quantitate, sed denominat tanquam subjectum substantiam.

Tertio arguitur ad probandum, quod motus, et actio solum distinguantur ratione, quia motus est actus actui ut ab hoc, et passivi ut in hoc; ergo ut sit actio non indiget nova entitate, vel modo, sed tantum seipso ut dependente, vel recipiente id a quo est, sicut etiam existentia non distinguitur ab essentia, nisi ratione, quia est entitas essentiæ, ut producta, et dependens ab agente. Deinde, quia si essent tres formalitates actio, passio, et motus, moveretur mobile tribus mutationibus, quotiescunque movetur ad unum terminum, quia recipit omnes illas. Denique, ad hoc faciunt auctoritates supra allatæ, ex Philosopho et D. Thoma referendo hanc sententiam ex P. Suarez.

Respondetur, non indigere motum nova realitate, ut dicatur actio, sed distincta formalitate, quia in actione importatur origo ipsius motus et causalitas agentis, quæ aliquid superaddit effectui, existentia autem si non distinguitur ab essentia in sententia illorum Auctorum, non est, quia importat respectum ad producens, sed quia sine existentia entitas essentiæ manet in statu possibilitatis, et non ut ens reale. In quo tamen consequenter deberent dicere hi Auctores, quod actio si identificatur cum re producta, non distinguitur ab ipsa nisi ratione, quia sine actione res producta est nihil, si tamen intelligitur causalitas, seu actio distingui a re quam producit cur non etiam existentia, quæ est terminus actionis?

Ad secundam probationem dicitur, non moveri mobile tribus motibus, quia actio et passio non sunt motus distincti, sed conditiones, seu modi unici motus, quo movetur mobile ad unum terminum.

Ad auctoritates Philosophi et D. Thomæ respondetur, quod definitio motus, quando definitur quod est actus entis in potentia, etc. non est eadem cum definitione passionis: quando vero dicitur, quod motus est actus mobilis, non definitur ibi motus, sed explicatur ordo ejus ad subjectum, in quo convenit cum passione. Et quando dicit D. Thomas quod passio non est aliud quam motus, intelligitur entitative, et secundum comparationem ad subjectum, non secundum omnem formalitatem.

ARTICULUS III.

Quid sit actio, et quotuplex, et quid sit formalis terminus ejus?

Cum notissimum sit apud omnes, actionem esse actum secundum ipsius agentis, ut docet Philosophus in hoc tertio libro, textu XIX, actus autem duo habet officia, scilicet informare respectu subjecti, et originare, seu emittere ex se effectum, quod pertinet ad terminum, utrumque in actione explicandum est; in hoc quidem articulo id, quod proprium est actionis, scilicet respectu termini, seu effectus quem ex se emittit; in sequenti vero id, quod est commune actioni in quantum accidens est, scilicet in quo subjecto sit, an in principio a quo emittitur, quod est agens, an in subjecto, in quo terminus ejus recipitur, quod est passum.

In præsenti ergo propriam rationem actionis per aliquot dubiola explicabimus. Primo, quæ sit definitio actionis. Secundo, an sit de ratione ejus, quod producat terminum, vel solum quod uniat, aut aliquo modo attingat. Tertio, quid sit terminus formalis, a quo specificatur. Quarto, de divisione ejus in creativam, et eductivam. Quinto, de divisione ejus in transeuntem, et immanentem.

Primo ergo inquires, quæ sit definitio actionis tam physice, quam logice, seu metaphysice? Respondetur, quod actio potest definiri, vel quantum ad ipsam formam, quæ est actio quasi in actu signato, vel quantum ad exercitium ipsius formæ, quod est agere. Et quidem agere, ut dicit S. Thomas quæst. II de Potent. articulo primo, nihil est aliud quam: « Communicare illud, per quod agens est in actu secundum quod possibile est. » Qua definitione complectitur omne agere tam creatum quam increatum, tam intra Deum quam ad extra, licet diversimode: nam res creatæ, et actio Dei ad creaturam communicat id quod est in agente cum aliqua multiplicatione, et divisione, nec potest communicare totum quod est in agente, et totaliter, quia fit cum aliqua limitatione saltem ex parte rei communicatæ, hoc ipso quod creata est. Communicatio vero Dei ad intra, quia perfectissima est, et sine ulla limitatione ex parte communicantis, et rei communicatæ, ideo agens communicat se totum.

Actio autem sumpta pro forma varie definiri solet. Primo, quod actio est *actus activi, ut activum est*, ut dicitur tertio Physicor. textu IX. Secundo, quod actio est *id, quo denominatur agere*, vel ut dicit Auctor sex principiorum, et D. Thomas opusculo XLVIII, tract. de act.: « Actio est forma, qua in id, quod subjicitur, denominatur agere; » ubi definitur actio relative ad passum, quod subjicitur, quæ est definitio actionis prædicamentaliter, seu logice consideratæ. Tertio, dici potest actio *causalitas agentis, seu id, quo effectum causat*, vel ut definit S. Thomas in Physicor. lect. V: « Est actus ab agenti in aliud, » et I part. quæst. LIV, artic. II: « Actio est effluxus in actum ab agente. » Denique, definiri potest actio, *quod est actualitas virtutis*, ut dicit D. Thomas eadem quæstione, art. I.

Secundo, dubitabis in quo consistat formalitas actionis, an in ratione productionis effectus, vel unionis ejus ad passum, seu eductionis, aut in quo tandem consistat. Respondetur, quod ut supra diximus, quæst. XII, art. IV, et docet D. Tho-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mas opusc. XLVIII, cap. de actione, de conceptu actionis est actualis emanatio, seu emissio alicujus ab agente; distinguit autem D. Thomas duplex genus actionis, alterum quod est cum innovatione et motu, alterum sine illo per simplicem effluxum alicujus a suo principio, ut patet in quodlib. IV, artic. IX et opus. XV, cap. IX. In causis autem creatis actio, seu effluxus est medium inter agens, et effectum quasi accidentaliter, et non substantialiter illi conveniens non tanquam res producta, sed tanquam modus, seu ratio ipsa producendi, de quo videri potest D. Thomas II contra Gent. cap. XXXV, et in II, dist. I, q. I, art. V ad 11 et I p. q. XXV, art. I ad 3.

Ex quo constat, quid sit de conceptu formali actionis præcise, ut actio est, quid vero pertineat ad specialem modum, vel connotationem ejus, in quantum talis actio est. De ratione enim actionis ut causalitas est agentis, præcise est quod sit actualitas per modum emanationis, seu originis ipsius effectus ab agente cum dependentia effectus ab ipso, et ista habitudo agentis ad effectum, mediante qua effectus dependet ab ipso, est de intrinseca ratione actionis; quæ est causalitas, et ita semper requirit aliquam novitatem saltem quoad modum, et dependentiam in ipso termino, respectu agentis. Superadduntur autem actioni alii respectus, sive connotationes, vel respectu termini a quo, in quibus formaliter non consistit actio, licet illos admittat, et per illos dividi possit, v. g. quod actio sit productio, vel reproductio, eductio, vel inductio, sive unitio, sive immutatio; omnia ista important diversas connotationes actionis et diversos respectus, verb. gr. quod sit productio, importat actionem cum novitate ipsius esse in termino, ita quod in rebus creatis transeat de non esse ad esse quando producitur. Reproductio dicit actionem connotando rem fuisse. Et salvatur actio sine productione novæ entitatis in termino, ut patet in transubstantiatione, quæ convertit aliquid in præexistens; et intensio salvatur sine productione novæ qualitatis, solum per novam unionem ipsius ad subjectum in opinione Thomistarum, de qua in libris de generatione. Item quod actio sit eductio formæ, vel inductio, sive unitio ipsius, vel etiam mutatio vel motus convenit actioni secundum respectum ad passum, sive subjectum, de quo forma educitur, vel cui unitur: unde sine tali connotatione salvatur ratio actionis solum per ordinem agentis ad effectum: unde solum conveniunt ista actioni, ut talis est, nempe, ut dependenter operans a materia.

Tertio dubitabis, quis dicendus sit terminus formalis, a quo sumitur specificatio, vel diversitas actionis? Respondetur, in sententia D. Thomæ certum esse actionem specificari, tum a principio, tum a termino, ut patet in prima parte, quæst. LXXVII, art. III, et licet frequenter etiam dicat D. Thomas specificationem actionis, ut actio est, sumi a principio, ut autem passio, seu motus est sumi a termino, ut in I-II, qu. I, art. III, tamen per hoc non negat specificari etiam actionem a termino, cum ipsa natura actionis instituta sit et ordinata essentialiter ad terminum, cum sit causalitas, quæ causa tum essentialiter respicit, sed explicare vult D. Thomas specialem rationem actionis, ut actio est, quia respicere terminum commune est actioni et passioni, sed respicere illum sub ratione originis ab aliquo principio, hoc est proprium actionis, et ideo etiam quando actio specificatur a termino specificatur etiam ab illo, ut aliquo

modo habet rationem principii, quatenus terminus præcedit in ipso principio operandi, ut in intentione, seu proportione, ut principietur actio, quia non potest principiari ab aliqua forma, nisi ut proportionata et ordinata ad talem terminum, quod explicavit S. Thomas I p. q. CV, art. V, ubi inquit: « Quod finis agens, et forma, se habent ut actionis principium, sed ordine quodam; nam primum principium actionis est finis, qui movet agentem; secundo vero agens: tertio vero forma ejus, quod ab agente applicatur ad agendum. » Quare cum D. Thomas dicit specificari actionem a principio, ibi includit etiam, quod specificetur a termino, scilicet ut continetur in principio.

Inquirimus ergo, quæ sit formalitas termini seu principii, a qua specificetur actio, nam circa eumdem terminum materialiter posse versari diversas actiones certum est, sicut ad eumdem locum materialem potest terminari motus ascensus, vel descensus, etc. Circa hoc ergo solum dicit D. Thomas q. LXXVII citata, quod non quæcunque diversitas objectorum diversificat potentias sed differentia ejus, ad quod per se potentia respicit. Et idem proportionaliter dicendum est de actionibus non potentiæ non nisi mediis actibus specificantur. Id ergo formalem terminum vocamus, quod per se ab actione vel potentia respicitur. Nam formalis terminus dicitur non secundum entitatem suam tantum, sed sub ea formalitate et ratione, qua conducit ad specificandum istam actionem, et ut attingatur ab ista potius quam ab alia, sicut diximus objectum formale visus esse corpus quatenus coloratum aut lucidum, tactus autem quatenus calidum vel frigidum.

An vero semper requiratur in termino, ut sit terminus formaliter distinctus ab alio aliqua ratio *quæ*, tanquam nova entitas vel modus, qui producatur, an vero sufficiat distincta ratio *sub qua*, vel novus respectus ad terminum a quo, vel nova dependentia ad agens. Ad hoc respondebimus infra quæst. XIX, art. I.

Quarto dubitabis, quæ sit divisio actionis in creativam, et eductivam, et quomodo differant. Respondetur, differentiam istarum actionum ex earum definitionibus cognosci, est enim actio creativa, quæ operatur effectum nullo subjecto præsupposito, sed ex nihilo. Actio vere eductiva est, quæ producit effectum ex aliquo subjecto præsupposito, immutando, et reducendo potentialitatem ejus in actum: ex quo colligitur non posse aliquid eadem actione simul educi, et creari, esset enim procedere ex nihilo, et ex aliquo: quod vero aliqui dicunt, quod licet quælibet actio non possit simul procedere ex nihilo, et ex aliquo, tamen quia in productione alicujus substantiæ multæ actiones concurrunt, verbi gratia creatio materiæ, e ductio formæ, unitio illius, etc. tota collectio actionum dicitur ex nullo alio præsupposito, licet quælibet actio divisim non possit simul esse eductiva, et creativa, hoc nihil est tum, quia hoc idem invenietur in quolibet effectu accidentali, nam etiam quando album producitur, tota collectio actionum, quæ ad illum prærequiruntur, ut productio subjecti, formæ albedinis, et unio ejus, non præsupponit aliud subjectum, ex quo tota illa collectio fiat: tum etiam, quia productio substantiæ non consistit in collectione plurium actionum, sed in illa, qua ultimom attingitur, sicut actio producens equum, non consistit in actione, qua ab initio producta fuit materia, sed qua modo generatur equus; illa enim præsupposita fuit non solum ad equum, sed ad omnia, quæ ex illa

materia possent generari. Certum tamen est, quod in collectione omnium actionum, quæ ad aliquid requiruntur etiam materiæ primæ, aliquid creationis involvitur.

An vero actio creandi sit prædicamentalis, licet non dicat ordinem ad passum, sed ad effectum, dependet ex his quæ articulo sequenti tractanda sunt, an ista actio sit in agente, vel in effectu, quatenus creata est, et an prædicamentum actionis solo ordine ad effectum constituatur, an etiam requirat ordinem ad passum, et ad passionem de quo ibi dicemus.

Ultimo dubitabis, quæ sit divisio actionis in immanentem, et transeuntem, et an immanens, vera actio sit. Respondetur quod si loquamur de actione physica, quæ cum motu et passione conjuncta est, certum est non convenire actioni immanenti, quia de se non requirit motum in ipso agente, sed tanto perfectior est, quanto magis supponit ipsum agens in actu: unde invenitur operatio immanens, ut cognitio sine aliqua transmutatione passiva subjecti, sed præcise per ordinem ad objectum, quia passio non ponitur in aliquo subjecto nisi quando producitur aliquis terminus seu forma, quæ in eo recipiatur; cognitio autem immanens, ut immanens est, per se non requirit productionem termini, ut patet in sensu externo, qui non producit in se aliquem terminum seu imaginem, in qua perficiat sensationem, sed immediate sentit terminum externum, ut in lib. de Anima dicetur. Quod si aliquando actio immanens producit terminum, non est præcise, quia immanens, sed quia virtualiter transiens, vel quia est dicens, seu expressiva.

Ex quo ulterius fit discursus ad negandum, quod actio immanens formaliter et pure non sit actio de prædicamento actionis, licet virtualiter actio esse possit. Ratio est, quia actio quæ est de prædicamento actionis tantum debet esse causalitas agentis, et connotare ordinem ad passum; causalitas autem agentis nunquam est ultimum, quod intendit agens, et ubi cessat ejus finis, sed est medium quo tendit ad terminum productum, aut de novo positum, propter quem est ipsa actio; at vero operatio immanens est ultimus actus, qui intenditur ab operante, tunc enim est in actu simpliciter cognoscens, quando actu operatur et intelligit, unde felicitas seu beatitudo, quæ est ultima hominis perfectio, in ipso actu intelligendi consistit, et perfectio viventis in operatione vitæ est, non in aliqua quiete, sed ipsa operatio propter se ipsam quæritur, non propter aliquem terminum, nam etiamsi producatur aliquis terminus, v. g. verbum, adhuc perfectio intelligendi non est in productione talis termini, sed in contemplatione in verbo jam producto, ergo operatio immanens non se habet per modum medii et viæ, qua aliquis terminus acquiritur, sed potius ipsa est ultima actualitas, quam intendit operans, et sic non est de genere actionis prædicamentalis, sive quæ infert passionem, sive quæ se habet per modum causalitatis tantum, quia non quæritur propter terminum causandum, sed propter suam actualitatem. Et hæc doctrina est D. Thomæ ut videri potest primo contra Gent. cap. c, ubi inquit: « Dico autem operationem in ipso manentem, per quam non fit aliud præter ipsam operationem, sicut videre, et audire, hujusmodi enim perfectiones sunt eorum, quorum sunt operationes, et possunt esse ultimi, quia non ordinantur ad aliquod factum, quod sit finis operatio vera, vel actio, ex qua sequitur aliquid præter ipsam, est perfectio operati, non operantis, et comparatur ad ipsum sicut ad finem. » Ubi aperte tradit nostram doctrinam, quare actio ista non fit de prædicamento actionis, quia non est pure causalitas agentis, eo quod non se habet ut medium et via, sed ut ultimum et finis. Actio autem prædicamentum, ut dicit S. Thomas in I, distinct. VIII, quæstione IV, artic. III ad 3, dicit aliquid fluens ab agente cum motu: quod ergo non se habet ut fluens et via, et cum imperfectione et motu seu ut præ se fluens, et ad ulteriorem perfectionem tendens, sed potius ipsa est ultimum, talis non est actio prædicamentum: unde expresse eam rejicit a prædicamento actionis D. Thomas opusculo XLVIII, tract. de actione.

Quod si inquiras, quomodo ergo producitur ista entitas, quam dicimus immanentem actionem; si enim est effectus, ergo supponit causalitatem, qua procedat ab efficiente; si vero non est effectus, ergo vel est causalitas ipsa et actio, vel entitas increata, vel nihil, respondetur tales actus immanentes esse virtualiter actiones, licet formaliter sint qualitates. Et pro ea parte qua actiones sunt, se ipsis emanant sicut actiones; et sicut passiones propriæ a substantia emanant, et relationes a fundamento, eo modo se habent illæ qualitates, quæ sunt actus immanentes respectu potentiæ, quia etiam habent munus et vim actionis licet eminenter seu virtualiter. Et hujus signum est, quia intellectio se ipsa est etiam dictio et productio verbi, ut tractari solet prima parte, quæstione XXVII, et dicemus in libro de Anima, ita quod dicere non distinguitur realiter ab intelligere; dictio autem et productio verbi causalitas ejus est, quia habet ipsam imaginem verbi pro termino et similitudine expressa. Ergo se ipsa potest emanare sine alia distincta actione, sed ipsa privilegium habet actionis. Similiter conceptio practica intellectus, habet vim movendi etiam extra se, quod non fit nisi actione transeunte, sicut dicit D. Thomas quod Angeli suo imperio quod est conceptio intellectus, movent cœlum, opusc. XI, ar. III, non ergo extraneum est ab actione immanente, quod habeat vim transeuntis, et pro illa parte emanat scipsa a potentia.

ARTICULUS IV.

Utrum actio transiens subjective sit in agente?

Procedit quæstio de actione transeunte, quia de immanente non est dubium subjectari in agente, ex eo enim immanens est, quia non perficit nisi ipsum agens. At vero transiens perficit non solum agens emanando ab ipso, sed etiam perficit effectum causando ipsum, et si effectus recipiatur in passo, etiam perficit passum mediante effectu recepto. Unde quia denominat et perficit agens, et similiter effectum et passum, quærimus in quo ex illis sit inhæsive, licet constet, quod ab agente sit emanative. Quod si actio non habeat passum sicut creatio, quia ipsum passum seu materiam efficit, non supponit, inquirimus an identificetur talis actio cum effectu, vel sit in ipso agente, non vero an sit in passo, quia caret illo.

In hac ergo difficultate concertatio est inter scholam Scoli, et D. Thomam et inter ipsos Thomistas inter se, licet ex diversis fundamentis. Censet enim Scotus actionem transeuntem subjectari in agente, ut patet in IV, distinct. XIII, quæst. I, §. Ex dictis, et distinct. XLIII, quæst. V. De tertio, et aliis locis, quem sequitur ejus schola. Et fundantur in eo, quia exi-

stimant actionem prædicamentalem esse respectum agentis ad passum, et relationem extrinsecus advenientem, et cum passio, et actio sint respectus mutuo oppositi, non possunt esse in eodem extremo, ita quod uterque sit in passo, vel in agente; sed alter in agente, alter in passo. Et potest hoc amplius urgeri, nam quidquid sit de actione identificata cum motu, tamen certum est relationem agentis esse in agente et relationem effectus, vel passi in passo, cum constet, quod agens realiter respicit terminum et passum, et e contra, ergo non minus, quam in aliis relativis relatio debet esse in ipsis extremis relatis: ergo etiam fundamentum talium relationum, quod est ipsa actio et passio, debet distincte poni in ipso agente et passo, eo quod fundamentum identificatur cum relatione.

Inter Thomistas autem sequitur eamdem sententiam Cajetanus, II parte, quæst. XXV, artic. I, et Nazarius ibi, controversia unica, et alii; sed fundamentum ex eo sumunt, quia actio transiens est actus secundus perficiens, et mutans intrinsece ipsum agens, ergo debet esse subjective in illo. Consequentia patet, quia perfectio intrinseca debet subjectari in eo, quod denominat, hoc enim est esse intrinsecam. Antecedens vero probatur; tum quia actio est actus et complementum potentiæ agentis, ut dicit D. Thomas I contra Gentil. cap. IX, quia comparatur ad potentiam sicut actus secundus ad primum; unde concludit ibi, quod actio quæ non est substantia agentis, inest ei, sicut accidens subjecto: tum, quia major et proprior perfectio agentis est actus secundus, quam primus, cum actus primus sit in potentia ad secundum, et per ipsum reducatur de potentia ad actum, sublata ejus intrinseca potentialitate, et consequenter apposita intrinseca actualitate; sicut ergo actus primus est subjective in agente, ita et actus secundus, qui est ipsa actio. Plures auctoritates S. Thomæ statim referemus.

Secunda sententia, quæ frequens etiam est inter Thomistas, docet actionem subjective esse in passo, sive in effectu. Quam tenet Ferrariensis, Capreolus, Herveus, Soto, Soncinnas et alii, quos citat, et sequitur Cursus Carmelitanorum hic disputatio XVII, quæstione quarta et quinta. Idem tenet P. Suarez disputat. XLVIII Metaphysicor. sectione quarta. Qui addit, actioni transeunti sub conceptu actionis, quo distinguitur a passione, non convenire subjectum inhæsionis, sed solam denominationis, et emanationis ab agente. Si tamen aliquod subjectum inhæsionis habet, illud est ratione sui termini seu effectus, cum quo actio identificatur tanquam modus ejus, et emanatio seu processio ipsius.

Et hinc sumitur fundamentum hujus sententiæ. Nam actio identificatur cum motu, et cum termino motus, et non datur alia actio, nec est magis necessaria, quam illa; quæ cum motu identificatur; motus autem et terminus productus non sunt in agente, sed extra illud, ergo neque actio in agente: actio enim est ubi est illud, cum quo identificatur. Discursus totus constat ex supra dictis, ubi probatum manet, quod actio identificatur cum motu, et quod motus sit in mobili seu passo tanquam in subjecto, quod etiam affirmat Philosophus hoc libro, capite quarto. Quod vero non sit alia actio, quam illa quæ identificatur cum motu, constat, tum quia Philosophus non meminit alterius actionis, si autem alia actio daretur ex parte agentis, et alia ex parte motus seu passi, quomodo dicceret Aristoteles, quod actio etiamsi sit actus agentis, et denominet ipsum, tamen

est in passo, quia actus unius potest esse in alio secundum diversam rationem? Tum etiam idem constat, quoniam ponere duas actiones, alteram in passo, alteram in agente omnino superfluum videtur; si enim actio quæ est in effectu vel in passo, egreditur ab actione quæ est in agente, cur non poterit immediate egredi ab ipso actu primo, siquidem immediate ab ipso egreditur actio illa, quæ est in agente? Et tamen illa actio, quæ est in agente, non est ultima ratio, qua egreditur effectus, hæc enim est ipsamet processio, et egressio effectus, quæ non est in agente, sed in effectu procedente; ergo sine fundamento ponitur actio in agente, siquidem non est ipsa ultima ratio causandi, et procedendi in ipso effectu, et sic non est actio, de qua loquimur in præsenti. Denique illa actio, quæ est in agente, emanare debet ab ipso, ergo idem agit in seipsum, et sic simul est in actu, et in potentia respectu ejusdem; in actu ad agendum, et in potentia ad recipiendum.

Denique, urgent pro hac parte aliqua loca Aristotelis et D. Thomæ; nam Aristoteles in hoc tertio libro, text. XX, docet non esse inconveniens, quod actus unius sit in altero, ut doctio in addiscente. Et IX Metaphys. text. XVI, dicit: « Quod ædificatio est in ædificato. » Et tertio de Anima, text. CXXXVIII: « Agentis, inquit, moventisque operatio in ipso patiente suscipitur, atque inest, atque adeo actio, et passio non in agente est, sed in eo quod patitur, etc. » Super quæ loca idem affirmat expresse D. Thomas et in quæstione XIV de Veritate, articulo III et X, de Potent. articulo I et II contra Gentil. cap. I. Denique, hanc differentiam ponit D. Thomas inter actionem immanentem, et transeuntem, quod actio immanens primo, et per se perficit ipsum agens, transiens autem primo, et per se perficit ipsum passum: nec est perfectio agentis, sed moti, ut expresse docet I part. quæst. XVIII, articul. III ad I, et quæst. LIV, artic. II, et I-II, q. III, articulo II, ad 3, et primo contra Gentiles, cap. C. Ergo repugnat, quod actio transiens sit in agente, alioquin ex se esset perfectio agentis, quia id primo, et per se perficit, in quo primo et per se est, quod est tollere differentiam inter actionem immanentem, et transeuntem, quæ adæquate dividunt actionem, ut sic.

Nihilominus resolutio nostra sit: Secundum mentem D. Thomæ actio secundum propriam rationem actionis non petit subjectum inhæsionis, sed emanationis, ita quod ad denominandum aliquid agens per accidens se habet, quod inhæreat: vere tamen, et in re actio emanans duplicem formalitatem debet importare, quarum una actuet, et inhæreat in agente, altera in termino, et mediante termino in passo, si terminus sit aliquid dependens a subjecto. Itaque actio in agentibus creatis, in quibus per modum emanationis se habet, et accidentaliter convenit agenti, inchoative est in agente et consummative in termino, seu effectu, non secundum eamdem entitatem modalem, seu formalitatem; hoc enim est impossibile, cum sit diversum subjectum, sed secundum diversam, quæ ordine quodam unum sunt: ad eum modum, quo D. Thomas et Theologi I-II, quæst. I, artic. II, dicunt, quod virtus moralis, quæ moderatur passiones est in duplici potentia, scilicet in voluntate imperante inchoative, et in appetitu eliciente passiones moderatas consummative; et quia denominatio virtutis fit simpliciter ab eo, ubi consummative est virtus, ideo simpliciter dicitur esse virtus in appetitu sensitivo,

Eodem modo actio, quæ est causalitas emanans ab agente, quatenus reddit agens actuatum in actu secundo, et transmutatum de otio in actum reliquit formalitatem actionis in agente inchoantem ipsum effectum : ut autem reddit effectum in actu secundo causatum, et procedentem a causa, ponit formalitatem in effectu, qua redditur actio consummata, et inde fit denominatio agendi, neque enim aliquid dicitur agere ante effectum : et ratione hujus simpliciter actio est in termino.

Et quod ista sit mens D. Thomæ constat ex collatione locorum ipsius, in quibus agit de hac re. Nam in primis, quod actio ex proprio conceptu actionis non postulet subjectum inhæsionis, sed emanationis, constat ex I P. d. XXXII, qu. I, art. I, ubi inquit : « Quod si per impossibile poneretur esse aliquam actionem, quæ non esset accidens, non esset inhærens, et tamen denominaret agentem, et tunc agens denominaretur per id, quod ab eo est, et in eo non est, ut inhærens. » Ergo ex proprio conceptu actionis, ut præcise denominat agens, non dicit subjectum inhæsionis, sed emanationis, licet quia accidens est in rei veritate inhæreat, quod etiam aperte dicit in quæstione septima de Potent. articulo IX ad 7, et quæst. VIII, art. II. Item etiam, quod debeat poni actio in agente in quantum importat actum secundum immutantem ipsum actum primum constat, quia I parte, quæst. LIV, art. I, dicit : « Quod actio est actualitas virtutis. » Et II contra Gentil. cap. IX : « Quod actio est complementum potentiæ : » et tamen, quia non est actualitas completa, et consummata in ipso agente, sed in effectu, ad quem derivatur, dicit in dicta quæstione LIV, artic. II, quod actio transiens non potest esse ipsum esse agentis, quia esse significatur intra rem ; actio vero est efluxus in actum ab agente. Deinde in II contra Gent. cap. XXXV, et in II, d. I, artic. V ad II, dicit : « Quod agens agit actione media, quæ non est essentia ipsius operantis, et in talibus non potest sequi effectus novus sine nova actione, et novitas actionis facit aliquam mutationem in agente prout est exiens de otio in actum. » Ergo sentit D. Thomas quod actio aliquid ponit intrinsecum in agente, et non solum extrinsece denominat ipsum, alioquin non diceret, quod ponit mutationem in illo. Et conformiter ad hoc distinguit S. Thomas creationem, ut est actio, et ut est passio, seu actio, ut effecta, et ut efficiens in I, dist. XL, quæstione prima, articulo primo, ut intelligamus actionem ad utrumque pertinere, et importare non unam, sed duplicem formalitatem, unam in agente, ut est actio agens, et aliam in effectu, seu passo, ut est actio effecta. Quod tandem expressis verbis affirmat in II, dist. XL, quæst. I, art. IV ad I, ubi dicit : « Actionem, et passionem non posse esse idem numero accidens, quia actio est in agente, et passio in patiente. » Et cum alias ponat cum Philosopho III Physic. lect. V et aliis locis supra citatis, quod actio et passio identificantur cum motu, et quod actio transiens est propria perfectio operati, consequenter oportet fateri, actionem apud D. Thomam importare duplicem formalitatem, alteram in agente, alteram in passo, seu termino, ubi consummatur actio, et ratione cujus dicitur agens denominari ab aliquo extrinseco, scilicet ab affectu, ut dicit in opusculo XLVIII, tract. de actione, et in tertio Physicorum, lectione quinta.

Nec potest responderi, quod quando dicit D. Thomas quod actio et passio non sunt idem numero accidens, loquitur de actione ut morali, et libera ; et sic est actio immanens. Quando vero dicit actionem esse in agente intelligitur ratione alicujus commodi extrinseci, quod agenti provenit ex actione, quia saltem propagatur ejus species. Sed contra primam solutionem est, quia D. Thomas prius loquitur in communi de actione et passione, et motu. Deinde ad litteram loquitur de actione inferente passionem, scilicet crucifigentium Christum, et quæ est accidens numero distinctum a passione ; actio autem immanens neque infert passionem, neque ponit in alio subjecto distinctum accidens numero. Si autem loqueretur de actione in esse morali, et non in esse physico, potius dicerentur unum numero accidens in esse morali actio, et passio, quam plura. Contra secundam autem solutionem instatur, quia actio in quantum accidens inhæret in agente, ut dicit S. Thomas, ergo frustra explicatur id de emolumento extrinseco, hoc enim non inhæret in agente, et sic ratione talis emolumenti non assignare S. Thomam subjectum quod actioni convenit in quantum accidens.

Ex quo manet explicatum fundamentum hujus sententiæ, sumitur enim ex fundamentis utriusque sententiæ allatæ, quæ probant requiri actionem, et dari tam in agente quam in passo, nec enim salvaur actio, quin sit actualitas secunda agentis, et actum primum reducat de potentia ad actum, et de otio ad operationem, hoc autem perfectio aliqua est ipsius agentis et mutatio, et non sola denominatio extrinseca, sicut enim intrinsece agens est in potentia, et in actu primo ad operandum, ita oportet quod reducatur intrinsece ad actum secundum, et mutetur in actum, dum in actu operatur ; debet ergo ista actualitas actionis in agente esse. Cæterum ibi non consummatur actio et causalitas agentis, nisi effectus ipse procedat et emanet actu ab ipso, et sic origo ipsa motus et termini producti, cum ipso motu et termino identificari debet, illa autem origo ab alio, actio effecta est, causalitas, et sic formalitas actionis, ut processio et origo motus, cum termino et motu debet identificari, ibique consummatur actio, quia ibi terminatur.

Solum restat respondere ad argumenta secundæ sententiæ pro ea parte, quia intendunt ostendere, quod superfluit ista duplex actio. Nam argumenta pro prima sententia solum ostendunt oportere aliquam actualitatem, et formalitatem actionis esse in agente non tamen omnem, nec ibi consummari, ut dictum est.

Ad primum ergo secundæ sententiæ respondetur, actionem effectam identificari cum motu et termino producto, sed non actionem efficientem, quæ est actus secundus agentis. Et ad instantias quæ afferuntur ad probandum non esse duplicem actionem, respondetur ad primum, quod Aristoteles non fuit sollicitus explicare, quomodo actio fit in agente, sed in passo eo quod in passo actio est consummative, et inde accipitur denominatio agendi completa, et perfecta, et ideo solum explicavit, quomodo actio sit in passo ; hoc enim solum difficultatem habebat, et ejus instituto deserviebat, cum principaliter ageret de motu et de actione, ut est conditio indentificata cum motu ; et sic solum est in passo.

Ad secundam instantiam dicitur, non superfluere istas duas actiones, quia quælibet earum non est completa, et perfecta, sed utraque requiritur ad consummatam rationem agendi ob rationem dictam. Et tam ipsa actio effecta, quam ipsa actio agentis, seu utraque formalitas egre-

ditur ab agente, non per aliam actionem, quia utraque complet eamdem actionem, et utraque pertinet ad rationem causalitatis; sed una per modum actualitatis agentis, altera per modum actualitatis passi: non vero una ut effectus, altera ut tota causalitas, sed utraque ut conditio, et ratio pertinens ad eamdem causalitatem, non tamen utraque immediate egreditur, sed ordine quodam quia inchoatur in actione agentis ratio, et causalitas agendi, consummatur tamen in actione ex parte effectus. Et sic non probatur, quod actio agentis non pertineat ad rationem causalitatis, et ratio operandi; sed quod non pertineat tanquam ultima et consummativa ratio ipsius. Et sic actio ex parte agentis est formalis egressio, et formalis causalitas inchoative et active, non consummative et formaliter.

Ad tertiam instantiam respondetur per ipsam egressionem effectus sufficienter constitui agens in ratione agendi consummative, et denominative, non autem inchoative et active, seu per modum actus secundi agentis; hoc enim necessario supponitur ad actionem effectam, sicut fides necessario supponit piam affectionem, et virtus in appetitu sensitivo dispositionem imperandi in voluntate; ideoque actio transiens non dicitur perficere ipsum agens, sed passum, seu effectum, quia ibi consummatur actio licet in agente inchoetur, et ad terminum ordinetur.

Ad quartam instantiam respondetur, quod illa actualitas in agente emanat ab ipso, non ut terminus, seu effectus, sed ut modus, seu causalitas inchoata. Et talis modus non emanat ab ipso agente, ut est in potentia pure; sed ut est in potentia mota a Deo, et aliis causis superioribus, quibus inferiores determinantur, et actuantur, ut emanet ab illis actualitas actionis, quæ rursus in ipsa potentialitate actus primi recipitur, actuando illam per modum actus secundi: et sic non est in potentia, et actu secundum idem.

Ad loca D. Thomæ, respondetur loqui ipsum sicut et Aristoteles de actione affecta, prout est consummata, et completa ratio agendi, a qua fit denominatio. Et quando ponit differentiam inter actionem immanentem, et transeuntem, quod illa est perfectio agentis, non ista, loquitur de perfectione et completa agendi, hæc enim consummatur in agente, quando est immanens, in effectu vero, et passo, quando est transiens, inchoativa autem est ipso agente, ut dictum est, et quia utraque hæc actio pertinet ad constituendum ipsum causalitatem agentis, una inchoative, altera consummative, ad idem prædicamentum actionis reducitur etiam illa actio, quæ est in agente, sicut pia affectio ad fidem, et dispositio voluntatis ad virtutem, quæ est in appetitu.

QUÆSTIO XV.

DE INFINITO.

—

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit infinitum, et in quo sit punctus difficultatis?

Ut sine æquivocatione in hac parte procedatur, oportet præmittere definitionem, et varias divisiones seu acceptiones infiniti. Licet autem plures acceptiones ejus Aristoteles insinuaverit in hoc libro, cap. IV, tamen in præsenti possumus distinguere infinitum, quod aliud accipitur positive, aliud privative, aliud negative. Cum enim infinitum communissime acceptum nihil aliud sit, quam illud, quod caret termino, et fine, potest accipi ista carentia privative, quando est in aliquo subjecto, quod natum est habere terminum, sed tamen caret illo, sicut quantitas est capax ut finiatur, sic tamen non habeat terminum, dicitur infinita privative, quod etiam dici potest positive respectu quantitatis. Et hoc modo definit Philosophus, cap. VII infinitum: *Id cujus partem accipientibus, semper aliquid manet extra.* Negative vero infinitum dicitur illud cujus subjectum non est capax alicujus termini. Hoc autem dupliciter potest contingere, uno modo propter perfectionem positivam subjecti, quando talis est, quod nullo termino affici potest. Et hoc modo Deus est positive infinitus, id est, actualitate, et perfectione, non quantitate. Alio modo potest hoc contingere ex imperfectione subjecti, quando tanta est, ut nihil habeat in se, quod terminari possit, sicut punctum, et unitas, quæ propter indivisibilitatem non habent terminum, sed ipsa sunt terminus.

In præsenti non agimus de infinito negative, nec de infinito positive, quod est Deus; sed de infinito privative, quod definivit Aristoteles in præsenti definitione tradita. Licet autem hoc infinitum manifestius inveniatur in quantitate, tamen reperiri etiam potest in aliis prædicamentis, ut in substantia, qualitate, et relatione. Infinitum substantia est, quod caret termino essendi, seu existendi, quibus substantia ipsa in ratione substantiæ constituitur. Et hoc infinitum, ut postea videbimus, est idem ac infinitum in genere entis. Infinitum in qualitate est, quod caret termino intensionis secundum gradus qualitatis. Infinitum in relatione est, quod dicit respectum aliquid infinitum, unde sumit connotationem, seu denominationem aliquam extrinsecam infinitatis: sicut actiones Christi dicuntur infiniti valoris per respectum ad personam dignificantem. Denique, infinitum in quantitate juxta duplex genus quantitatis, discretæ, et continuæ, aliud est infinitum magnitudinis, aliud multitudinis. Illud est, quod caret termino partium in continuo: istud est, quod caret termino multitudinis, et divisionis. Quare infinitum, de quo in præsenti tractari solet, est triplex, secundum magnitudinem, secundum multitudinem et secundum intensionem.

Potest autem hoc infinitum sumi vel in actu, vel in potentia. Infinitum in actu, quod etiam infinitum positione, seu positive appellari potest, et communiter dicitur infinitum categorematice, id est, affirmative aut prædicative, est illud cui non solum non potest signari terminus, ultra quem non transeat, sed etiam de facto omnes terminos transit, et ideo requiritur ad tale infinitum, quod habeat partes infinitas æquales uni certæ non communicantes inter se, et simul existentes. Quod est dicere, quod infinitum actu requirit partes determinatas, seu aliquotas, quarum una superaddat alteri novam partem, quæ non communicet, nec reassumatur cum altera, sicut Philosophus dicit in VII hujus libri, quod circuli dicuntur infiniti reassumendo easdem partes: sed tunc dicitur infinitum ait Philosophus, quando quacunque parte accepta, nova alia sumi potest. Infinitum autem in potentia dicitur illud, quod secundum id quod habet est finitum, sed secundum id quod est in potentia, non habet terminum, id est, non potest illi signari certus, aut determinatus terminus, ultra quem transire non possit, sive per additionem, sive per subs-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

ditur ab agente, non per aliam actionem, quia utraque complet eamdem actionem, et utraque pertinet ad rationem causalitatis; sed una per modum actualitatis agentis, altera per modum actualitatis passi: non vero una ut effectus, altera ut tota causalitas, sed utraque ut conditio, et ratio pertinens ad eamdem causalitatem, non tamen utraque immediate egreditur, sed ordine quodam quia inchoatur in actione agentis ratio, et causalitas agendi, consummatur tamen in actione ex parte effectus. Et sic non probatur, quod actio agentis non pertineat ad rationem causalitatis, et ratio operandi; sed quod non pertineat tanquam ultima et consummativa ratio ipsius. Et sic actio ex parte agentis est formalis egressio, et formalis causalitas inchoative et active, non consummative et formaliter.

Ad tertiam instantiam respondetur per ipsam egressionem effectus sufficienter constitui agens in ratione agendi consummative, et denominative, non autem inchoative et active, seu per modum actus secundi agentis; hoc enim necessario supponitur ad actionem effectam, sicut fides necessario supponit piam affectionem, et virtus in appetitu sensitivo dispositionem imperandi in voluntate; ideoque actio transiens non dicitur perficere ipsum agens, sed passum, seu effectum, quia ibi consummatur actio licet in agente inchoetur, et ad terminum ordinetur.

Ad quartam instantiam respondetur, quod illa actualitas in agente emanat ab ipso, non ut terminus, seu effectus, sed ut modus, seu causalitas inchoata. Et talis modus non emanat ab ipso agente, ut est in potentia pure; sed ut est in potentia mota a Deo, et aliis causis superioribus, quibus inferiores determinantur, et actuantur, ut emanet ab illis actualitas actionis, quæ rursus in ipsa potentialitate actus primi recipitur, actuando illam per modum actus secundi: et sic non est in potentia, et actu secundum idem.

Ad loca D. Thomæ, respondetur loqui ipsum sicut et Aristoteles de actione affecta, prout est consummata, et completa ratio agendi, a qua fit denominatio. Et quando ponit differentiam inter actionem immanentem, et transeuntem, quod illa est perfectio agentis, non ista, loquitur de perfectione et completa agendi, hæc enim consummatur in agente, quando est immanens, in effectu vero, et passo, quando est transiens, inchoativa autem est ipso agente, ut dictum est, et quia utraque hæc actio pertinet ad constituendum ipsum causalitatem agentis, una inchoative, altera consummative, ad idem prædicamentum actionis reducitur etiam illa actio, quæ est in agente, sicut pia affectio ad fidem, et dispositio voluntatis ad virtutem, quæ est in appetitu.

QUÆSTIO XV.

DE INFINITO.

—

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit infinitum, et in quo sit punctus difficultatis?

Ut sine æquivocatione in hac parte procedatur, oportet præmittere definitionem, et varias divisiones seu acceptiones infiniti. Licet autem plures acceptiones ejus Aristoteles insinuaverit in hoc libro, cap. IV, tamen in præsenti possumus distinguere infinitum, quod aliud accipitur positive, aliud privative, aliud negative. Cum enim infinitum communissime acceptum nihil aliud sit, quam illud, quod caret termino, et fine, potest accipi ista carentia privative, quando est in aliquo subjecto, quod natum est habere terminum, sed tamen caret illo, sicut quantitas est capax ut finiatur, sic tamen non habeat terminum, dicitur infinita privative, quod etiam dici potest positive respectu quantitatis. Et hoc modo definit Philosophus, cap. VII infinitum: *Id cujus partem accipientibus, semper aliquid manet extra.* Negative vero infinitum dicitur illud cujus subjectum non est capax alicujus termini. Hoc autem dupliciter potest contingere, uno modo propter perfectionem positivam subjecti, quando talis est, quod nullo termino affici potest. Et hoc modo Deus est positive infinitus, id est, actualitate, et perfectione, non quantitate. Alio modo potest hoc contingere ex imperfectione subjecti, quando tanta est, ut nihil habeat in se, quod terminari possit, sicut punctum, et unitas, quæ propter indivisibilitatem non habent terminum, sed ipsa sunt terminus.

In præsenti non agimus de infinito negative, nec de infinito positive, quod est Deus; sed de infinito privative, quod definivit Aristoteles in præsenti definitione tradita. Licet autem hoc infinitum manifestius inveniatur in quantitate, tamen reperiri etiam potest in aliis prædicamentis, ut in substantia, qualitate, et relatione. Infinitum substantia est, quod caret termino essendi, seu existendi, quibus substantia ipsa in ratione substantiæ constituitur. Et hoc infinitum, ut postea videbimus, est idem ac infinitum in genere entis. Infinitum in qualitate est, quod caret termino intensionis secundum gradus qualitatis. Infinitum in relatione est, quod dicit respectum aliquid infinitum, unde sumit connotationem, seu denominationem aliquam extrinsecam infinitatis: sicut actiones Christi dicuntur infiniti valoris per respectum ad personam dignificantem. Denique, infinitum in quantitate juxta duplex genus quantitatis, discretæ, et continuæ, aliud est infinitum magnitudinis, aliud multitudinis. Illud est, quod caret termino partium in continuo: istud est, quod caret termino multitudinis, et divisionis. Quare infinitum, de quo in præsenti tractari solet, est triplex, secundum magnitudinem, secundum multitudinem et secundum intensionem.

Potest autem hoc infinitum sumi vel in actu, vel in potentia. Infinitum in actu, quod etiam infinitum positione, seu positive appellari potest, et communiter dicitur infinitum categorematice, id est, affirmative aut prædicative, est illud cui non solum non potest signari terminus, ultra quem non transeat, sed etiam de facto omnes terminos transit, et ideo requiritur ad tale infinitum, quod habeat partes infinitas æquales uni certæ non communicantes inter se, et simul existentes. Quod est dicere, quod infinitum actu requirit partes determinatas, seu aliquotas, quarum una superaddat alteri novam partem, quæ non communicet, nec reassumatur cum altera, sicut Philosophus dicit in VII hujus libri, quod circuli dicuntur infiniti reassumendo easdem partes: sed tunc dicitur infinitum ait Philosophus, quando quacunque parte accepta, nova alia sumi potest. Infinitum autem in potentia dicitur illud, quod secundum id quod habet est finitum, sed secundum id quod est in potentia, non habet terminum, id est, non potest illi signari certus, aut determinatus terminus, ultra quem transire non possit, sive per additionem, sive per subs-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

tractionem, sive per successionem. Quomodo autem distinguantur partes aliquotæ, seu designatæ a partibus indeterminatis, et proportionalibus dicemus commodius art. III, solutione ad 1, et latius libro VI, q. XX.

Ex his autem colligitur duplex principium, quo in hac quæstione de infinito regulari debemus. Primum est, quod omne illud quod terminis clauditur non interminabiliter distantibus, infinitum esse non potest in actu, sed si aliqua infinitas ibi datur, solum est in potentia, et syncategorematice, quia scilicet non potest aliquis terminus signari, ultra quem divisio, vel additio ejus non possit transire. Actu vero quidquid inter terminos comprehendi potest, terminatum est ac finitum. Secundum est, quod infinitum actu non potest fieri per additionem partium, et omne illud, quod est capax augmenti, finitum est. Ratio est, quia additio vel fit per aliquid finitum, vel infinitum; si per infinitum, jam supponitur ipsa infinitas ea, quod additur, et ita non fit infinitum per ipsam additionem; si per aliquid finitum, vel tale finitum superadditur alteri finito, et sic tota remanet finitum, quia utrumque terminum habet vel superadditur alteri infinito, sic jam supponitur infinitum non per additionem fit. Quidquid ergo per additionem sit majus, vel subtractionem minus actu infinitum non est.

His suppositis, tria sunt certa in hac quæstione. Primum est, infinitum relative actu non repugnare. Ratio est, quia ista infinitas consistit solum in relatione quadam ad Deum, qui est infinitus. Tripliciter autem aliquid respicit Deum. Uno modo generali ratione, sicut effectus causam efficientem non quidem participando ab ipso aliquod donum infinitum, sed præcise, quia causa ejus efficiens in se in finitates. Secundo speciali modo, quatenus ab ipso Deo, participatur aliquod donum elevans creaturam ad bonum infinitum, sicut gratia elevat hominem ad consortium, et fruitionem divinæ naturæ. Tertio modo specialissime, ut quando ipse Deus unitur in persona naturæ creatæ. Tunc enim accipit valorem, et dignitatem ex persona cui conjungitur, qui valor consistit in relatione ad ipsam personam, ut ad principium operationum proximum, et ut *quod*.

Secundo, certum est non posse dari aliquam creaturam, quæ sit infinita in omni genere entis, creatura enim est ens limitatum. Et similiter repugnat, dari aliquam creaturam, quæ sit infinita in genere substantiæ infinitate in actu, bene tamen in potentia, et secundum quid, sicut materia prima habet infinitatem in potentia respectu formarum, quarum est capax. Ratio sumitur ex D. Thomæ 1 cont. Gen. cap. XLIII et 1 part. quæst. VII, ar. 1. Quia infinitas in genere substantiæ non est infinitas extensionis, vel extensionis: id enim pertinet ad genus qualitatis, vel quantitatis: solum ergo restat infinitas per carentiam terminorum substantiæ. Termini autem substantiæ, vel sunt physici, vel metaphysici: metaphysici sunt genus, et differentia, quibus contrahitur, et limitatur essentia rei; physici sunt materia et forma in compositis, vel potentialitas, et actualitas, etiam in simplicibus; substantia ergo creata non potest carere genere, et differentia, cum sit in prædicamento, quod est coordinatio generum, et specierum. Similiter non potest carere aliquo termino physico, quia non potest esse purus actus, sed debet habere admixtam aliquam potentialitatem, atque adeo solum potest esse infinitum in actu per carentiam omnis termini limitantis actualitatem, quæ est potentialitas. Si autem esset pura potentia, licet esset infinita non tamen esset infinitum in actu, sed in potentia.

Nec valet dicere cum P. Vasquez 1 part. disp. XXII, et disp. XXV, cap. III, quod non obstat infinitas ad hoc, quod aliquid habeat genus et differentiam, et ponatur in prædicamento. Deus enim componitur ex genere, et differentia, quia est compositio rationis, quæ illi non repugnat et tamen est infinitus. Sed contra est, tum quia oppositum ostendimus in Logica q. XIV, tum quia in præsenti illa doctrina non est ad rem: quidquid enim sit, an repugnet Deo compositio ex genere et differentia, quæ est compositio rationis, tamen in substantia creata talis compositio recte tollit infirmitatem; quia vel illud genus, et differentia quibus componitur substantia creata, aliquid potentialitatis important, vel sunt actus purus. Si hoc secundum non remanet creatura, sed Deus. Si primum, ergo includunt genus, et differentiam per modum termini, et limitationis. Includunt enim actum, et potentiam, quæ sunt termini limitantes in genere substantiæ. Quomodo autem cum hoc stet, quod Deus possit facere infinitas species substantiales, et tamen non possit pervenire ad aliquam, quæ sit infinitæ perfectionis, dicemus infra.

Ultimo certum est, infinitum in actu, sive in extensione, sive in intensione, vel multitudine naturaliter, et secundum legem ordinariam fieri non posse. In hoc convenit communis consensus Philosophi cum Aristotele hic cap. V et VI et Theologorum cum D. Thoma 1 p. qu. VII. Constat enim, quod de facto: *Omnia facta sunt in numero, pondere et mensura*, ut dicitur Sapient. XII. Si autem daretur infinitum in actu, vel careret numero si esset infinitum multitudine, vel mensura si esset infinitum magnitudine, vel pondere si esset infinitum qualitate.

Ratio autem, cur naturaliter dari non possit, intra universum quidem constat ex ipsa universi unitate et limitatione, in quo infinita quantitas esse non potest, quia occuparet omnia. Absolute autem et independenter ab universo, constabit ex finita virtute et receptione cujuslibet creaturæ, unde effectus infiniti prodire non possunt ut sequenti articulo latius ostendetur.

ARTICULUS II.

Utrum implicet dari infinitum actu secundum quantitatem vel intensionem?

Duæ sunt principales in hac parte sententiæ. Prima tenet, non implicare, quod detur actu infinitum absolute loquendo, ut ex antiquis tenet Gregorius in 1, dist. XLIII, q. IV, Ocham, Gabriel, et alii quos citat et sequitur Vazquez 1 p. disp. XXVI, c. 1 et probabile reputant Conimbricenses hic qu. II, art. 1, qui loquuntur de infinito magnitudinis vel multitudinis. Expresse etiam docetur in schola Scoti, quod infinitum in magnitudine et multitudine non repugnat, bene tamen infinitum in intensione, eo quod apud ipsum gradus intensionis sunt inæquales, ita quod unus continet alium, et sic si daretur infinitas, qualitas contineret infinitam perfectionem; quod non currit in partibus quantitatis continuæ, vel discretæ, quarum una non continet aliam in perfectione. Aliqui tamen simpliciter fatentur, infinitum esse possibile in actu, sive in quantitate, sive in qualitate, ut Cabero hic disp. II.

Secunda sententia negat esse possibile aliquod infinitum, tam in ma-

gnitudine, quam multitudine, et eadem ratio est de intensione. Ita D. Thomas I p.q.VII,art.III et IV,et quod I.IX,art.I etquodl.XII,art.II et communiter Thomistæ ad prædictum locum primæ partis. Et tamen ipse D. Thomas in fine opusculi XXVII fatetur adhuc non esse demonstratum, non posse dari infinita in actu. Ista sententia principaliter nititur in explicando implicationes. prima vero in solvendo. Et ideo in hoc articulo conabimur explicare rationes D. Thomæ et contra adversariorum responsiones roborare. In sequenti vero quasdam difficultates et rationes,quæ contra nostram sententiam militant dissolvere.

Sit ergo unica conclusio : Repugnat etiam de potentia absoluta dari infinitum in actu sive in magnitudine, sive in multitudine, sive in intensione. Pro hac conclusione plures solent afferri implicationes. Et quidem Martinez in præsenti, cui non placent rationes D. Thomæ illam affert, quia si daretur corpus infinitum, ex quocunque puncto tanquam ex centro produci possent duæ lineæ versus circumferentiam, et istæ quanto magis protrahuntur, magis distant inter se, unde cum longitudo earum sit infinita, etiam distantia earum infinita erit, et ex alia parte distantia infinita esse non posset, quia est clausa inter duas lineas seu terminos, ergo, etc. Hac ratione etiam plures alii utuntur.

Videtur tamen ratio ista non convincere, quia dato corpore infinito, lineæ illæ essent quidem lineæ, sed non essent termini ex parte circumferentiæ illius corporis, quia lineæ illæ interminabiles sunt nec habent circumferentiam ubi terminentur, si ergo interminabiles sunt et infinitæ, desinunt esse termini, et consequenter inter illas lineas potest esse aliquid infinitum, quia ipsæ etiam infinitæ sunt. Illud autem axioma *inter duos terminos non potest claudi infinitum*, intelligitur inter duos terminos finite distantes, alias non sunt termini.

Quare defendendo rationes D.Thomæ ex duplici principio desumitur implicatio. Primum est,considerando quantitatem uti accidens naturale consecutum ad corpus naturale. Secundum est, considerando ipsam mathematice et secundum se ut abstrahit a corpore naturali. Et prima ratio formata est nobis supra q. VIII, art.II. Quia quantitas est accidens consecutum ad substantiam quæ est radix continens quidquid in tali quantitate invenitur, sed substantia est finita et limitata, non solum in esse absoluto, sed etiam ut radix est accidentium, quia ratio radicis non habet majorem amplitudinem, quam ipsa ratio essentiæ substantialis, quæ radix est, et principium accidentalis; ergo si radix est limatata, etiam et quantitas limitata est et finita et præcipue hoc habet vim in quantitate, quia non potest crescere quantitas, nisi etiam addatur nova entitas substantiæ, nec enim in eadem parte substantiæ potest esse duplex quantitas penetrata; ergo si quantitas est infinita, etiam supponitur substantia infinita, quia ad quantitatis additionem substantia etiam additur, et sic prius debet substantia esse infinita, quam quantitas. Repugnat autem dari substantiam infinitam, ut articulo præcedenti ostensum est, ergo et quantitatem.

Respondet Martinez, non probare S. Thomam ex eo, quod substantia sit finita in esse, quantitatem debere esse finitam in extensione, quia hæc sunt diversa genera, sed solum finitam in esse quod verum est, quia infinita quantitas finitam essentiam habet.Sed contra, quia substantia non solum est finita

secundum esse in ordine ad se, sed etiam ut est radix quantitatis in extensione, quia etiam ipsa extensio quantitatis, ut extensio radicem habet,et consequitur formam substantialem, sed substantia, ut radix talis accidentis finita est, nec enim stat quod in esse substantiali sit finita, et in ratione radicis accidentium finita non sit; ergo non potest radix finita derivare ex se quantitatem infinitam; sicut bene valet, virtus aliqua est finita; ergo et operatio et effectus, licet effectus et operatio non sint ejusdem speciei, vel generis cum virtute.

Aliter conatur P. Vazquez ubi supra infringere consequentiam S. Thomæ, quia si determinata substantia determinatam postulat quantitatem sequeretur quod omne corpus naturale determinatam haberet quantitatem,quod patet esse falsum in igne, qui sine termino potest crescere, ut dicitur II. de Anima, tex. LXI. Cæterum hæc instantia non loquitur de quantitate, ut consecuta ad formam substantialem, de qua solum procedit ratio S. Thomæ, sed de quantitate ut superaddita, quæ scilicet in infinitum superaddi potest. Hoc autem non pertinet ad rationem D. Thomæ, quia D. Thomas intendit probare,non dari infinitum actu et categorematice, non autem intendit probare, non posse aliquid superaddi ad alterum in infinitum, quia additio in infinitum nunquam facit infinitum in actu, ut supra diximus, sed solum syncategorematice, et in potentia, quia solum consistit infinitum additione in hoc, quod non sit assignabilis terminus ultra quem non transeat, non vero quod ita sit infinitum, quod omni termino actu careat, et omnes terminos transierit; per additionem enim finitarum partium infinitum non est pertransibile; non ergo D. Thomas excludit infinitum additionis, et syncategorematicum, sed infinitum actu, quod solum potest prima productione consequi, non additione fieri.

Quod vero addit S. Thomas repugnare infinitam magnitudinem in corpore naturali, quia non posset moveri, non est ratio probans implicationem absolute, non enim repugnat dari corpus immobile, sicut plerique existimant de cœlo empyreo, vel si esset mobile, ratione tamen infinitatis esset impeditum moveri; sed tamen D. Thomas attulit hanc rationem ex Philosopho in ordine ad ea corpora, quæ sensibus experimur esse mobilia, tale enim corpus infinitum esse non potest.

Secundum principium, seu rationem sumit S. Thomas loquendo de quantitate mathematice, et sine ordine ad corpus naturale, quia omnis quantitas debet esse sub aliqua forma, forma autem quanti est aliqua figura; ergo oportebit quod habeat aliquam figuram, et consequenter aliquem terminum, quia figura resultat ex termino quantitatis. Respondetur aliqui figuram non esse formam essentialem quantitatis, sed quantitatem se ipsa esse formam. Secundo, figuram solum convenire quantitati finitæ non infinitæ. Tertio, quod absolute invenitur quantitas sine figura, ut quantitas corporis Christi in Sacramento.

Cæterum istæ instantiæ unico verbo solvuntur, quod D. Thomas loquitur de figura radicali, non formali; est enim figura modus ex terminatione quantitatis resultans, et ita figura formaliter est id quod resultat, et radicaliter id ex quo resultat. Est ergo sensus D. Thomæ, quod quantitas non potest carere eo, quod specificatur, vel individuatur, quia nihil potest esse in rerum natura, quod non sit specificatum vel individuatum, quantitas autem specificatur vel individuatur per va

riam terminationem sui, sicut species multitudinis sunt duo, vel tria, etc. et magnitudinis bicubitum, vel tricubitum, aut secundum aliam mensuram mensurabile, neque enim alias differentias divisivas quantitatis novimus, quam quæ fiunt penes diversas mensurabilitates, quia quantitas talis est naturæ, quod quolibet addito, vel subtracto fit major, vel minor, et sic variatur ejus species, vel saltem individuatio, secundum additionem, vel substractionem; unde nata est sequi aliqua figura. Quantitas autem infinita caret omni tali distinctivo quantitatis, et si ei aliquid addatur, vel subtrahatur, non fit major, vel minor, ergo omnino repugnat in singulari; sicut si diceretur dari animal infinitum, quod nulla specie animalis determinaretur, vel hominem infinitum, qua nulla individuatione contraheretur. Ita sumitur explicatio hujus rationis ex D. Thoma quodlib. IX, art. I deduciturque ex Aristotele in hoc libro, cap. VI et in I de cœlo, text. II ubi ostendit, quod impossibile est plura corpora esse infinita, quia corpus est dimensionatum ad omnem partem; et ideo implicatio ista directe procedit de corpore quanto, cui proprie convenit figura, non tamen de linea, aut superficie, quæ non sunt divisibiles ex omni parte, et ideo si illæ essent infinitæ, non repugnaret unum infinitum esse majus altero, et sic possent dari plures lineæ infinitæ: corpus autem quia trina dimensione gaudet si esset infinitum non posset esse nisi unum, nec per plures species, vel individua esset variabile nec unum majus altero, ut etiam advertit S. Thomas III p. q. X, art. III ad tertium. Aliunde tamen repugnaret dat infinitam lineam, vel superficiem, quia in re dari non potest, nisi in aliquo corpore, et consequenter debet infinitas partes ambire, atque adeo supponere infinitum corpus, cui insit.

Ex eodem principio proportionaliter applicato ostenditur repugnare infinitam intensionem in qualitate, sicut enim quantitas sequitur determinatam formam, ita et qualitas, ergo sicut non potest dari infinita quantitas, ita nec qualitas, sed neque potest superaddi ab extrinseco infinitas intensionis in qualitate, quia vel ista infinitas adveniret per additionem gradus ad gradum vel per unicam productionem totius infinitas: per additionem fieri non potest, quia infinitum per additionem finitarum partium est impetransibile. Si vero id quod additur est infinitum jam non per additionem fiet infinitum, sed supponitur esse. Si vero unica productione fiat infinita qualitas illa, consequitur aut recipitur in aliqua forma, quæ cum finita et determinata sit, non potest esse capax infinitæ qualitatis, præsertim quia qualitas actualitatem sequitur formæ, et hæc limitata est per potentialitatem admixtam.

Implicationes circa infinitum multitudinis.

Prima implicatio D. Thomæ qu. VII, I par. art. IV, est circa multitudinem quantitativam, quia si daretur infinita multitudo, non esset in aliqua specie determinata numeri, quia omnis species numeri determinatur per aliquam ultimam unitatem, cum sit multitudo mensurata per unum, infinita autem multitudo nullam speciem haberet mensuratam per unum, ergo talis numerus non est dabilis.

Respondet P. Vazquez disp. illa XXVI, cap. III, quod non constat omnem multitudinem esse in specie numeri. Deinde, quod multitudo a parte rei non habet formalem ratio-

nem numeri, id enim ab intellectu numerante habetur, ante intellectum enim non est, cur ista unitas pertineat ad hunc numerum potius quam ad illum, sed una tantum est omnium rerum multitudo.

Cæterum ad primam instantiam respondetur, constare quod omnis multitudo si est quantitativa, est in aliqua specie numeri, quia omnis multitudo quantitativa est quantitas discreta, ergo pertinet ad genus numeri, ergo ad aliquam speciem, quia nihil est in genere, quod non sit in aliqua specie talis generis.

Ad secundam instantiam respondetur quod ut ostendimus in Logica quæst. XVI, numerus est vera, et realis species quantitatis, licet designatio actualis hujus ultimæ unitatis, vel illius dependeat ab intellectu, sed hoc non est de essentia numeri: tota autem coordinatio, et mensurabilitas unitatum in re datur secundum quod numerus sit major aut minor quantitative in re, et sic est mensurabilis per unum, et hoc pertinet ad formalem rationem quantitatis discretæ. Et quando dicitur omnem rerum multitudinem esse unam, respondetur multitudines rerum dupliciter distingui, vel penes subjecta ut multitudo lapidum, lignorum, equorum, etc. Et hoc modo constat non omnem multitudinem esse unam. Secundo distinguitur penes diversam mensurabilitatem diversarum unitatum, et coordinationem ad unum, sicut aliter mensuratur numerus mille, vel centum, vel viginti, et hoc etiam modo non est una multitudo omnium quantitatum, sed alia est multitudo millium vel centum, etc. Et hoc in re, quia in re dantur mille lapides, vel centum lapides, et a parte rei prius fuerunt octo homines quam viginti, vel centum homines.

Et roboratur ista ratio, quia numerus, vel fit infinitus per additionem unitatum, vel per unicam productionem infiniti numeri. Primum esse non potest, quia infinitum additione finiti est impertransibile. Secundum tollit omnem speciem numeri, qui per determinatas unitates variatur, et fit major vel minor. Infinita autem multitudo neque additione unitatis fieret major, nec substractione minor, quia infinitum subtracto, vel addito aliquo finito æque manet infinitum, alias illo finito terminaretur: infinitum ergo est species determinata numeri.

Ex quo intelliguntur explicationes, quæ ex inconvenientibus adduci solent, quia si daretur infinita multitudo in actu, tot erunt binarii in illa multitudine, quot quaternarii, vel denarii et si producerentur infiniti homines, tot essent homines quot capilli eorum; quod implicat, quia binarius est pars quaternarii, et omne totum est majus sua parte, cum pars componat totum cum additione alterius. Sequela vero probatur, quia posito infinito, si segregentur binarii alternatim relinquendo unum binarium, et segregando alium, tunc vel omnes binarii segregati constituent infinitam multitudinem, vel non; si non, ergo etiam alii binarii erunt finiti, et sic omnes simul non facient infinitum, quia utrumque finitum est: si primum, ergo dabitur duplex infinitum in utroque cumulo et sic sine aliqua divisione, vel additione ex uno infinito consurget aliud, et consequenter tot sunt binarii quam quaternarii, quia si sunt infiniti binarii, etiam possunt numerare illos per quaternarios, vel denarios, et tunc vel exhaurirctur illa multitudo numerando per quaternarios, et sic redderetur finita, vel non exhauriretur, et sic erunt infiniti quaternarii in binariis etiam materialiter.

Omitto, quod infinitum non est quid certum, et determinatum in eo genere quo infinitum est, quia caret terminis, ergo prout tale non clauditur sub determinata, et certa intentione, et actione creantis. Nec solvit P. Vazquez dicendo, quod in multitudine infinita quælibet singularis cadit sub certa intentione, licet non tota multitudo. Contra enim est quod infinita multitudo non potest fieri per additionem et multiplicationem singularium, quia quodlibet finitum est, et additio finitorum non pertransit infinitum. Si autem unica productione totum infinitum sit, ergo et unica intentione, et hæc certa, et determinata esse non potest ex parte effectus, qui indeterminatus est.

ARTICULUS III.

Expediuntur difficultates, et argumenta contra nostram sententiam.

Primo, arguitur ad probandum non repugnare dari infinitum in actu, quia in quolibet continuo omnes partes proportionales uniuntur in divisibilibus, alioquin penetrarentur, si se totis, et non per extremitates seu indivisibilia unirentur, ergo cum partes istæ infinitæ sint, et actu copulentur per indivisibilia, sunt actu infinita indivisibilia, quia partes sic copulatæ, et non penetratæ sunt in infinitum indivisibiles.

Secundo: Deus potest facere species in infinitum perfectiores, et de facto cognoscit omnes illas, ergo cognoscit aliquam infinite reliquas excedentem, nam si omnes cognoscit, et illæ sunt infinitæ, et una excedit in perfectione aliam, inter illas oportet quod aliqua infinite excedat alias. Idem argumentum fit de infinita magnitudine, aut multitudine, aut intensione; cognoscit enim Deus omnem quantitatem, vel multitudinem possibilem, et illa est infinita et sine termino, ergo aliquam magnitudinem infinitam cognoscit esse possibilem, et sic si fiat nullum est inconveniens.

Tertio: In quolibet instanti unius horæ potest Deus creare unum Angelum, vel unum lapidem et conservare illum, ergo in fine horæ erunt infiniti Angeli, quia instantia infinita sunt, cum infinitas partes proportionales uniant: quod si dicatur non posse fieri Angelum, nisi in instanti designato, non in proportionali, et indeterminato, contra est, quia posset Deus ab æterno creare mundum, et in quolibet die designato unum Angelum, et sic essent creati infiniti Angeli, quia sunt transacti infiniti dies.

Quarto: Deus cognoscit infinitas cogitationes hominum et Angelorum per totam æternitatem futuras, ergo videt infinitam multitudinem possibilem, imo et coexistentem simul in æternitate, ergo non est inconveniens, quod simul ponantur in tempore, nam si ideo non possunt poni in tempore, quia debent cadere sub certa intentione creantis, similiter ob eamdem rationem non possent simul esse in æternitate, quidquid enim in æternitate est, jam subest actioni divinæ, et intentioni ejus.

Ultimo: Non repugnat Deum facere infinitum, neque ex parte potentiæ, quia infinita est, neque ex parte facti; tum, quia infinita magnitudo non est infinitas simpliciter sed in genere determinato, et essentiam habet finitam, et positam in prædicamento quantitatis; tum quia una linea, etiamsi sit infinita non exhaurit omnes lineas; possunt enim esse plures lineæ infinitæ, quarum una sit major altera, ergo tale infinitum non tollit distinctionem ab aliis; tum denique, quia omne creabile collective est infinitum, et omne illud est possibile, siquidem est creabile, ergo possibile est infinitum in actu. Neque hoc est exhaurire potentiam divinam, sed habere actum adæquatum circa omnia possibilia. Et confirmatur, quia si Deus ageret ex necessitate naturæ operaretur infinita; quia ageret secundum ultimum potentiæ, quæ infinita est, ergo etiam modo potest id facere, siquidem ex parte omnipotentiæ eadem est virtus, judicium autem et libertas id non tollit, imo de facto Deus habet scientiam practicam, et ideam de omni illo quod ageret, si ex necessitate naturæ operaretur, ergo sicut cognoscit infinitum in actu, ita potest facere illud quia cognoscendo, et dicendo facit.

Ad primum respondetur negando, quod dentur infinita indivisibilia in actu continuo, licet entitatem suam habeant in actu, sed non infinitatem, sunt enim partes proportionales communicantes partibus aliquotis. Unde dicit D. Thomas in IV, dist. X, q. I, ar. III, q. III ad 1: « Quod actu non est accipere numerum partium in continuo ante divisionem, sed potentia tantum; » quare proportionales non sunt distinctæ, vel superadditæ ipsis aliquotis et distinctis indivisibilibus unitæ, sic enim quantumcunque essent minimæ quantitatis, si in infinitum multiplicantur facerent magnitudinem infinitam actu. Sunt ergo partes proportionales in re idem quod partes aliquotæ secundum aliam considerationem; eadem enim quantitas ut componitur ex partibus, quæ sunt plures per additionem unius ad aliam, dicitur habere partes aliquotas, id est, quæ ratione additionis, vel subtractionis, faciunt majus vel minus in quantitate, atque adeo talis pars non debet quantitatem suam habere solum ratione partium adjunctarum, cum quibus communicat, sed debet habere partes, quas superaddat partibus adjunctis. Partes autem proportionales sunt partes contentæ in aliquotis, et communicantes non quia penetrentur, sed quia una pars quæ servit uni quantitati, seu parti divisibili, potest etiam servire alteri sibi immediatæ, juxta diversam comparationem aut designationem partium in quibus fiat divisio. Et ita vocantur proportionales, quia in eadem finita quantitate quæcunque designatio partis fiat, secundum quamcunque combinationem et proportionem divisibilis est; fieri autem possunt infinitæ designationes per repetitionem, et communicationem partium, quod est esse in infinitum divisibile, non collective, et secundum additionem novæ quantitatis sed divisive, et secundum diversam designationem, quæ in qualibet parte continui fieri potest in partes sibi immediatas, et rursus si designetur pars immediata, potest dividi in partem sibi etiam immediatam, quæ antea dividebatur in illam, et hoc est esse se communicantes, quod in infinitum fieri potest, sed non infinitas addere partes, aut indivisibilia, de quo vide infra q. XXII, latius.

Ad secundum respondetur quod in infinitis creaturis, quas Deus cognoscit, non datur aliqua infinite perfecta, qualibet enim signata, semper restat alia major et perfectior, et sic ex parte rei cognitæ solum sunt infinita syncategorematice, licet ex parte cognoscentis simul, et categorematice omnia illa cognoscantur. Et argumenta ista plerumque peccant a modo cognoscentis ad modum ex parte rei cognitæ. Unde Deus non videt infinita simul in actu, id est, ex parte rei visæ, licet simul illa videat ex parte cognoscen-

tis; sed videt quod ex parte rei cognitæ quolibet dato, aliud melius fieri potest in infinitum. Secundo dicitur, quod quolibet producto, potest Deus facere perfectius perfectione contenta intra limites alicujus generis, non excedente illos: perfectio autem intra terminos clausa, solum est major in infinitum syncategorematice et modo proportionali, non in actu, et categorematice, hoc enim extra omnes terminos est: omnes autem res possibiles intra terminos alicujus generis sunt, et omnis magnitudo aut numerus, species quædam est.

Quod si petas quæ est causa, cur dicatur Deus videre multitudinem infinitam, hoc ipso quod videt omnia possibilia, vel aliquam multitudinem sine termino, quia videt omnia illa simul, ex eo autem quod videat magnitudinem omnem, vel species quas potest facere in infinitum, non dicitur videri aliquam speciem, vel magnitudinem actu infinitam, respondetur quod ad multitudinem syncategorematice infinitam, et in potentia nihil deest nisi quod simul in actu ponatur, ut reddatur infinitum actu, hoc autem consequitur beneficio intellectus simul in actu videntis ea quæ non sunt simul, sed syncategorematice, et in potentia infinita. Ut autem detur magnitudo infinita, non sufficit simul apprehendere plures, vel omnes magnitudines, quæ cognoscuntur fieri posse, sed requiritur quod cognoscatur una magnitudo extra omnem terminum extensa et actu infinita, hæc autem non est possibilis ex parte rei cognitæ.

Ad tertium ibi responsum est, nec enim potest produci Angelus nisi in aliquo determinato instanti, et cum post illud instans non sequitur aliud immediate sed aliqua pars, in qua involvuntur infinita instantia indeterminata, quando in alio instanti producitur alius Angelus, jam sunt transacta infinita instantia in illa parte immediata, in qua non fuit productus Angelus. Ad replicam respondebitur in libro VIII, q. XXIV, ar. II, ubi ostendemus non potuisse dari motum ab æterno. Unde si producerentur ab æterno Angeli non per dies successivos, sed extra omne tempus deberent creari, et sic perinde est atque creare infinitos unica productione, quod repugnat.

Ad quartum respondetur, non repugnare, quod Deus cognoscat infinita simul in actu ex parte cognoscentis, imo et Christus cognitione creata. Ratio est, quia infinitum non repugnat si sit contentum in alio antecedenter existente, sive finito, sive infinito. Et sic Christus cognitione creata cognoscit infinita, ut contenta in aliquo finito, scilicet in specie sub qua continentur individua, et ad quam tendit directe repræsentatio speciei. Et similiter Deus cognoscit infinita ut contenta in sua essentia, et derivata ab ideis, et in æternitate continentur infinita non in actu proprio, sed alieno, scilicet in mensura ipsius æternitatis, quæ infinita et increata est: infinitum autem sub tali esse in infinito, et increato contineri non repugnat, sed in esse proprio, et creato quod limitatum est et terminatum, neque est necesse, quod omne quod Deus cognoscit, possit facere eo modo quo cognoscit ex parte cognoscentis sed eo modo, quo cognoscit ex parte rei cognitæ et factibilis: imo potius modus ex parte cognoscentis solet opposito modo se habere ad modum ex parte rei cognitæ existendo in se entitative et materialiter, in cognoscente immaterialiter.

Ad ultimum respondetur repugnare infinitum ex parte rei factæ. Ad primam instantiam dicitur, quod hoc ipsum quod quantitas est finitæ essentiæ, debet habere in re finitam terminationem, præsertim cum in quantitate ex diversa terminatione sumatur determinata species, vel individuatio quantitatis, et infinitas in actu non est passio quantitatis, sed syncategorematica.

Ad secundam instantiam jam supra diximus, quod si esset corpus infinitum, tantum esset unum, plures autem lineæ infinitæ non ita repugnant, si in abstracto, et quasi mathematice considerentur, in re autem non potest poni linea infinita, nisi subjectetur in corpore infinito.

Ad tertiam respondetur, quod Deus potest omne possibile eo modo quod possibile est: potest autem infinitum divisive, et modo determinato, non collective, et modo infinito, et indeterminato, sicut potest fieri album, quod sit nigrum et sedens stans non conjunctim, sed divisim.

Ad confirmationem respondetur, quod dato illo impossibili, adhuc non sequeretur infinitum in actu, quia operaretur secundum ultimum potentiæ non absolute, sed secundum applicationem ad capacitatem finitam subjecti creati, vel objecti producendi, sicut persona Divina non potest infinito modo personare naturam creatam.

CIRCA LIBRUM QUARTUM,

DE LOCO, VACUO, ET TEMPORE.

QUÆSTIO XVI.

DE LOCO, ET UBI.

Quatuor in hac quæstione tractabimus. Primum, de quidditate loci intrinseci, et extrinseci. Secundum, de subjecto seu re locata, cui convenit esse in loco. Tertium, de repugnantia duorum corporum in eodem loco. Quartum, de repugnantia unius corporis in duplici loco.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit locus extrinsecus, et immobilitas ejus?

Locus physice, et proprie acceptus significat id quod motu locali acquiritur. Et solet distingui duplex locus, alter extrinsecus, alter intrinsecus. Extrinsecus est corpus illud, sive superficies, qua circumscribitur, et continetur ipsum locatum. Intrinsecus est ipsa præsentia passiva rei locatæ, quæ dicitur *ubi*: est enim ubi forma, seu modus intrinsecus proveniens a loco extrinseco circumscribente, ut a quo provenit principaliter denominatio locati. Et sunt aliqui, qui existimant hoc ubi, seu præsentiam intrinsecam ignotam fuisse Aristoteli et antiquis, inventam autem a recentioribus, eo quod Aristoteles VIII Phys. tex. LIX, et D. Thomas ibi, et I, p. q. CX ar. III et II. contra Gent. c. XIII, docet motum localem terminari ad aliquid extrinsecum. Cæterum hi phrasin, et modum loquendi D. Thomæ non attenderunt, qui in sex ultimis prædicamentis non negat modos intrinsece afficientes

tis; sed videt quod ex parte rei cognitæ quolibet dato, aliud melius fieri potest in infinitum. Secundo dicitur, quod quolibet producto, potest Deus facere perfectius perfectione contenta intra limites alicujus generis, non excedente illos: perfectio autem intra terminos clausa, solum est major in infinitum syncategorematice et modo proportionali, non in actu, et categorematice, hoc enim extra omnes terminos est: omnes autem res possibiles intra terminos alicujus generis sunt, et omnis magnitudo aut numerus, species quædam est.

Quod si petas quæ est causa, cur dicatur Deus videre multitudinem infinitam, hoc ipso quod videt omnia possibilia, vel aliquam multitudinem sine termino, quia videt omnia illa simul, ex eo autem quod videat magnitudinem omnem, vel species quas potest facere in infinitum, non dicitur videri aliquam speciem, vel magnitudinem actu infinitam, respondetur quod ad multitudinem syncategorematice infinitam, et in potentia nihil deest nisi quod simul in actu ponatur, ut reddatur infinitum actu, hoc autem consequitur beneficio intellectus simul in actu videntis ea quæ non sunt simul, sed syncategorematice, et in potentia infinita. Ut autem detur magnitudo infinita, non sufficit simul apprehendere plures, vel omnes magnitudines, quæ cognoscuntur fieri posse, sed requiritur quod cognoscatur una magnitudo extra omnem terminum extensa et actu infinita, hæc autem non est possibilis ex parte rei cognitæ.

Ad tertium ibi responsum est, nec enim potest produci Angelus nisi in aliquo determinato instanti, et cum post illud instans non sequitur aliud immediate sed aliqua pars, in qua involvuntur infinita instantia indeterminata, quando in alio instanti producitur alius Angelus, jam sunt transacta infinita instantia in illa parte immediata, in qua non fuit productus Angelus. Ad replicam respondebitur in libro VIII, q. XXIV, ar. II, ubi ostendemus non potuisse dari motum ab æterno. Unde si producerentur ab æterno Angeli non per dies successivos, sed extra omne tempus deberent creari, et sic perinde est atque creare infinitos unica productione, quod repugnat.

Ad quartum respondetur, non repugnare, quod Deus cognoscat infinita simul in actu ex parte cognoscentis, imo et Christus cognitione creata. Ratio est, quia infinitum non repugnat si sit contentum in alio antecedenter existente, sive finito, sive infinito. Et sic Christus cognitione creata cognoscit infinita, ut contenta in aliquo finito, scilicet in specie sub qua continentur individua, et ad quam tendit directe repræsentatio speciei. Et similiter Deus cognoscit infinita ut contenta in sua essentia, et derivata ab ideis, et in æternitate continentur infinita non in actu proprio, sed alieno, scilicet in mensura ipsius æternitatis, quæ infinita et increata est: infinitum autem sub tali esse in infinito, et increato contineri non repugnat, sed in esse proprio, et creato quod limitatum est et terminatum, neque est necesse, quod omne quod Deus cognoscit, possit facere eo modo quo cognoscit ex parte cognoscentis sed eo modo, quo cognoscit ex parte rei cognitæ et factibilis: imo potius modus ex parte cognoscentis solet opposito modo se habere ad modum ex parte rei cognitæ existendo in se entitative et materialiter, in cognoscente immaterialiter.

Ad ultimum respondetur repugnare infinitum ex parte rei factæ. Ad primam instantiam dicitur, quod hoc ipsum quod quantitas est finitæ essentiæ, debet habere in re finitam terminationem, præsertim cum in quantitate ex diversa terminatione sumatur determinata species, vel individuatio quantitatis, et infinitas in actu non est passio quantitatis, sed syncategorematica.

Ad secundam instantiam jam supra diximus, quod si esset corpus infinitum, tantum esset unum, plures autem lineæ infinitæ non ita repugnant, si in abstracto, et quasi mathematice considerentur, in re autem non potest poni linea infinita, nisi subjectetur in corpore infinito.

Ad tertiam respondetur, quod Deus potest omne possibile eo modo quod possibile est: potest autem infinitum divisive, et modo determinato, non collective, et modo infinito, et indeterminato, sicut potest fieri album, quod sit nigrum et sedens stans non conjunctim, sed divisim.

Ad confirmationem respondetur, quod dato illo impossibili, adhuc non sequeretur infinitum in actu, quia operaretur secundum ultimum potentiæ non absolute, sed secundum applicationem ad capacitatem finitam subjecti creati, vel objecti producendi, sicut persona Divina non potest infinito modo personare naturam creatam.

CIRCA LIBRUM QUARTUM,

DE LOCO, VACUO, ET TEMPORE.

QUÆSTIO XVI.

DE LOCO, ET UBI.

Quatuor in hac quæstione tractabimus. Primum, de quidditate loci intrinseci, et extrinseci. Secundum, de subjecto seu re locata, cui convenit esse in loco. Tertium, de repugnantia duorum corporum in eodem loco. Quartum, de repugnantia unius corporis in duplici loco.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit locus extrinsecus, et immobilitas ejus?

Locus physice, et proprie acceptus significat id quod motu locali acquiritur. Et solet distingui duplex locus, alter extrinsecus, alter intrinsecus. Extrinsecus est corpus illud, sive superficies, qua circumscribitur, et continetur ipsum locatum. Intrinsecus est ipsa præsentia passiva rei locatæ, quæ dicitur *ubi*: est enim ubi forma, seu modus intrinsecus proveniens a loco extrinseco circumscribente, ut a quo provenit principaliter denominatio locati. Et sunt aliqui, qui existimant hoc ubi, seu præsentiam intrinsecam ignotam fuisse Aristoteli et antiquis, inventam autem a recentioribus, eo quod Aristoteles VIII Phys. tex. LIX, et D. Thomas ibi, et I, p. q. CX ar. III et II. contra Gent. c. XIII, docet motum localem terminari ad aliquid extrinsecum. Cæterum hi phrasin, et modum loquendi D. Thomæ non attenderunt, qui in sex ultimis prædicamentis non negat modos intrinsece afficientes

subjectum ut probavimus in Logica, q. XIX; sed quia isti modi non sunt omnino absoluti, sed ab aliquo extrinseco provenientes, et ab eo, ut a principali denominante dependentes, cum ubi sit passiva subjectio ad id quod circumscribit quasi active, ideo solet D. Thomas dicere, quod sunt aliquid extrinsecum, non tamen sunt extrinseca denominatio pura, alias enim sæpe fatetur D. Thomas dari ubi, et subjectari in ipso mobili. Nam motum ad ubi expresse ponit Philosophus in hoc libro V c. I, et V, Metaph. tex. XIV, et XI Metaphy. lect. XII apud D. Thomam. Quod vero subjectatur in ipsi mobili, aperte dicit opuscul. XLVIII, tract. de ubi, c. I, dicens: « Quod motus localis subjective est in eo, quod movetur: nihil autem acquiritur in re mobili, nisi ubi, quod est respectus loci ad locatum ut circumscribit illud. » Et in q. IV de Virtut. art. XI ad 3: « Alio modo, inquit, potest intelligi motus secundum essentiam, si sit motus secundum quodcunque adhærens essentiæ, sicut dicimus corpus essentialiter moveri, quando movetur secundum locum, quia de loco ad locum, ejus subjectum transfertur. » Non ergo negat S. Thomas præsentiam, seu ubi inhærens, ipsi rei mobili, sed negat esse modum ita absolutum quod sit independens ab extrinseco circumscribente, et locante, præsertim si sumatur ubi adæquate, et complete, ut magis explicabitur articulo secundo et quæstione sequenti.

Igitur in hoc primo articulo explicabimus primo locum extrinsecum, quem Aristoteles definivit in hoc IV. libro, c. IV, quod locus est *ultimum corporis ambientis immobile primum*, id est, superficies corporis, quæ immediate, seu primo continet, et locat aliquod locatum. In qua Aristotelis definitione tres difficultates explicandæ sunt. Prima est, circa genus loci; an sit superficies continens, vel spatium et distantia extensa. Secunda, circa differentiam loci, quomodo scilicet sit immobilis, et primus. Tertia, an istæ particulæ se habeant per modum generis, et differentiæ, an per modum subjecti, et accidentis.

Circa primam difficultatem, amissis antiquorum opinionibus, quas refert, et impugnat Aristoteles hoc libro IV, c. I et II, constat, quod locus non potest esse aliquid pertinens ad ipsum locatum, sive tanquam materia, sive tanquam forma, sive tanquam accidens aliquod intrinsecum; et a nullo extrinseco dependens; cum videamus mutari locatam de loco ad locum, nullo suo intrinseco deperdito. Unde restat, quod locus vel debet collocari in ratione spatii, quod occupatur a corpore, vel in genere superficiei, quæ circumscribit, et continet locatum. Qui ergo existimant locum esse ipsum spatium, bifariam partiti sunt. Quidam enim ex antiquis dixerunt, illud spatium esse aliquid reale per modum cujusdam dimensionis interminatæ, quæ haberet longitudinem, latitudinem, et profunditatem; et ita cum occupetur a corpore, quod locatur in tali spatio, penetratur talis dimensio cum corpore locato. Alii vero dicunt hoc spatium, quod occupatur a corpore locato, non esse aliquid reale, sed est capacitas replebilis corpore, sicut distantia imaginaria, quam replet totum hoc universum. Quæ opinio valuit apud plurimos antiquos, et recentiores, ut testantur Conimbricenses hic, nec longe absunt ab ea, quidicunt, ubi constitui per ordine, ad spatium imaginarium, quod præsertim verificant in motu, qui fit per vacuum positive.

Cæterum, quod locus non consistat in solo spatio isto imaginario,

colligimus, tum ex ipso motu locali, qui cum sit realis, debet tendere ad aliquid reale, et non solum ad ubi, quia ubi non est aliquis modus absolutus, vel independens ab extrinseco circumscribente, sed ab eo resultat, et in eo fit rem locat, ut dicemus articulo sequenti, tum etiam id colligimus ex motu naturali; constat enim res naturales ipso impetu naturæ ad certa, ac determinata loca tendere, ut ibi conserventur, aut a contrariis defendantur: si autem locus esset solum illud spatium imaginarium, quod est nihil, non haberet magis conservare rem locatam in hoc spatio, quam in alio, nec magis ad id conduceret, cum sit nihil. Necessario ergo requiritur aliquid reale ad locum naturalem, et non corpus, quod penetretur cum alio, quia hoc est impossibile; ergo, quod contineat, et circumscribat aliud. Et cum non possit circumscribere, nisi ratione superficiei ambientis; siquidem locus adæquari debet locato, nec dicimus hominem existere in toto aere, sed solum ea parte, in qua circumscribitur, consequenter locus debet constitui in superficie ambiente, quæ corpori contigua est.

Quod si dicas: Cur non dicemus locum esse illud corpus non a quo aliquid circumdatur, sed in quo sustinetur, verbi gratia, sedes in qua sedet, terra in qua stat, respondetur, quod etiam tunc corpus sustentans non tangeret locatum, nisi per superficiem corporis sustentantis. Non tamen dicitur locus solum corpus sustentans, quia non adæquatur locato, solum enim secundum unam partem tangit, non autem circumscribit locatum. Requiritur ergo, corpus infra sustentans et tangens, sed non sufficit ad rationem loci: unde si aliquod corpus ponatur in ultima superficie mundi, non esset in loco nisi secundum quid, et ex parte.

Secunda difficultas est circa immobilitatem loci, quæ se habet, ut ejus differentia. Et est unum certum apud auctores, aliud est dubium. Est certum, locum absolute debere esse immobilem; tum, quia in hoc distinguitur locus a vase, quod vas continet mobiliter, movetur enim cum re contenta, locus vero non movetur; tum, quia locus habet rationem termini a quo, qui deseritur, et termini ad quem, qui acquiritur per motum: implicat autem, quod terminus a quo moveatur; sic enim portaretur a motu ipsius mobilis, non desereretur. Similiter locus, qui est terminus ad quem, non movetur, quia in eo sistitur motus tanquam in termino; locus ergo, ut terminus motus non movetur: alioquin si locus moveretur, ad aliquem locum deberet moveri, et sic daretur locus loci, et iterum ille alius locus, deberet moveri ad alium locum, et sic esset processus in infinitum. In hoc ergo omnes conveniunt.

Difficultas autem est, ratione cujus conveniat loco ista immobilitas. In quo triplex occurrit sententia. Prima Martinii in illustri præsentis capitis. Qui dicit Aristotelem pugnantia docuisse, cum ex una parte tribuit loco immobilitatem, et ex alia constituit in superficie, superficies autem mobilis est. Nec valet dicere, quod est immobilis non per se, sed ratione fixionis in polo, et centro mundi, respectu quorum locus est immobilis: sic enim locus non esset immobilis per se, sed per accidens, id est, per aliud; et consequenter non esset per se terminus motus, quia terminus motus per se debet esse immobilis. Item, quia vel debet negari, quod motus localis sit actio, vel debet concedi actio sine termino: nam si actio est, necessario debet terminari ad aliquid in ipso mobili, quod immutat, cum tamen motus localis secundum Aristotelem

solum ad extrinsecum terminetur quod est nihil facere, cum extrinsecum illud non fiat, sed comparetur. Quare ipse immobilitatem loci in immobilitate ubi constituit, ut sequenti articulo videbimus.

Sed hæc puerilia sunt, ut tanto Philosopho possint opponi. Et illud primum fundamentum adducitur, et solvitur a D. Thoma in IV Phys. lect. VI, super tex. XLI, et opusc. LII, ut statim alleremus in solutione sequentis difficultatis. Secundum vero fundamentum nihil probat, quia illa actio non facit de novo superficiem ambientem, sed facit in ipso locato subjectionem, seu passivam circumscriptionem ad talem superficiem, et hoc est ubi, quod nec Aristoteles nec D. Thomas negarant, ut supra vidimus, sed quia est modus ordinatus, et dependens ab extrinseco circumscribente, dicitur locus extrinsecus esse terminus motus, subintellecto tamen modo illo intrinseco, quo illi passive subjicitur corpus.

Secundo, Scotus in quodlib. XI, et aliis locis locum constituit formaliter in ipsa continentia activa loci ad rem locatam, quæ continentia apud ipsum relatio est. Hæc autem continentia, et relatio licet physice mutetur, alia et alia superficie adveniente, tamen secundum æquivalentiam non mutatur, quia in ordine ad motum localem perinde se habet, ac si esset una tantum relatio: sicut hæc vox homo dicitur idem significare, licet sæpius repetatur.

Tertia sententia sumit immobilitatem loci per ordinem, et connotationem, spatium imaginarium, quod negative est immobile, ita Conimbricenses hic quæst. I, artic. II; Cabero tract. IV, disp. I, dub. I. Ad quam sententiam accedunt, qui dicunt definitivam præsentiam in loco esse immobilem, quia sumitur per ordinem ad polos mundi veros, vel imaginarios; circumscriptivam vero non esse immobilem: de quo videatur Fuente IV Physic. quæst. I, difficul. I, artic. II ad I.

Cæterum quia D. Thomas I Phys. lect. VI, et opus. LII, aliisque locis secutus Aristotelem etiam salvat immobilitatem loci positivo modo in ipso loco, et corpore ambiente, oportet immobilitatem loci non solum negative, sed etiam positive explicare.

Pro quo notandum est quod locus non est sola superficies, ut inhærens corpori locanti, sic enim non est magis immobilis, quam superficies locati, et movetur moto ipso corpore, cui inhæret. Nec est ipsa superficies, ut præcise continens aliud; sic enim etiam invenitur in vase, quod continet liquorem, et movetur cum illo; locus autem, ut dixit Philosophus est vas immobile. Quare locus debet esse superficies continens, secundum ordinem situs, et distantiæ, et positionis in universo; hoc enim præcise nomine loci significamus, et distinguimus diversa loca secundum diversas positiones, in quibus ordinantur: qua etiam ratione metaphorice sumitur locus ad designandam diversam dignitatem qua homines ordinantur, et constituuntur in republica.

Ex his ergo dicimus triplici modo posse explicari immobilitatem loci. Primo, ratione distantiæ negativæ, quam locus præsupponit, licet non in ea consistat. Secundo, ratione coordinationis, quam habet superficies ultimo, et immediate, ambiens cum superficie primi locantis, quod est cœlum. Tertio, ratione formalitatis termini motus, licet enim superficies, et corpus ambiens moveri possit in quantum corpus mobile est, sicut alia corpora locata, tamen ut exercet formalitatem termini a quo, qui deseritur, vel termini ad quem, qui acquiritur, sub ista inquam formalitate mobilis esse non potest; esto secundum se, ut superficies corporis mobilis, ut non exercet officium loci, non repugnet moveri. Quæ ultima explicatio sumitur ex Philosopho V Phys. tex. IV, lect. I, apud D. Thomam, ubi eodem modo docet de loco, et de termino alterationis, et augmentationis, quod non moventur neque movent, ut termini motus sunt. Et hac ratione tam ipse locus extrinsecus, quam modus intrinsecus, seu ubi, in quantum termini motus immobiles sunt.

Secunda vero explicatio immobilitatis loci docetur a D. Thoma, opus. LII, et præsertim IV Phys. lect. VI, ubi inquit: « Quod cum locus proprius sit pars loci communis, oportet accipere proprium locum navis in aqua fluminis, in quantum habet ordinem ad totum fluvium, ut est immobilis. » Et subdit: « Sic igitur licet hæc pars aeris, quæ continebat, vel hæc pars aquæ effluat, et moveatur in quantum est hæc aqua, tamen secundum quod habet hæc aqua rationem loci, scilicet situs et ordinis ad totum sphæricum cœli semper manet; sicut etiam dicitur idem ignis manere quantum ad formam, licet secundum materiam variatur, consumptis et additis quibusdam ignis. » Itaque superficies ultima, quæ adæquatur locato, continet et ambit illud, ut subordinata primo locanti, et ambienti, quod est cœlum. Et sic licet succedant diversæ superficies ambientes locatum, quia tamen succedunt in eadem subordinatione ad primum locans, quod est cœlum, dicitur manere idem locus non secundum rationem superficiei absolute, sed ut locantis ex subordinatione ad primum locans, sicut dicitur manere idem ignis, licet paulatim consumatur una materia, et succedat alia, quia semper succedit sub eodem ordine ad formam, et licet ipse ordo, ut est relatio quædam entitative considerata, varietur in ipsa materia, vel superficie, in qua fundatur, tamen hoc non tollit absolute loquendo unitatem loci seu immobilitatem (idem est enim immobilitas, et unitas in præsenti) quia solum variatur ordo entitative, et materialiter ex parte subjecti, non ex parte termini formalis, et continuationis sub eadem forma, et sub eodem primo locante, sicut est idem fluvius, et idem animal, licet partes succedant.

Denique, prima explicatio immobilitatis loci ex eo constat, quia locus necessario supponit aliquam distantiam negativam, quam repleat. Quando enim productum ex hoc universum replevit positive, quod solum negative erat distans, et spatium capax corporis. Unde cum succedunt diversæ superficies in illo eodem spatio habent immobilitatem præsuppositam ratione illius spatii negativi, quod occupant, et replent; hoc enim semper est immobile.

Ex quibus solvuntur aliquæ objectiones, quæ fieri solent contra immobilitatem loci. Primo, quia nihil est in loco, quod non sit mobile, superficies enim movetur, et distantia, quæ est relatio subjectata in illa. Quod si terminus ipse ad quem est ista relatio distantiæ non movetur, hoc est dicere, quod locus solum terminative est immobilis, non subjective, et tamen Philosophus dicit, quod locus est superficies immobilis prima. Ergo in ipsa superficie ultimo continente ponenda est immobilitas, et non solum in termino, vel in primo locante. Imo ipsum primum locans, quod est cœlum cum perpetuo moveatur non potest dici, quod est immobile, et circumdans, et ambiens.

Secundo, quia si locus est immo-

bilis positive in ratione superficiei sequeretur, quod posset aliquid moveri non mutato loco; posset etiam aliquid mutare distantiam non variato loco. Denique, posset immotum manens mutare locum, quæ omnia absurda sunt cum idem sit moveri, et mutare loca, vel a converso. Primum patet, si aliquis deferatur in navi, et æqua velocitate moveatur in partem contrariam, non mutat locum respectu distantiæ polorum, et centri, et tamen movetur. Ergo potest aliquid moveri non mutato loco. Secundum patet, si Deus totum universum moveret per spatium imaginarium, corpora intra universum mutarent respectum et distantiam versus illam partem, licet in se immota manerent. Tertium patet, si Deus auferret unam superficiem ambientem turrim reliquo vacuo, et postea aliam distinctam subrogaret, turris esset immota, et tamen mutaret locis, quia diversa superficies non continuata ambiret illam, ergo diversus esset locus.

Ad primam objectionem respondetur in primis non militare contra tertiam explicationem immobilitatis loci, quia licet corpus illud, et res quæ locationi deservit, mutari possit, tamen formalitas et officium loci, quatenus est terminus qui deseritur, vel acquiritur non moveatur, ut autem procedit contra secundam explicationem, dicimus ex D. Thoma IV Physic. lect. VI, ubi hoc argumentum solvit, quod superficies, et quidquid in superficie est, variatur ut superficies est, sed non ut locus, id est, non secundum ordinem, vel situm in toto immobili: quod est totum universum. Quare locus non est immobilis et unus, nisi unitate ordinis, non unitate simpliciter et omnibus modis, quatenus omnes superficies sub eadem coordinatione et termino ad primum locans succedunt. Et quando dicitur, quod hoc non est, locum esse immobilem subjective, sed terminative, respondetur, quod locus non dicitur subjective immobilis absolute, sed secundum unitatem ordinis in ipso subjecto, ut dicit habitudinem ad illum terminum, et ut subest illi, sicut ignis dicitur idem numero, propter continuationem materiæ sub eadem forma, et fluvius idem numero propter continuationem aquæ in eodem discursu. Ita locus dicitur idem, et immobilis, quatenus coordinatur sub eodem termino et situatione. Quando autem Philosophus dicit, quod locus est superficies immobilis prima, ly *prima* designat superficiem ultimam et immediatam ipsi locato (corrupte enim aliqui legunt immobilis primo, cum textus dicat immobilis prima) insinuans per hoc, quod superficies ultima non induit rationem loci, nisi prout induit modum immobilitatis, hoc est, non secundum se, sed ut subest termino fixo et immobili, et ut exercet officium loci, qui per motum acquiritur vel relinquitur. Et licet cœlum ipsum, quod est primum locans moveatur, tamen quia non secundum se totum movetur, sed semper in eodem situ manentibus etiam immotis punctis polaribus, ideo semper datur aliquid, respectu cujus locus sit immobilitate ordinis, licet non absolute.

Ad secundam negatur sequela; et ad primam probationem respondetur quod in illo casu ille non movetur motu progressivo, et recto, sed solum elevat pedes, et deprimit subintrante navigio, sicut qui saltat sursum, eo quod impetus navis deserentis, et velocitas æqualis in contrarium tendentis mutuo se impediunt, ne progrediatur ultra, sed solum, ut sub eodem distantia pedes elevet. Nec obstat, quod defatigatur, quia etiam motus ille quasi saltationis sursum, et deorsum in eodem loco defatigare potest. Ad secundam dicitur, quod si totum universum moveretur a Deo, omnia quæ intra illud sunt, etiam moverentur motu per accidens, sicut qui deseruntur in curru, licet non moveantur motu proprio. Ad tertiam respondetur quod in illo casu mutatur locus, de reali in imaginarium, et e contra, non secundum diversum situm et distantiam; et ideo res locata manet immota, et solum corpus ambiens mutatur alio corpore non succedente. Quando autem succedunt diversæ superficies in eadem distantia, tunc mutantur res exercentes officium loci, non ipsa formalis ratio loci, et officium ejus ut dictum est, sicut artifex quando in eodem opere faciendo mutat diversa instrumenta.

Quod si inquiras, an locus naturalis addat aliquid supra locum communiter dictum, respondetur ex D. Thoma opusc. LII, et IV Phys. lect. VIII addere virtutem conservativam, seu formativam locati, quæ virtus derivatur a cœlo tanquam a primo locante, quatenus secundum majorem vel minorem distantiam a cœlo, et ab aspectibus planetarum corpora inferiora recipiunt convenientes, et proportionatas influentias: quædam enim sunt, quæ requirunt majorem calorem, aliæ minorem, aut similiter humiditatem, aut siccitatem, vel alias similes, qualitates, quæ secundum diversam situationem, et distantiam a cœlo, diversimode distribuuntur, et temperantur, et ideo locus tali temperamento prædictus a tali locato appetitur, ut conveniens, præsertim secundum naturam elementi prædominantis; conservatio enim elementorum maxime intenditur a natura in universo.

Ex his manet soluta tertia difficultas, scilicet an ista definitio loci sit per genus, differentiam, an per subjectum, et accidens. Respondetur enim, quod superficies non potest esse genus loci, cum superficies sit species quantitatis continuæ habens positionem in illa; locus autem est extrinsece mensurans, et quantum per accidens, ut ex D. Thoma V Met. lect. XV, diximus in Logica, q. XVI. Quare locus non ponitur subalternalim sub superficie, sed superficies est subjectum ejus, per se tamen et necessario requisita materialiter; et ex parte subjecti, sicut album per se ex parte subjecti requirit corpus: qua ratione intelligitur D. Thomas in II dist. XII, qu. I, art. V ad 2, ubi dicit: « Quod locus per essentiam est superficies corporis locantis. » Potest tamen reduci ad definitionem metaphysicam, dicendo: « Quod locus est immediatum continens, seu ambiens immobiles. »

Si petas, quænam sunt prioritates loci, respondetur quatuor poni a Philosopho in hoc libro primo continere locatum (scilicet actualiter) secundo esse æquale locato (scilicet æqualitate contigui, tertio quod locus tanquam deficiat locato, quarto quod in omni loco inveniatur sursum, et deorsum. Addunt alii, quod locus sit extrinsecus terminus motus, et quod locus et locatum possint separari, et tandem quod locus sit conservativus locati, quod pertinet ad locum naturalem.

ARTICULUS II.

Quid sit ubi, seu locus intrinsecus?

Nomine *ubi* intelligimus id, quod acquiritur seu ponitur in locato, ex eo, quod subjicitur loco extrinseco: de quo aliqua attigimus in Logica q. XIX, et alia ad hunc locum reservavimus. Præcipue vero tractanda sunt tria. Primo, quid sit hoc *ubi*.

Secundo, in quibus sit. Tertio, quotuplex sit?

Circa primum est advertendum quod præcipue colligimus dari hoc ubi ex ipsa motu locali, per ipsum enim motum acquiritur aliqua distantia, seu præsentia in qua constituitur mobile: et cum subjectetur in mobili, oportet quod in eodem subjectetur aliquis terminus motus. Est enim motus fieri, seu via ad aliquem terminum: ergo si est ipsum fieri, oportet ponere aliquod factum esse, cum motus non sit præter res, ad quas est motus. Similiter non potest intelligi, quod aliquis moveatur ad locum, nisi in se immutetur, et subjiciatur, seu applicetur ipsi loco: quæ subjectio, et applicatio ad minus importat novam aliquam relationem ad locum cui de novo subjicitur, quæ antea non erat in corpore quando non erat applicatum tali loco: nova autem relatio novum exigit fundamentum proximum, et hoc est ipsum corpus secundum se; quia hoc est indifferens, ut sit in hoc loco, vel absit illo. Ergo est aliquid superadditum corpori, et hoc vocamus ubi, quo aliquod corpus afficitur modo applicationis, et subjectionis ad extrinsecum circumscribens, quod est locus. Itaque ex his duobus principiis, scilicet ex motu, et relatione conjunctionis, seu applicationis ad locum colligimus dari ubi.

Ex quo colligitur, quod ubi circumscriptivum non potest esse modus aliquis absolutus omnino independens ab omni extrinseco. Quod aliqui ita explicant, quod ubi nec dependeat a spatio imaginario, nec a spatio vero, seu a corpore extrinsecus circumscribente, nec a punctis finis universi; sed definiunt ubi: *Quod sit modus immobilis corporis mobilis.* Alii vero explicant ubi saltem per ordinem ad distantiam aliquam, seu spatium imaginarium, seu ad puncta fixa universi; non tamen per ordinem ad corpus circumscribens, cum sine illo possit reperiri ubi; sicut et motus ut patet, quando aliquid movetur in vacuo. Quam tamen dependentiam negat prima sententia, quia non potest ubi dependere, et habere connexionem cum spatio imaginario, quia est nihil et aliquid fictum.

Cæterum prima sententia omnino est in intelligibilis quia vel existimat ubi esse modum immobilem, quia non moveatur etiam terminative, id est, tanquam terminus, qui acquiritur, vel deseritur per motum: vel quia non movetur subjective, quia licet amittatur, vel acquiratur non tamen tunc movetur, quia non fertur cum ipsa re, quæ movetur. Primo modo constat ubi non esse modum immobilem, cum acquiratur de novo, quando aliquid movetur ad locum, et amittatur, cum recedit, a loco. Secundo modo certum est, quod ibi non movetur, sed corpus est, quod movetur acquirendo, vel relinquendo ubi: oportet tamen reddere causam hujus immobilitatis, quæ non est alia, nisi quia ubi constituit corpus in tali spatio, seu distantia, neque indifferenter se habet tale ubi ad diversa spatia. Et sic cum spatium sit immobile, etiam ubi, quod d tale spatium determinatur, immobile dicetur. Ergo non potest ut poni omnino independens ab omni extrinseco, sive sit spatium negativum, sive positivum.

Secunda vero sententia in eo deficit, quod non distinguit in ubi circumscriptivo id, quod circumscriptionis est, et id quod est definitivæ, et determinatæ præsentiæ. Ut enim circumscriptivum sit, necessario dependet ab aliquo circumscribente, ut autem præcise definitivum, et determinatum sit, non requiritur corpus circumscribens, sed sufficit

limitatio in se, qua ita fit hic, quod non alibi. Ut autem positive alteri coordinetur, requiritur respectus aliquis ad locum, vel corpus separatum, seu remotum, respectu cujus motus localis possit acquirere propinquitatem aliquam, vel distantiam positivam, licet non circumscriptionem: qua ratione salvabimus motum localem in vacuo quæstione sequenti, ratione positivæ distantiæ, vel propinquitatis. Quod si nec ista possit acquiri, quia non datur aliquod aliud corpus respectu cujus detur positiva distantia, vel propinquitas, neque circumscriptio, cessabit omnis motus positivus.

Unde patet ad fundamenta opposita. Dicitur enim ad fundamentum primæ sententiæ, quod ubi non dependet a spatio illo negativo ut a causa, vel constitutivo, sed ut a negatione necessario prærequisita, eo quod non potest inveniri distantia aliqua positiva extensa, nisi replendo distantiam negativam, et sic supponendo illam; ubi autem necessario importat ordinem ad distantiam, sicut etiam homo necessario requirit negationem equi, et fides negationem evidentiæ, quæ est obscuritas, et materia prima negationem ulterioris subjecti.

Ad fundamentum secundæ sententiæ dicemus amplius quæstione sequenti tractando quomodo fiat motus in vacuo. Sufficit nunc dicere, quod remoto corpore circumscribente, non remanet ubi circumscriptivum adæquate, et formaliter, ut circumscriptivum est; potest tamen manere inadæquate et secundum quid, secundum quod importat ordinem propinquitatis, vel distantiæ ad corpus non circumscribens, eo quod motus non solum est ad locum, sed etiam circa vel prope locum, ut ex D. Thoma opusc. LII, dicemus.

Circa secundam difficultatem, scilicet in quibus reperiatur ubi, potest esse difficultas tam respectu diversorum subjectorum, quænam sunt capacia habendi ubi, quam respectu unius, et ejusdem rei; an omnia quæ sint in aliqua re, sive accidentia, sive partes habeant diversa ubi, an sufficiat unum, ut sint in loco. Et quantum ad primum, dependet ex dicendis sequenti articulo ubi inquiremus, quænam res sint in loco, illa enim habebunt ubi.

Circa secundum, quidam affirmant, tot dari ubi in corpore, quot entia, ut ex P. Suarez disp. LI Met. sect. V, et Valentia III par. disp. VI, q. IV, punct. I, et ex aliis asserit Cabero hic disp. II, dub. III, idque deducunt ex motu, quia omnia illa movetur, sive per se, sive per accidens, ergo omnia acquirunt ubi, quod est terminus talis motus: et deinde, quia si omnes qualitates separentur a quantitate, quælibet haberet suum ubi, ergo etiam modo quando sunt illi conjunctæ.

Nihilominus, cum omnia, quæ in alio corpore continentur sint in loco mediante quantitate, ut docet S. Thomas in IV, dist. X, qu. I, art. I ad 3, et dist. XLIV, qu. II, art. II, quæst. V, et quodl. VII, art. VIII, dicendum est, quod sicut sufficit una quantitas extendere omnes partes, et accidentia, quæ sunt in subjecto, ita sufficit unico ubi commensurare ea loco, quia ubi est modus resultans ex circumscriptione loci in re locata; ergo ubi est tantum una circumscriptio, et extensio ad locum, quia est tantum una quantitas in re circumscripta, tantum resultabit unum ubi. Quod si dicas, esse diversam rationem de quantitate, et de ubi, quia quantitas non potest multiplicari in eodem subjecto, alias essent plures quantitates penetrative: et similiter quantitas est accidens reale, quod potest afficere omnes partes materiæ. At vero plura

ubi non important penetrationem aliquam, et cum sit modus, non potest identificari cum pluribus rebus distinctis. Contra est, quia ubi non identificatur immediate nisi cum quantitate, eo quod ubi circumscriptivum non convenit alicui, nisi ut quantificatum est, quantitas autem est una pro omnibus, quæ extendi possunt in subjecto, ergo et idem ubi; sicut quia figura est modus quantitatis, eadem sufficit pro omnibus partibus figurati, cum quibus non identificatur ille modus nisi mediate, et per quantitatem. Et magis urgetur, quia res sunt in loco mediante ultima superficie, qua contiguantur et tangunt locum ambientem, hæc autem superficies ultimo tangens una est, et denominat omnia quæ in corpore sunt, ut dicantur locata seu attacta per illam, ergo et unicum ubi hujus superficiei sufficit, ut denominentur omnia ubicata. Et præsertim hoc apparet in anima nostra, quæ spiritualis substantiæ est, et in accidentibus supernaturalibus, quæ in ea sunt: ex motu enim corporeo quo movetur homo, non potest produci ubi spirituale, vel supernaturale, cum motu corporeo solum producatur ubi corporeum, quod cum substantia spirituali, et entitate supernaturali identificari non potest: et tamen ista moventur per accidens nobis motis: ergo ad motum per accidens non requiritur distinctum ubi.

An vero etiam in corpore Christi sacramentato detur motus per accidens, et ubi per accidens, quando movetur hostia? Respondetur ex D. Thoma III par. qu. LXXVI, art. VI, et in IV, dist. X, qu. I, art. III, quæstiunc. IV, quod duo sunt modi essendi in loco, et acquirendi locum per accidens. Uno modo, quia licet aliquid sit in loco per se, sed tamen movetur ad motum alterius, ut quando fertur in curru, vel in navi, et hoc modo Christus non movetur per accidens ad motum hostiæ, quia Christus non est ibi tanquam in loco, neque ille motus potest producere ubi indivisibile, et sacramentale, sed corporeum, et divisibile in hostia, cui conjungitur corpus Christi, sicut Angelus lapidi, qui movetur. Alio modo movetur aliquid per accidens, quia nec movetur per se, nec est in loco per se, sicut dicuntur moveri formæ, etiamsi spirituales sint conjunctæ corporibus, et hoc modo movetur Christus per accidens in Sacramento. Hæc enim supponuntur non esse circumscriptive per proprium ubi, sed per alienum, et per conjunctionem ad alterum.

Ad fundamenta opposita patet ex dictis. Dicitur enim ad primum omnia illa, quæ per accidens sunt in loco moveri per accidens, et ad motum alterius; et sic si habent eamdem quantitatem, etiam eodem ubi commensurantur loco illoque afficiuntur mediate, sicut quantitate. Ad secundum respondetur quod qualitates et aliæ formæ, separata quantitate non afficiuntur ubi circumscriptivo, nec per se, quia carent quantitate, nec per accidens quia non conjungitur alicui habenti quantitatem. Quare, vel non erunt in loco, vel alio modo indivisibili, sicut res spirituales, vel alio modo præsentiæ nobis incognito, ad istum tamen reducibili.

Circa tertiam difficultatem, scilicet quotuplex sit ubi, supponendum est, quod cum ubi dicat modum existendi in loco, eo modo dividendum est ubi, quo ipsa ratio existendi in loco. Constat autem non omnem præsentiam constituere ubi, sicut patet de præsentia solius unionis, sicut anima est præsens corpori, et divinitas Christo, neque enim dicuntur præsentia ratione ubi, sed

ratione unionis. Quia ergo præsentia ubicabilis dicitur per ordinem ad locum, et secundum D. Thomam I p. q. LII, art. I, esse in loco dicitur æquivoce de corporibus, et spiritibus, quia spiritus sunt in loco non ut commensurati, et subjecti loco, sed ut subjicientes sibi locum: ideo ubi æquivoce dicitur de ubi spirituali, et de ubi corporeo. Itaque si sumatur ubi in communi pro quacunque præsentia ad locum, sic dividi solet in circumscriptivum, et diffinitivum, et supernaturale, seu sacramentale. Omittimus autem præsentiam Dei ad loca; tum quia non est creata, neque prædicamentalis, sed substantia Dei, tum quia non est ubi, sed ubique. Ubi circumscriptivum definitur quod est *circumscriptio passiva corporis a circumscriptione activa loci proveniens.* Ubi definitivum est illud, *quod ita ponit determinate in una parte mundi, quod non in alia;* ut explicat S. Thomas opusc. XLVIII, tract. de ubi, c. I, non tamen tale ubi ab aliqua commensuratione, vel subjectione ad locum provenit. Ubi sacramentale, *est modus ille indivisibilis qui convenit corpori Christi secundum præsentiam ad species sacramentales*, qui supernaturalis est quantitati Christi, eo quod supra corporis naturam est esse præsentem non localiter, sed indivisibiliter, nec ab aliquo principio fieri potest, non tamen est illa præsentia definitiva, ut S. Thomas docet in IV, dist. X, q. I, art. III, q. II, quia non ita determinatur ad istas species, quod non sit in aliis, sed ubicunque est panis ibi potest esse; vel ubicunque Deus velit convertere aliquid in ipsum, et sic non dat præsentiam definitam, sed quia caremus alio nomine, vocamus sacramentalem. Et quia supernaturalis est, ad illam reducimus omnem aliam præsentiam, seu alia ubi, quæ supernaturaliter a Deo possunt tribui rebus creatis.

Propter hæc solet ubi circumscriptivum dici a D. Thoma opusculo citato proprie esse ubi; et similiter in I, dist. XXXVII, qu. III, art. I ad 1, dicit: «Quod rei incorporeæ proprie non convenit esse in loco.» Alia ergo quæ dicuntur ubi, solum proprie dicunt præsentiam rei ad locum, sed non proprie dicuntur ubicare, quia ubicatio importat præsentiam, ut mensuratam loco, et ponentem distantiam, vel propinquitatem in re locata respectu aliorum, qui modus ubicationis in ubi spirituali non invenitur. Et sic, sicut actio prædicamentalis proprie dicitur illa, quæ infert passionem, licet in quantum causalitas agentis etiam conveniat actioni non inferenti passionem, sed præcise producenti effectum, et sicut *quando*, proprie non dicitur de quacunque duratione, sed de duratione temporali, qua aliquid secundum diversam successionem mensuratur, et quandatur. Ita non dicitur proprie ubicari aliquid per quamcunque præsentiam ad locum, sed per illam, qua commensuratur loco, et qua secundum mensurationem distantiæ, vel propinquitatis positivæ distinguitur.

ARTICULUS III.

Utrum omnibus corporibus conveniat esse in loco, et habere ubi?

Supponimus nullum corpus comparari ad locum commensurative, nisi mediante quantitate, et modo proprio quantitatis; remota autem quantitate, vel modo extensivo illius, res non commensuratur loco; unde dicit D. Thomas in IV, dist. X, q. I, ad 5: «Quod nullum corpus comparatur ad locum, nisi mediantibus dimensionibus quantitatis.» Quare si remota quantitate aliqua substan-

tia conservaretur a Deo, sicut modo corpus Christi sine modo quantitatis ponitur in Sacramento, tale corpus non erit in loco, sed manebit ut pars universi sine loco; sicut corpus Christi non est in loco per proprias dimensiones, sed per quantitatem hostiæ. Et sic dicit Augustinus epist. LVII: « Quod si tollantur spatia a corporibus nullibi erunt, et quia nullibi erunt, neque erunt, » intelligitur enim, quod non erunt quantum est ex natura sua, nisi a Deo conserventur.

Ex quo colligitur. Primo, quod corpus positum in vacuo aut extra totum universum non est in loco; non quidem defectu extensionis propriæ, sed defectu extensionis circumscribentis, sine circumscriptione enim non datur locus positivus. Quid autem acquiratur per motum localem in vacuo, dicemus quæstione sequenti. Secundo, colligitur punctum separatum non esse per se in loco, caret enim quantitate, et illud dicitur per se esse in loco, quod potest per se loco moveri; punctum autem non potest per se moveri loco, ut dicemus infra quæst. XX, articulo ultimo quia correspondet tantum indivisibili loci; si autem moveretur per se, immediate post corresponderet alteri indivisibili; non dantur autem duo indivisibilia immediate. Solum ergo punctum est per accidens in loco ratione partium, quæ ponuntur in loco.

Tertio, colligitur solum id esse per se in loco, quod per se afficitur quantitate; et sic formæ, sive substantiales, sive accidentales non sunt in loco per se, sed per accidens ratione totius, in quo sunt, et quantitatis, non afficiuntur in ipso toto. Et sic D. Thomas IV Physic. lect. VII, circa text. XLV, inquit: « Quod quædam sunt in loco per accidens, sicut animæ, et omnes formæ; et idem habet in IV, distinct. X, quæst. I, art. III, quæst. IV, et sic diximus præcedenti articulo, quod ea quæ afficiuntur unica quantitate unicum habent ubi afficiens immediate ipsum totum, cui, primo, et per se convenit quantitas, mediate autem, et per accidens illa, quæ tali toti conveniunt, et quantitate afficiuntur. Sicut etiam convenit eadem figura, et situs toti, et partibus, quia figura, situs, et ubi, seu circumscriptio sunt modi ipsius quantitatis, et sic afficiunt, et variantur uti non variantur eo modo, quo quantitas. Si quid vero existit unicum corpori, quod quantitate non afficitur, nec mediate, nec immediate; sicut quilibet spiritus unitus corpori, vel tanquam forma, vel tanquam agens, vel sicut corpus Christi est in Sacramento, isto illo corpore dicitur moveri per accidens, non quia ex vi talis motus acquirat, vel amittat aliquod ubi spirituale, cum hoc fieri non possit ex vi motus corporei, sed solum ratione concomitantiæ dicuntur moveri, eo quod ex vi suæ unionis dicuntur esse, ubi est corpus cui uniuntur; non autem per participationem effectus formalis circumscriptionis, seu existentiæ in loco. Et sic in se non mutant præsentiam ubicalem, sed continuant unionem ad corpus, quod mutat locum, et distantiam, ex se autem nihil distantiæ, aut extensionis, vel ubicationis habent, de quo videatur D. Thomas citato loco, dist. X, q. I, art. III.

Inter corpora ergo per se habentia quantitatem modo divisibili extenso, solum est difficultas, quomodo ultimum corpus totius universi existat in loco, quod antiqui existimarunt esse primum mobile: nos autem intelligimus esse cœlum empyreum. Nam ex una parte videtur esse in loco, quia movetur loco, vel saltem moveri potest a Deo. Ergo

debet esse in loco, per motum enim localem locus acquiritur. Ex alia vero parte non circumscribitur, neque continetur loco, quia est ultimum continens omnia; ergo non est in loco circumscriptive. Nec potest dici, quod est in loco ratione centri circa quod movetur, vel superficiei corporis inferioris, quod immediate tangit. Hoc enim non est esse in loco circumscriptive, sed circa locum, quod etiam potest habere corpus positum in vacuo; corpus enim inferius positum circumscribitur, non circumscribit. Nos autem inquirimus, quomodo cœlum illud sit in loco circumscriptive.

In hac difficultate aliqui sentiunt ultimum corpus non esse in loco, neque per se, neque per accidens, sed solum replere spatium imaginarium; quod etiam aliqui recentiores sequuntur. Alii locum tribuerunt cœlo, sed quia locus est immobilis, quidam assignaverunt centrum pro loco cœli, quia immobile est. Alii attendentes ad superficiem, quæ etiam pertinet ad locum, dixerunt superficiem inferiorem cœli esse locum ejus. Cui tamen non convenit circumscribere, sed circumscribi.

Igitur sententia Aristotelis in hoc libro, cap. V, sentit ultimam sphæram esse in loco per accidens ratione suarum partium, quæ tamen non sunt actu in loco, sed potentia, quod est dicere cœlum simpliciter non esse actu in loco, sed potentia, quod sufficit, ut possit moveri motu circulari. Dicuntur autem partes cœli esse in loco in potentia, quatenus omnes existunt in continuo una post aliam, et una unitur alteri in circulo; et ratione hujus continuationis, seu concatenationis una continet aliam continuatione, non circumscriptione, quia divisa et contigua non est: et ideo solum in potentia dicuntur illæ partes esse in loco, quia ut sint actu circumscriptæ una ab alia, solum deest illis divisio, qua reddantur contiguæ illæ, quæ sunt continuæ. Ita docet Philosophus citato loco ubi inquit: « Quod cum id, quod est similium partium, continuum est, tum partes potentia sunt in loco; sed cum sunt separatæ, atque ut in cumulo fit, se tangunt, tum in loco sunt actu. » Et subdit: « Cœlum autem non est alicubi totum, neque est ullo in loco, si nullum ipsum continet corpus, sed quo movetur, hoc et locus est partibus; alia namque partium, alii hæret; alia vero per accidens, ut anima, atque cœlum. Omnes namque partes quodammodo sunt in loco, circumquaque enim alia aliam continet; » ubi aperte docet partes cœli non absolute esse in loco, sed quodammodo, quatenus una continet, seu cohæret alteri: et tamen quia istæ partes sunt actu in continuo, et non separatæ, ideo non sunt actu in loco, ut circumscriptæ, sed sunt in potentia in loco, quia possunt dividi, actu autem continuæ sunt, non contiguæ. Idem docet D. Thomas in hoc libro, lection. VII et opuscul. LII. Itaque in cœlo non possumus considerare, nisi vel quod est supra ipsum, seu extra ipsum, vel quod est infra ipsum, et ab eo contentum, vel quod est in ipso, ut partes ejus. Non potest dici, quod ultimum cœlum sit in loco, quia supra, vel extra ipsum detur aliquod corpus continens, cum ipsum sit ultimum; neque quod sit in loco, quia intra ipsum detur aliquid contentum: hoc enim potius est locatum ab eo, quam locus ejus; et idem est de centro, quod etiam non est continens ipsum cœlum, neque actu, neque potentia: est autem contentum non potentia, sed actu. Relinquitur ergo quod dicitur esse per accidens in loco, et

in potentia solum ratione partium, quatenus una continuatur alteri, sed non circumdatur ab illa, quia separata non est ab ea.

Sed objicies primo: Quia hac ratione non solum partes cœli, sed etiam totum cœlum est in loco in potentia, quia etiam est in potentia, ut sibi aliud corpus superponatur, et ab eo circumscribatur in loco. Et licet hoc non possit naturaliter fieri, sed a solo Deo, etiam partes ipsæ cœli non possunt dividi, nisi a solo Deo. Secundo: Quia de facto cœlum movetur, et non solum in potentia; ergo debet acquirere locum in actu, et non in potentia, nam motus in actu debet habere terminum in actu, et nullum alium, quam esse in loco, quia est motus localis; ergo partes cœli habent locum in actu; imo totum cœlum, quia motus subjectatur in toto cœlo, et ipsum totum movetur, et non solum pars. Tertio: Quia motus cœli est primus motus; ergo est magis in actu, et per se, quam alii motus; ergo non debet habere terminum per accidens, et in potentia; id enim quod est in actu et per se, est potius eo, quod est per accidens, et in potentia. Et sic, cum primum cœlum sit nobilissimum corpus, debetur ei nobilissimus modus essendi in loco; ergo non per accidens, et in potentia. Ultimo: Cœlum actu habet ubi in suis partibus, et in ipso toto, aliquin non possemus designare ubi modo est sol, quando oritur, et ubi posteri quando occidit. Et idem est de partibus ultimæ sphæræ; sed illud ubi designatum, et in actu est circumscriptivum, utpote acquisitum motu locali in actu; ergo partes sunt actu in loco, siquidem actu habent ubi.

Ad primum respondetur, verum esse quod etiam tota sphæra est in potentia, ut sit in loco, sed hoc respectu corporis, quod nondum est in rerum natura, licet possit a Deo creari. At vero partes dantur in re, licet earum divisio non possit nisi de potentia divina dari, ideo magis dicitur existens in loco respectu partium, quæ jam sunt in re, licet non sint divisæ, quam respectu alterius corporis superponibilis, quod nondum datur in re.

Ad secundum respondetur, cœlum moveri ratione suarum partium, sicut etiam corpus dicitur videre quia videt oculus. Talis autem motus in cœlo, licet de se fit productivus ubi circumscriptivi, tamen per accidens, quia est corpus ultimum, non habens aliud circumscribens se, non producit de facto ubi circumscriptivum, ratione cujus dicatur esse in loco: producit tamen aliquid in actu, et de facto, scilicet modum aliquem propinquitatis, vel distantiæ respectu alicujus corporis circa quod moventur illæ partes, et ipsum totum, et hoc etiam pertinet ad ipsum ubi saltem inadæquate, eo quod ubi non solum dicit circumscriptionem in loco, sed etiam distantiam aliquam, vel propinquitatem, sive modum applicationis, qui sit fundamentum relationis distantiæ, vel propinquitatis. Et sic dicit D. Thomas opuscul. LII: « Quod motus localis non solum est in loco, sed circa locum, » de quo explicatius dicemus sequenti quæstione.

Ad tertium respondetur, quod ut notat S. Thomas IV Phys. lect. VII, primo motui convenit minus de potentia, et de variatione locorum in ipso mobili, et minus difformitatis, et ita, quanto minus in actu variantur loca in mobili, magis acceditur ad uniformitatem, et immobilitatem. Unde non sequitur, quod motus actualior, et perfectior magis dicatur ponere aliquid in loco, quia esse actu in loco est esse subjectum

circumscriptum et limitatum a locante. Et ideo, quia primus motus est nobilior, et primi continentes non contenti ab alio; ideo non convenit illi ponere tale corpus actu in loco, id est actu subjicere loco, sed solum in potentia; minus enim perfectionis est, actu esse dependens, quam potentia, licet modum distantiæ, vel propinquitatis actu ponat.

Ad ultimum respondetur, quod partibus cœli convenit habere ubi determinatum, et designatum, quantum ad id, quod definitionis est in ubi, non quantum ad id, quod circumscriptionis. Iloc enim est ubi inadæquate sumptum in corporibus ad differentiam ubi definitivi in Angelis, qui ita sunt in uno loco, quod non in alio, sine aliqua tamen distantia, vel propinquitate positiva in ordine ad aliud, quia distantia mensurationem dicit extensionis, quæ non potest desumi ab uno Angelo ad unum corpus vel e contra. In corporibus autem, etiamsi non sit circumscripta, potest sumi ista distantia, et mensura extensionis ad alia corpora, idque per motum localem potest in vacuo variari, ut dicemus quæstione sequenti.

ARTICULUS IV.

Utrum duo corpora possint penetrari in eodem loco Divina virtute?

Triplex est sententia in hac parte. Duæ extremæ, et una media. Prima extrema putat etiam naturaliter posse duo corpora penetrari. Ratio est, tum quia non est de essentia quantitatis, ut alterum corpus semper expellat; tum quia plures experientiæ id videntur comprobare; videmus enim vas plenum cinere tantum aquæ recipere, quantum sine cinere. Ferrum candens ignem recipit intra se, et panis madefactus recipit aquam, et vas aqua plenum recipit nummos, nec effunditur, quæ omnia sine aliqua penetratione corporum non possunt contingere.

Secunda sententia extrema est Durandi in IV, dist. XLIV, q. VI, qui dicit esse probabile, quod neque per Divinam potentiam duo corpora possunt penetrari. Fundamentum similiter est, tum ex ratione, tum ab exemplis. Ratione quidem, quia effectus formalis non potest impediri stante forma; est autem effectus formalis quantitatis occupare locum, et stante occupatione loci sequitur tanquam effectus privativus expulsio alterius corporis; ergo hic secundus effectus non potest impediri stante primo. Constat autem, quod in præsenti loquimur de penetratione corporum occupantium locum, nam remota occupatione loci, ut in corpore Christi sacramentato, non est dubium, quod possit simul esse cum altera quantitate. Consequentia vero patet, quia ideo non possunt duæ formæ substantiales esse simul in eadem materia, quia effectus formalis unius habet adjunctam privationem alterius; sed similiter occupatio loci habet adjunctam privationem, et expulsionem alterius corporis a loco: ergo non potest impediri stante primo effectu. Ab exemplis autem probatur, tum quia duæ quantitates successive non possunt simul penetrari, verbi gratia, quod duos dies sint in uno, sic enim tolleretur eorum successivo; ergo duæ quantitates permanentes in eodem loco; tum quia si potest unum corpus penetrari cum alia, etiam posset una pars corporis cum alia, et sic tolleretur essentia quantitatis, quæ est habere partem post partem. Imo posset pars esse æqualis toti, ut si quantitatem manus intra digitum Deus penetraret.

Tertia sententia vera et tenenda, quæ communi calculo Theologorum probatur, dicit quantitatem etiam extensam in loco posse divinitus cum alia penetrari, non tamen naturaliter. De hoc videri potest S. Thomas in IV, distinct. XLIV, quæst. II, art. II, et super Boetium de Trinitate quæst. de pluralitate causarum, art. III; Scotus in IV, distin. XLIX, quæst. XVI; Capreolus et Argentinas, Soto, Suarez, et alii quos citant Cursus Carmelitanus hic, disputat. XIX, quæstion. VII, et Conimbricenses quæst. IV, articul. II. Et supponimus nihil aliud esse duo corpora penetrari, quam sub eadem superficie ambientis corporis, et in eadem distantia contineri. Hoc ergo dicimus repugnare naturaliter, non divinitus. Et repugnantia naturalis manebit probata ex ipsa explicatione non repugnantiæ divinitus.

Quod ergo divinitus non repugnet sumitur, tum a posteriori, quia sic factum est; tum a priori ex ipsa repugnantia naturali, quæ potentiæ Divinæ non obstat. A posteriori ergo probatur, quia imprimis corpus Domini in nativitate exiit clauso utero sacratissimo B. V. et in resurrectione exiit de sepulcro inviolato, et immutato lapide: ad discipulos intravit causis januis; et cœlos penetravit nulla facta divisione in eis.

Respondet Durandus, in egressione ex utero potuisse partes dilatari, et si non reserari, ad eum modum, quo in statu innocentiæ parerent feminæ. Vel secundo exiisse non transeundo per medium. Similiter egressum e sepulcro, quia corpus gloriosum ita potest constringi, ut per minimum foramen, vel porum exeat. Ad discipulos vero potuisse intrare januis subita quadam velocitate apertis, et iterum clausis. Cæterum primæ duæ solutione, non solum falsæ, sed etiam injuriosæ videntur illi mysterio. Prima quidem, quia multum derogat summæ Virginis integritati. Secunda, quia derogat nativitatis veritati. Primum patet, quia tanta partium dilatatio, ut corpusculum exeat sine penetratione, nihil aliud est, quam apertio, et reseratio. Sicut etiam in statu innocentiæ parientes feminæ integritatem virginalem non conservarent, licet sine dolore parerent. Miraculum autem nativitatis Christi non solum celebratur, quia partus fuit sine dolore, sed quia fuit salva omnimoda integritate: et in hoc præcipue assignatur miraculum, quia clauso utero exiit. Nullum autem esset miraculum, quod facta dilatatione partium exiret. Secundum vero patet, quia si transiret de utero ad terram, et non per medium, vere non nasceretur, quia non pareretur, parere enim est emittere fœtum motu physico, et corporali, sic enim procedit a matre. Motus autem corporalis non potest esse de extremo ad extremum, nisi per medium, si verus motus est: ergo sine motu corporali non datur partus, et sine partu non datur vera nativitas. Quod vero dicitur de corpore glorioso, omnino ridiculum est, quia tanta constrictio corporis sine magna alteratione per modum addensationis, vel compressionis contingere non potest, quod utique ejus impassibilitati non congruit. Denique, dicere, quod fores fuerunt apertæ, quando ingressus est ad discipulos, vim facit Scripturæ, quæ dicit: *Cum fores essent clausæ*. Durandus autem dicit esse apertas.

A priori autem probatur hæc veritas considerando rationem, ob quam una quantitas naturaliter resistit penetrationi. Putant enim aliqui, quantitatem resistere per aliquam efficientiam, quatenus unum corpus pellit aliud a loco, quando intrat in illum: sic enim pellit, sicut trahit, trahit autem virtutem efficientem, ergo, et pellit: et quia Deus potest denegare hunc concursum ad efficiendum, potest consequenter unum corpus non pellere alterum e loco. Quam sententiam sequitur Martinius in illustratione istorum capitum, notabil. VII. Cæterum falsa est ista sententia; tum quia quantitas non est activa, neque in quantum quantitas est dividens, sed divisibilis; divisio enim fit ab aliqua virtute motiva, verbi gratia, a gravitate, vel impulsu, vel aliquo simili; quantitas autem non est virtus motiva; tum etiam, quia si quantitas expelleret effective id faceret producendo aliquid, quod esset incompossibile penetrationi, omnis enim efficientia aliquem terminum producit, quo formaliter fiat id, quod ab efficiente fit active, iste autem terminus, seu forma, quam quantitas producit, quando expellit, et resistit penetrationi, eamdem patitur difficultatem atque ipsa quantitas, præsertim, quia illa efficientia expellens non potest esse nisi per motum, motus autem solum producit ubi, quod non est forma resistens penetrationi, aut saltem de hoc inquirimus rationem, cur repugnent duo ubi in diversis corporibus sub eadem distantia.

Quare ratio impenetrationis reducitur a D. Thoma, dist. XLIV citata ad ipsam quantitatem ratione effectus secundarii, qui est situaliter collocare partes in ordine ad locum; pertinet enim ad quantitatem ponere unam partem post aliam, primo quidem in ordine ad se ordinando partes in toto, secundo vero ordinando eas in loco, et extendendo in diversis spatiis et terminis, sicut videmus in corporibus extensis, siquidem essentia quantitatis in extensione consistit coordinante unam partem post aliam in ratione partis: unde sequitur tanquam proprietas, quod diversas spatiis faciat diversas partes respondere, sic enim ordinantur. Hæc autem extensio localis obstat generationi; tum partium inter se in eodem continuo, alias omnes partes essent confusæ, et ad locum indivisibilem redactæ, vel potius ad nullum. Tum etiam unius corporis erga aliud a se divisum, quia cum non sit continuum multo magis pertinet ad quantitatem extra se illud ponere, quam unam partem extra aliam, quæ est connexa in eodem continuo, si autem ponit unum extra aliud, non relinquit intra proprios terminos loci et hoc est non penetrari. Ex ipsa ergo extensione quantitatis nascitur, quod corpora et partes se tangant penes extremitates seu indivisibilia et terminos, ita quod una non intret in aliam, nec penetretur sub eodem loco. Hæc autem extensio, actualis ad locum non est effectus primarius quantitatis, quia salva quantitate, potest totaliter tolli, ut patet in corpore Christi sacramentato, ubi est quantitas ejus, sicut et reliqua accidentia sine extensione ad locum; ergo a fortiori poterit salva natura quantitatis iste effectus impediri, ne de facto aliud corpus expellat, sed intret in terminos ejus sine divisione ipsius quantitatis, sicut sine ejus divisione totaliter tolli potest in Sacramento, neque sequitur, quod idem effectus pendeat a duplici causa totali, verbi gratia, a duobus corporibus idem locus. Respondetur enim, quod in illis corporibus penetratis ponitur duplex ubi passivum, quamvis unicus locus circumscribens; non repugnat autem ab eadem causa multiplicari effectus in diversis subjectis, tunc enim comparantur quasi inadæquata respectu illius, sicut ab eodem igne multiplicatur calor in diversis subjectis.

Ad primum pro prima sententia

respondetur quod licet sit contra essentiam quantitatis penetrari cum alia, est tamen contra ejus proprietatem, seu effectum secundarium, qui illi connaturaliter debetur, et ideo naturaliter repugnat, non essentialiter.

Ad secundum respondetur quod in vase pleno cinere tantum recipitur de aqua, quantum sine cinere, quia propter nimiam cineris siccitatem plurimum aquæ evaporatur, et reliqua imbibitur, et multa loca cineribus plena aere, replentur, et constipantur aqua. Similiter, quando injiciuntur nummi in vas plenum aqua, faciunt aquam crescere in cumulum quamdiu labra vasis sunt sicca, illis autem madefactis effunditur aqua. In tertio candenti ignis intrat poros ferri, qui nimio calore plus aperjuntur, et admittunt plus ignis. Et similiter infuso pane quidquid aeris est intra panem, repletur aqua, et constipantur partes siccæ madefactæ ab aqua, et sic dant ipsi locum.

Ad primum pro secunda sententia respondetur, quod actualis expulsio non fundatur in sola quantitate, aut formali ejus effectu quomodocunque, sed in quantum habet contactum actualem in ordine ad alterum : cum autem contactus fiat penes ipsas superficies, quia, ut dicit Philosophus V Physic. cap. III, ea se tangunt, quorum extrema sunt simul, tunc facit Deus, quod penetrentur duo corpora, quando impedit contactum unius corporis ad alterum, nam hoc ipso non sunt simul penes superficiem, seu extremitatem partium, sed se totis, quod est penetrari. Potest autem fieri ista penetratio stante effectu formali quantitatis, etiam secundario, qui est occupatio loci, quia potest Deus impedire istum contactum respectu unius corporis, et non respectu alterius, et sic impedire expulsionem unius corporis, et non alterius, atque adeo poterit habere contactum ad corpus circumscribens, et locans, quod est occupare locum, et tamen impediri contactum ad aliud corpus sibi appropinquans, sicque admitti, ut sit simul in eodem loco.

At vero in formis substantialibus expulsio unius formæ ab eadem materia non fundantur in aliquo contactu actuali respectu unius, et non respectu alterius, sed in ipsa ratione informationis substantialis in materia, quæ est informatio primæ actualitatis, et sic non potest supponere aliam priorem unde forma secundo adveniens, et informans repugnat, quod sit substantialis, id est, quod det primum esse, ut supra diximus quæstione XI.

Ad secundum fundamentum, ab exemplis respondetur. Ad primum, est maxima disparitas, eo quod ipsa ratio successionis essentialiter petit unam partem esse post aliam; unde quomodocunque ponuntur, partes esse simul, seu penetrari, tollitur successio. At vero ratio quantitatis permanentis non consistit in contactu ad alia corpora, et potest stante quantitate contactum amittere absolute, ut corpus Christi in Sacramento, vel stante contactu ad unum impediri ad habendum contactum erga alterum, et sic esse simul cum eo in eodem loco, non tangendo illum secundum superficiem, sed etiam secundum partes divisibiles, per quod non tollitur extensio in ordine ad totum, quod est effectus primarius quantitatis, neque in ordine ad locum, quia potest manere contactus ad locum, et impediri respectu alterius corporis ut dictum est.

Ad secundum exemplum dicitur, quod si Deus reduceret totam quantitatem unius brachii ad locum digiti, illa quantitas extrinsece, et in ordine ad locum esset æqualis suæ parti, sed radicaliter, et intrinsece

in ordine ad totum esset major, quia plures habet partes, et de se petit majorem extensionem in loco, quam sua pars, licet de facto non occupet illum.

ARTICULUS V.

Utrum implicet unum corpus esse in pluribus locis circumscriptive?

Loquimur de præsentia circumscriptiva, quia esse in loco unum corpus circumscriptive, et non in alio, constat ex fide; nam corpus Christi extensive est in cœlo, et sacramentaliter in Eucharistia. Sed quia circumscriptio ita adæquat rem locatam, quod supponit in illa ultimam superficiem, ultra quam non continuatur, neque extenditur, ideo specialem difficultatem habet : an res semel locata, et circumscripta possit in alio loco similiter circumscribi : et altera superficie terminari manente adæquatione loci, et unitate locati. Et hoc dupliciter potest fieri, uno modo stante eadem substantia et quantitate corporis, eademque superficie : alio modo posita duplici quantitate in eadem substantia corporis, ita quod secundum unam terminetur in uno loco, et secundum aliam in alio, nulla facta divisione in eadem quantitate, sed alia superaddita.

Est igitur in hac difficultate duplex sententia inter scholam D. Thomæ et Scoti : nam Scotus in IV, dist. X, q. II, per totam tenet non implicare contradictionem unum corpus circumscriptive esse in duplici loco, quem præter ejus scholam sequuntur communiter recentiores, ut Conimbricenses, Suarez, Bellarminus, Valentia, Rubius, et alii qui citantur in Cursu Carmelitano hic disputat. XIX, quæst. VIII. Imo multi addunt hanc sententiam esse conformiorem veriati, et principiis fidei, quibus realis præsentia corporis Christi in Eucharistia stabilitur.

Fundamentum hujus sententiæ reducitur ad tria capita. Primum, ex effectibus, quia de facto ita aliquando contigit. Secundum, ratione. Tertium, ab exemplis. Primum probatur, quia imprimis, quando Christus apparuit Paulo, visus est ab eo in proprio corpore, ut argumentatur S. Thomas III part. quæst. LVII, art. VI, quia alias non posset esse testis resurrectionis ejus; et tamen Christus tunc non recessit a cœlo, quia usque ad diem judicii non descendit inde, juxta illud Actor. *Quem oportet cœlum suscipere usque ad tempus restitutionis omnium.* Et Augustinus dicit : « Quod donec sæculum finiatur sursum est Dominus. » Ergo oportuit, quod tunc Christus Dominus non recedens a cœlo videretur in aere a Paulo, et sic extitit in duplici loco. Omitto alias visiones, quibus Christus Dominus visus est in terris, vel apparuit in Eucharistia. Hæc enim referri possunt, non ad visionem in proprio corpore, sed in aliquo apparente; atque adeo non ita probant, sicut visio illa Pauli.

Secundum fundamentum est ex ratione, quæ desumitur ex responsione, vel improbatione implicationis contrariæ; videntur enim valde infirmæ rationes, quibus ista implicatio probatur, et si aliquid probant, etiam probarent corpus Christi non posse indivisibiliter esse in pluribus hostiis, nam quod dicitur locum circumscriptivum ita adæquate terminare, et comprehendere corpus, quod extra ipsum non permittit esse circumscriptive; eodem modo probat, quod non permittit esse sacramentaliter, nam si potest excedere illos terminos circumscriptivos existendo alibi indivisibiliter, quid refert, quod excedat illos existendo alibi divisibiliter attendendo præcise ad adæquationem primæ circums-

criptionis? Quod vero additur sequi, quod idem corpus esset divisum, si poneretur in duplici loco, vel quod etiam posset idem corpus esse in infinitis locis si semel potest esse in duobus, quia est eadem ratio de infinitis, utrumque sequitur eodem modo in corpore Christi sacramentato, et ibi solvenda sunt hæc inconvenientia. Nam etiam sequitur, quod possit esse in infinitis hostiis sine termino. Nec tamen sequitur, quod si unum corpus sit in infinitis locis, quod sit ubique sicut Deus, quia neque a seipso, nec primo, et per se esset ubique; Deus enim ita est totus in omni loco, quod est totus in omni parte loci, et sic totus est ubique, illud autem corpus est in quolibet loco per suas partes. Similiter non sequitur corpus Christi esse divisum, et indivisum, ex eo quod est in cœlo, et extra cœlum sub quantitate aliena, scilicet sub speciebus panis. Quare ergo erit divisus, si sit alibi sub quantitate propria, præsertim, si duplicem quantitatem haberet? Præterquam quod solum sequitur divisio ista quoad locum, et circumscriptionem; non quoad entitatem, et substantiam, quia hæc non sumitur ex multiplicatione locorum, quæ accidentalis est.

Tertium fundamentum sumitur ab exemplis. Nam imprimis potest idem corpus esse in duplici loco, altero divisibili, altero indivisibili, ut patet in corpore Christi; ergo potest dependere a duplici præsentia, altera naturali, altera supernaturali, et indivisibili, quarum quælibet adæquate, et totaliter in suo genere reddit illud corpus præsens. Ergo similiter poterit dependere a duplici præsentia circumscriptiva, licet utraque sit adæquata. Neque enim ex eo quod sit circumscriptiva aliquid amplius addit supra alteram circumscriptionem, quam multiplicare ipsa loca, quæ solum accidentaliter se habent ad multiplicationem substantiæ. Item non repugnat idem corpus affici duplici quantitate, vel duplici albedine, aut calore, neque repugnat eamdem naturam duplici subsistentia divina terminari. Ergo neque repugnabit duplici ubi circumscribi, licet utrumque sit adæquatum, et sufficiens. Confirmatur, quia unitas loci stat cum duplicitate corporis, ut patet cum duo corpora penetrantur. Ergo etiam duplicitas loci stabit cum unitate corporis. Consequentia patet, quia si diversas corporum dependet ex diversitate loci, etiam unitas dependebit ex unitate: et e converso si unitas non dependet, ut manifestum est, etiam non dependebit diversitas, sed accidentale sibi erit.

Opposita sententia perpetuo defenditur a D. Thoma in multis locis, ut in IV, distinct. X, quæst. I, art. III, q. II, et apertius distinct. XLIV, quæst. II, art. II, quæst. III ad 4, ubi dicit: « Quod unum corpus esse simul localiter in duobus locis non potest fieri per miraculum; » et quodlibet. III, art. II, ubi dicit: « Quod corpus esse in duplici loco circumscriptive est ponere duo contradictoria simul. » Idem insinuat III part. quæst. LXXV, art. I, in argumento III, adjuncta ejus solutione, et opusc. LXX, quæst. IV, articulo V. Sequuntur D. Thomam communiter omnes ejus discipuli, et præterea S. Bonaventura in IV, dist. XLIV, art. de dote subtilitatis; Durandus in dist. X, q. IV, numero VIII; Hervæus, Paludius, Ægidius, Abulensis et alii quos sequitur P. Vazquez tom. III, in III p. disp. CLXXXIV, c. IV, et Mag. Lorca in manuscriptis de Eucharistia, ut citat Cabero hic disp. I, dub. V.

Ex pluribus autem implicationibus, quæ afferuntur, ad illam tanquam ad præcipuam cæteræ revocantur, quia ita unum corpus sub unica quantitate existens adæquatur

ad unam circumscriptionem, quod si ponatur in duplici loco circumscriptive dividetur ejus quantitas, et consequenter ipsum corpus: sicque erit simul idem, et diversum. Quod quantitas dividatur hoc ipso, quod ponitur eo modo in duplici loco, ex eo probatur, quia illud corpus sic positum in duplici loco, haberet duplicem superficiem terminantem, ita ut simul accederent, tangerentur vero contactu, sicut et tangunt illa loca, in quibus ponuntur, alias non locarentur in duplici loco, si in utroque non haberent contactum ad dicta loca; illa autem se tangunt, quorum extrema, seu superficies sunt simul, ut dicitur V Physicor. cap. III. Ergo si illud corpus ponitur in duplici loco, duplicem debet habere superficiem, siquidem si poneretur in loco sibi immediato, vere esset sibi contiguum, et verum contactum haberet ad se; sicut habent duæ manus, et sicut habent verum contactum ad corpus circumscribens se in duplici loco; si enim penetrarentur, hoc ipso non esset in duplici loco, quod est destruere casum, potest autem poni in loco sibi immediato, si semel potest poni in duplici remoto, sed ea dicuntur habere contactum, et esse contigua, quorum extrema sunt simul; ea vero continua, quæ communi termino copulantur; ergo illud corpus positum duplici loco sibi immediato, verum contactum habebit: atque adeo duplicem superficiem. Non ergo stante eadem quantitate, seu superficie potest poni in duplici loco modo circumscriptivo. Et amplius hoc patet, quia si ponatur corpus in duplici loco a se remoto, v. g. Romæ, et Compluti, hoc ipso quantitas illius corporis manet divisa: ergo non potest manere eadem. Consequentia est manifesta, et antecedens probatur, quia illa quantitas discontinuatur, ergo dividitur, tunc enim discontinuatur quantitas, quando inter hanc, et hanc quantitatem interponitur aliquod corpus medium, quod non continuatur cum tali quantitate; sed posito corpore Romæ et Compluti inter corpus, quod est Romæ, et Compluti interjacet aer, vel multa alia corpora, quorum nullum continuatur cum illo; aer enim, qui ambit corpus Romæ est contiguum illi tanquam locus ejus, non continuum, et similiter aer, qui est Compluti. Ergo discontinuatur quantitas istius corporis hoc ipso, quod ponitur in duplici loco, et sic est quantitas divisa, non eadem; et sic est contradictio, quod idem corpus, seu eadem quantitas ponitur in duplici loco, et non maneat divisa.

Huic rationi tripliciter potest responderi. Primo, instando illam, nam etiam quantitas corporis Christi est in cœlo, et in Sacramento, nec tamen est divisa, nec alia. Ergo similiter non erit divisa ex eo, quod ponatur circumscriptive, in duplici loco. Secundo, dicendo quod ex ista positione in duplici loco non sequitur divisio intrinseca in quantitate, vel corpore, sed solum extrinseca secundum duplicem ubicationem, seu locum, quod verissimum est. Tertio quod saltem non repugnabit esse corpus in duplici loco, si ei duplex quantitas tribuatur a Deo quod nullam repugnantiam involvit.

Ad primam instantiam respondetur, quod corpus Christi in Sacramento habeat eamdem quantitatem, et superficiem, quam in cœlo, quia modo indivisibili, et incircumscripto illam habet in Sacramento, et sic bene stat, quod sit eadem superficies, quia ex ipso modo existendi non dividitur, neque discontinuatur, sed existit ad modum substantiæ in Sacramento sine ullo contactu ad alia corpora: et sic non currit argumentum contra modum existendi sacramentalem, sicut contra

modum circumscriptivum in duplici loco, quia non dividit superficiem hoc ipso, quod non ponit illam modo divisibili in alio loco. Nec oportet reducere explicationem hujus mysterii ad eas angustias, quas patitur existentia in duplici loco circumscriptivo; fit enim illud mysterium minus intelligibile præcipue Philosophis, si intelligatur corpus Christi ad modum corporis divisi in duplici loco, aut si dependeat intelligentia hujus mysterii a positione corporis in duplici loco circumscriptive, licet enim hoc videatur reddere magis intelligibilem existentiam duplicem corporis in cœlo, et in Sacramento, minus tamen intelligibilem reddit identitatem ejusdem corporis, quoniam duplicata circumscriptione discontinuatur.

Ad secundam instantiam respondetur, quod non est intelligibilis illa duplex ubicatio, et circumscriptio, sine discontinuatione, et divisione quantitatis, quia nihil aliud est quantitatem dividi, quam ita poni in loco, quod interponatur aliud corpus medium non continuatum cum illis extremis; sicut necessario sequitur posito corpore in illo duplici loco per modum contactus, et circumscriptionis.

Ad tertiam instantiam dicitur, implicatione allatam non currere, si unum corpus habeat duplicem quantitatem; idque videtur sentire D. Thomas quodl. III, art. II, ubi ponit argumentum: « Quod dimensio panis poterat converti in quantitatem corporis Christi, sicut substantia panis in substantiam corporis Christi. » Et respondet: « Quod si dimensio hujus corporis converteretur in illam dimensionem alterius corporis, jam non erunt duæ dimensiones, sed una tantum; et sic non commensuraretur diversis locis, sed uno tantum. » Ergo a contrario sensu, si daretur duplex dimensio, non repugnaret commensurari duplici loco. Et sicut modo corpus Christi mediante dimensione panis, cui alligatur, est in duplici loco, uno per se, id est, per propriam dimensionem in cœlo, altero per accidens, id est, per alienam quantitatem in terra: ita si talis dimensio, vel alia similis, et ejusdem figuræ cum dimensione propria corporis Christi, ei non alligaretur extrinsece sed per inhærentiam intrinsecam uniretur; non minus posset esse in duplici loco, altero per se, altero per accidens ratione illis duplicis quantitatis sibi inhærentis. An vero hoc sit possibile de potentia absoluta, ut duplex quantitas eidem corpori tribuatur per inhærentiam intrinsecam non disputo in præsenti, neque in eo invenio apertam repugnantiam, ut sicut alligatur aliena quantitas panis corpori Christi, ita ei inhærere possit alia similis figuræ, et extensionis cum sua propria; sed quod dicimus est, quod stante eadem quantitate, repugnat poni circumscriptive in diverso loco, quia hoc est idem ac dividi; si tamen daretur duplex quantitas, nulla currit implicatio.

Omitto plures alias rationes ab inconvenienti deductas, in quibus solvendis valde laborant Auctores oppositi, v. g. quod si ponatur unum corpus in duplici loco, poterit moveri idem corpus motibus contrariis, et hic habere summum frigus si ponatur inter nives, ibi summum calorem, si inter ignes; hic occidere, vel occidi alibi non; hic fame perire, ibi saturari, et multa similia, quæ facile considerari possunt: quæ absurda oppositi Authores ea distinctione solvunt, quod illa accidentia quæ dependent a loco, ut moveri sursum, et deorsum flagellari, et percuti, et similia, ita conveniunt in uno loco, quod non in alio. Quæ vero a locali distantia

non pendent ut esse mortuum et vivum, calidum et frigidum, si conveniunt in uno loco, conveniunt etiam in alio, quod tamen in singulari explicari satis difficile, præsertim cum plura ex his quæ a loco non pendent, privative opponantur. Sed in hoc non facimus vim.

Ad primum fundamentum oppositæ sententiæ respondetur, quando Christus Dominus apparuit Paulo, corporaliter quidem apparuisse, ut convincit ratio S. Thomæ, alias non posset Paulus testis resurrectionis esse, sicut alii Apostoli, si ipsum verum Christi corpus non vidisset, sed si hæc apparitio facta est in aere (ex Scriptura enim non constat in aere vidisse Christum, vel in ipso cœlo, sed solum lumen de cœlo circumfulsisse eum) revera descendit corpus Christi de cœlo. Nec oppositum ex illis auctoritatibus ullo modo deducitur, solum enim probant Christum esse in cœlo usque ad diem judicii tanquam in loco sibi debito ad gloriam et honorem, sicut regi debetur thronus, non tamen, quia necesse sit semper ibi sedere, et nunquam moveri. Unde notanter Scriptura dicit: *Quem oportet cœlum suscipere*, non tamen addit, quem oportet semper retinere. Et Augustinus dicit: « Quod sursum Dominus, donec sæculum finiatur, » quantum ad habitationem sibi debitam, non quantum ad alligationem localem, neque enim habet cœlum pro carcere, sed pro gloria, quæ nullo modo minuitur beatis ex descensu Christi, quia æque bene videbunt corpus ejus; etiamsi descenderet ad hunc mundum inferiorem. De aliis apparitionibus Christi non ita constat in proprio corpore descendisse, sed secundum aliquam apparitionem, aut per Angelum aliquem in assumpto corpore. Si tamen vere aliquibus apparuit in proprio corpore, revera ad illos descendit. Præcipue autem in Eucharista non videtur apparere Christus in proprio corpore, sed formari ex aere circumstante corpus aliquod in specie carnis, vel pueri aut quid simile, in quo apparet, ut constat D. Thomas III p. q. LXXVIII, art. VIII. Quod si vellet Christus Dominus in Eucharistia demonstrare corpus proprium in specie propria id deberet fieri descendendo de cœlo.

Ad secundum constat, in quo consistat implicatio existendi in duplici loco circumscriptive, quæ tamen non sequitur ex eo quod sit sacramentaliter Christus in Eucharistia, et modo quantitativo in cœlo; inde enim non sequitur, quod si sub duplici terminatione sibi adæquata in eodem genere circumscriptionis, sed sub diverso genere, et secundum diversum modum, alterum divisibilem, alterum indivisibilem, nec resultat aliqua divisio, et multiplicatio superficiei, vel quantitatis in corpore Christi, cum in Sacramento non sit in loco per contactum ad alia corpora neque divisibili modo, et consequenter neque talis separatio locorum facit divisionem, seu discontinuationem. Quando vero instatur, quod etiam non manebit divisum illud corpus, si ibi maneret sub propria specie, negatur consequentia. Et disparitas constat ex dictis, quia illa quantitas aliena non discontinuat, neque dividit propriam, qua Christus est in cœlo, cum sit quantitas distincta. Si autem propria quantitas ibi ponatur modo circumscriptivo, hoc ipso etiam ponitur modo divisivo, quia ponitur modo divisibili secundum diversam terminationem, et locationem, quod non potest stare sine discontinuatione quantitatis. Si vero modo indivisibili in alio loco ponatur, non addit novam terminationem, qua novum contactum habeat, et conse-

quenter neque discontinuationem, sed eamdem superficiem, et quantitatem, sub modo indivisibili ponit. Et licet discontinuatio illa sit quoad locum, essentialiter tamen illi annexa est discontinuatio quantitatis, quæ consistit in duplici terminatione; divisa autem quantitate dividitur corpus, cujus individuatio dependet ex designatione quantitatis, et indivisione ejus, tanquam ex conditione per se requisita, ut in libris de Generat. dicetur. Sed tamen implicatio posita currit, præsupposito quod sit eadem quantitas in corpore existente in duplici loco, et non aliter.

Ad tertium respondetur, quod attinet ad primum exemplum, jam satis dictum est, quod illa præsentia sacramentalis non est præsentia propria corporis, sed diversi generis, et ideo respectu illius non currit implicatio allata; neque enim dividit quantitatem, ut dictum est.

Ad secundum exemplum dicimus non esse contra nos, quia si eidem corpori attribuatur duplex quantitas, non repugnabit esse in duplici loco sine divisione ejusdem quantitatis, in quo consistit implicatio allata.

Ad tertium exemplum dicimus, quod personalitates Divinæ non habent oppositionem relativam nisi inter se non respectu naturæ, quam terminant, vel assumunt; cum ex eadem perfectione, et eminentia proveniat in ipsis Personis terminare alienam naturam, eodem enim modo Persona Patris potest terminare humanitatem assumptam, sicut Persona Filii. At vero diversitas loci circumscriptivi discontinuat quantitatem, quia non potest aliter intelligi existentia in loco distanti, nisi cum discontinuatione quantitatis, seu divisione, cum qua non stat identitas ejusdem quantitatis, quæ est implicatio allata.

Ad confirmationem respondet ex D. Thoma in IV, dist. XLIV, supra citata, ubi ponit idem argumentum, quod cum unitate loci extrinseci stat diversitas quantitatis; cum diversitate vero loci non stat unitas, eo quod sufficit ad discontinuandum, et dividendum quantitatem discontinuatio loci, ut probatum est. At vero unitas loci non sufficit constituere unitatem quantitatis, si alias subjectum, in quo est quantitas, non est unum; accidentia enim maxime habent unitatem suam ex unitate subjecti, licet quantitas etiam dependeat ex unitate loci, sine qua discontinuatur, et dividitur: quare unitas quantitatis dependet ex duobus, scilicet unitate subjecti, et loci, et quocunque sublato, solvitur unitas, quia malum ex quocunque defectu. Et ideo stat bene diversitate quantitatis penetratio, et existentia in eodem loco, quia ob diversum subjectum illa quantitas supponitur diversa, non autem stat cum diversitate loci circumscriptiva unitas quantitatis, quia diversa circumscriptio discontinuat.

QUÆSTIO XVII.

DE VACUO.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum vacuum naturaliter sit dabile?

Supponimus definitionem vacui traditam ab Aristotele in hoc libro, cap. VII, quod sit *locus non repletus corpore*. Quod autem aliqui addunt *aptus tamen repleri*, superfluit ut bene notat Magister Soto in præsenti quæstione tertia. Nam hoc ipso, quod dicitur locus, aptitudo ad repletionem designatur. Et ideo in hac definitione non includitur vacuum negativum, quale est extra cœlum, quia ibi non datur locus, id est, superficies aliqua non continens intra se aliud corpus. Potest tamen definiri quod est spatium carens omni corpore, de quo D. Thomas I p. q. XLVI, art. 1 ad 8, ubi inquit: « Quod supra cœlum est, et ly supra designat locum imaginarium. »

Suppono secundo, vacuum negativum de facto dari, cum supra cœlum nullum sit corpus, cum ibi finiatur hoc universum. Vacuum autem privativum intra universum non datur ex ipsa inclinatione naturæ, eo quod tale vacuum impediret ordinem, et dispositionem corporum in universo; quod constat corporibus ordinate dispositis. Vacuum autem cum privet corpore, ad nihil deservit, nisi ut tollat istum ordinem, et ideo singula corpora toto impetu feruntur ad replendum vacuum etiam cum detrimento proprii loci, ut cum aqua ascendit per fistulam aere attracto. De potentia tamen absoluta Dei nulla est implicatio, quod detur vacuum, quia potest annihilare, vel separare quodcunque corpus, et impedire, seu denegare concursum, ne aliud moveatur ad locum ejus.

Difficultas ergo tota consistit, an detur aliqua virtus in rebus creatis, sive in corporibus, sive in spiritibus, ad faciendum vacuum contra inclinationem naturæ. Nam licet ex parte corporum plures afferantur experientiæ, quibus natura obsistit vacuo: non tamen ex hoc probatur, nullam dari virtutem ad ponendum vacuum, licet providentia Divina id non permittat propter conservationem universi, sicut ex causis naturalibus potest generari tanta pluvia vel ignis, quod destruat totam terram, si id providentia Divina permittat. Ad hæc, necessitas illa, et dependentia mundi sublunaris a cœlesti, non ostendit in rerum natura non esse vim aliquam ad inducendum vacuum; tum quia hæc ratio non procedit in ipsis corporibus cœlestibus, in quibus non est dependentia pro sui conservatione ab influxu cœli; cur ergo saltem ibi non poterit dari vacuum? Tum secundo, quia non est certum, quod deficiente influxu cœli, etiam ad momentum statim peribit corpus inferius, et dato hoc, solum probatur non posse naturaliter fieri tale vacuum, quo totus mundus inferior privetur cœlesti influxu. Quod vero pars aliqua mundi tali influxu careat, non est majus inconveniens, quam quod illa pars destruatur; quotidie autem videmus partes universi immutari, et corrumpi. Denique, licet videamus ista corpora inferiora tanto pondere inclinari ad impediendum vacuum, hoc tamen solum probat, non posse induci vacuum ab inferiori corpore, quod solum potest operari circa aliud corpus inferius, non tamen probat, quod a corpore cœlesti, vel ab aliqua occultiore vi non possit vacuum induci.

De spirituali virtute major est difficultas, eo quod quantum, et quid possit virtus angelica, valde nobis occultum est. Potest tamen æqualiter fieri argumentum; tum quia Angeli movent totum cœlum, ergo a fortiori poterunt movere totum elementum et impedire, ne unum corpus alteri succedat; tum etiam, quia virtus totius naturæ corporeæ ad replendum vacuum est finita; ergo poterit aliqua majori, etiam finita vinci: major autem est spiritualis virtus, quam corporea; ergo non repugnat, quod totius naturæ spiritualis, verbi gratia, omnium Angelorum virtus superet totam vim naturæ corporeæ ad replendum vacuum. Denique, licet influentia cœli feratur per lineam rectam, et ideo

quenter neque discontinuationem, sed eamdem superficiem, et quantitatem, sub modo indivisibili ponit. Et licet discontinuatio illa sit quoad locum, essentialiter tamen illi annexa est discontinuatio quantitatis, quæ consistit in duplici terminatione; divisa autem quantitate dividitur corpus, cujus individuatio dependet ex designatione quantitatis, et indivisione ejus, tanquam ex conditione per se requisita, ut in libris de Generat. dicetur. Sed tamen implicatio posita currit, præsupposito quod sit eadem quantitas in corpore existente in duplici loco, et non aliter.

Ad tertium respondetur, quod attinet ad primum exemplum, jam satis dictum est, quod illa præsentia sacramentalis non est præsentia propria corporis, sed diversi generis, et ideo respectu illius non currit implicatio allata; neque enim dividit quantitatem, ut dictum est.

Ad secundum exemplum dicimus non esse contra nos, quia si eidem corpori attribuatur duplex quantitas, non repugnabit esse in duplici loco sine divisione ejusdem quantitatis, in quo consistit implicatio allata.

Ad tertium exemplum dicimus, quod personalitates Divinæ non habent oppositionem relativam nisi inter se non respectu naturæ, quam terminant, vel assumunt; cum ex eadem perfectione, et eminentia proveniat in ipsis Personis terminare alienam naturam, eodem enim modo Persona Patris potest terminare humanitatem assumptam, sicut Persona Filii. At vero diversitas loci circumscriptivi discontinuat quantitatem, quia non potest aliter intelligi existentia in loco distanti, nisi cum discontinuatione quantitatis, seu divisione, cum qua non stat identitas ejusdem quantitatis, quæ est implicatio allata.

Ad confirmationem respondet ex D. Thoma in IV, dist. XLIV, supra citata, ubi ponit idem argumentum, quod cum unitate loci extrinseci stat diversitas quantitatis; cum diversitate vero loci non stat unitas, eo quod sufficit ad discontinuandum, et dividendum quantitatem discontinuatio loci, ut probatum est. At vero unitas loci non sufficit constituere unitatem quantitatis, si alias subjectum, in quo est quantitas, non est unum; accidentia enim maxime habent unitatem suam ex unitate subjecti, licet quantitas etiam dependeat ex unitate loci, sine qua discontinuatur, et dividitur: quare unitas quantitatis dependet ex duobus, scilicet unitate subjecti, et loci, et quocunque sublato, solvitur unitas, quia malum ex quocunque defectu. Et ideo stat bene diversitate quantitatis penetratio, et existentia in eodem loco, quia ob diversum subjectum illa quantitas supponitur diversa, non autem stat cum diversitate loci circumscriptiva unitas quantitatis, quia diversa circumscriptio discontinuat.

QUÆSTIO XVII.

DE VACUO.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum vacuum naturaliter sit dabile?

Supponimus definitionem vacui traditam ab Aristotele in hoc libro, cap. VII, quod sit *locus non repletus corpore*. Quod autem aliqui addunt *aptus tamen repleri*, superfluit ut bene notat Magister Soto in præsenti quæstione tertia. Nam hoc ipso, quod dicitur locus, aptitudo ad repletionem designatur. Et ideo in hac definitione non includitur vacuum negativum, quale est extra cœlum, quia ibi non datur locus, id est, superficies aliqua non continens intra se aliud corpus. Potest tamen definiri quod est spatium carens omni corpore, de quo D. Thomas I p. q. XLVI, art. 1 ad 8, ubi inquit: « Quod supra cœlum est, et ly supra designat locum imaginarium. »

Suppono secundo, vacuum negativum de facto dari, cum supra cœlum nullum sit corpus, cum ibi finiatur hoc universum. Vacuum autem privativum intra universum non datur ex ipsa inclinatione naturæ, eo quod tale vacuum impediret ordinem, et dispositionem corporum in universo; quod constat corporibus ordinate dispositis. Vacuum autem cum privet corpore, ad nihil deservit, nisi ut tollat istum ordinem, et ideo singula corpora toto impetu feruntur ad replendum vacuum etiam cum detrimento proprii loci, ut cum aqua ascendit per fistulam aere attracto. De potentia tamen absoluta Dei nulla est implicatio, quod detur vacuum, quia potest annihilare, vel separare quodcunque corpus, et impedire, seu denegare concursum, ne aliud moveatur ad locum ejus.

Difficultas ergo tota consistit, an detur aliqua virtus in rebus creatis, sive in corporibus, sive in spiritibus, ad faciendum vacuum contra inclinationem naturæ. Nam licet ex parte corporum plures afferantur experientiæ, quibus natura obsistit vacuo: non tamen ex hoc probatur, nullam dari virtutem ad ponendum vacuum, licet providentia Divina id non permittat propter conservationem universi, sicut ex causis naturalibus potest generari tanta pluvia vel ignis, quod destruat totam terram, si id providentia Divina permittat. Ad hæc, necessitas illa, et dependentia mundi sublunaris a cœlesti, non ostendit in rerum natura non esse vim aliquam ad inducendum vacuum; tum quia hæc ratio non procedit in ipsis corporibus cœlestibus, in quibus non est dependentia pro sui conservatione ab influxu cœli; cur ergo saltem ibi non poterit dari vacuum? Tum secundo, quia non est certum, quod deficiente influxu cœli, etiam ad momentum statim peribit corpus inferius, et dato hoc, solum probatur non posse naturaliter fieri tale vacuum, quo totus mundus inferior privetur cœlesti influxu. Quod vero pars aliqua mundi tali influxu careat, non est majus inconveniens, quam quod illa pars destruatur; quotidie autem videmus partes universi immutari, et corrumpi. Denique, licet videamus ista corpora inferiora tanto pondere inclinari ad impediendum vacuum, hoc tamen solum probat, non posse induci vacuum ab inferiori corpore, quod solum potest operari circa aliud corpus inferius, non tamen probat, quod a corpore cœlesti, vel ab aliqua occultiore vi non possit vacuum induci.

De spirituali virtute major est difficultas, eo quod quantum, et quid possit virtus angelica, valde nobis occultum est. Potest tamen æqualiter fieri argumentum; tum quia Angeli movent totum cœlum, ergo a fortiori poterunt movere totum elementum et impedire, ne unum corpus alteri succedat; tum etiam, quia virtus totius naturæ corporeæ ad replendum vacuum est finita; ergo poterit aliqua majori, etiam finita vinci: major autem est spiritualis virtus, quam corporea; ergo non repugnat, quod totius naturæ spiritualis, verbi gratia, omnium Angelorum virtus superet totam vim naturæ corporeæ ad replendum vacuum. Denique, licet influentia cœli feratur per lineam rectam, et ideo

non possit transire posito vacuo, tamen poterit ab Angelo deferri illa influentia per lineam obliquam ad conservandum corpus infra vacuum positum, et sic poterit continuari cum lationibus superioribus.

Propter hæc multi affirmant posse virtute naturali saltem angelica fieri vacuum, licet attento ordine universi a Deo stabilito contra illum ordinem non possint, non ex defectu potestatis, sed ex denegatione permissionis; sicut Angelus, qui cœlum vertit ab oriente in occidentem, vim habet ad movendum contrario modo ab occidente in orientem, quo casu totum mundum turbaret; et tamen supposito ordine a Deo constituto non potest Angelus id facere. Et sic intelligitur, quod Scriptura dicit ad Hebræos II: *Quod Angelis non subjecit Deus orbem terræ:* et Job XXXIV: *Quem constituit alium super terram aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* Id enim intelligitur ratione ordinis a Deo constituti, non ex defectu potestatis in Angelo. Ita tenent quidam suppresso nomine apud Conimbricenses, quæst. III de vacuo, art. I, et in specie tenet P. Suarez disp. XXXV Metaphysic. Martinez hic, et Cabero disp. III, dub. II.

Nihilominus oppositum, et probabilius, et communius est. Et communiter hoc deduci solet ex ipsa dependentia, quam habent inferiora corpora ab influxu, et motu superiorum, qui communicari non poterit posito vacuo; quia deerit corpus in quo subjectentur influentiæ cœlestes. Cæterum hæc ratio, licet deducatur ex Aristotele II Meteor. c. II, non tamen est sufficiens; tum quia solum probat in hoc mundo inferiori non posse dari vacuum, in quo est dependentia ab influentiis cœlestibus, non absolute in toto universo; tum quia saltem post diem judicii, quando cessabunt influentiæ, et motus cœli, non repugnabit fieri vacuum etiam in hoc mundo inferiori. Aliunde ergo sumi potest ratio universalior hujus repugnantiæ propter præcipuum bonum universi, quod consistit in ordine, et colligatione omnium partium ejus, multo magis quam bonum animalis in colligatione suarum partium; licet enim possit unum corpus mutari de uno loco ad alium, semper tamen subrogatur aliud corpus, quo manent illæ partes coordinatæ, et colligatæ: si vero nullum corpus succederet, sed relinqueretur vacuum, hoc ipso totus ille ordo deficeret partibus ipsis non colligatis, et si aliquod corpus illuc moveretur, et non repleret totum vacuum, maneret illud corpus separatum ab universo, utpote disjunctum ab omnibus ejus partibus. Sic ergo vacuum dissolvit præcipuum ordinem et bonum universi, quod ex partium colligatione dependet: et sic, sicut materia nunquam potest manere sine forma, ita neque locus sine corpore.

Ex quibus deduco in natura corporea non esse vim ad faciendum vacuum. Patet, quia omnia corpora habent inclinationem ad conservandum colligationem, et ordinem partium universi, si etiam contra peculiares ipsorum inclinationes ad propria loca. Ergo nullum corpus potest vacuum inducere. Patet consequentia, quia vel induceret illud ex virtute peculiari, et sibi propria, vel ex communi, qua inclinatur in bonum universi. Non primum, quia omnis inclinatio particularis, et propria non potest vincere inclinationem communem, cum potius contra propriam inclinationem moveantur corpora ad tollendum vacuum. Non secundum, quia inclinatio communis non respicit destructionem, sed conservationem illius; idem est autem facere vacuum, et facere contra bonum commune.

Deduco secundo, neque vim angelicam posse vacuum inducere. Sumitur ex D. Thoma a simili in quæst. XVI, de Malo, artic. X ad 8, ubi inquit: « Licet dæmones possint movere aliquam partem terræ, non tamen totam terram, quia hoc non est proportionatum naturæ ipsorum, ut mutent ordinem elementorum mundi. » Cum ergo in inductione vacui, maxime ordo universi, et elementorum mundi mutetur, non est id concedendum naturæ angelicæ. Quæ ratio, ut penitus explicetur, duo sunt advertenda. Primum, quod Angeli directe non possunt aliquid facere nisi motu locali, scilicet applicando activa passivis, ut probat S. Thomas eadem quæstione XVI de Malo, articulo IX, et I part. quæst. CX, articulo V. Unde tantum poterunt immutare de ordine universi, quantum ordo iste pendet ex motu locali, sicut si moverent cœlum motu opposito ad eum, qui nunc est, mutarent omnia, quæ ex isto motu dependent. Secundum est, quod natura non solum resistit vacuo motu locali, sed etiam si opus sit rarefactione, aut condensatione, vel ut aliqui existimant vi attractiva, vel aliis modis sibi possibilibus. Ex hoc ergo deducitur, non posse Angelum facere vacuum, quia deberet impedire motus omnium corporum, quæ ad illud impediendum concurrerent; ita quod si corpus proximum non posset impedire vacuum, distans ad id moveretur, et si non posset motu locali, conaretur motu rarefactionis, vel condensationis, aut alio quocunque. Omnes autem istos motus Angelus non potest impedire, quia vel impediret propria virtute et directe, vel applicando activa passivis. Non primo modo, cum solum possit motu locali operari circa corpora non aliis motibus alterationis, quibus etiam natura utitur ad resistendum vacuo. Non secundo modo, quia activa et passiva, quæ potest applicare Angelus, sunt corpora, quæ neque virtute propria, neque communi possunt ad vacuum operari. Si autem Angelus removeret omnia corpora, quæ possunt vacuum impedire, deberet totum universum removere, quia omnia corpora ad impediendum vacuum concurrerent.

Ex quibus rationes dubitandi solvuntur. Dicimus enim ad primas, quod non possunt corpora etiam cœlestia præcipuum universi ordinem immutare; neque diluvium universale ex sola stellarum dispositione provenit, sed etiam Divina virtute operante, qua: *Rupti sunt omne fontes abyssi*, ut dicitur Genes. VI. Et de ultima conflagratione mundi dicit D. Thomas quæst. V de Potent. articulo VI ad ultimum: « Quod non proveniet ex aliqua naturali causa, sed proveniet ex imperio Divinæ voluntatis; » et videri etiam potest in IV, distinct. XLVI, quæstione secunda, articulo primo, quæstio. III. Et tamen major resistentia est ad vacuum, quam ad diluvium, vel conflagrationem, quia in vacuo dissolvitur substantialis colligatio partium universi, ad quam omnia corpora concurrunt etiam contra proprias inclinationes, in diluvio vero, vel conflagratione unum corpus succedit alteri in loco.

Ad alias rationes ex parte virtutis angelicæ respondetur probare, quod Angeli poterunt vincere motus peculiares, quorumcunque corporum erga locum: sed non probant, quod possint vincere omnes motus etiam alterationis, et rarefactionis, et omnes alios, quibus tota natura resistit vacuo. Et licet non sit virtus infinita illa, qua resistitur vacuo, tamen virtus, quæ nunc est in universo, non potest illam finitam virtutem vincere, quia non potest immutare

substantialem colligationem, et ordinem universi sive motu locali, sive aliis motibus, ut explicatum est.

Argumenta, quæ solent fieri ad probandum vacuum naturaliter esse possibile intra hoc universum, facilia sunt. Primum, quia duo corpora perfecte plana sine ullo medio se tangunt; ergo si simul totaliter separentur, non poterit in illo primo instanti totus aer occupare illud spatium intermedium, cum per motum intret. Ergo saltem brevi aliqua mora dabitur vacuum.

Secundum, si vas plenum aqua calida, et undique occlusum exponatur frigori, congelabitur aqua, cum totum vas penetretur frigore: ergo contrahitur illa aqua congelata, ergo cum vas sit occlusum manebit aliquod vacuum.

Denique, natura non movetur ad replendum vacuum violenter, sic enim non ferretur in illud tanto impetu nullo extrinsecus movente; neque naturaliter, quia fertur contra propriam inclinationem et bonum, quod est maxime appetibile; quia ut dicit Philosophus, VIII Ethicorum, capit. II: Amabile quidem est bonum, maxime autem proprium; contra proprium, ergo bonum non potest aliquid, nisi violenter ferri.

Ad primum respondetur, illa duo corpora, non posse instantanee disjungi, aut copulari, sed oportet dare locum corpori ingredienti, aut recedenti, quod fit per motum, sicut nec latera follium possunt avelli, si est occlusum, nisi forma vel aperiantur, vel rumpantur latera follium. Neque obstat, quod corpus planum cadens super aliud planum nimis ponderosum sit, verbi gratia, moles ferrea, detinebitur enim vi totius naturæ, ne in instanti conjungatur alteri plano quousque interclusus aer exire possit, quod fiet in brevissimo tempore.

Ad secundum respondetur in eo casu, vel aquam non congelandam, vel vas rumpendum, si aer nullo modo ingredi possit, vel aquæ evaporatione generari. Et illa fractio vasis incipiet per partem debiliorem vel ubi majus frigus incumbit. Quod si ex omni parte vas sit æquale, et frigus circumstans etiam æquale, vel non congelabitur aqua resistente natura, ne detur vacuum, vel ad primam causam pertinebit determinare, qua parte vas rumpendum sit.

Ad ultimum dicimus supra, quæst. IX, artic. IV, motum illum ad supplendum vacuum esse naturalem, et ex ipsamet gravitate posse procedere, quatenus est pars universi, quod est non esse naturalem absolute, sed respectu totius universi, et supposita ejus exigentia, sicut enim ad conservationem terræ gravitas inclinat deorsum; sic propter conservationem totius, et consequenter ipsius terræ, ut pars totius inclinabitur terra, et ejus gravitas ad ascendendum sursum vehementiori impetu. Et sicut in animali videmus elevationem pedis esse naturalem, secundum formam animæ, non secundum rationem corporis, ut docet Aristoteles VIII Phys. text. XXVII, et ibi D. Thomas lect. VII, ita motus ad supplendum vacuum est simpliciter naturalis respectu boni communis. Quando autem dicit Aristoteles bonum proprium maxime esse amabile, comparavit bonum cum bono privato alterius, non cum bono communi, quia hoc etiam pertinet ad ipsam rem: neque est bonum extraneum seu alienum, cum maxime ab ipso pendeat conservatio proprii.

—

ARTICULUS II.

Utrum corpus in vacuo possit moveri?

Difficultas potest sumi, vel ex extrinseca ratione ipsius motus, qui non potest in vacuo acquirere terminum, vel ex aliquo extrinseco, quia posito vacuo deficiet influentia cœli, a qua dependet omnis motus corporis inferioris. In præsenti loquimur de motu in vacuo absolute, et quantum est ex natura motus, non attenta dependentia ab extrinseco, quæ vel potest suppleri a Deo, vel non currit, nisi in corporibus inferioribus, vel non nisi durante hoc statu rerum, non cessante motu cœli.

Resolutio ergo nostra est: Non repugnare motum in vacuo, absolute loquendo, licet extra universum non fiat motus naturalis a gravitate, vel levitate. Hæc sine dubio est sententia D. Thomæ; nam III p. qu. LVII, artic. IV ad 2, docet: « Corpus Christi Domini esse extra totam continentiam cœlestium corporum, et non esse in loco continente. » Et quodlib. VI, art. III, docet: « Quod nihil prohibet Angelum, et corpus gloriosum esse in connexo cœli empyrei, quia non dependent ista corpora a primo continente, quod est cœlum, » ubi pondero S. Thomam non restrinxisse modum existendi corporis Christi in cœlo ad hoc, quod tangat superficiem ultimam cœli aliqua parte corporis, sed absolute dicit, quod est extra totam continentiam cœli. Et saltem aliquæ partes corporis Christi, ut caput, et brachia, extra continentiam cœli sunt, etiam dato, quod pedibus tangat ultimam superficiem; ab illa enim tunc non circumscribitur, et sic erit locus; sed illuc pervenit Christus per motum localem, quo scilicet ascendit super omnes cœlos. Ergo aliquas partes corporis sui movit per illud spatium, quod est extra cœlum, quod est vacuum negativum. Denique, in IV Physico. lect. XI, circa finem, dicit D. Thomas: « Quod in vacuo non moveretur aliquid motu projicientis, nisi quamdiu veheretur aliquid motu projicientis, sed statim emissum a manu caderet. » Ergo sentit, quod daretur aliquis motus in vacuo absolute loquendo.

Deinde, constat ultimum corpus in sententia Philosophi et absolute loquendo posse moveri, constat autem, quod superficies ultimi corporis non est in loco, cum ultra illud non sit aliud corpus ambiens, ergo motus in vacuo dari potest. Denique, nulla est repugnantia ad motum in vacuo, nam ex parte corporum datur potentia motiva, præsertim si sit vivens: similiter datur aliquis terminus, quem acquirat, potest enim approximare, vel recedere ab aliquo alio corpore posito etiam in vacuo: et sine dubio, si Deus annihilaret corpora sublunaria, et relinqueret ignem in terra, illa ascenderet; tum ad conservandum se in loco proprio juxta cœlum, tum ad replendum vacuum; ergo moveretur per illud. Quod vero Aristoteles in octavo capite hujus libri probaverit, non dari vacuum, quia in eo non potest dari motus, non absolute id Philosophus docet, sed ad hominem arguit eos, qui dicebant impediri motum, si spatium esset plenum; contra quos probat, quod vacuum potius impedit motum, saltem naturalem, et projectionis, quia tunc non dabitur locus determinatus ad quem feratur, ut quiescat, sed in infinitum movebitur, sed non probat de omni motu in vacuo, v. g. qui fieret, si poneretur vacuum intra hoc universum ad replendum illud, vel qui posset fieri

etiam extra cœlum per motum progressivum, aut motum ultimi corporis. An vero sequeretur fieri motum in instanti, si daretur vacuum, statim dicemus.

Contra hanc tamen resolutionem objicies primo. Nam motus localis solum terminatur ad ubi, quod est modus intrinsecus proveniens ab extrinseco circumscribente, sed in vacuo nullum datur circumscribens, ergo neque aliquod ubi circumscriptivum, et consequenter neque motus corporeus qui solum ubi circumscriptivum, et corporeum potest producere. Et præsertim hoc urgetur in sententia D. Thomæ 1 part. quæst. cx, artic. III, ubi dicit: « Quod mobile secundum locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum in quantum hujusmodi, sed ad aliquid extrinsecum, scilicet locum. » Ergo cum in vacuo nullus sit locus extrinsecus, non dabitur motus in illo. Si dicas, motum in vacuo non esse ad locum, sed circa locum, quatenus potest acquirere distantiam, vel approximationem ad aliud corpus, contra hoc est, quia talis approximatio, vel distantia non est ubi positivum, cum careat omni circumscriptione, et consequenter non est terminus positivus motus: neque enim remoto ubi apparet,quid acquiratur per motum proprium. Et deinde, si omnia corpora essent annihilata a Deo præter unum tantum, illud non posset acquirere distantiam, vel approximationem positivam, quæ est respectu alterius corporis: ergo saltem tunc nihil positivum erit acquirendum per motum, et sic non movebitur illud corpus.

Secundo, si daretur motus in vacuo, sequeretur quod esset in instanti, atque adeo destrueretur ipsa ratio successivi, quo argumento utitur Aristoteles in hoc libro contra veteres. Sequela probatur, quia mobile ideo consumit tempus, quia medium illi resistit, quando enim medium est subtilius, tanto motus est velocior: ergo remoto omni medio, nulla erit resistentia, et sic nullum tempus consumetur, sicut lux in instanti illuminat, quia nihil ei resistit; et generatio substantialis fit in instanti, quia omnia resistentia contrarii per dispositiones ablata est. Tum quia alias duo corpora inæqualis gravitatis, ut moles ferrea, et granum millii moverentur eodem tempore per vacuum, ideo enim aliquid velocius movetur,quia facilius scindit ipsum medium: ergo ubi nullum est medium, æque facile utrumque movebitur.

Tertio, est difficultas, quia in vacuo neque fit motus naturaliter neque violenter, neque per impulsum, neque progressive; ergo nullo modo. Non esset naturalis, quia motus naturalis tendit sursum vel deorsum propter sui conservationem, in vacuo autem non est positio aliqua sursum, vel deorsum, neque virtus conservandi in una parte magis, quam in alia. Non violentus, quia motus violentus opponitur naturali, et declinat ab illo: ergo ubi non potest dari motus naturalis, neque violentus. Non per impulsum, quia res projecta ideo fertur per impulsum, quia aer concitatus impulsu defert et sustentat projectum ne cadat: sed in vacuo non est aer, neque aliud corpus: erga projectum non potest deferri per vacuum. Denique, non datur motus progressivus ea generali ratione, quia si corpus occupat spatium in vacuo, hoc ipso quod recedit ab illo spatio, relinquit illud vacuum, et sic naturaliter facere vacuum per motum.

Ultimo, magis liber est a loco spiritus, quam corpus, sed spiritus non moveretur in vacuo, ergo neque corpus. Minor probatur, quia

spiritus movetur acquirendo ubi spirituale, quod resultat non ex passiva circumscriptione,sed ex operatione suæ virtutis, vel applicatione ad operandum, ut docet D. Thomas 1 p. q. LII,et communiter Thomistæ; sed in vacuo non potest operari circa aliquid; ergo nullum ubi potest acquirere,neque aliquem terminum motus.

Ad primum respondetur motum in vacuo posse acquirere ubi, et si non actualiter, et formaliter circumscriptivum, virtualiter tamen, vel inadæquate, seu reductive. Dupliciterenim potest intelligi vacuum et motus in illo. Uno modo,ita quod vacuum fiat intra hoc universum,et licet tollatur superficies immediate ambiens, non tamen tollatur ipsa superficies primi locantis, scilicet cœli sub quo moveri potest corpus, licet non immediate circumscribatur, sed fit in vacuo. Et sic motus in tali vacuo factus acquirit ubi circumscriptivum circumscriptione mediata, et superiori,quia licet non acquirat locum formalem, id est, adæquatum, et immediate circumscribentem se, acquirit tamen locum mediate circumscribentem; et hoc vocamus ubi virtualiter circumscriptivum. Alio modo potest moveri aliquid in vacuo, quod est extra totum universum, et tunc non potest acquirere ubi, prout dicit circumscriptionem locantis mediatam, vel immediatam, sed solum potest acquirere rationem aliquam distantiæ, vel propinquitatis respectu alterius corporis a quo recedit, vel cui appropinquat. Neque enim motus localis est solum ad locum, ut dicit D. Thomas opusc. LII, sed etiam circa locum.

Hinc autem colligimus, quod ad motum localem non solum pertinet acquirere ubi, quod simpliciter et perfecte circumscriptivum sit, sed etiam quod imperfecte vel inadæquate, et solum reductive sit ubi circumscriptivum. Illud dicitur ubi adæquate, et perfecte, in quo inveniuntur omnes conditiones ad ubi circumscriptivum requisitæ: illud vero inadæquate, et imperfecte, in quo non reperiuntur omnes, sed aliqua tantum. Requirit autem ubi circumscriptivum duas conditiones. Altera est, quod detur aliquod corpus extrinsecum circumscribens: altera, quod detur aliqua distantia, vel propinquitas respectu alicujus termini fixi, et immobilis. Neque enim sola circumdatio corporis extrinseci sufficit ad locum;hoc enim etiam invenitur in vase respectu ejus quod continet,et in veste respectu ejus quod circumdat,et neutrum est locus, quia cum ipso mobili defertur, non acquiritur, vel relinquitur. Ratione vero distantiæ habet locus id quod proprium est loci, scilicet diversam situationem, vel distantiam acquirere, et aliam relinquere; et hæc non defertur cum ipso mobili, quando movetur, et ideo vocatur immobilis. Remoto ergo corpore circumscribente in vacuo, potest manere ordo propinquitatis, vel distantiæ ad aliud corpus circa quod, vel penes quod movetur aliquod corpus. Et hoc est acquirere ubi inadæquate,seu quantum ad aliquid, et non quantum ad omnia, id est, non quantum ad circumscriptionem, sed quantum ad distantiam: et dicimus acquiri etiam aliquem modum, qui sit reductive, et imperfecte ubi, quando sic movetur aliquid in vacuo, quia relatio distantiæ, vel propinquitatis non potest immediate fundari in ipso corpore mobili, quia indifferens est ad hanc vel illam distantiam, vel propinquitatem, et sic requirit aliquem modum, seu determinationem de novo advenientem, in quo ista diversa relatio fundetur, vel mutetur. Quod ex eo etiam dari

colligimus, quia cœlum est in potentia ad ubi, et non ad esse, ut ex Philosopho sæpe docet S. Thomas, et videri potest in II, distinct. I, quæst. I, art. V ad 8, secundo loco, et tamen ubi ultimi cœli non est circumscriptivum adæquate. Et licet in ipso spatio vacuo distantia positiva non sit, potest tamen in ipso corpore, quod movetur in vacuo positiva distantia fundari respectu alterius corporis, a quo recedit vel appropinquat, et sic positive moveri. Quod si nullum aliud corpus sit creatum a Deo, nisi tantum unum in spatio imaginario, tale corpus non poterit moveri motu locali positivo, quia tollitur omnis differentia locorum, sicut etiam sentiunt Conimbricenses hic q. IV, art. II, §. Ad rationes. Sed hoc est per accidens, quia deest materia circa quam producatur ubi, sive perfectum, sive imperfectum, sicut ignis defectu materiæ non alterabit, neque generabit. Et sic etiam salvamus dictum D. Thomæ quod motus localis semper est ad extrinsecum, id est, vel ad extrinsecum circumscribens, vel ad extrinsecum distans aut propinquum; semper tamen supponendo, quod producatur aliquis modus intrinsecus ipsi mobili erga tale extrinsecum, et hoc vocatur ubi; et sic patet ad omnes replicas primæ objectionis.

Ad secundum negatur sequentia ex D. Thoma in IV, dist. XIIV, quæst. II, art. III, quæst. III ad secundum, ubi docet, quod resistentia non sumitur solum ex parte medii ad motum, sed etiam ex parte mobilis ad movens, et ex parte locorum inter se, quia cum distantiam aliquam habeant, quæ est sicut contrarietas positiva, illa non potest vinci in instanti, sed in tempore. Rationes autem Philosophi in capite octavo hujus libri, solum procedunt contra aliquos, qui totam resistentiam motus ponebant ex parte medii, sic enim sublato omni medio tollebatur omnis ratio resistentiæ. Constat tamen non inde solum oriri resistentiam, vel distantiam tempore vincendam, ut patet tum in ipso cœlo, in quo non est resistentia ad motum ex parte medii, et tamen consumit tempus; tum etiam, quia si a cœlo usque ad terram esset vacuum, et moveretur lapis unius palmi, si unico instanti moveretur a cœlo ad terram, in eodem instanti esset præsens simul cœlo, et terræ, et intermediæ distantiæ, cum tamen solum sit unius palmi; si autem in diverso instanti est in cœlo et in terra, jam movetur in tempore, quia inter duo instantia est tempus medium. Et sic patet ad rationes in contrarium: neque enim tota ratio resistentiæ, aut major facilitas se movendi, est ratione medii, quo resistit, licet inde sumatur aliqua pars resistentiæ; sed sumitur etiam ipsa ex existentia locorum et major, vel minor facilitas motus ex majori pondere, vel virtute moventis.

Ad tertium respondetur, quod extra cœlum non esset motus naturalis ratione gravitatis, vel levitatis, quia ibi non datur centrum, seu locus naturalis conservativus, ad quem inclinant istæ virtutes, et consequenter neque dabitur motus violentus illi oppositus. Poterit enim dari motus progressivus, sicut in corpore Christi ascendente ultra cœlum, vel etiam per impulsum impressum ipsi corpori, non aeri deferenti. Quod vero tunc ex motu corporis relinquatur vacuum, non obstat, quia hoc non est facere vacuum removendo corpora ne illud repleant, sed supervacuum jam præsuppositum mutare distantiam propriam.

Ad ultimum respondetur, quod D. Thomas in illo quodlib. VI, supra

citato docet, Angelum posse esse in convexo cœli empyrei, sicut corpus gloriosum, quod ultra cœlum moveri potest. Quid autem Angelus acquirat in illo vacuo dependet ex diversis sententiis, quomodo Angelus sit in loco, et quid sit ubi spirituale, quod non pertinet ad Physicum, sed ad Theologum. In sententia D. Thomæ, quod Angelus est in loco per ubi in se receptum, mediante tamen contactu non formali, qui est per quantitatem, sed virtuali qui est per operationem, quatenus potest extra se agere erga corpus, sicut anima informare materiam, dicendum est, quod Angelus in vacuo poterit moveri ad aliquod corpus, quod sit distans a se motu discreto, non transeundo per medium, quia non datur aliquod corpus cui assistat, et quod operatione sua continuata tangat. Si autem nullum sit corpus in rerum natura, moveri non poterit, sicut nec esse in loco operative, quod tamen est per accidens ex defectu materiæ circa quam operetur, sicut anima remoto corpore non potest informare. Nec tamen potest Angelus in vacuo acquirere distantiam, vel propinquitatem, sicut corpus, quod movetur per vacuum, eo quod Angelus non potest fundare distantiam positivam immediate in se, cum careat omni occupatione loci, et divisibilitate, sed solum potest fundare illam mediate, id est, mediante corpore cui assistit.

QUÆSTIO XVIII.

DE TEMPORE.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum tempus sit aliquid reale in genere mensuræ durationis?

Certum est nomine temporis communiter intelligi aliquid pertinens ad durationem earum rerum, quæ mutatione, et successione durant. Unde aliquando sumitur tempus largiori significatione pro duratione intrinseca cujuscunque motus, ut docet D. Thomas in II, dist. XII, quæst. I, art. V ad 3, et I p. q. LXXXV, art. IV ad 1, et alibi sæpe. Strictius autem, et proprius sumitur tempus pro duratione motus magis uniformis, et regularis, sub quo cæteri continentur, et quo regulantur, et hoc est tempus extrinsecum respectu motuum inferiorum, licet intrinsecum respectu primi motus.

De tali ergo tempore agimus in præsenti, de quo supponimus, quod est continuum in se, sicut et ipse motus in quo invenitur continuus est, et successivus. Ad mensurandum autem per illud aliquem motum, utimur illo per modum numerationis discretæ, quæ numeratio solum intellectu fit, eo quod non potest res successiva accommodari ad mensurandum per numerationem, nisi conjungantur partes illæ successivæ, quarum una transit, et jam non est, et alia est transitura, et nondum est: et sic indiget intellectu comparante, et assumente illas per modum unius. Et rursus, quia continuum est, et successivum, constat partibus copulatis per indivisibilia etiam successiva, et transeuntia, quæ vocantur instantia, et correspondent indivisibilibus motus, quæ dicuntur mutata esse. Datur tamen tempus discretum, quod est duplex: aliud corporale, quod non est aliud, quam duratio motus interrupta; aliud spirituale, quod non est aliud, quam pluralitas operationum, quarum quælibet indivisibiliter durat in se, quia successiva non est, et hoc modo datur tempus in operationibus Angelorum, de quo nihil ad præsens.

Ut ergo quidditas temporis cla-

colligimus, quia cœlum est in potentia ad ubi, et non ad esse, ut ex Philosopho sæpe docet S. Thomas, et videri potest in II, distinct. I, quæst. I, art. V ad 8, secundo loco, et tamen ubi ultimi cœli non est circumscriptivum adæquate. Et licet in ipso spatio vacuo distantia positiva non sit, potest tamen in ipso corpore, quod movetur in vacuo positiva distantia fundari respectu alterius corporis, a quo recedit vel appropinquat, et sic positive moveri. Quod si nullum aliud corpus sit creatum a Deo, nisi tantum unum in spatio imaginario, tale corpus non poterit moveri motu locali positivo, quia tollitur omnis differentia locorum, sicut etiam sentiunt Conimbricenses hic q. IV, art. II, §. Ad rationes. Sed hoc est per accidens, quia deest materia circa quam producatur ubi, sive perfectum, sive imperfectum, sicut ignis defectu materiæ non alterabit, neque generabit. Et sic etiam salvamus dictum D. Thomæ quod motus localis semper est ad extrinsecum, id est, vel ad extrinsecum circumscribens, vel ad extrinsecum distans aut propinquum; semper tamen supponendo, quod producatur aliquis modus intrinsecus ipsi mobili erga tale extrinsecum, et hoc vocatur ubi; et sic patet ad omnes replicas primæ objectionis.

Ad secundum negatur sequentia ex D. Thoma in IV, dist. XIIV, quæst. II, art. III, quæst. III ad secundum, ubi docet, quod resistentia non sumitur solum ex parte medii ad motum, sed etiam ex parte mobilis ad movens, et ex parte locorum inter se, quia cum distantiam aliquam habeant, quæ est sicut contrarietas positiva, illa non potest vinci in instanti, sed in tempore. Rationes autem Philosophi in capite octavo hujus libri, solum procedunt contra aliquos, qui totam resistentiam motus ponebant ex parte medii, sic enim sublato omni medio tollebatur omnis ratio resistentiæ. Constat tamen non inde solum oriri resistentiam, vel distantiam tempore vincendam, ut patet tum in ipso cœlo, in quo non est resistentia ad motum ex parte medii, et tamen consumit tempus; tum etiam, quia si a cœlo usque ad terram esset vacuum, et moveretur lapis unius palmi, si unico instanti moveretur a cœlo ad terram, in eodem instanti esset præsens simul cœlo, et terræ, et intermediæ distantiæ, cum tamen solum sit unius palmi; si autem in diverso instanti est in cœlo et in terra, jam movetur in tempore, quia inter duo instantia est tempus medium. Et sic patet ad rationes in contrarium: neque enim tota ratio resistentiæ, aut major facilitas se movendi, est ratione medii, quo resistit, licet inde sumatur aliqua pars resistentiæ; sed sumitur etiam ipsa ex existentia locorum et major, vel minor facilitas motus ex majori pondere, vel virtute moventis.

Ad tertium respondetur, quod extra cœlum non esset motus naturalis ratione gravitatis, vel levitatis, quia ibi non datur centrum, seu locus naturalis conservativus, ad quem inclinant istæ virtutes, et consequenter neque dabitur motus violentus illi oppositus. Poterit enim dari motus progressivus, sicut in corpore Christi ascendente ultra cœlum, vel etiam per impulsum impressum ipsi corpori, non aeri deferenti. Quod vero tunc ex motu corporis relinquatur vacuum, non obstat, quia hoc non est facere vacuum removendo corpora ne illud repleant, sed supervacuum jam præsuppositum mutare distantiam propriam.

Ad ultimum respondetur, quod D. Thomas in illo quodlib. VI, supra

citato docet, Angelum posse esse in convexo cœli empyrei, sicut corpus gloriosum, quod ultra cœlum moveri potest. Quid autem Angelus acquirat in illo vacuo dependet ex diversis sententiis, quomodo Angelus sit in loco, et quid sit ubi spirituale, quod non pertinet ad Physicum, sed ad Theologum. In sententia D. Thomæ, quod Angelus est in loco per ubi in se receptum, mediante tamen contactu non formali, qui est per quantitatem, sed virtuali qui est per operationem, quatenus potest extra se agere erga corpus, sicut anima informare materiam, dicendum est, quod Angelus in vacuo poterit moveri ad aliquod corpus, quod sit distans a se motu discreto, non transeundo per medium, quia non datur aliquod corpus cui assistat, et quod operatione sua continuata tangat. Si autem nullum sit corpus in rerum natura, moveri non poterit, sicut nec esse in loco operative, quod tamen est per accidens ex defectu materiæ circa quam operetur, sicut anima remoto corpore non potest informare. Nec tamen potest Angelus in vacuo acquirere distantiam, vel propinquitatem, sicut corpus, quod movetur per vacuum, eo quod Angelus non potest fundare distantiam positivam immediate in se, cum careat omni occupatione loci, et divisibilitate, sed solum potest fundare illam mediate, id est, mediante corpore cui assistit.

QUÆSTIO XVIII.

DE TEMPORE.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum tempus sit aliquid reale in genere mensuræ durationis?

Certum est nomine temporis communiter intelligi aliquid pertinens ad durationem earum rerum, quæ mutatione, et successione durant. Unde aliquando sumitur tempus largiori significatione pro duratione intrinseca cujuscunque motus, ut docet D. Thomas in II, dist. XII, quæst. I, art. V ad 3, et I p. q. LXXXV, art. IV ad 1, et alibi sæpe. Strictius autem, et proprius sumitur tempus pro duratione motus magis uniformis, et regularis, sub quo cæteri continentur, et quo regulantur, et hoc est tempus extrinsecum respectu motuum inferiorum, licet intrinsecum respectu primi motus.

De tali ergo tempore agimus in præsenti, de quo supponimus, quod est continuum in se, sicut et ipse motus in quo invenitur continuus est, et successivus. Ad mensurandum autem per illud aliquem motum, utimur illo per modum numerationis discretæ, quæ numeratio solum intellectu fit, eo quod non potest res successiva accommodari ad mensurandum per numerationem, nisi conjungantur partes illæ successivæ, quarum una transit, et jam non est, et alia est transitura, et nondum est: et sic indiget intellectu comparante, et assumente illas per modum unius. Et rursus, quia continuum est, et successivum, constat partibus copulatis per indivisibilia etiam successiva, et transeuntia, quæ vocantur instantia, et correspondent indivisibilibus motus, quæ dicuntur mutata esse. Datur tamen tempus discretum, quod est duplex: aliud corporale, quod non est aliud, quam duratio motus interrupta; aliud spirituale, quod non est aliud, quam pluralitas operationum, quarum quælibet indivisibiliter durat in se, quia successiva non est, et hoc modo datur tempus in operationibus Angelorum, de quo nihil ad præsens.

Ut ergo quidditas temporis cla-

rius explicetur, tria disputanda sunt. Primum, quid sit duratio, quod pertinet quasi ad genus ipsius temporis, et applicata ad motum constabit de specifica ejus ratione. duratio enim juxta naturam rei durantis variatur. Secundum, an tempus dependeat ab aliquo rationis, ut constituatur in suo esse mensuræ. Tertium tandem, id quod pertinet ad ejus differentiam, quomodo distinguatur ab aliis durationibus, v. g. æternitate, ævo, et aliis similibus, quæ sunt durationes permanentes.

Prima ergo difficultas inquirit de ipsa ratione durationis in communi. Et suppono ex Logica, quæst. XIX, quod duratio in communi non est idem quod prædicamentum *quando*, ut aliqui existimarunt ita quod complectatur etiam durationes permanentes, et indivisibiles. Sed tamen *quando* solum est modus relictus ex adjacentia temporis, sicut ubi ex circumscriptione corporis. Unde differentiæ ipsius *quando* desumuntur penes differentias successivas, ut heri, hodie, cras, etc. Ubi autem duratio est permanens et immutabilis, non est *quando*, sed *semper*. Aliud ergo est durare, aliud est in ipsa duratione quandari, seu diversis mensuris successivæ durationis distingui.

Igitur duratio in communi accepta nihil est aliud, quam persistentia in existendo. Sumitur ex D. Thoma qui in I, dist. XIX, qu. I, artic. I, inquit: « Quod omnis duratio attenditur secundum quod aliquid est in actu, tamdiu enim res durare dicitur, quamdiu in actu est, et nondum est in potentia. » Et aliqui existimant, in primo instanti nondum dari durationem, quia nondum est continuatio, et perseverantia in esse. Alii vero e contra etiam in primo instanti dicunt dari durationem : sunt enim aliqua, quæ dicuntur durare tantum per instans, et sic mensuratur instanti eorum duratio. Veritas tamen est, quod in primo instanti res dicitur durare inchoative, incipit enim tunc duratio, consummatur autem in ipsa continuatione existentiæ, quæ sequitur post instans.

Hinc autem major nascitur dubitatio, an duratio aliquid addat super existentiam, tanquam modus, et formalitas ejus. Multi enim durationem non distinguunt realiter ab existentia, sicut neque existentiam ab essentia. Ita Suarez disp. I. Metaphysic. sect. I et II; Vazquez I part. disp. XXXIII, cap. III, num. XVIII; Cabero hic disp. IV, dub. III; Martinius in præsenti in II notabil. qui existimat rem se ipsa esse durationem, sed non per se, et ex se, sicut etiam dicitur de existentia, et sic consequenter duratio non distinguitur a re durante. Fundamentum est, tum quia duratio, et existentia non possunt separari, implicat enim rem existere actu, et non durare; ergo sunt idem realiter : tum, quia duratio vel superaddit existentiæ aliquid extrinsecum, vel intrinsecum. Non extrinsecum, quia duratio debet intrinsece denominare, sicut existentia, quod enim extrinsece tantum durat, intrinsece desinit, vel si non desinit intrinsece durat. Si addit aliquid intrinsecum, oportet quod illud de novo producatur; ergo durare, seu continuare esse est idem, quod de novo produci; et sic non dicetur res durare per continuationem primæ productionis, sed per novam productionem, qua recipit aliquid intrinsecum de novo. Et illud intrinsecum, quod recipit, vel servit pro toto tempore, quo res durabit, vel solum pro quolibet instanti, seu tempore de præsenti. Si primum, sequitur quod qui modo recipit durationem jam in se habet durationem cras futuram, quia accipit durationem pro toto tempore, quod durabit. Si secundum, tot erunt durationes novæ, quot instantia, et sic duratio fiet per distinctas productiones, non per continuationem ejusdem.

Opposita sententia defenditur ab aliis Auctoribus, ut Magistro Bannez I part. quæst. VIII, art. IV, et ab aliis, qui videri possunt apud Carmelitanos hic disp. XXI, qu. III. Fundamentum est, quia duratio accidit existentiæ, contingenter enim aliquid durat, cum possit quolibet instanti desinere, imo et separatur existentia a duratione, nam in primo instanti aliquid existit, sed nondum durat, quia nondum continuatur, sine continuatione autem existentiæ duratio non est. Ergo non minus debet distingui duratio ab existentia, quam existentia ab essentia. Item motus, et tempus se habent ut duratio, et res durans, distinguuntur autem realiter, siquidem potest dari parvo tempore multum de motu, vel e contra; ergo duratio aliqua addit supra rem, quæ durat.

Nihilominus dicendum est: Quod in rebus permanentibus duratio non addit super existentiam aliquid intrinsecum, sed est idem cum existentia, et solum addit extrinsecam connotationem, et dependentiam ab actione continuante, et influente ipsum esse; in rebus autem successivis, quia duratio fit per novarum partium effluxum, consequenter duratio fit per superadditionem existentiæ, ad existentiam. Prima pars constat ex probatione adducta, quia alias non sufficeret ad durationem continuatio ejusdem actionis, sed requireretur semper nova productio, et tamen dicitur duratio accidentalis ipsi existentiæ accidentalitate extrinseca, quatenus dependet a continuatione talis actionis, quæ suspendi potest. Et quanto magis dependet conservatio alicujus rei a pluribus causis, quæ possunt deficere, tanto defectibilior est duratio, et mutabilior; ideoque Angeli, et cœli dicuntur corruptibiles, quia in ordine ad causas creatas, non est a quo dependeant in sui conservatione. Sic ergo, cum duratio attendatur in aliqua re secundum quod est in actu, et tamdiu aliquid durat quamdiu existit, ut dicit D. Thomas distinct. XIX citata, consequenter duratio ad existentiam pertinet, et posita continuatione existentiæ sine alia nova productione sufficienter dicitur res durare, sicut continuata luce a sole dicitur eadem illuminatio permanere. Ergo duratio non requirit aliquid de novo productum, sed sufficit quod idem continuetur. Et ipsa continuatio, quia dependens est, et contingens, cum suspendi possit, reddit durationem contingentem.

Secunda vero pars constat, quia res successivæ dicuntur durare ratione continui fluxus, quatenus una pars desinit, et alia incipit; ergo duratio ibi importat additionem de novo ad priorem existentiam, seu inceptionem rei successivæ. Sed tamen, sicut partes successivæ, addunt novam durationem, ita et novam existentiam, ad existentiam præcedentium, sicque tota existentia successiva non distinguitur a tota duratione, sed pars a parte, quod non contingit in duratione indivisibili rei permanentis.

Ex quibus colligitur, quomodo tempus distinguatur a motu. Nam si loquamur de tempore cœli respectu motuum inferiorum, quos extrinsece mensurat, clare constat, quod distinguatur ab aliis realiter. Si vero loquamur de tempore respectu motus, in quo est intrinsece, sic distinguitur, sicut duratio a re durante, quæ in motu, cum successivus sit, non fit per continuationem ejusdem indivisibilis existentiæ, sed per continuatam additio-

nem unius partis ad aliam, ut dictum est. Et hac ratione motus dicitur durare pauco tempore, vel multo, non quidem respectu temporis, ipsi motui intrinseco, hic enim motus in duratione adæquatur tempore sibi intrinseco, sed comparative ad tempus extrinsecum mensurans, dicitur enim velox motus, quam multum spatii consumit pauco tempore, et tardus e converso qui coexistit parvo tempori in decurrendo multum spatii; ipsa autem duratio intrinseca motus non est major, nec minor, quam motus ipse.

Ad rationes dubitandi allatas a principio patet ex dictis. Fundamenta enim primæ sententiæ probant durationem non distingui intrinsece ab existentia, sed esse ejus continuationem, dependentem tamen ab actione extrinseca continuante, et ratione hujus, qui recipit existentiam hodie, nondum recipit durationem cras futuram, quia duratio crastina importat existentiam non absolute, sed cum illa continuatione, quæ erit cras, quæ hodie nondum habetur. Fundamenta vero secundæ sententiæ probant durationem distingui ab existentia eique accidere non ratione alicujus intrinsece superadditi existentiæ permanenti, sed ratione continuationis dependentis ab actione extrinseca, ratione cujus contingenter convenit duratio existentiæ, et separari ab illa potest, quatenus desinere potest, non quia seorsim existentia, et duratio consistere possint.

Secunda difficultas.

Petit, an tempus simpliciter et absolute sit aliquid reale, vel aliquid rationis. Hujus difficultatis resolutio plenius constabit ex his, quæ sequenti articulo circa existentiam temporis tractanda sunt. Interim dico: Tempus esse reale secundum entitatem suam, eo modo, quo motus cujus duratio intrinseca est, requirit tamen aliquam formalitatem rationis in ordine ad mensurandum, quia non potest mensurare, nisi conjungantur aliquæ partes, et designentur, ac distinguantur per numeros, quod fieri non potest designatione aliqua reali, sed rationis comparante, et assumente partem præteritam cum futura. Hæc est contra aliquos ex antiquis, qui dixerunt, tempus esse ens rationis absolute, quos refutat D. Thomas opuscul. XLIV, cap. I, quibus aliqui recentiores videntur adhærere, ut Pererius lib. XII Physic. cap. XIII, et ex parte Vazquez, I par. disp. XXXIV, cap. II, ubi dicit, quod tempus aut est ens rationis, aut eo completur, scilicet relatione mensuræ in motu. Nos autem dicimus, tempus neque entitative esse aliquid rationis, neque formaliter consistere in relatione mensuræ; dicit enim Aristoteles in hoc libro, text. XCIX: « Quod tempus est idem cum motu in re, licet consequatur ipsum secundum prius et posterius, » et text. CXXXI, inquirens, an tempus sit aliquis extra animam dicit: « Quod est ipsum prius, et posterius motus, licet sit hæc, ut numerabilia. » Quod exponens D. Thomas ibi, lect. XXIII, inquit: « Quod tempus est utcunque ens sine anima, sicut contingit motum esse sine anima; sicut enim ponitur motus, ita necesse est poni tempus. Dependet tamen in numeratione ab anima, quia motus non habet esse fixum in rebus, neque aliquid actu assumi potest de ipso, nisi aliquod indivisibile præsens, et sic totalitas motus non accipitur, nisi per considerationem nostram comparantem partem priorem posteriori. » Et in primo distinct. XIX, quæst. V, artic. I, inquit: « Quod tempus habet fundamentum in motu, scilicet prius, et posterius ipsius motus, sed quantum ad id, quod est formale in tempore, scilicet numeratio, completur per operationem intellectus numerantis. » Ergo in se tempus non est aliquid rationis, sicut neque partes ipsæ, secundum prius et posterius. Relatio autem mensuræ non est ipsum tempus, sed fundamentum hujus relationis. Est enim tempus id, quo mensuramus, sicut pannum mensuramus ulna, et triticum modio, et tamen ulna, et modium non sunt relationes, sed fundant relationes mensuræ. Videri etiam potest D. Thomas, I p. q. X, art. V, et opusc. XLIV, cap. I. Constatque explicatio hujus ex dictis, quia tempus dicit aliquid successivum, ut mensurans. Ens autem successivum a parte rei datur, et a parte rei durat successive, alias non duraret motus in re; sed tamen hoc ipso quod successivum est, non possunt colligi ejus partes, et applicari, nisi per actum rationis; sicut partes ulnæ essent dispersæ, et oporteret eas colligere, ut componeretur ulna ad mensurandum. Sic ergo per actum animæ tempus habet duo, quæ ad rationem mensuræ requiruntur, scilicet simultatem, seu collectionem partium, quæ in re fluunt, et solum per operationem animæ colliguntur, in re enim simul non existunt. Secundum est applicatio talis mensuræ ad id, quod mensuratur. Et sic dicit S. Thomas lect. XXIII citata: « Quod ipsa totalitas motus accipitur per considerationem animæ comparantis prius, et posterius, id est, ipsa simultas, et collectio partium in motu, et ejus duratione, quæ applicanda est alicui ad mensurandum.

Quod si objicias D. Thomam in II, distinct. XII, qu. I. art. V ad 2, dicentem: « Quod locus est idem per essentiam, quod superficies corporis locantis, tempus autem non est idem numero, cum aliquo accidente in substantia fundato. » Ergo entitative tempus non est aliquid reale, sicut locus. Philosophus etiam in hoc libro, capite ultimo dicit, quod tempus ista pendet ab anima, quod si non esset anima, non esset tempus; ergo sentit quod tempus quantum ad suum esse, et non solum quantum ad suam formalitatem numerationis dependet ab anima. Respondetur, quod quando D. Thomas dicit tempus non esse idem numero cum aliquo accidente fundato in substantia, intelligitur de accidente permanente, et fixo. Id enim significat ly *fundatum*, locus autem est idem cum superficie, quæ est aliquid permanens, non tamen negat tempus esse idem cum aliquo successivo, et transeunte. Ad Philosophum respondetur quod dubitative dicit tempus non posse esse sine anima, quia numerus non est sine numerante: resolutive autem dicit, quod tempus utcunque est ens sine anima, id est, imperfecte, ut explicat D. Thomas et per modum successionis fluentis. Reliqua, quæ circa hanc difficultatem possunt adduci, sequenti articulo dicemus.

Tertia difficultas.

Inquirit, quomodo distinguatur ratio temporis, a reliquis durationibus permanentibus. De quo videri potest S. Thomas I par. quæst. X, art. V, et in I, distinct. XIX, quæst. II, art. I, et opusc. XLIV, c. IV. Et supponimus mensuras permanentis, et indivisibilis durationis esse duas, scilicet æternitatem, et ævum, inter quas est quædam mensura media, quæ vocatur modus æternitatis. Æternitas definitur a Theologis ex Boetio quod est *interminabilis vita tota simul, et perfecta possessio*, vel ut aliis verbis dicamus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est duratio mensurans esse omnibus immutabile, tam in esse, quam in operatione. Utrumque enim designatur nomine vitæ, dicitur autem possessio, quia in æternitate nihil expectatur ut futurum, sed totum est in possessione. Ævum est duratio mensurans rem immutabilem secundum esse, et mutabilem secundum operationem, et talis est, quæ mensurat esse Angeli, et cœli, et cujuscunque rei incorruptibilis; modus æternitatis est mensura rei supernaturalis, præcipue visionis beatificæ, et amoris, quia illa visio elevat intellectum ad operandum modo immutabili, quia variationem non recipit, in quo excedit ævum, quod recipit mutabilitatem in operatione. Videndus est D. Thomas loco citato ex I sentent. distinct. XIX, ubi distinguit istas mensuras secundum quod aliquid plus vel minus habet potentialitate, et mutabilitate, quia aliquis actus invenitur purificatus ab omni potentialitate, et talis est Deus, mensuraturque æternitate, quæ omni caret mutatione. Alius autem est actus admixtus potentiæ, scilicet creatura; et hoc dupliciter, quædam enim potentia est totaliter completa per suum actum, quia statim habet totum suum esse, licet non totam operationem, et talia mensurantur ævo. Quædam vero non habent complete totam actualitatem suam, sed successive acquirunt, et talia mensurantur tempore.

Et dictis patet, quod ævum non solum excludit successionem prioris, et posterioris, sed etiam rationem innovationis: quod aliqui male distinxerunt ut refert S. Thomas in II, distinct. II, quæst. I, artic. I, et I, part. quæst. X, art. V, et quodlib. X, artic. IV, quia ubicunque est prius et posterius, oportet intelligere, quod partes priores, et posteriores non sint simul, alioquin una non esset prior, et alia posterior; ergo oportet, quod posterius adveniat de novo et id quod est prius transeat, quod est habere innovationem unius, et veterationem alterius; et sic non invenitur successio sine innovatione, neque cum unica et indivisibili existentia, sicut res permanens, sed cum tot quot sunt instantia transeuntia, ut sequenti articulo dicemus. Neque est simile de radio, qui continuo exit a sole sine innovatione aliqua; nam etiam exit sine successione, quia, illuminatio non est motus. Quare ævum omni successione caret formaliter, et omni etiam innovatione in sua substantia. Potest tamen concedi in ævo aliqua successio virtualis, et extrinseca. Tum quia habet durationem ita dependentem, quod potest modo desinere, et potuit etiam non incœpisse quando incœpit, sicut si Deus vellet modo creare unum Angelum, sicut creat animas, aut si vellet annihilare illum, Angelus, qui modo crearetur, minus duraret, quam Angelus ab initio mundi creatus; et qui modo annihilaretur minus etiam duraret, quam qui non annihilaretur, sed hoc plus vel minus durationis non est ratione alicujus successionis intrinsecæ, sed ratione extrinsecæ dependentiæ a causa libere conservante, ratione cujus etiam Angelus hodie durans nondum duravit cras, quia potest cras annihilari: tum etiam habet extrinsece successionem quatenus non simul coexistit omnibus partibus temporis succedentis, sed secundum earum mutationem; licet in se sit aliquid fixum, et non transiens, sed tamen propter limitationem suam non omnibus simul coexistit, sed expectat res quæ succedunt, sicut arbor fixa in fluvio non coexistit simul omnibus partibus aquæ fluentis, sed coexistit illis secundum successionem, non suam quæ fixa est, sed aquæ quæ illi advenit: et sic expectat illas, ut illis possit coexistere. At vero æternitas propter suam infinitatem, et immutabilitatem non solum in essendo, sed etiam in mensurando etiam caret ista successione extrinseca et non expectat res successivas ut fluant, et tunc illi coexistant, sed immutabiliter eas continet antequam mutabiliter in se existant per modum superioris mensuræ, a qua derivantur; sicut si esset arbor tantæ magnitudinis, quæ occuparet totam aquam fluvii, simul omnibus partibus coexisteret, licet illæ succederent inter se. Sed hæc ad Theologos remittimus qui speculantur æterna.

Ex dictis deducitur integra definitio temporis tradita a Philosopho, scilicet *tempus est numerus motus secundum prius, et posterius.* Dicitur numerus, et non duratio, quia definitur tempus, prout est mensura cæterorum. Intelligitur autem de numero numerato, id est, existente in ipso motu secundum partes successivas, quæ sunt priores, et posteriores. Sed tamen si tempus sit discretum, habet istas partes actualiter divisas, et interruptas in re, si autem sit continuum non habet istas divisas in re, sed solum per intellectum cum divisione, a simultate acceptas. Et ita licet tempus definiatur per numerum, tamen ex parte rei numeratæ communitatem habet in re ratione motus, ut advertit S. Thomas in hoc libro, lect. XIX, et in I, dist. XXXVII, quæst. III, artic. III, et ita solum habet numerum fundamentaliter, et virtualiter sicut dicimus, quod hoc lignum habet decem ulnas, non quia habet illas divisas actu, sed quia potest in illas dividi, unde male aliqui explicant rationem numeri in tempore per modum aggregationis, et multitudinis, quia aggregatio, et multitudo importat actualem divisionem, sine qua partes non aggregantur, sed continuantur. Tempus ergo est numerus non aggregatione partium, sed continuatione.

ARTICULUS II.

Utrum realis existentia temporis solum inveniatur in instanti, vel etiam in aliis partibus?

Una ex rationibus, quam Philosophus objecit in hoc libro, tex. LXXXVIII ad probandum non dari tempus, est, quia componitur ex partibus, quæ non sunt; nam cum sint fluentes, et successivæ, quæcunque pars componitur ex parte, quæ transit, et parte, quæ transitura est. Ergo nulla pars, ut pars realiter existit, sed solum instans. Ex alia vero parte difficillime intelligitur, quod partes ut partes sint præteritæ, nisi aliquando extiterint. Et hoc non invenitur in instanti, quia partes non proportionantur durationi indivisibili, alias partes ejus essent simul, id est, in instanti. Nec minus difficile intelligitur, quomodo instans reddat existentem partem futuram, cum potius supponat illam non existentem, id est, non præsentem. Ergo existentia instantis non afficit illam intrinsece, sed extrinsece, extrinsece autem existere, et non existere realiter.

Propter hoc divisi sunt Auctores in hac parte, quidam enim existimant, partes temporis non solum existere ratione instantis, sed ratione propriæ existentiæ divisibilis, et fluentis, sicut partes ipsæ fluentes sunt. De quo videri possunt Conimbricenses hic q. I, ar. IV; P. Suarez disp. I Met. sect. IX, n. XII; Rubio; Martinez et alii plures secuti Durandum in II, dist. II, q. IV, et explicant hoc dicendo, quod licet ens successivum includat negationem simultatis partium, quia non pos-

sunt omnes esse præsentes, sed quædam præteritæ, et quædam futuræ, dantur tamen partes prætereuntes, et quatenus realiter fiunt et transeunt, componitur ex illis ens successivum.

Alii vero tenent tempus in facto esse, et præsentialiter solum existere ratione instantis, illas vero partes prætereuntes non esse aliud, quam ipsam successionem, seu fieri secundum partem præteritam, et futuram, ut copulantur instanti, quod reddit utramque præsentem suo modo, id est, successive. Tenent hanc sententiam plures ex antiquis et videri potest Magister Soto IV Physicor. quæst. IV; Toletus quæst. XI; Carmelitani disp. I, quæst. VIII, et alii. Et videtur esse D. Thomæ qui opusc. XLIV, cap. I, sic inquit: « Intelligendum est, quod esse successivorum consistit in hoc, quod existant secundum aliquid indivisibile sui, quod manifestari potest, quia quælibet pars cujuslibet successivi divisibilis est in diversas partes. Si ergo aliquid successivum existeret, non solum secundum aliquid indivisibile sui, sed secundum aliquam partem, sequeretur, quod multæ partes alicujus successivi simul essent, quod est contra rationem successivorum. » Idem docet in hoc libro IV, lect. XXIII, dum inquit: « Quod non invenitur aliquid actu in rebus de motu, nisi quoddam indivisibile motus, quod est motus divisio; sed totalitas motus accipitur per considerationem animæ comparantis priorem dispositionem mobilis ad posteriorem. Sic igitur tempus non habet esse extra animam, nisi secundum suum indivisibile. » Quid clarius? Et I parte, quæst. LXVI, articul. IV ad 3: « Nihil inquit, est accipere in actu de tempore, nisi nunc. » Idemque habet quæst. XLVI, art. III ad 3.

Denique, sumitur fundamentum hujus sententiæ ex ipsa natura successivi, ex modo mensurandi tempore. Natura enim successivi postulat ut nulla pars simul existat cum alia. Ergo postulat taliter existere, quod una pars non sit, sed transierit, altera vero futura sit, ergo postulat quod non existant ratione sui, et ut transeuntes sunt, sed solum ratione instantis; et hoc est existere fluenter, et non permanenter. Existere enim fluenter est taliter existere, quod una pars non coexistat alteri, sed quod una pars fluxerit, et alia fluxura sit, si autem partes non coexistunt inter se, ergo totum divisibile, quod non est aliud quam illæ partes quibus componitur, non habet existentiam divisibilem, cum non coexistant ea in quæ dividitur. Si autem dicatur, quod coexistunt successive non permanenter, contra est, quia ly *successive* destruit veram et realem coexistentiam, quia pars quæ transit vere non est; ergo vere non coexistit parti futuræ, ergo ex illis non coalescit vera existentia divisibilis totius, quia non habet veram coexistentiam partium, hoc ipso quod successiva est; solum ergo existit ratione indivisibilis, ipsa etiam ratio temporis id manifestat. Est enim numerus motus secundum prius, et posterius, id autem est prius, quod transivit, et id posterius quod sequens, seu venturum est; nam si esset præsens, jam non esset post, sed de facto nunc. Ergo mensurabile a tempore solum est duratio præterita, et futura, nulla vero præsens, quia præsens non est divisibile in prius, et posterius, nam hoc ipso quod est prius, non est præsens, sed præteritum, et posterius est futurum, non præsens.

Ut autem intelligatur solutio argumentorum, quorum tota difficultas in eo consistit, quomodo possint partes esse reales, et realiter transire, si nunquam realiter existunt,

nisi per aliquid a se distinctum, quod est instans: quomodo etiam possit instans copulare realiter partes præteritas, et futuras, advertendum est, quod natura motus cum sit actus entis in potentia, est idem quod fieri, ut tendit ad factum esse, et sic partes divisibiles successivæ, se habent sicut fieri, et instans, seu mutatum esse sicut ipsum factum esse talium partium, et sic ista indivisibilia sunt aliquid ipsarum partium, sicut terminus, et factum esse illarum: cum ergo existentia constituat rem in facto esse, non in fieri, si partes motus se habet in fieri et solum indivisibile in facto esse, consequenter omnes illæ partes dicentur existere ratione indivisibilis, quo terminatur earum fieri, et redditur factum esse transeunter: et sic partes fluentes secundum se, non existunt simpliciter, sed per modum fieri, quod tendit ad existentiam in facto esse, quæ existentia in facto esse tantum datur in instanti. Unde ita implicat partes existere ratione sui, et non solum ratione instantis, sicut repugnat aliquid dum est in fieri, habere existentiam, quæ est in facto esse. Et dicuntur partes ipsæ transire realiter: tum quia transit earum fieri adveniente instanti, tum quia etiam ipsum instans, quod est terminus earum, transit.

Quod vero dicantur illæ partes reales, et realiter copulari per instans, ideo est, quia partes sunt in fieri, et tendentia ad factum esse, et ratione sui sunt reales in fieri, quod est existere in tendentia; ratione vero termini in facto esse, quod est simpliciter existere, quod autem, neque ratione sui, neque ratione termini, neque in fieri, neque in facto esse existit, nihil reale est. Non repugnat autem unum existere per aliud, quando utrumque ordinatur ad idem esse, sicut materia per formam, et partes per totum, et motus per terminum, ut supra diximus quæstione septima. Et similiter partes copulantur per instans, non sicut partes permanentes, quæ uniuntur, ut coexistant, sed sicut successivæ, quæ uniuntur, ut transeant, inchoando unam partem, et terminando aliam, et ita unio successivorum non requirit existentiam extremorum in facto esse, sicut unio permanentium, neque unam tantum existentiam habent, sed quodlibet instans suam eo quod unum est, et aliud desinit esse.

Ex quibus patet responsio ad rationes dubitandi a principio: dicimus enim partes posse esse præteritas in facto esse ratione instantis præteriti; in fieri vero, et fluxu ratione sui. Et quando instatur, quod præterierunt ratione sui, ergo extiterunt ratione sui, negatur consequentia loquendo de existentia propria, quæ est in facto esse: præterierunt enim ratione ipsius fieri, seu fluxus, quod adveniente facto esse transit, et sic extiterunt in fieri ratione sui, et in facto esse ratione sui termini.

Ad secundam instantiam respondetur quod instans reddit existentem partem futuram initiative, quia ab illo instanti incipit, sed consummative redditur existens alio instanti terminativo, et hoc instans est extrinsecum parti fluenti entitative, sed non terminative: sine instanti vero pars fluens existit solum in fieri, non in facto esse, nisi cum terminatur. Unde cum urgetur, quod existentia extrinseca non potest reddere aliquid existens, distinguo, quod est omnino extrinsecum, ita quod nec sit unum, nec unitum illi, saltem ut terminus, transeat; quod non est omnino extrinsecum, sed unitum, vel terminans, et aliquid ejus saltem per modum termini, nego. Sic enim potest aliquid

existere per aliquid sibi non identificatum, sed communicatum realiter, sibique conjunctum, sicut materia per formam, humana natura per Verbum, ut supra latius diximus et tamen intrinsece denominantur existere, quia forma realiter communicata etiam intrinsece denominat.

Adhuc tamen instabis: Existentia cujuscunque rei non distinguitur ab illa nisi ad summum ut modus, ergo existentia instantis non potest modificare partes, cum differat ab illis realiter. Item existentia instantis est indivisibilis, existentia vero partium est divisibilis, sicut et ipsa entitas earum. Ergo existentia instantis non servit pro partibus, neque illis est proportionata, sicut neque existentia Angeli, quæ est indivisibilis lapidi, qui est quantus. Item vel pars futura, et præterita habent aliam existentiam, quam instantis vel non. Si non, ergo posito instanti est actu, pars præterita et futura, atque adeo jam non est futura, neque præterita, sed præsens, quia tota etiam existentia præsens est, ubi autem est existentia, dat effectum suum formalem, quod est reddere existens, et sic si est existentia præteriti, et futuri, reddit existens præteritum, et futurum. Ergo non transit præteritum, nec deest futurum, quia utriusque existentia præsens est. Si vero habet aliam existentiam, ratione cujus dicitur futura, vel præterita aliqua pars, ergo illa existentia nondum est in instanti, sed immediate post erit, vel immediate ante fuit, quod est esse existentiam divisibilem.

Ad primum respondetur existentiam unius ut *quo* posse convenire omnibus quæ illi communicant, et mediante quo participant existentiam, quæ si est modus, non est modus afficiens tantum unam partem, sed ipsum totum, quod est subjectum adæquatum illius, licet conveniat mediante aliquo tanquam principio *quo*, sicut figura est modus totius quantitatis et non unius partis tantum, licet mediantibus partibus conveniat. Sic ergo ratione instantis partes successivæ participant existentiam, quia instans est aliquid illarum tanquam terminus, quo successive terminantur in facto esse, sicut materia, et ipsum totum existunt mediante forma.

Ad secundum dicimus, existentiam instantis esse formaliter indivisibilem, virtualiter autem et terminative divisibilem, sicut et ipsum instans, licet sit indivisibile terminat partes, et sicut anima indivisibilis informat corpus : imo omnis existentia, et subsistentia, quia terminus est, simplex et indivisibilis est, licet virtualiter divisibilis et ut *quo*, ut supra quæstione septima diximus. Existentia autem Angeli, nec virtualiter divisibilis est, et sic non servit pro lapide.

Ad ultimum dicitur, quod pars præterita et futura non habent aliam existentiam in facto esse, nisi instantis in quo successive terminantur, et sic terminative sunt præsentes : habent tamen secundum se existentiam in fieri, quæ non est existentia simpliciter, et secundum hanc transit præterita, et nondum est futura; ratione vero instantis initiative est futura, et consummative est præterita, et sic transeunt de instanti ad instans sicut existentia initiativa ad consummativam : nunquam autem simul existunt complete, et adæquate, sed inchoative una, et terminative altera. Et hic est modus proprius existens rei successivæ, cujus existentia in facto esse non debet afficere omnes partes adæquate, et omni modo, sed ratione sui termini, in quo transeunter consummantur, et ratione cujus

sunt in facto esse, licet pereant in ratione fieri, nam ut diximus supra in qu. IV, entitas motus non est alia quam entitas termini, quodlibet autem instans, seu mutatum esse se habet ut terminus saltem medius, et inadæquatus partis immediate præteritæ; et sic est ibi pars entitative, sicut in suo termino. Nunquam ergo existunt simul pars præterita, et futura in facto esse, et consummative, sed futura initiative, et præterita, consummative, quod non est inconveniens, hoc enim potius est non simul esse.

ARTICULUS III.

Quod sit subjectum intrinsecum, et extrinsecum temporis.

Vocamus subjectum intrinsecum illud, cui tempus inhæret tanquam duratio motus, extrinsecum autem illud, quod subjicitur tempori, et ab eo mensuratur extrinsece. Et de primo inquirimus duo. Primo, an subjectum temporis sit primum mobile, seu primus motus. Secundo, an sit unicum tantum tempus. Et circa subjectum in extrinsecum, an non solum ipse motus, seu etiam ipsa substantia mutabilis mensuretur tempore.

Dico ergo primo : Tempus sumptum stricte pro mensura regulari motus, subjective est in primo motu, et id habet rationem mensuræ intrinsecæ respectu sui, et extrinsecæ respectu aliorum motuum. Prima pars constat ex D. Thoma et Aristotele hoc libro lect. XXIII, et I p. q. X, art. VI, et in II, dist. XII, quæst. I, art. V ad 3. Constat enim, quod inter omnes motus uniformior, et regularior est primus motus cœli, et est minus deficiens, et simpliciter notior, quia quotidie volvitur : ergo duratio in illo existens est mensura cæterorum. Verumtamen est, quod ad distinguendum, et memoriæ commendandum ipsum tempus, et motum cœli, utimur quibusdam signis, ut horologiis, scripturis vel aliis similibus, quibus designamus annos, et menses, non quod ista sint tempus, sed instrumenta, quibus tempus designamus.

Secunda vero pars ab aliquibus negatur, eo quod mensura debet esse notior mensurato, motus autem, et tempus sunt idem : ergo terminus non potest esse mensura motus in quo est. Item, quia motus non habet aliam quantitatem a tempore. Ergo non est mensura illius, quia mensura est id, quo cognoscitur quantitas rei; ubi est ergo eadem quantitas, non potest esse id, quo cognoscitur tanquam notiori. Eamdem sententiam generaliter docet P. Vazquez I par. disp. XXXI, cap. V, de omni mensura intrinseca, quia nulla mensura intrinseca, ut quantitas respectu substantiæ est causa, ut res illa nobis notior fiat, neque Aristoteles aliud docuit, nisi quod mensura debet esse homogenea cum re, quam mensurat, quia intelligit unam magnitudinem esse mensuram alterius : et sic substantia non subjicitur propriæ durationi ut mensuræ, sed ratione propriæ durationis subjicitur alteri durationi ut mensuranti. In summa, mensura debet esse ejusdem generis cum mensurato, accidens autem respectu proprii subjecti non est ejusdem generis.

Res ista fortasse solum in verbis pugnat. Certum tamen est multa, quæ notificant alia, etiam notificare se ipsa, et mensurare, et similiter subjectum in quo sunt, quia mediante illo redditur notius, et manifestius, quod alias sine tali forma, vel perfectione ignotum maneret, sicut videmus, quod lux non solum manifestat colorem, sed etiam

se ipsam, et subjectum in quo est. Similiter quantitas se ipsam ordinat, et situat in loco, et partes substantiæ, quæ sine ipsa manerent confusæ, et non solum manifestat et mensurat id, cui extrinsecus adjungitur per contactum. Et idem est de duratione, quando est uniformior, et indefectibilior, ergo nihil prohibet, id appellare mensuram intrinsecam, seu formalem, denotando in ly *intrinsecam*, quod non mensurat per applicationem sui ad alterum, sed per informationem, qua rem ipsam reddit formaliter ordinatam, aut notificatam. Et sic loquitur in pluribus locis S. Thomas. Nam in II, dist. XXVII, q. I, art. II ad 1, inquit : « Quod mensura est duplex, quædam intrinseca, quæ est in mensurato, sicut accidens in subjecto, quædam extrinseca, et hanc non est necesse multiplicari ad multiplicationem mensuratorum. » Et q. I de Ver. art. V : « Mensuratur, inquit, corpus mensura intrinseca, sicut linea, vel superficie, vel profunditate : et mensura extrinseca, sicut locatum loco, et motus tempore, et pannus ulna. » Ratio autem istorum est, quia hoc ipso, quod subjectum subjiciatur accidenti, redditur illi proportionatum, et commensuratum secundum intrinsecam informationem. Ergo invenitur ibi quidquid requiritur ad rationem mensuræ, et mensurati, quia tale accidens ordinat et manifestat rem ipsam ut *quo*, subjectum autem proportionatur, et notificatur illo, non ut mensurante et notificante *quod*, sed *quo*.

Ad fundamenta opposita respondetur. Ad primum, quod tempus et motus sunt idem entitative, et materialiter, non formaliter, seu modaliter, et ideo tempus habet mensurare ut *quo*, motus autem redditur mensuratum ut *quod*, recipit enim illam uniformitatem a tempore. Sufficit autem ad mensuram, quod sit uniformior, et notior ut *quo*. Ad secundum dicitur, quod licet mensura sit id, quo cognoscitur quantum, non tamen est necesse, quod præsupponatur, quantum per aliam formam, sed quod ipsa mensura quantum reddatur, et sic notificetur, et sic licet tempus non addat novam quantitatem ad motum, reddit tamen illam uniformem, et mensuratam intrinsece, id est, recipientem uniformitatem mensuræ, et per illam se notificantem, tanquam per rationem et principium *quo*, quod in aliis fit per applicationem extrinsecam.

Ad fundamentum Patris Vazquez respondetur, quod mensura debet esse notior mensurato, sed sufficit quod sit notior ut *quo*, etiam si non ut *quod;* et sic mensura intrinseca respectu ejus in quo recipitur, est notior ut *quo*, respectu vero ejus cui applicatur ut extrinseco, est uniformior, et notior ut *quod*. Neque Aristoteles oppositum hujus docuit, quia esse mensuram homogeneam mensurato potest intelligi vel ut *quo*, vel ut *quod*, et respectu subjecti recipientis est homogenea ut *quo*, scilicet id, quo tale subjectum redditur homogeneum, et uniforme alteri extrinseco, respectu cujus est homogeneum ut *quod*. Denique, quod dicitur debere mensuram esse ejusdem generis cum mensurato, intelligitur vel secundum proportionem, vel secundum similitudinem, quæ enim participant idem genus, et continentur sub illo dicuntur ejusdem generis per similitudinem, et convenientiam. Quod autem recipit, et informatur ab aliquo, dicitur illius generis per proportionem, quia est capax, et proportionatum illi quod recipit, et ab eo, ut a principio *quo*, reducitur ad tale genus participative, non formaliter.

Dico SECUNDO : Tempus large

sumptum pro cujuscunque motus duratione est subjective in quocunque motu, et multiplicatur ad multiplicationem motus, subordinatur tamen primo tempori, quod est mensura cæterorum. Constat hoc ex pluribus locis S. Thomæ ubi distinguit tempus proprie dictum, quod est in motu cœli a tempore large accepto, quod est in quocumque motu, ut articulo primo retulimus. Hoc enim tempus non est aliud, quam duratio cujuscunque motus habentis prius, et posterius in successione partium, duratio autem est in re durante sicut existentia, ergo subjective est in tali motu. Quod autem subordinetur talis duratio, seu tempus primo motui, et tempori patet; tum quia omnis motus inferior dependet a primo motu cœli; tum quia respicit illum, ut maxime regularem, et consequenter per illum mensurari potest. Et hoc modo intelligitur Augustinus XI. confessio capit. XXXII, cum dicit : « Motum cœli non esse tempus, quia cum tempore Josue cessavit ille motus, sol stabat, sed tempus ibat; » loquitur enim de tempore communiter dicto pro cujuscunque motus duratione, non pro illo, quod est maxime regulare, quod solum est in motu cœli.

Dico TERTIO : Tempus sumptum pro duratione regularissima mensurante cæteros motus est tantum unum numero, sicut et motus regularissimus unus tantum est. Constat hoc ex dictis deduciturque ex Philosopho in hoc libro, cap. XIV, ubi expresse ponit unitatem temporis propter unitatem primi motus. Et asseritur à D. Thoma I par. quæst. X, art. VI, et in II sentent. dist. XII, quæst. I, art. V ad 3, et alibi sæpe; constat enim, quod primus motus cæteris uniformior, et a quo cætera dependent est tantum unus. Quod autem sæpius recurrant eadem tempora, ut ver, æstas, etc. quæ non sunt eadem numero, sed specie, non obstat quia effectus veris, et æstatis sunt diversi in hoc anno, et in præcedenti, sed circulationes sunt continuæ, et motus non interruptus; et propter talem unitatem, dicitur etiam tempus unum, et motus unus, licet ex multis circulationibus componatur. Addit autem D. Thomas etiam in rebus incorruptibilibus dari unum ævum propter unitatem primi Angeli, qui cæteris est simplicior, et uniformior, ut affirmat quodlib. V, articul. VII, et I part. quæst. X, articul. VI, et in II, distinct. II, quæst. I, artic. II. Quod tamen intelligitur non solum de ratione mensuræ secundum majorem dignitatem, sed secundum uniformiorem mensurationem quantum est ex parte sua, et respectu perfecte cognoscentis, non respectu nostri, qui imperfecte cognoscimus; sic enim nihil nobis notificat ævum superioris Angeli de mensuris inferioribus, quia æque nobis ignotum est, atque ipsæ durationes inferiores, sed tamen ad rationem mensuræ secundum se, non requiritur quod sit notior quoad nos, et secundum imperfectionem nostræ cognitionis; hoc enim solum requiretur, ut si mensura nobis deserviens, sed sufficit, quod ex parte sua et respectu modi perfecte cognoscendi sit uniformius altero, et notificativum illius. Sic autem est mensura ævum supremi Angeli, quia est duratio simplicior tam in se, quam ut est radix suarum operationum præsertim primæ, verbi gratia, qua Angelus se intelligit, quæ etiam mensuratur ævo quia nunquam cessat. Quod si in hac patitur aliquam difformitatem, Angelus, non subjiciendo illam Deo qui est summa simplicitas, ut fecit Lucifer, amittit esse primam regulam æviternorum propter obliquitatem operationis æviternæ ut non subjectæ,

ut docet S. Thomas quodl. v, art. VII. Mensurat autem ævum cæteras durationes rerum incorruptibilium, etiamsi sint corporea cœlestia, quia licet differant in genere naturæ, conveniunt tamen in ratione durationis incorruptibilis, ut ait S. Thomas, I p. q. X, art. VI ad 2.

Circa subjectum extrinsecum, quod est mensurabile a tempore, constat certo apud omnes ipsum motum esse mensurabilem a tempore, et mediante motu etiam ipsum subjectum motus, quod est substantia mobilis. Dubium vero est an ipsa substantia corruptibilis immediate in se, et non solum ratione motus sit mensurabilis tempore? Nam ex una parte ejus substantia non est successiva' sed permanens; et sic non proportionatur illi tempus, quod est successivum. Ex alia vero parte non apparet, quæ mensura sit illi assignanda: nam ævum est mensura rei incorruptibilis, quod non convenit substantiæ corruptibili: tempus autem est mensura successiva, quod etiam rei permanenti non convenit. Unde auctores, qui sentiunt non mensurari tempori tempore substantiam corruptibilem, ut Scotus in II, distinct. II, quæst. II, et Conimbricenses hic quæst. III, artic. III, et Suarez disp. X, Metaph. sect. VII, et alii tamen disconveniunt in assignanda mensura illi convenienti, nam quidam affirmant esse ipsum ævum sumendo illud lato modo pro mensura non solum rei incorruptibilis, sed etiam rei permanentis. Alii assignant instans temporis discreti; alii modum ævi; alii denique etiam mensuram innominatam, nihilominus circa hoc.

DICO ULTIMO: Substantia rei corruptibilis secundum conceptum substantiæ non est mensurabilis tempore, neque alia mensura, sed in quantum habet quantitatem durationis: et non solum ut actu est mora, sed etiam ut mobilis, seu corruptibilis, actu tamen quiescens, et permanens mensuratur ipso tempore. Hæc est mens Aristotelis et D. Thomæ ut videri potest IV Phys. tex. CXVIII et CXIX, et ibi D. Thomas lect. XXI, cujus verba sunt: « Tempus mensurat id, quod movetur, et quiescit non in quantum est lapis, vel homo, sed in quantum est motum, et quiescens: mensuratio enim proprie debetur quantitati. Cujus ergo quantitas tempore mensuratur, illud proprie tempore mensuratur. Ex mensuratione autem temporis, cognoscitur quantus sit motus, et quanta sit quies; non autem quantum sit illud quod movetur. Unde quod movetur simpliciter, non mensuratur tempore secundum propriam quantitatem, sed secundum quantitatem sui motus. Ex quo patet, quod proprie tempus sit mensura motus, et quietis, sed per se motus, quietis autem per accidens. » Sic D. Thomas, nec unquam oppositum docuit, nam prima parte, quæst. X, artic. IV, aperte tribuit mensuram temporis non solum motui, sed etiam subjecto mutabili. In opusculo autem XLIV, cap. III, solum dicit: « Quod mobilia quantum ad id quod sunt, sicut homo aut lapis non mensurantur tempore, quia essentia eorum non habet prius et posterius. » Quod etiam verissimum est, nec aliud dicit, quam in IV Physicorum citato, quia videlicet res mobiles secundum conceptum substantiæ non mensurantur tempore, bene tamen secundum durationem mutabilem, licet non actu motam.

Et ratio est, quia idem est quies quod perma nentia, cum illud dicatur quiescere, quod se habent nunc sicut antea. Eadem ergo est mensura rei permanentis, ut permanens est, et rei quiescentis. Quies autem

rei mutabilis mensuratur tempore; ergo et ipsa substantia corruptibilis non ut substantia, sed in quantum durans, et permanens in quiete, mutabili tamen, et corruptibili subjicietur tempori. Et præsertim hoc apparet in substantiis, quæ etiam in ipsa substantia mutantur per augmentum, vel decretum aut aggenerationem, tales enim etiam in ipsa substantiæ durationesubjiciuntur tempori. Quæ vero non sic mutantur, tamen quia mutari possunt, et dependent in sua duratione a causis transmutabilibus, dicuntur mensurari tempore, etiamsi actu non mutentur, sed quiescant.

Ex quo patet, ad rationem dubitandi a principio, dicimus enim, quod res permanens, licet actu et formaliter non sit successiva, est tamen radicaliter, et extrinsece, eo quod ex sua radice petit posse mutari, et corrumpi; et pendet a causis mutabilibus. Et sic quando dicitur, quod in sua duratione est permanens, et idem distinguo, permanens ratione immutabilitatis, seu ex oppositione ad motum, nego; ex causa conservante in illa permanentiam, et quietem, cum potentia tamen ut mutetur, concedo; sed hoc est mensurari tempore, sicut quies, quem constat mensurari tempore, tanquam quid oppositum motui, sicut dicit Philosophus in capite duodecimo hujus libri, et ipsa experientia constat.

Quod si dicas: Quomodo ergo Aristoteles et D. Thomas dicunt manere idem nunc in toto tempore, quia manet idem mobile, si secundum hanc resolutionem etiam mobile mensuratur tempore, et non mensuratur nunc, respondetur, manere idem nunc, non quia sit verum instans, aut res ipsa solum instanti mensuretur, sed quia est mobile permanens, sed permanentia est duplex, alia quietis privativæ, quæ scilicet est capax mutari, alia quietis negativæ, quæ omni modo opponitur mutationi; et prima mensuratur tempore, secunda ævo, quia est corruptibilis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CIRCA LIBRUM QUINTUM.

DE DISTINCTIONE, UNITATE ET CONTRARIETATE MOTUS.

QUÆSTIO XIX.

DE UNITATE, ET CONTRARIETATE MOTUS.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum genera motus sumantur penes diversa prædicamenta, ad quæ est motus?

Breviter supponenda est ex Aristotele in primo capite hujus libri, et D. Thoma ibi lect. II et XXVIII de Verit. artic. I, differentia inter mutationem et motum. Mutatio enim communior est, quam motus, nam mutatio in communi solum dicit transitum de quodam in quiddam, qui ut dicit D. Thomas hic lect. II, ex ipso mutationis nomine manifestatur, quod importat aliquid esse post aliud et unum esse prius, aliud posterius. Hanc mutationem sic in communi consideratam dividit Aristoteles quatuor modis, quibus contingit aliquid mutari penes terminos ad quos. Aut enim mutatio est de uno termino positivo ad aliud, verbi gratia, ex calido in frigidum, vel de termino negato in terminum negatum, ut de non albo in non nigrum, quod proprie non est mutatio, cum totum sit negatio: aut terminus e quo est negatio, et terminus ad quem positivus: seu de non esse ad esse, ut cum ex non albo fit album; aut denique e contra terminus a quo est positivus, et terminus ad quem est negativus, ut de esse ad non esse. Et non possunt dari plures species, seu modi mutationum, quia nec plures combinationes possunt fieri inter terminos. Ex quibus solum illa mutatio, quæ est a positivo in positivum habet rationem motus stricte dicti, reliqua duo se habent ut generatio, et corruptio; generatio ut transitus de non esse ad esse; corruptio vero e contra. Excludit autem Philosophus generationem et corruptionem a ratione motus proprie dicti, quia generatio procedit a non esse simpliciter ad esse simpliciter: ergo supponit subjectum, quod non sit ens simpliciter, sed ens in potentia, qualis est materia prima secundum se, sed non ens, impossibile est quod moveatur, aut quiescat, ergo generatio non est motus ex eo quod non habet pro subjecto ens in actu: ubi Aristoteles solum excludit generationem substantialem, a ratione motus. Exinde vero colligit, quod corruptio non est motus, quia opponitur generationi, quæ motus non est.

In hoc discursu Philosophi duo adverte, id est, quam sit constans Aristoteles in ea sententia, quod materia prima secundum se, et remota forma non sit existens, nec etiam partialiter, alias enervatur totus discursus Philosophi in textu octavo hujus libri, quod materia non est hoc aliquid simpliciter, et ideo non posse moveri, quia impossibile

est, quod id quod non est moveatur, quæ consequentia nihil probat, si materia existit secundum se, saltem partialiter. Ideo enim probat Aristoteles materiam quæ non est, hoc aliquid non moveri, quia quod non est non movetur. Vel ergo hæc probatio loquitur de eo, quod non est, nec totaliter, nec partialiter, et sic habemus intentum, quod materia nec partialiter existit; vel loquitur de eo, quod non est totaliter, bene tamen partialiter, et sic probat idem per idem, esset enim sensus Philosophi, id quod non est, hoc aliquid, seu existens totaliter, non potest moveri, quia quod non existit totaliter, licet existat partialiter non potest moveri, quod est incidere in battologiam; et inefficaciter probaret non moveri materiam primam, quia non ens non potest moveri, si re vera materia prima est ens actu, restabat enim probandum quod ens actu partiale non moveatur.

Secundum quod adverto est, Philosophum in illo discursu plus concludere de motu, quam exprimit in probatione, concludit enim in fine capitis quod tempus proprie dictus non invenitur, nisi ubi mutatio est inter terminos positivos, non vero inter terminos, contractorios sicut inter esse et non esse; quod iterum repetit textu XLIX, et in hoc ponit totam differentiam motus a mutatione, quod motus est a contrario in contrarium, mutatio vero non. Probatio vero, qua exclusit generationem a motu solum expresse loquitur de generatione substantiali. Fortasse autem non meminit generationis accidentalis, ut cum aliquid mutatur de non albo in album: frequenter enim conjungitur cum motu, quia in motu datur corruptio, et non esse termini a quo, et generatio termini ad quem, non tamen motus fit ea ratione, qua est de non esse ad esse, sed quatenus est de positivo in positivum, seu de contrario in contrarium. Si quando vero accidens generetur per transitum de non esse ad esse, et non de positivo in positivum, talis erit generatio secundum quid, ut docet D. Thomas in hoc libro, lect. II, et hæc reducitur ad generationem simpliciter, ideoque seorsum illius non meminit. Quod vero Martinius super hoc caput V, Physic. notab. I, notat eos, qui dicunt generationem, et corruptionem non esse motus proprie dictos, eo quod non sunt inter terminos positivos, quia id inquit non somniavit Aristoteles, sane videtur ad pauca respexisse in Aristotelem cujus verba sunt in hoc capite: « Cum omnis motus sit quædam mutatio, tres vero sint mutationes, quas diximus, quarum duæ, quæ in contradictione consistunt, generatio scilicet, atque corruptio motus non sint, ut ostendimus, motum eam esse solum mutationem necesse est, quæ ex subjecto ad subjectum acceditur. » Idem habet textu XLIX. Et denique in textu X, probat, in substantia non esse motum, quia in ea nihil est contrarium, cum in textu VIII probasset, quod in ea non est motus, quia subjectum ejus est ens in potentia. Ergo non somniavit Aristoteles, sed vigilanter dixit generationem non esse motum, quia non est inter terminos positivos, et non solum quia ejus subjectum est ens in potentia: sed de hoc I lib. de Generat.

An vero mutatio, et motus distinguantur essentialiter ex eo præcise quod illa sit instantanea, iste successivus; illa inter terminos contradictorios, iste inter positivos, et contrarios, respondetur ex hoc præcise non differre specie, nisi termini ad quos, sint specie diversi; mutationes enim, et motus specie non differunt nisi ex diversitate termini ad quem. Reliqua vero, quæ pertinent ad diversitatem termini a quo, vel ad la-

titudinem et distantiam ab uno in aliud et ad diversam durationem totum accidentale est in motu, et mutatione. Diversitas enim termini a quo non variat speciem, quia terminus a quo relinquitur : quod autem specificat, non relinquitur, sed in illud tenditur, et illud accipitur, et ita D. Thomas 1 part. quæst. XXIII, articulo 1 ad 3 docet : « Quod motus non accipit speciem a termino a quo, sed a termino ad quem, sicut ad rationem dealbationis parum refert, quod qui dealbatur, fuerit niger vel pallidus. » Quod vero sit distantia, vel latitudo in motu, et non in mutatione, ex eo contingit, quod terminus a quo mutationis est privatio, inter quam et esse nulla est latitudo : terminus vero a quo in motu est aliquid positivum, quo fundat latitudinem ad alterum terminum positivum, et sic habere, vel non habere latitudinem reducitur ad diversitatem termini a quo, qui essentialem rationem mutationis non diversificat. Nec obstat, quod in ascensu et descensu diversitas stare possit etiam respectu ejusdem termini ad quem, solum propter diversitatem termini a quo. Hoc inquam non obstat, quia isti motus sunt diversi, non ex diversitate termini a quo præcise, sed quia terminus ad quem formaliter diversus est; nam in loco non solum attenditur illud materiale spatium in quo res collocatur, sed ipse ordo situationis, secundum quod aliquid est inferius, vel superius in universo, et sic, quia respectu descensus ille locus est inferior, et respectu ascensus superior, dicitur formaliter esse diversus locus.

His suppositis restat explicare, ex quo principio sumatur diversitas generica motuum. Ad quod respondetur, diversitatem genericam motus sumi ex diversitate prædicamentorum, ad quæ est motus, et dari motum ad prædicamentum, nihil aliud est, quam terminum motus pertinere ad tale prædicamentum. Conclusio hæc est Aristotelis in hoc libro, textu XXXI, ubi inquit : « Quod genere unus est motus secundum prædicamenti figuras; » super quem locum S. Thomas lect. VI, inquit : « Quod dicitur motus unus genere secundum figuras prædicamenti ; omnes enim, qui sunt in una coordinatione prædicamenti, possunt esse unus motus genere; sicut omnis loci mutatio est genere unus motus, quæ est in uno prædicamento ubi : differt autem genere ab alteratione, quæ est in prædicamento qualitatis. » Ratio sumitur ex dictis supra quæst. XIV. Quia motus essentialiter respicit terminum ad quem, cum sit tendentia ad illum, in tantum quod motus non est aliquid præter res, ad quas est motus, sed se habet ut fieri earum, et ipsæ ut terminus, ergo ubi res ipsæ, quæ sunt terminus motus, differunt genere, etiam motus ipsi genere diversi sunt. Et hæc ratio etiam probat de generibus intermediis, et speciebus infimis, quæ in motibus variantur secundum speciem terminorum, ad quos est motus, ut dicit ibidem Philosophus et D. Thomas et eadem ratio est utrobique, quia motus reducitur ad speciem sui termini, sicut ad genus.

Sed inquires duo. Primo, quid sit terminum esse formaliter diversum, vel unum formaliter ut intelligatur dare specificam unitatem, et diversitatem. Respondetur, duas conditiones inter alias ad hoc requiri. Prima, quod motus sit per se ad tale prædicamentum, seu speciem, et non per accidens, et per quamdam resultantiam. Secunda, quod accipiatur in entitate terminante, illa formalitas, seu ratio secundum quam attingibilis est a motu, ita quod in termino non attendatur sola

entitas, seu species termini in se absolute, sed ratio novæ, vel distinctæ attingibilitatis a tali mutatione, quidquid sit de aliis conditionibus, seu connotationibus requisitis. Et prima conditio manifesta est, quia id quod specificat debet attingi per se, quia nihil tam per se pertinet ad aliquam rem, quam id quod specificat. Id autem, quod per accidens se habet, cum per aliud attingatur, vel resultet, jam supponit specificationem factam ab illo a quo prius attingitur. Ergo non pertinet formaliter ad rationem specificantis, sed consecutive, et per accidens, et sic ut sit terminus formaliter specificans debet per se, et directe attingi a motu.

Secunda vero conditio constat, quia illa dicitur formalitas termini in specificando, ratione cujus terminat, et specificat. Ergo specificatio debet in termino sumi ab illa ratione, quæ in isto termino est ratio terminandi, et determinandi specificationem, ad hoc enim per se tendit motus, et ad reliqua omnia, quæ inveniuntur in termino tendit ratione hujus; et sic se habet, ut terminus formalis. Denique, inductione constat, quod quando circa eumdem terminum materialem versantur actiones specie diversæ, una ab alia distinguitur, non ratione alicujus modi operandi, sed ratione alicujus formalitatis ex parte termini ad quem se tenentis, verbi gratia generatio, et creatio hominis ex parte termini ad quem differunt, quia aliquid amplius attingit creatio, quam generatio, scilicet materia, et omnem rationem entis, quod generatio non attingit. Et similiter transsubstantiatio attingit ex parte termini ad quem totam substantiam, quod non facit generatio, et non primo, et per se faciendo ipsam existentiam rei sicut creatio, quia potest illam supponere, et in rem præsuppositam aliquid aliud convertere, sicut fit in conversione panis in corpus Christi, quod est non facere ex nihilo. Et similiter in ascensu, et descensu respectu ejusdem loci invenitur diversitas formalis in termino ad quem, ratione diversæ superioritatis, vel inferioritatis in situatione quod per se respicitur in loco : licet enim aliqui velint omnes motus locales esset ejusdem speciei infimæ, sicut omnes calefactiones respectu caloris, tamen est longe diversa ratio, quia ubi non est una species infima sicut calor, sed unum genere, et sic fundare potest diversas species motus. Denique, alteratio simplex, et intensio circa eamdem qualitatem differunt ex parte termini ad quem, non addendo novam qualitatem, sed novam actuationem, et explicationem ejusdem in subjecto, quod aliquid de novo est, ut dicemus in libris de Generatione.

Secundo inquires : Quid dicatur terminus per accidens in motu, et quid ad illud requiratur. Respondetur ex doctrina Philosophi in hoc libro, capite primo distinguentis ex parte termini ad quem motum per accidens, et motum in partem et motum per se primo simpliciter : motus per accidens, ut si dicas album cognoscitur, album augetur, vel nutritur; accidit enim albo cognosci, vel augeri in quantum album est. Motus in partem, ut cum dicitur aliquid transmutari in colorem, quia mutatur in albedinem cujus color est pars; et cum dicitur aliquis sanari, quia curatur pede. Motus primo et per se cum neque per accidens, neque in partem, ut cum dicitur album dealbari, sanabile sanari, quod est in quarto modo per se. Denique, si volumus percipere istam distinctionem motus per accidens in partem, et per se primo, discernere per omnia quinque prædicabilia, et vide, quodge-

nus, et differentia sunt partes intrinsecæ speciei, ipsa vero species est totum. Deinde, accidit speciei proprium, et accidens, proprium quidem necessario, accidens autem contingenter. Sic ergo motus ad aliquam speciem attingens ipsam directe, et per se, est motus per se primo, et simpliciter. Si autem attingat differentiam, et genus immediate, aut etiam aliquam aliam partem, et ipsa mediante totum, dicitur motus in partem, et ipsa mediante totum, dicitur motus in partem, licet sit per se, ut opponitur ei, quod est per accidens. Si vero attingendo speciem, seu totum, attingitur mediate proprium, vel accidens, dicitur attingi per accidens, id est, per aliud prius attactum. Quod si connexio inter terminum immediatum, et medietatum fuerit contingens, tanto magis dicitur per accidens, quia magis contingenter.

Et si dicas: Hac ratione non posse alterationem primo, et per se terminari ad qualitates mixtas, seu medias, quæ ex aliis prioribus resultant, ut ad calorem viridem, qui resultat ex albo, et nigro, et ad alias qualitates, quæ ex calore, et frigore, et aliis primis resultant, respondetur, quod istæ secundæ qualitates dicuntur mediate fieri, et resultare, non quia unito motu fiat prius unus terminus, et resultat alius, sed quia est duplex motus, unus ad unum terminum, et alius ad alium, licet secundus præsupponat primum, sicut generatio supponit alterationem, et ideo uterque motus per se respicit suum terminum, licet ordine quodam se habeant. Tunc autem dicitur per accidens aliquod attingi a motu, quando uterque terminus ad eumdem motum pertinet, unus directe, et per se, alter per accidens, seu per aliud.

ARTICULUS II.

Ad quæ prædicamenta non detur motus per se?

Ut diximus supra quæstione XIV, ad motum stricte dictum requiruntur duæ conditiones secundum Philosophum in hoc libro, cap. II et III. Prima, ex parte terminorum, quod sit inter terminos positivos, non vero inter esse et non esse. Secunda, ex parte subjecti, quod subjectum motus non sit ens in potentia, ut materia prima, sed ens in actu. Hunc ergo motum exclusit Philosophus a septem prædicamentis. Non enim datur motus ad substantiam, neque ad relationem, neque ad actionem et passionem, situm, quando, et habere: an vero ad illa prædicamenta detur motus per accidens? Non potest æque probari de omnibus, sed juxta quod ad motum consequuntur, vel connectuntur accidentaliter cum termino primario, dicuntur per accidens terminare motum.

Et licet fundamentum unde debemus dignoscere, quod ad aliquod prædicamentum non detur per se motus, debeat sumi ex applicatione dictarum conditionum, quæ ad motum per se requiruntur, tamen non æqualiter applicat Aristoteles hoc fundamentum omnibus prædicamentis: aliter enim ostenditur ad substantiam non dari per se motum, aliter ad relationem, aliter ad actionem, et passionem, et aliter ad situm, quando et habere.

Et quidem quod attinet ad substantiam, non dubitamus dare per se ad illam mutationem quæ est generatio, cum per se substantia sit generabilis, et corruptibilis: similiter etiam si sumatur generatio cum alteratione prævia, manifestum est includere in se motum, qui

est alteratio, qui tamen ad substantiam per se et directe non terminatur. Sumendo ergo motum stricte dictum, prout est inter terminos positivos, et contrarios, constat non dari per se ad substantiam talem motum ex duplici fundamento. Primo, quia subjectum generationis est ens in potentia, scilicet materia prima, quæ secundum se non est capax procedendi ab uno termino positivo ad aliud positivum, sed a privatione ad formam, eo quod ens in potentia est materia prima, ut denudata ab omni forma. Unde si prout est in potentia tantum est subjectum generationis, formaliter talis mutatio procedit a privatione ad formam, quia idem est ens in potentia et ens privatum omni forma; ergo idem est esse subjectum generationis sub formalitate entis in potentia, ac sub formalitate procedendi a privatione ad formam, non a forma ad formam.

Secundum autem fundamentum ponitur a Philosopho in hoc libro, text. X, quia substantiæ nihil est contrarium: licet enim corrumpatur una forma, et generetur alia, tamen hoc non fit secundum contrarietatem illarum, sed procedendo a privatione unius, ad positionem alterius. Cujus duo signa affert D. Thomas in hoc libro, lect. III. Primum, quia inter formas substantiales non est aliqua maxima, et determinata distantia, quia non sunt aliqua determinata media, per quæ de una forma substantiali fiat transitus ad aliam, non est enim inter formas substantiales ordo per se, sed materia, quæ exuitur una forma, potest indifferenter suscipere aliam, nisi obstet aliqua indispositio, ratione cujus immediate non fiat transitus de qualibet forma ad quamlibet. Secundum signum est, quia formæ substantiales dant esse quod consistit in aliquo indivisibili, et se habet sicut numeri, in quibus quælibet additio variat numerum. Ergo tales formæ non habent distantiam contrarietatis, quæ est maxima distantia, quia carent latitudine secundum magis et minus. Nec obstat, quod habent proprias passiones contrarias, sicut ignis calorem, et aqua frigus: neque enim contrarietas passionem fundare debet in contrarietate formali substantiarum; sed sufficit, quod in virtuali, qualis est privativa oppositio, in qua fundatur contraria, de quo supra diximus quæstione secunda.

Quod si dicas: Nam aliquæ formæ substantiales dantur, ad quas non potest perveniri, nisi ordine quodam per alias, sicut equus non potest generari, nisi præcesserit forma embryonis, neque vinum, nisi præcesserit forma uvæ, ergo in his datur aliqua determinata distantia, et contrarietas, quia ordine quodam transitus ad formas extremas per medias, respondetur formas istas non proprie et per se dici formas extremas, et medias. Tunc enim formæ sunt extremæ, et mediæ per se et ab intrinseco, quando formant aliquam latitudinem, et tunc per se illam formant, quando de una potest perveniri ad aliam per modum cujusdam additionis, vel minorationis, ut contingit in qualitatibus mediis, quæ ex mixtione extremarum fiunt, sive secundum rationem magis et minus. Formæ autem substantiales æque sunt incompatibiles, neque transitus de una ad aliam fit, nisi resolvendo subjectum usque ad privationem omnis formæ, et excludendo omnem formam, et de tali privatione ac materia sic nuda ab omni forma substantiali proceditur ad formam, quæ generetur, non vero per mixtionem, vel additionem ad formam præcedentem, vel minorationem secundum magis et minus, in quo funda-

tur latitudo, et contrarietas. Quare tota ratio quare requiruntur illæ formæ mediæ, neque potest immediate ex quolibet generari quodlibet, est propter ipsas dispositiones : si enim in materia lapidis possit immediate poni dispositio ad formam ultimam equi posset immediate generari equus. Nec obstat, quod aggeneratio est motus quidam continuus ad substantiam. Nam præter quam quod non est certum, quod sit continuus, ut in libro de Gener. disquiretur; tamen si id habet, est per accidens propter continuam oppositionem materiæ partialis sufficienter dispositæ, non propter ipsarum formarum latitudinem, quæ exigat et fundet continuitatem illius motus.

Quod attinet ad relationem, non est ad illam motus per se, quia ut innascatur relatio, non requiritur mutari subjectum in se de novo, sed sufficit mutari terminum. Verba Philosophi in præsenti sunt : « Neque est motus in his, quæ sunt ad aliquid, altero enim subeunte mutationem, alterum mutationem non subiens, vere dici potest. » Cujus perspicuus sensus quod in relativis potest unum relative dici, et esse, non mutato directe subjecto in se, sed mutato termino ; et cum relatio non sit in termino, sed in subjecto manifestum est, quod sic contingit consurgere relationem nulla mutatione facta in ipso subjecto, consequenter ad ipsam relationem, quæ est in subjecto, non datur per se motus, quia per se mutari deberet, sed solum per accidens, id est, per aliud, quia ex sola termini mutatione resultat.

Cæterum circa hoc difficultatem invenit D. Thomas in hoc libro, lect. III, propter relationes mutuas, quæ in utroque extremo reales sunt. Non enim salvari potest, quod per relationem existentem, in uno extremo, dicatur alterum referri, sed unumquodque per relationem existentem in se subjective. Ergo non potest dici relative, nisi sibi adveniat de novo relatio aliqua realis, et consequenter fiet in eo aliqua mutatio, habendo quid reale, quod ante non habebat. Neque potest bene intelligi quod mutatio termino longe distante, v. g. albo resultet hic aliqua realis forma, seu entitas ex vi illius mutationis.

Respondetur D. Thomas quod si aliquis per suam mutationem efficiatur mihi æqualis me non mutato, ista æqualitas primo erat in me quodammodo, sicut in sua radice, ex qua habet esse reale : ex hoc enim quod habeo talem quantitatem competit mihi, quod sim æqualis omnibus, qui eamdem quantitatem habent. Cum ergo aliquis de novo accipit illam quantitatem, ista communis radix æqualitatis determinatur ad istum, et ideo nihil advenit mihi de novo per hoc, quod incipio esse alteri æqualis per ejus mutationem. Ita D. Thomas ubi ponderandum est, quod ad relationem non datur per se motus, ut relatio distincta est a suo fundamento, seu radice : sic enim posito fundamento, ponitur tota virtus, ut resultet relatio, si ponatur terminus ; neque amplius alia mutatio requiritur ex parte ipsius fundamenti, sed sola positio termini. Non tamen negat D. Thomas dari aliquam mutationem, quasi metaphysicam, quæ non est aliud quam determinatio illa fundamenti jam antea habiti in ordine ad talem terminum, qui de novo ponitur, v. g. quantitas, quando producitur in vi suæ productionis accipit omnem relationem æqualitatis, vel inæqualitatis ad quamcunque terminum, qui ponatur, sed accipitur ista relatio, quasi in fundamento et radice, sicut accipitur propria passio in essentia, et sic posita essentia sine

nova mutatione physica resultat passio, si impediatur, quotiescunque de novo tollitur impedimentum : ad hunc modum se habet relatio respectu fundamenti, ipsa enim naturali actione, qua fit fundamentum, etiam fit quantum est ex vi actionis relatio, si terminus ponatur, absolute enim fieri non potest, cum non sit entitas absoluta sed respectiva, et a termino dependens. Quare non requiritur nova actio physica seu motus ex parte fundamenti, cum ab illo per resultantiam dimanet ex vi prioris actionis, qua fundamentum est positum, sed sufficit poni terminum. Et quia non effective procedit a termino, sed solum positio termini est conditio requisita, ut ex fundamento resultet ; ideo nihil obstet distantia termini, ut relatio resultet.

Quantum ad actionem, et passionem, seu motum probat Philosophus ad illas non dari per se motum, sex rationibus a textu undecimo. Sufficit nobis illa, quia alias daretur processus in infinitum in quacunque actione et motu, quia si ad actionem datur actio, et ad motum motus, rursus ad illum motum, et actionem dabitur alius motus, et actio, cum eadem ratio sit. Non potest autem dari processus in infinitum per se in actionibus, quia si aliqua actio dependet ex infinitis actionibus antecedentibus, ista in singulari non producet aliquid, quousque omnes illæ ponantur, a quibus dependet : quælibet autem ex antecedentibus similiter non ponetur, neque exibit ab agente nisi reliquæ antecedentes etiam ponantur. Ergo cum non sit devenire ad unam primam, quæ determinate exeat ab agente et moveat sequentem, ut etiam exeat nulla actio de facto exibit, cum nunquam sit assignare aliam determinate exeuntem, sed dependentem ab alia, et alia priori in infinitum ; et sic nullus unquam dabitur effectus determinate, si actiones sunt infinitæ.

De reliquis prædicamentis, scilicet *situ, quando et habere* Philosophus nunquam reddidit rationem, quare ad illa non detur per se motus, sed id supposuit ; diversa tamen ratione, ut inquit D. Thomas V Phys. lect. III et XI Met. lect. XII, quia prædicamenti quando non meminit, quia significat esse in tempore, quod est mensura motus, et tempus in se motus est. Unde probando, quod non datur motus ad motum, manet probatum, quod per se non datur ad quando. Situm autem, et habitum non numeravit, quia non explicant, nisi quemdam ordinem partium in loco vel habitudinem indumenti ad indutum, quod pertinet ad relationem ; et sic probando, quod ad relationem non datur per se motus, manebat probatum, quod neque ad ista prædicamenta. Sed tamen cum ista prædicamenta non dicant solum relationem prædicamentalem, et secundum esse, ut probavimus in Logica, dis. XIX, alias non essent distincta prædicamenta a prædicamento relationis : si autem important relationem secundum dici, et ideo non datur per se motus ad illa, etiam propter eamdem rationem deberet Philosophus prætermittere actionem, et passionem, imo et ubi, quia omnia illa dicunt relationem secundum dici. Et ideo dicendum est, quod habuit specialem rationem prætermittendi ista tria prædicamenta, quia non potest ad illa dari aliquis motus, nisi localis, qui primo, et per se est ad ubi, inde vero sequitur applicatio ordinata partium corporis, quod locatur, quod est situs vel adjacentia indumenti, quod est habitus ; et si qui addunt situs, et habitus super

hoc, est aliquis ordo secundum dici consecutus ad locum. Unde se habet quoad hoc ad instar relationis prædicamentalis, ad quam ideo non datur per se motus, quia semper se habet ut aliquid consecutum : et similiter est de quando.

ARTICULUS III.

Ad quæ prædicamenta detur per se motus ?

Restant ex numeratione præcedentis articuli tria prædicamenta, ad quæ terminetur motus per se, scilicet *qualitas, quantitas, et ubi*. Nam ad qualitatem terminatur alteratio, ad quantitatem augmentatio, et ad ubi motus localis.

Et quidem de ubi nulla est difficultas, cum nihil evidentius sit motu locali, et latitudine, seu distantia, quæ est inter terminos locorum, quæ utique per motum proprie dictum vincenda est. Et quando sic movetur aliquid, dicitur esse partim in termino a quo, partim in termino ad quem, quia immediatus locus, qui acquiritur est accessus ad unum, et recessus ab alio saltem inchoative, et ita quando movetur sursum etiam immediatus locus, qui attingitur aliquo modo superior est respectu inferioris a quo ascenditur. Acquisito autem ubi, quod immediate respicitur a motu, secundario et mediate acquiritur aliquis situs, ut stare vel sedere, et similia, quæ pertinent ad modificationem existendi in loco, et ideo idem motus sufficit attingere ubi et situm.

Circa motum alterationis etiam est certum ad qualitatem dari per se motum, licet non ad omnem, quia licet in omni qualitate inveniatur, una ex conditionibus requisitis ad motum, scilicet habere subjectum in actu, non tamen concurrit alia conditio, cilicet scontrarietas, et sic ad secundam speciem qualitatis, et ad quartam non datur per se alteratio, quia in illis non datur latitudo contrarietatis, neque in illis, quæ consistunt in indivisibili, aut modo indivisibili fiunt.

Sed tamen circa hoc insurgit difficultas, quia latitudo et distantia, quæ datur in qualitatibus requisita ad alterationem, vel sumitur ratione ipsarum qualitatum secundum se, vel ratione intensionis et remissionis tantum. Si primo modo, non apparet quæ sit latitudo vincenda inter aliquas qualitates diversæ speciei, ut inter calorem et frigus, quia non datur aliquod medium pertranseundum ratione cujus latitudo, et contrarietas inveniatur, neque erit ratio, cur etiam ad potentiam, et impotentiam, ad figuram curvam et rectam, et similia non detur per se motus. Si vero secundo modo sumatur; ergo solum dabitur motus in qualitate penes intensionem, et remissionem, non secundum alterationem tantum. Deinde sequitur, quod lux et similiter actus amoris, odii, et aliorum similium immanentium terminare possint per se motum alterationis, quia habent intensionem, et remissionem. Denique, non repugnat calorem produci in instanti, ut calor ignis, qui est propria ejus passio ; ergo qualitas perfecta caret motu, imperfecta vero si continue fiat, acquiritur quidem per motum, sed cum dentur infinita instantia et partes proportionales, quibus acquiritur, redderur infinita in termino suæ acquisitionis.

Respondetur latitudinem, et contrarietatem in qualitatibus, ad quas datur motus, sumi non solum ratione majoris, et minoris intensionis, sed ratione etiam ipsarum qualitatum inter se. Ad hoc autem non est opus, quod inter illas qualitates contrarias fiat transitus per aliquas

medias, sed bene potest immediate ab uno contrario ad aliud contrarium fieri motus, sicut cum color albus immediate destruitur per nigrum, sine transitu per viride. Sufficit ergo ad motum alterationis, quod istæ qualitates tales sint, quod ex illis possint fieri aliquæ qualitates mixtæ, quæ sunt mediæ, licet non semper de facto fiat transitus per illas, et sic a calore ad frigus datur motus, et distantia vincenda, licet non semper fiat transitus per qualitatem temperatam, vel mixtam ex illis primis, puta odorem, vel colorem, ariditatem vel tepiditatem, etc. Ad id quod dicitur de potentia, et impotentia, respondetur quod illæ qualitates neque sunt intensibiles, et remissibiles, si præcise sunt potentiæ, neque habent latitudinem, et contrarietatem, ita ut ex earum temperamento et mixtura aliquæ potentiæ mediæ resultent ; et sic non terminant motum per se immediate, sed plerumque tanquam propriæ passiones resultant ad productionem essentiæ. Figuræ autem resultant ex terminatione quantitatis. Unde ad motum ipsius sine alio distincto motu consequuntur, et resultant tanquam modus terminationis ejus, non sicut qualitates secundæ, quæ resultant aut miscentur per distinctum motum ab eo, quo producuntur qualitates primæ.

Ad id quod dicitur de contrarietate penes intensionem, et remissionem, respondetur esse distinctam speciem motus a simplici alteratione, et contrarietatem seu latitudinem habere in magis et minus. Unde invenitur in luce, quæ intensionis motum per se terminat, licet non alterationis simplicis, quia non fit ex contrario, sed ex privativo. Actus autem amoris, vel odii, et alii similes immanentes habent contrarietatem intentionalem, non physicam, quæ solum pertinet ad motum alterationis propriæ dictæ, licet in potentiis sensitivis prærequiratur aliqua alteratio circa qualitates sensibiles, sine quibus tales actus non fiunt ; sed hoc est præsuppositive, et antecedenter. Ad id vero, quod dicitur de calore producto in instanti, respondetur hoc esse per accidens, quia producitur ad generationem ignis, per se tamen non repugnat seorsum fieri per motum ad se terminatum. Non requiritur autem, quod id quod terminat motum in omni statu, et modo illum terminet, sed solum in aliquo, sicut etiam ubi per se terminat motum, et tamen non repugnat produci sine motu ad generationem, vel creationem rei existentis in loco.

De motu ad quantitatem.

Circa quantitatem major est difficultas, an per se detur motus ad illam. Multi enim contra Aristotelem tenent non dari per se motum ad quantitatem, ut Martinius in præsenti libro, notab. III, et Cabero hic dis. IV, dub. IV, n. IV, et alii. Sed moventur diversis viis, Martinius, quia putat augmentationi deesse conditionem requisitam ex parte mobilis, scilicet quod sit ens actu id quod movetur ; Cabero, quia dest divisibilitas successionis ipsi augmentationi, licet illam habeat per accidens ratione alterationis adjunctæ. Et tandem, quia non sufficienter redditur disparitas, cur aggeneratio, et nutritio motus non sint, augmentatio autem motus sit.

Fundamentum ergo Martinii in eo stat, quia si est aliquod subjectum mobile augmentationis, maxime ipsum vivens, quod augescit, hoc autem non mutatur, nec patitur per motum augmentationis, nam quan-

titas, quæ in augmentatione crescit vel producitur de novo, vel jam producta unitur. Si primum, illa quantitas non in vivente, quod præcedit, sed in materia, quæ de novo advenit, producitur, ergo sola illa materia mutatur; sed mutatio materiæ non est motus, ut Philosophus statuit, ergo neque augmentatio. Si vero quantitas non producitur, sed unitur, ergo idem est nutritio, et augmentatio, siquidem in tantum augmentatio fit, in quantum acquiritur illa substantia in qua est quantitas, quod utique fit per nutritionem, non per motum distinctum ad quantitatem; nutritio autem non est motus, quia in ea solum mutatur materia alimenti, mutatio autem materiæ non est motus.

Fundamentum autem Cabero in eo consistit, quia quantitas nunquam producitur per se, sed semper consequitur ipsam materiam, in qua existit, et cui est coæva in sententia hujus Auctoris. Unde nunquam producitur nova quantitas producendo partes quantitatis, nisi producendo partes materiæ. Superest ergo, quod in augmentatione crescat quantitas, quia uniuntur novæ partes materiæ, et quantitatis: unio autem partium fit per indivisibilia. Ergo consistet augmentatio in hoc solum, quod nova indivisibilia producantur. Unde sequitur, quod augmentatio erit indivisibilis, quia solum terminatur ad indivisibilia, et non erit continua, quia indivisibilia non continuantur: nec salvatur hoc dicendo, quod per augmentationem producitur superficies uniens partes profunditatis: in superficie autem potest inveniri motus continuus, quia latitudinem, et extensionem habet. Sed tunc incidit in aliud inconveniens: tum quia versus profunditatem non dabitur augmentatio continua, quia ipsæ superficies non sunt sibi immediatæ, et continuæ: tum quia alias sola profunditas erit coæva materiæ, non vero superficies, et alia indivisibilia, quia hæc producuntur de novo in augmentatione. Quod tamen non est multum inconveniens, cum videamus mutari in quantitate indivisibilia terminativa, quoties mutatur per divisionem terminatio quantitatis: unde tandem iste Auctor tenet per augmentationem produci superficiem unitivam partium quantitatis, per accidens autem quantitatem moveri ratione alterationis adjunctæ.

Denique, urgetur utraque sententia illo communi argumento: Quia non potest dari augmentatio, nisi adjuncta nutritione, eo quod nova quantitas petit novam partem materiæ, alias penetraretur cum antiqua, si utraque esset in eadem parte materiæ. Sed hoc ipso, quod producitur nova pars substantiæ, consequitur nova quantitas partialis tanquam passio illius. Ergo non est necesse ponere novum motum ad quantitatem præter illam actionem, quæ terminatur ad substantiam immediate, et mediate ad quantitatem.

Nihilominus sententia Aristotelis deserenda non est, quam communiter Peripatetici sequuntur et utraque schola D. Thomæ et Scoti, scilicet dari ad quantitatem per se motum augmentationis.

Fundamentum est, quia in quantitate invenitur utraque conditio ad motum requisita, scilicet quod subjectum ejus sit ens in actu, et in ipsa detur contrarietas. Quod quantitas habeat pro subjecto ens in actu constat, quia ejus subjectum est corpus, corpus autem non est sola materia, sed constituitur in esse corporis per formam, quia si materia de se esset corpus in actu, generatio substantialis non terminaretur per

se ad corpus, sed ad corpus ut tale, quod est non fieri simpliciter, sed secundum quid, ut argumentatur Aristoteles II Physic. tex. LXXI et LXXVI, et D. Thomas ibi lect. XIV, et I de Gener. tex. XI, lect. VI. Imo non potest intelligi, quomodo forma substantialis possit præbere gradum specificum talis corporis, v. g. lapidis vel ligni, et non gradum genericum corporis secundum se, cum ab eadem forma, seu entitate proveniat gradus specificus, et genericus, alias distinguerentur realiter. Et si Deus separaret formam lapidis a materia, esset in illa forma gradus specificus sine generico, quod repugnat. Sic ergo materia habet rationem corporis per formam, atque adeo corpus est ens in actu et non pura potentia, utpote compositum ex materia et forma, ergo subjectum quantitatis, quod est corpus, est ens in actu, et non solum pura potentia; similiter quantitas habet contrarietatem, quia habet distantiam, et latitudinem terminorum, secundum incrementum et decrementum non minus quam inter loca distantia datur contrarietas.

Nec obstat, quod Philosophus in capite de quantitate docet, quantitati nihil esse contrarium. Et deinde, quia magnum, et parvum relative opponuntur non contrarie. Respondetur enim, quod contrarietas potest sumi dupliciter. Uno modo proprie non contrarietate specifica, id est, inter duas species, quæ sub eodem genere maxime distant: alio modo minus proprie pro contrarietate quasi terminativa, seu modali, scilicet quando inter aliquos terminos datur distantia, seu latitudo percurrenda, in qua acquiruntur saltem diversi termini, seu modi, sicut in eodem spatio datur hoc modo contrarietas locorum, et in eadem qualitate datur contrarietas graduum secundum intensionem, et remissionem. Prima contrarietas negatur in quantitate a Philosopho, non secunda; species enim quantitatis, ut linea et superficies, non se expellunt a subjecto, neque contrariantur. Quod vero dicitur relative opponi magnum et parvum, respondetur verum esse si sumantur comparative, non vero si sumantur absolute secundum quod important distinctos terminos secundum latitudinem, et distantiam in eadem quantitate; sicut etiam de intensione, et remissione penes magis et minus in qualitate dicendum est.

Sed dices: Quantitatem quidem de se habere conditiones sufficientes ad motum, sed tamen ab extrinseco impediri, quia sequitur ad substantiam immediate, ut propria passio, et sic non per se, et immediate terminat motum, sed mediate. Respondetur quantitatem in prima generatione substantiæ consequi ad modum propriæ passionis: in aggeneratione autem, seu incremento non se habet, ut propria passio, sed est accidens contingens, quod potest adesse, et abesse: neque habet necessariam connexionem cum re, quæ augmentatur: accidentale enim est viventi, quod habeat tantam vel tantam latitudinem augmenti, vel decrementi, cum sine illa possit conservari in minori, vel in majori, et sic potest distinctum motum terminare, non solum ab ipsa generatione, qua primo producitur substantia, sed etiam ab aggeneratione, qua producitur pars substantiæ, eo quod bene potest dari nutritio, seu aggeneratio sine eo, quod detur augmentatio, ut cum vivens pervenit ad terminum sui incrementi, et deinceps conservatur, et nutritur, et non crescit, nec decrescit, quia quantum advenit de substantia, tantum deperdit. Ergo requiritur distincta actio præter nutritionem, qua ita superaddatur nova

quantitas, quod de præcedenti non tantum consumatur, quantum superadditur: hoc enim speciale est in augmentatione, neque invenitur in sola nutritione, et ita est actio distincta, quæ respicit novam quantitatem non absolute, ut poterat consequi ad substantiam, sed ut crescentem, id est, ita superaddentem ad quantitatem antiquam, quod non æque, vel plus deperdatur, quam acquiratur, ad quod requiritur nova terminatio quantitatis secundum latitudinem majoris, vel minoris extensionis, quod sufficit ad distinctum motum, licet præsupponat aliam priorem actionem ad substantiam, sicut in qualitate motus intensionis et remissionis respicit diversam terminationem qualitatis, et tamen est distinctus motus ab alteratione simplici.

Ad fundamentum primæ sententiæ, respondetur negando antecedens. Ad probationem dicitur, quod sive quantitas partialis producatur de novo, sive tantum uniatur præexistenti, nunquam habet pro subjecto nudam materiam, sed ipsum corpus vivens, quod est subjectum quantitatis, neque ad augmentandam quantitatem sufficit solum nutritio, vel aggeneratio, ut præcise tangit substantiam, quia salvari possunt tales actiones sine augmentatione, ut quando vivens nutritur, nec tamen crescit, et tamen sequitur quantitas ad illam partem. Quare requiritur diversa actio, quæ respiciat quantitatem ut superaddentem ad præcedentem quantitatem, et producentem ipsas partes quantitatis, vel saltem terminationem earum novam, quæ faciat crescere præcedentem, et hæc habet pro subjecto substantiam ipsam viventis, tam præcedentem, quam de novo aggeneratam, quia utramque immutat, licet diverso modo; præcedentem enim immutat tanquam id, cui accessionem quantitatis adjungit, et terminationem ejus, quæ minor erat, in majorem immutat; substantiam vero de novo nutritam, et aggeneratam respicit, ut subjectum illius partialis quantitatis, non absolute, sed ut conjungendæ præcedenti, et distinctam terminationem majoris extensionis constituentis.

Ad secundum fundamentum respondetur, quantitatem non recipi in sola materia, sed in ipso composito, quod est corpus, ut jam diximus, et amplius in libris de generatione ostendetur. Dicitur autem quantitas cæva materiæ, sicut forma corporeitatis, ad quam sequitur, non quod eadem numero forma semper sit in materia, neque eadem numero quantitas quæ formam sequitur; sed quia nunquam deest aliqua forma corporeitatis materiæ, neque aliqua quantitas. Et quando dicitur, quod adveniente nova quantitate, non producitur ipsa nova quantitas, sed indivisibile aliquod uniens partes ejus, respondetur ipsam etiam quantitatem partialem produci, quia quantitas illa quæ erat in alimento, v. g. in pane corrumpitur, sicut ipsa forma panis, et ad introductionem formæ viventis, consequitur etiam nova quantitas propria viventis, quæ tamen in quantum facit crescere præcedentem, et constituit majorem vel minorem quantitatem, secundum distinctam terminationem, accidentalis est ipsi viventi, et potest produci distincta actione, quæ est augmentatio, et non ut propria passio resultabit. Quod si quantitas sit de novo in illa parte, quæ aggeneratur inconveniens est, quod solum ipsum indivisibile, producatur de novo per augmentationem, et quantitas ipsa dimanet, quantum ad partes indivisibiles, tum quia non est major ratio, quod consequatur quantitas ad substantiam, quantum ad partes divisibiles, quam quoad indivisibilia, v. g. lineam vel superficiem, cum sine istis non constet quantitas, neque coalescat: tum quia quando sit continua aggeneratio ignis per papyrum, vel viventis per alimentum, cum illa indivisibilia non sint immediata, discontinuabitur ille motus: et cum non sit major ratio, quod attingat unum indivisibile, quam aliud, attinget omnia distinctis actionibus, non continuando per partes si illas non producit; et consequenter requirentur infinitæ actiones, sicut sunt infinita indivisibilia, si quodlibet seorsum percurritur, et attingitur.

Ad ultimum patet ex dictis, quod nutritio formaliter solum attingit substantiam partialem, quæ secundum se non producitur, ut habens contrarium nec realiter, nec modaliter, sive secundum diversam terminationem, imo etiam ut habet quantitatem adjunctam, adhuc non producitur per motum, et actionem distinctam ipsa quantitas partialis absolute considerata, sed secundum quod induit diversam terminationem secundum latitudinem, et distantiam majoris, et minoris; sic enim habet sufficientem contrarietatem ad motum augmentationis, et sic illa quantitas in quantum major non est propria passio viventis, quia non est illi necessario connexa, siquidem sine ipsa potest dari tale vivens, est ergo illa terminatio solum accidens, et sic potest terminare distinctum motum ab actione producente substantiam, ex qua resultat propria passio, sed non quantitas, ut major, vel minor.

ARTICULUS IV.

Unde sumatur unitas numerica motus?

Specialis difficultas est de principio unitatis numericæ in motu, quia non sufficit ad illam unitas numerica termini; tum quia de illo erit eadem difficultas, unde sumatur unitas numerica termini, si enim sumitur ex eo, quod producitur ab ista numero actione erit circulus, sumendo unitatem numericam termini a motu, et motus a termino; tum quia circa eumdem terminum, non repugnat dari plures motus, ut cum idem locus numero sæpius repetitur. Hoc tamen non multum urget, quia circa eumdem locum extrinsecum per diversos motus, diversa ubi producuntur.

Dicendum ergo est, quod unitas numerica motus præsupponit quidem unitatem specificam termini a quo sumitur ejus species, et superaddit duplicem continuitatem, scilicet temporis, et mobilis; ut videlicet neque motus interrumpatur quiete ex parte temporis, neque diversitate subjecti ex parte mobilis. Ita sumitur ex D. Thoma in hoc libro, lect. VII, ubi inquit: «Ad hoc quod motus sit continuus, requiritur, quod sit unus secundum speciem, quæ quidem unitas speciei est in motu ex re, in quam est motus. Secundo requiritur, quod sit unius, subjecti, quia diversorum subjectorum motus possunt esse habiti (id est, consequenter se habentes) sed non continui. Tertio, requiritur ad continuitatem motus, et unitatem, quod sit unus tempore ad hoc, quod non interveniat aliqua immobilitas, vel quies, quia si deficeret aliquod tempus motui, in quo scilicet non moveretur, sequeretur quod quiesceret in illo, si autem quies interponitur, erunt multi motus, et non unus.» Hæc D. Thomas. Cum ergo stantibus istis conditionibus non interrumpatur motus, sequitur quod maneat unus, quia ejus unitas numerica consistit in continuitate successionis non in aliqua indivisibilitate; et ideo requiritur ad ejus unitatem id,

quod est commune omnibus accidentibus, scilicet unitas subjecti, quia in duobus subjectis non est unum accidens, et requiritur id, quod speciale est motui, scilicet unitas successionis ex parte temporis.

Si vero inquiras: Cur etiam non requiratur unitas motoris, seu causæ efficientis, et unitas loci, quia diversis motoribus, et in diversis locis non progreditur unus motus, respondetur, quod unitas motoris entitative, et absolute non requiritur ad unitatem motus, quia potest unicus motus procedere a pluribus causis partialibus in eodem subjecto, ut cum navis trahitur a pluribus: solum ergo requiritur unitas causæ, non quidem numerica, sed una ratio causæ totalis; sed hæc non ex ratione motus, ut motus esset, sed ut actio, et causalitas, quæ non potest exire a duplici causa totali, quod etiam est commune omni effectui, ut effectus est, et non solum ratione motus. Unitas autem loci involvitur in ipsa unitate mobilis, quod in pluribus locis esse non potest; et in unitate termini, si sit motus localis, quia in diversis locis non datur unus terminus.

Sunt tamen quædam vulgares objectiones contra has conditiones. Prima, contra unitatem ex parte termini, quia in motu locali continuo variantur plura ubi, ut cum lapis decidit, vel aliquis ambulat per leucam, variantur diversa ubi, quia acquiruntur diversa loca, seu distantia, et aliæ amittuntur; et tamen ille motus est unus numero, quia est continuus tempore, et subjecto. Idem argumentum fit de motu intensionis, qui eadem continuatione acquirit plures gradus, quorum quilibet potest terminare motum.

Secundo, contra unitatem mobilis est vulgare exemplum in cane decidente de turri, si in medio moriatur, vel si deambulante prægnata, animetur fœtus, illi motus sunt in diversis subjectis, scilicet cadavere, et cane, et tamen motus est unus, quia continuus, et nulla quiete interruptus; ergo non requiretur unitas subjecti.

Tertio, contra unitatem temporis, quia tempus sumit unitatem numericam a motu, cum sit ejus duratio, ergo si motus est unus ratione temporis, datur circulus in istis unitatibus desumendis. Et confirmatur, quia tempus vel sumitur proprie pro tempore cœli, et hic est unus pro omnibus motibus mundi; et sic ab illa non potest sumi unitas numerica cujuscunque motus; vel sumitur communiter pro duratione cujuslibet motus. Et tunc dicendo, quod motus est unus, quia tempus est unum, est dicere quod est unus, quia ejus duratio est una; et hoc est petere principium. Inquirimus enim, quando motus est unus in duratione et continuitate.

Ad primum relictis variis solutionibus, respondetur quod in illo motu locali sunt plura ubi partialia et inadæquata: unum vero adæquate et simpliciter, scilicet illud in quo ultimo sistit motus; reliqua enim, quia in illis non sistitur, potius habent rationem continuantis partes motus, et transitum de uno ad aliud, quam rationem termini, et ita semper salvatur, quod terminus est unus, scilicet ubi datur ratio ultimi. Quod si motus sistat in medio, illud ubi habet rationem termini, hoc ipso, quod in eo sistitur; et tunc ab ejus unitate pendet motus, sicut de unitate numeri diximus in Logica, q. XVI.

Ad secundum respondetur, quod in illis casibus discontinuantur motus propter discontinuationem subjecti, supposito quod non manent eadem accidentia in genito, et corrupto, ut ostendemus in libris de generatione, licet maneat accidens simile. Et ita fallitur sensus videns continuari eumdem motum, cum tamen non sit idem numero, sicut quando judicatesse eamdem virgam, quæ partim est viridis, partim sicca, cum tamen non sit continua, sed contigua; et si projiciatur, videtur ferri unico motu, cum tamen duplici feratur propter duplex subjectum, sicut etiam plura ligna ligata videntur ferri unico impetu, et tamen pluribus motibus moventur, sic in illo instanti, quo generatur cadaver descendente cane, incipit alius motus inœoptione extrinseca, quia in illo instanti motus non est, sed finis motus præcedentis, et inchoatio extrinseca sequentis, sufficitque illa quies negativa, ut in diversis subjectis discontinuentur motus. Et si dicas, quod illi motus copulantur unico instanti indivisibili, ergo sunt partes continuæ, et non contiguæ, respondetur hoc intelligi de copulatione partium motus, vel quantitatis in eodem subjecto, in diversis autem subjectis unico instanti finiuntur, et incipiunt extrinsece diversi motus; qui erat in cane in instanti corruptionis non habet mutatum esse a se productum, sed a generatione cadaveris præventum, a qua generatur in eo loco, in quo debeat poni a motu, si non desineret motus corrupto subjecto, et ideo non est continuativum cum motu cadaveris, sed extrinsece ab illo incipit sequens pars motus cadaveris. Quomodo vero possit continuari idem motus in ascensu, et descensu, si per impulsum res projiciatur deorsum, et eodem impetu transeat ultra centrum, aut etiam resiliendo a pariete faciat motum reflexum, ita quod quies aliqua interrumpat illum motum, dicemus in lib. VIII, qu. XXIII.

Ad tertium respondetur motum, et tempus ad invicem individuari in diverso genere causæ tempus a motu in genere causæ materialis, motus a tempore, seu potius a non interruptione temporis in genere conditionis, seu formalitatis requisitæ ad unitatem motus, negatio enim ut conditio solum se habet, sicut materia individuatur a quantitate, ut a conditione, quantitas a materia, ut a subjecto. Neque in diverso genere causæ circulus vitiosus est, ut in libris Posteriorum ostendimus. Ad confirmationem respondetur quod unitas motus pendet ab unitate temporis, non ut est tempus primi mobilis, quod omnia comprehendit, neque ut est tempus proprium hujus motus in singulari positive, sed solum negative, id est, quatenus illa duratio particularis quiete non interrumpitur: et sic pendet unitas numerica motus a negatione interruptionis, ut a conditione, quidquid sit de positivo tempore, quo mensuratur motus.

ARTICULUS V.

Quæ sit contrarietas in motibus, et unde sumatur?

Contrarietas in motibus potest intercedere, vel inter motum, et motum sicut frigefactio, et calefactio, sicut moveri in album, vel quiescere in albo, vel inter corruptionem, et generationem respectu ejusdem rei.

Dico ergo primo: Contrarietas duorum motuum inter se sumitur ex contrarietate objectorum, seu terminorum ad quos, non ex contrarietate terminorum a quibus formaliter, et per se loquendo, licet quando est contrarietas perfecta motuum, etiam inveniatur contrarietas in terminis a quibus. Est D. Thomæ in hoc libro V, lect. VIII, et Philosophi ibidem a text. XLVII, usque ad L. Et ratio primæ partis est, tum quia termini ad quos dant speciem

motui, ergo et contrarietatem, hæc enim convenit ratione speciei; tum quia termini a quibus relinquuntur termi niad quos assumuntur a motu, ex eo ergo quod termini a quibus sint contrarii solum sequitur, quod recedat a contrariis, ex eo vero quod accedat ad terminos ad quos, accipit contrarietatem, si illi contrarii sint. Imo ex contrariis terminis a quibus, contingit pervenire ad eumdem terminum, ut ex albo et nigro in viride. Ergo contrarietas terminorum a quibus non constituit contrarietatem motuum per se. Secunda vero etiam ad contrarietatem conducunt, quia motus petit contrarietatem inter terminum a quo, et ad quem, cum versetur inter terminos non positivos et contrarios. Ergo sicut datur contrarietas inter terminos ad quos, ita supponetur contrarietas ex parte terminorum a quibus, si perfecta sit.

Dico secundo: In mutationibus, quæ non versantur inter terminos contrarios, sicut sunt mutationes substantiales, contrarietas earum non sumitur ex contrarietate terminorum, sed ex accessu, et recessu respectu ejusdem termini. Ita D. Thomas et Philosophus citato loco. Ratio est, quia in his mutationibus termini proprie non habent contrarietatem, licet habeant impossibilitatem, sicut ut forma substantialis non compatitur cum alia, licet non habeat contrarietatem, sicut generatio equi, et generatio ignis contrarietatem non habent ex parte terminorum ad quos. Ergo contrarietas istarum mutationum, qualis est inter corruptionem, et generationem, debet sumi respectu ejusdem termini, quia generatio ignis, et corruptio ejus sunt opposita passiva, et non relative, ergo contrarie. Sumitur ergo in eis contrarietas per hoc, quod recedatur, vel accedatur circa eumdem terminum: recessus enim et accessus motus contrarii sunt, si respiciant eumdem terminum: sicut etiam in passionibus animæ datur aliquando contrarietas non penes objecta, seu terminos contrarios, sed penes accessum, et recessum erga idem objectum, ut spes et desperatio, timor et gaudium respectu ejusdem objecti, ut docet D. Thomas I-II, q. XXIII, art. I, ubi etiam tradit totam hanc doctrinam.

Dico tertio: Contrarietas inter motum, et quietem sumitur ex terminis oppositis, in quibus aliquid quiescit, vel movetur; respectu vero ejusdem termini quies et motus non contrariantur entitative; licet quies habeat privationem motus. Sumitur ex Aristotele et D. Thoma in hoc libro a textu LIII, lect. IX. Ratio est, quia cum aliquid movetur a contrario in contrarium, verbi gratia, ab ægritudine ad sanitatem, non contrariatur quies in sanitate, motui in sanitate: motus enim ad sanitatem, tendit ad quietem in illa: terminus autem ad quem non contrariantur motui, sed perficit, et consummat illum. Ergo neque quies in tali termino: sed quies in opposito, verbi gratia, in ægritudine contrariatur motui ad sanitatem. Sed tamen, quia quies in termino ad quem, facit cessare motum, et privat illo, dicimus opponi motui non quantum ad entitatem, quia hæc identificatur cum termino ad quem, sed quies opponitur ipsi moveri seu tendentiæ de uno ad aliud, quod est imperfectionis in motu. In mutationibus autem in quibus non est contrarietas, ut in substantia non datur proprie quia contraria mutationi, sed solum quædam negatio mutationis in esse. Hæc enim opponitur corruptioni; eo quod corruptio recedit a quiete, seu mansione in esse. Quieti vero, seu immutationi in non esse, non assignatur motus oppositus, quia quies cere in non esse solum dicit negationem ipsius esse, non autem importat aliquod subjectum, circa quod versetur motus.

Quæri solet, an possit aliquid secundum eamdem partem moveri duplici motu contrario alterationis, vel locali. Secundo, an possit aliquid moveri transeundo de extremo ad extremum, et non per medium. Ad primum respondetur, quod duplici motu locali non potest aliquid moveri, quia locus est adæquatus locato, unde si datur duplex ubi, seu locus respondens duplici motui, quantumcunque minime distent, non erit locus adæquatus locato. Et eadem ratione non potest aliquid moveri duplici motu augmentationis, quia non fit sine aliqua distantia loci, quem occupat nova quantitas. At vero duplici motu alterationis in gradibus remissis non repugnat aliquid moveri, sed in gradibus intensis, quia termini alterationis sunt compatibiles in gradibus remissis, ut calor et frigus; ergo et motus, quia uterque agens non impeditur agere, nisi ratione materiæ in qua non compatitur ejus effectus. Ergo si compatitur, non repugnat ab utroque agente procedere motus contrarius, et recipi in eodem subjecto, sicut et terminus eorum. In gradibus autem intensis, termini repugnant et se expellunt, ergo et actiones.

Ad secundum respondetur, non posse in motu continuo locali fieri transitum de extremo ad extremum, nisi per medium, licet non semper per lineam rectam, eo quod continuitas motus dependet ex continuitate spatii. Si autem non transitur per medium, discontinuatur. Et quia motus localis totam suam quantitatem habet ex parte spatii, in quo acquirit loca, et sine quantitate non habet successionem, quæ ad ejus essentiam pertinet; ideo si fit transitus sine medio ad extremum in eo ille transitus carebit spatio, et consequenter quantitate, et successione, atque adeo essentia motus physici. Angelus autem, quia non pendet a spatio in suo motu, potest per motum discretum transire ad extremum sine medio; et Deus potest transferre corpus ad alium locum sine medio, sed non per motum talis corporis, quia hic semper dependet a spatio in sua divisibilitate, et successione; est autem de ratione motus physici, quod sit successivus, et divisibilis et quantitatem habeat. Angelus autem, quia non potest corpora movere, nisi motu locali, non poterit sic transferre corpus. Quomodo vero globus perfectus moveatur de puncto in punctum per planum non tangendo partes, dicemus quæstione sequenti, articulo secundo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CIRCA LIBRUM SEXTUM.

DE DIVISIONE MOTUS, ET CONTINUI PER PARTES.

QUÆSTIO XX.

DE PARTIBUS, ET INDIVISIBILIBUS CONTINUI.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sint partes proportionales, et indivisibilia?

Nihil vulgatius apud omnes est, quam quod continuum componatur ex partibus et indivisibilibus, tam in quantitate permanente, quam in successiva. Partes tam in successivo, quam in permanenti solum sunt duplicis generis; quædam vocantur aliquotæ, seu designatæ, quarum quælibet addit aliquid divisibile ad aliam, sine communicatione cum illa: aliæ vocantur proportionales, seu indesignatæ quæ entitative non distinguuntur ab aliquotis, sed intra eamdem partem aliter atque aliter secundum diversas proportiones, et comparationes divisibilitatem ejus explicant, ita quod nunquam potest divisibilitas partis exhauriri, sed quacunque signata illa potest dividi, et partes in quas dividitur etiam possunt servire alteri immediatæ, ut per illas dividatur, et hoc est istas partes proportionales esse communicantes inter se, non quia penetrantur, sed quia quæ deserviunt uni, si designetur, etiam possunt servire sequenti, si designatur et sumatur ut divisibilis.

Indivisibilia habentia positionem in continuo permanenti sunt tria, scilicet punctum, quod caret omni parte: linea, quæ caret partibus latitudinis, et profunditatis: superficies, quæ caret partibus profunditatis, de quibus egimus in Logica, quæstione XVI. Indivisibilia successiva sunt duplicis generis; quædam pertinent ad motum, et vocantur mutata esse, terminatur enim motus in fieri per mutatum in facto, et similiter per illud continuatur, si ibi non sistat motus. Alia pertinent ad tempus, et vocantur instantia, quæ non distinguuntur a mutatis esse, nisi sicut duratio a re durante, et sicut tempus a motu.

Iis suppositis circa indivisibilia, et partes continui, quinque se offerunt explicanda. Primum, unde constet in Philosophia dari ista indivisibilia, et istas partes proportionales. Secundum, an indivisibilia sint aliquid positivum et reale. Tertium, an indivisibilia, et partes proportionales sint actu in ipso toto, vel solum in potentia. Quartum, an sint actu infinita. Quintum, an inveniantur indivisibilia etiam in substantia, et aliis accidentibus præter quantitatem. Tria prima in hoc articulo tractabimus, reliqua in sequenti.

Prima difficultas.

Primo ergo quæritur unde deducatur dari partes proportionales, et

indivisibilia in continuo. Respondetur, quod supposito quod sensu constat dari partes divisibiles, certas, et designatas, in quas quotidie videmus dividi quantitatem, easque competere quantitati, etiam separatæ, ut in Eucharistia, discursu ducimur ad intelligendum dari partes proportionales ad invicem communicantes, supponendo id quod articulo sequenti ostendetur, quod nullum divisibile potest solvi in indivisibilia, ita quod partes ejus divisibiles non sunt, ex hoc enim constat, quod cum omnis pars in continuo hoc ipso quod sumitur ut pars, sit divisibilis, necessario illi assignandæ sunt partes, quæ etiam divisibiles sint, quarum quamlibet si velimus assumere, etiam divisibilis erit, sed in partes quæ conveniebant ipsi parti prius divisæ, quia est sibi immediata, et sic sunt partes communicantes ad invicem, quarum una servit divisioni alterius, et cum quælibet divisibilis debeat includere partes, nunquam potest exhauriri divisibilitas istarum partium, ita quod remaneat aliqua indivisibilis.

Dari autem indivisibilia in continuo, deducitur partium aliquibus experientiis, partim ex ipsa ratione secundum officium, quod exercent ista indivisibilia terminandi partes, et continuandi. Experientiæ sunt, in primis, quia lux in corpore perfecte opaco, tantum recipitur in superficie, quia si ultra illam transiret hoc ipso non esset opacum, sed aliquo modo diaphanum. Similiter locus ambit locatum secundum ultimam superficiem, quia si tangeret secundum profunditatem, locus non adæquaretur locato, sed secundum aliquid divisibile excederet. Item si daretur globus perfecte sphæricus, et tangeret perfecte planum, tangeret illud in puncto, quia si in aliquo divisibili tangeret, in illo globus adæquaretur plano, et sic non esset perfecte sphæricus. Quomodo autem sic tangens in puncto moveri possit per planum sequenti articulo dicemus.

Ratione vero deducitur dari ista indivisibilia, tum ob terminationem partium in continuo, tum propter continuationem. Et quidem terminari quantitatem clare videmus, cum sit finita, implicat autem terminari aliquo divisibili, quia si hoc dividatur, prius sumetur una medietas quam alia, et sic prius terminabitur illa, et rursus in prima illius medietate terminari non potest, quia etiam divisibilis est in alias medietates, et sic currit idem argumentum, quousque deveniamus ad aliquod, quod ultra divisibile non est, et hoc est indivisibile. Similiter constat unam quantitaem tangere aliam sine penetratione, ergo per indivisibile, quia si tangeret in aliquo divisibili totum illud esset simul et non extra ad quod tangitur et sic penetratur.

Quantum vero ad officium continuandi partes, licet sensui minus manifestum sit, tamen ex ipsa ratione continui deducitur; quia sicut ea dicuntur se tangere, seu contigua esse, quorum extrema sunt simul, id est, quando duæ superficies junguntur, ita ea dicuntur continua, quorum partes termino, seu indivisibili communi copulantur. Quod ideo necessarium est, quia si una pars divisibilis copularetur alteri divisibili se ipsa, et non per extremitatem seu indivisibile penetraretur, siquidem se tota uniretur cum illa, et non tantum per extremitatem, sed taliter, quod in quantum divisibilis uniretur, et sic pars unita esset intra aliam, quia quod uniretur alteri parti, uniretur per aliquid, quod posset dividi, et sic non sola medietas illius esset unita, sed etiam altera medietas, atque adeo non esset tota extra aliam, sed intra, quod est

penetrari cum illa, et confundi. Ratio ergo cur pars est extra partem in loco, et nihil unius est intra aliam est, quia unitur per indivisibile, quo copulatur alteri, et non intrat in aliud.

Secunda difficultas.

Secundo quæritur, an ista indivisibilia sint entia positiva distincta realiter a partibus. Respondetur, indivisibilia ista, neque dicere solam negationem ulterioris extensionis, neque partem ipsam cum connotatione talis negationis, neque ipsam formalem unionem partium, sed realitates esse per se vel reductive pertinentes ad quantitatem. Explicantur singula; non sufficit negatio prædicta, quia ista indivisibilia requiruntur ad contactum positivum, nec solum deserviunt, ut quantitas dicatur finita, et limitata: hoc enim posset etiam intelligi negative per hoc, quod ulteriores partes non haberet; sicut dici solet communiter, quod si Deus impediret, ne resultaret indivisibile terminans, quando aliquid dividitur, maneret quantitas terminata negative non positive. Sed tamen requiritur positivus terminus, seu indivisibile, quia quantitas habet positivum contactum cum alia quantitate, qui contactus non fit in aliquo divisibili, sic enim intraret pars tangens cum parte contacta, non totaliter maneret extra: nec fit in aliqua negatione, quæ sic tangeret in nihilo, sine resistentia penetrationis sicut si tangeret vacuum, quod est negatio corporis. Et eadem ratione non sufficit entitas partium divisibilis, et positiva, cum connotatione negationis aliarum partium, quia id quo formaliter fit ipse contactus, neque est illa negatio connotata, quia sic tangerentur in nihilo, neque ipsæ partes connotantes, quia divisibiles sunt, et divisibile si tota divisibilitate jungitur alteri, non tangit extra manendo, sed penetrando, seu intra alteram manendo.

Quod vero indivisibile non dicat ipsam formalem unionem, constat manifeste in ipso indivisibili terminante, quod est verum indivisibile, et non unit, sed terminat partes; imo indivisibile continuans potius reddit partem unibilem, quam formaliter uniat, eo quod reddit partem non se tota communicabilem alteri, et penes divisibilitatem, sed penes extremitatem, quæ est unibilis alteri sine penetratione; sed manendo extra partem. Potius ergo indivisibile reddit partem sic communicabilem impenetrative, quam sit ipsa formalis communicatio, seu unio.

Denique, quod sit realitas pertinens ad prædicamentum quantitatis per se, vel reductive constat, quia linea, et superficies sunt veræ species quantitatis continuæ, habentes suam specialem dimensionem, qua parte divisibiles sunt, ergo sunt realitates per se pertinentes ad quantitatem. Punctum autem quia caret omni parte et extensione, solum pertinet reductive ad quantitatem, tanquam positivus terminus ejus. Et D. Thomas opusc. XXXVI, cap. II, sentit, quod est aliqua realitas, dicit enim: « Quod punctus nihil est de ipsius lineæ essentia, quia nihil unum, et idem realiter omnibus modis indivisibile potest simul in diversis partibus ejusdem continui permanentis esse. Nec potest esse terminus ejus, vel continuatio aliqua, cum ille punctus sit aliquid unum realiter, unde non possunt esse plures puncti realiter. In linea tamen sunt plures puncti, et realiter ad invicem divisi, ut duo ejus termini, et similiter in ejus continuatione. » Ita D. Thomas qui etiam videri potest q. III de Poten. art. XVII ad 5, ubi

dicit: « Quod instans est aliquid temporis, non ut pars, sed terminus. » Est ergo indivisibile aliquid positivum, cum effectus habeat positivos, pertinetque ad quantitatem, eo modo quo dictum est.

Quod si dicas: Videri superflua ista indivisibilia, tum quia sola negatione ulterioris extensionis potest quantitas finiri, præsertim si Deus impediat, ne facta divisione resultet aliquod distinctum indivisibile; tum etiam, quia qualitas, et alia accidentia habentia latitudinem, non requirunt indivisibilia ad unionem suarum partium, ergo nec extensio quantitatis, et similiter partes substantiæ uniuntur sine indivisibilibus, alias essent impenetratæ, etiam sine quantitate; tum denique, quia quantitas corporis Christi in Sacramento unit suas partes in divisibilibus, neque enim caret illis, sicut neque in cœlo, et tamen penetratur illa quantitas, ergo indivisibilia non requiruntur propter impenetrationem partium.

Respondetur ad primam probationem, quod quantitas sola negatione posset finiri negative, non tamen positive, id est, secundum situm et ordinem resistentem penetrationi, et sic facientem contactum positivum. Quod si Deus impediret resultantiam indivisibilis, maneret illa quantitas penetrabilis et continuabilis cum alio indivisibili, si ei applicaretur non contiguabilis.

Ad secundam probationem dicitur, plures etiam concedere indivisibilia in intensione qualitatis, de quo dicemus in libris de generatione. Quidquid tamen sit, dicimus cum Conimbricenses hic q. I ad 3: ad primum esse disparem rationem, quia in partibus qualitatis, ut qualitas est, non requiritur situatio, et impenetratio, imo in eadem parte et in eodem puncto fieri potest intensio, in partibus autem quantitatis requiritur impenetratio, ita quod partes se totis non uniantur; sed situatione extremitatum, et indivisibilium, ut una pars sit extra aliam. De substantia vero dicemus dub. V, non habere indivisibilia sine quantitate, ut etiam diximus in Logica q. XVI.

Ad tertiam probationem dicitur, quod partes corporis Christi in Eucharistia etiam uniuntur indivisibilibus in ordine ad totum, quia partes illæ non sunt confusæ, et se totis unitæ, et sic quantum est ex se petunt non penetrari cum alia quantitate, etiam quoad locum, sed hic effectus secundarius impeditur in illis partibus, quia non situantur in loco modo quantitativo, sed modo indivisibili substantiæ. Quomodo autem recipiantur indivisibilia in substantia, si illa indivisibilibus caret, dicemus dubio quinto, eadem enim ratio est, ac de partibus, nec enim est necesse, quod in substantia sint partes, et indivisibilia actu, et formaliter, sed solum virtualiter, et secundum capacitatem.

Tertia difficultas.

Tertio inquiritur, utrum ista indivisibilia sint actu in continuo vel in potentia. Tres sunt sententiæ. Quidam omnino negant, tam continua quam terminativa esse in actu. Contra quos egimus dubio primo. Alii terminativa ponunt in potentia, continuativa vero in actu. Alii e contra terminativa ponunt in actu, et continuativa in potentia, de quo Fonseca V Metaphys. cap. XVI, q. VI, qui solum concedit superficiem externam, physice et actu dari, lineas vero et puncta solum mathematice intra ipsum corpus, et de partibus proportionalibus: eadem est difficultas, an dentur actu in continuo, non enim desunt qui id negant.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

Nihilominus resolutio est, dari actu in continuo indivisibilia, tam terminativa, quam continuativa, hæc enim solum differunt penes munus, et officium, continuativa enim sunt finis unius partis, et principium alterius, terminativa autem solum sunt finis, vel solum principium. Similiter etiam partes proportionales dantur actu quantum ad suam realitatem, secundum quam non distinguuntur physice ab aliquotis.

Prima pars conclusionis sumitur ex D. Thoma opusc. XXXVI, c. II, ut supra retulimus, ubi dicit quod in linea sunt plures puncti, et realiter ad invicem divisi, et similiter in ejus continuatione, et in hoc libro, lect. V, in fine generaliter docet: « Quod omnis linea est media inter duo puncta, » sicut ergo datur linea in actu, ita et puncta. Videri etiam potest XXVIII de Verităt. art. II ad 10. Ratio sumitur ex supra dictis, quia continuum, et contiguum datur in re, actu, et physice, sed continuum est cujus partes unico termino, seu indivisibili copulantur, contigua autem, quorum extrema seu indivisibilia sunt simul, ita quod duo indivisibilia se tangunt, ergo sicut datur actualis copulatio partium continui, et actualis contactus continui, ita etiam dantur actualiter indivisibilia. Similiter partes manent actu impenetratæ, quod habent beneficio indivisibilium, quibus uniuntur; ergo talia indivisibilia sunt in actu.

Secunda vero pars de partibus proportionalibus constat, quia partes proportionales sunt inclusæ in aliquotis, nec ad illas faciunt additionem, sed solum explicant modum indivisibilitatis earum, quia divisibilitas exhauriri non potest per divisionem, et solvi in indivisibilia, ut sequenti articulo dicemus. Itaque illa est pars aliquota, et designata, in qua est dare primum et ultimum, partes autem proportionales in quibus non est invenire primum, et ultimum, quod amplius non sit divisibile. Constat autem, quod in eadem parte in qua assignamus primum, et ultimum secundum terminationem, non est assignare primum, et ultimum secundum divisionem, et sic ad eamdem entitatem partis pertinet esse aliquotam et includere in se partes proportionales ratione divisionis, et sic sunt ipsæmet partes aliquotæ in quantum inexhauribiles per divisionem, taliter quod solvantur in partes non amplius divisibiles, licet per divisionem designatam, et aliquotam, id est, in alias partes etiam divisibiles finiatur quodcunque divisibile.

Sed objicies, quia D. Thomas sæpius assignat istas partes, et indivisibilia in potentia, non in actu; ut patet in I Phys. lect. IX, ubi inquit: « Quod quantitas totius consurgit ex partibus, sed hoc intelligendum est de partibus existentibus actu in toto, sicut caro, nervus, et os existunt in animali, et per hoc excluduntur partes totius continui, quæ sunt in potentia ipsa. » Et in IV, dist. X, q. I, art. II, q. III ad I, dicit: « Quod partes alicujus homogenei continui ante divisionem non habent esse actu, sed potentia tantum. » Et hac ratione in partibus hostiæ, non dicitur poni Christus infinities, quia non sunt infinitæ partes in actu, sed in potentia, ut videri potest III part. q. LXXVI, art. III ad I, et in IV, dist. XII, q. I, art. II, quæstiunc. III. Respondetur D. Thomam non loqui de partibus quantum ad entitatem, sed quantum ad numerum, sic enim sunt in potentia plures, quia non sunt actu divisæ; ut clare deducitur ex ipsis verbis S. Thomæ loco illo allegato ex IV Sent. concludit enim: « Unde in actu non est accipere ipsarum partium numerum, sed potentia tantum: » Et eodem modo loquitur in VII Metaphys. lect. III, quando dicit: « Quod duo dimidia in una linea sunt in potentia tantum, » quia scilicet non sunt divisa, et consequenter neque plura in actu, et quando I par. q. LXXXV, art. VIII ad 2, dicit: « Quod in linea infinita, et circulari non est punctum, nisi in potentia, » loquitur de puncto ut terminante.

Dices secundo: Quando dividitur quantitas resultat nova superficies, et in linea novum punctum, ergo illud antea erat in potentia, alias non resultaret de novo. Item illa puncta, et partes proportionales non habent propriam unitatem, sed unitatem totius, alias essent divisa; ergo neque realitatem, hæc enim unitatem sequitur. Item omnes partes, in quas dividi potest continuum actu ibi sunt, nec enim per divisionem crescunt; et continuum dividi potest in infinitum, ergo actu sunt infinitæ: et cum successive percurrantur a motu omnes illæ, in quas potest dividi, motus erit infinitus, et sic impertransibilis.

Ad primam instantiam respondetur, quod in divisione quantitatis aliquando resultat nova superficies simpliciter in termino divisionis, aliquando non simpliciter resultat, sed illud quod erat continuativum, redditur terminativum per hoc solum, quod partes quæ immediate post illud indivisibile sequebantur, ab illo separentur, sed quia immediate post indivisibile non sequitur aliud in continuo, sed pars, ideo si divisio fiat in parte, et non in ipso indivisibili, necesse est quod resultet novum indivisibile in actu, quod antea non poterat esse nisi in potentia. Ad secundam dicitur, quod illæ partes, et illa indivisibilia habent unitatem partialiter, et communicantem in unitate continui, non absolute distinctam, et eo modo etiam habent unitatem partialem. Ad tertiam respondebitur articulo sequenti.

ARTICULUS II.

Utrum indivisibilia et partes proportionales sint actu infinitæ in continuo?

Multi affirmant, sed tamen quia istæ partes sunt se communicantes, non afficiunt actu et categorematice infinitum. Ita ex P. Suarez disp. XL Metaphy. sect. V, Rubio et aliis. Docet Cabero hic disp. I, dub. II, et alii, et est communior sententia, solum agnoscunt infinitas partes, et indivisibilia in potentia.

Procedit autem ista quæstio inter duas difficultates; nam ex una parte videtur concedendum esse infinitum in actu. Si vero hoc effugimus, inciditur in aliud inconveniens, quia divisibile ultimate per divisionem finietur, et terminabitur. Utrumque probatur, nam partes omnes in quas potest dividi continuum actu sunt in illo, et simpliciter omnia indivisibilia quæ actu uniunt istas partes, vel ergo quælibet pars dividi potest in aliam atque aliam distinctam vel non potest, ita quod sit devenire ad aliquam, quæ ulterius divisibilis non est. Si hoc secundum dicatur, erunt quidem partes finitæ, sed tamen divisibile exhaurietur per divisionem. Si vero dicatur primum, necessario debent esse partes actu infinitæ, et non solum in potentia, quia cum in infinitum divisibilis sit illa quantitas, ut contentæ in continuo, infinitæ actu esse debent, quia quantum est divisibile in ea quæ insunt, ergo omnes illæ in quas potest dividi quantum in infinitum, actu insunt in illo. Nec potest dici, quod sunt partes se communicantes, quæ non faciunt infinitum simpliciter. Nam

contra est, quia etiam sine ulla communicatione partium, et separando quamcunque medietatem ab alia, et non repetendo easdem partes, quælibet est divisibilis in alias distincta, alioquin si per repetitionem, et communicationem partium diceretur dividi in infinitum, non est in infinitum divisibile, sed repetibile.

Item si solum dantur partes infinitæ in potentia, finitæ autem in actu; ergo etiam erunt indivisibilia finita in actu, et sic solum partes finitæ afficientur indivisibilibus, et actu manebunt impenetratæ; reliquæ vero quæ in infinitum dividi possunt, penetratæ manebunt, et non potest assignari, quibus competat habere indivisibilia et quibus non, imo oportet assignare quomodo punctum afficiat partem, quia cum quælibet pars sit divisibilis, non potest designari, quod aliquid illius afficiatur puncto, quin prius medietas illius afficiatur, et quælibet alia medietas in infinitum prius, et antecedenter afficiebatur.

Nihilominus in sententia D. Thomæ partes in continuo non sunt actu infinitæ quoad numerum, neque etiam indivisibilia, ut ex locis allegatis in præcedenti difficultate constat. Et ratio est, quia si intelliguntur partes actu infinitæ, ita quod quælibet seorsum ab alia faciat additionem, vel diminutionem, sine dubio erit infinita quantitas in actu, quia quodcunque divisibile quantumvis minimum, quod talis est naturæ, quod potest superaddi ad alterum, et extensionem facere cum illo, si multiplicetur actu in infinitum in ipso continuo, faciet continuum infinitum; si vero pars superaddita alteri non extendit, nec facit majus, hoc ipso solum est pars in potentia, et communicans cum altera, non distinctam extensionem ponens in actu.

Quare divisio in infinitum, in quocunque continuo non intelligenda est collective, sed divise, ita quod nulla pars in particulari signari, et determinari potest, quæ divisibilis non fit in alias partes. Et quantum ad hoc optime dicitur, quod nulla divisione potest exhauriri divisibile, quia condivisione ipsa designatur pars quæ dividitur, hoc ipso non potest aliqua pars dividi, nisi in partes divisibiles. At vero collective non potest dividi in partes infinitas, ita quod unam post aliam dividendo actu fiat divisio infinita, sed si plures divisiones fiant, exhaurietur quidem divisum, sed penes partes aliquotas divisionibus finitis; partes vero proportionales solum habent posse in infinitum dividi, et nulla divisione exhauriri, si quælibet sumatur divisive; et in particulari quantumcunque minima sit, et hoc loquendo quantum est ex natura quantitatis, et modo mathematico, nam ratione subjecti non valentis infra quamcunque divisionem quantitatis salvari, non poterit fieri talis divisio, nisi destructo subjecto, ut etiam notat S. Thomas hoc libro, lectione tertia.

Et hinc intelligitur quomodo partes illæ proportionales dicantur communicantes inter se, non quia penetrentur, cum hoc sit impossibile, penetratis enim partibus proportionalibus, quam extensionem haberent aliquotæ, quæ non distinguuntur ab illis, nec ex eo quod communicant ipsi toti. Hoc enim non sufficit, quia etiam partes aliquotæ communicant toti, imo etiam partes physicæ ut materia et forma, nec tamen inter se sunt communicantes, sed una extra aliam. Dicuntur ergo communicantes quantum ad ipsum modum, designationem divisionis, quia in toto continuo quælibet pars dividitur in sibi immediatas, et si hæc immediata dividerentur etiam in partes sibi immediatas, tunc erit pars illius ea, quæ ante dividebatur in illam, et sic sunt communicantes non in extensione et in additione materiæ, sed in modo exercendi divisionem et designandi, partes vero secundum extensionem in actu semper sunt finitæ, siquidem secundum eam crescunt, vel decrescunt; sed sub ista finita extensione continetur infinita divisibilitas syncategorematice, et ex parte modi faciendi divisionem. Et hoc oportet bene discernere, quia in eo cum magna confusione Auctores loquuntur, et vix invenitur qui ad plenum satisfaciat; optime autem intelligitur dicendo, quod partes proportionales non important distinctam extensionem, et additionem materialem ad aliquotas, sed diversum modum designandi divisibilitatem partium, et pars quæ servit uni, servit alii, ideoque communicantes dicuntur ut infinitæ in potentia designationis, non in actu extensionis. Ex quibus patet ad rationes dubitandi.

Ad primum respondetur, quod partes proportionales non possunt dividi in partes distinctas, et non se communicantes in infinitum, sed solum in partes se communicantes ut explicatum est, quod est divisive esse in infinitum divisibiles, non collective, licet unaquæque seorsum et divisive sumpta divisibilis sit in partes distinctas, et in ea quæ insunt, et de facto sunt in ipso continuo, ut in partes aliquotas. Hæc tamen quæ de facto sunt in ipso continuo, non sunt actu infinita, nisi secundum repetitionem, et communicationem earumdem partium, quod est esse infinita in potentia, et syncategorematice. Quod si solveretur continuum in omnem sui partem, ita quod neutra alteri communicaret, sequerentur duo contradictoria, et quod essent infinitæ et indivisibiles, quia ulterius dividi non possunt, et quod essent finitæ, et divisibiles, quia partes sunt continui finiti. Unde, quando dicitur accipienti unam partem semper restat alia, ergo sunt infinitæ in actu, distinguo antecedens. Restat alia quæ sit aliquota et novam extensionem addat ad præcedentem nego, acceptio enim partium aliquotarum tandem finitur; restat alia proportionalis, et communicans ad invicem cum præcedente, ita quod in ipsa designatione quomodocunque accipiatur, semper in infinitum divisive possit alia sumi, transeat; sed hæc acceptio non est partis actu separatæ ab alia, et addens distinctam extensionem in infinitum, sed est pars communicans cum alia, ut explicatum est.

Ad secundum respondetur, non dari infinita indivisibilia actu, sed potentia in continuo quæ est expresse sententia Aristotelis qui cum hoc libro VI, text. LXXVII, solvens rationem Zenonis, quod infinita media, quæ sunt in continuo, non possunt pertransiri tempore finito, respondit, etiam tempus eamdem infinitatem habere quam continuum: postea vero in libro VIII, text. LXVIII, hanc solutionem revocat, quæ solum erat ad hominem; et dicit, quod si quæratur de ipso tempore quomodo sit infinitum, dicendum est; quod solum habet infinitatem in potentia, finitatem vero in actu. Et idem docet S. Thomas VI Physic. lect. XI: « Quod mobile non utitur infinitis, quæ sunt in magnitudine quasi actu existentibus, sed quasi in potentia. » Quomodo autem intelligi possit quod solum sunt indivisibilia finita in partibus continui divisibilibus in infinitum, respondetur, quod unum indivisibile afficiens unam partem formaliter, afficit plures inadæquate et virtualiter quod de indivisibili terminativo satis constat, quia om-

nes partes unius lineæ uno puncto terminatæ redduntur, de continuativo etiam patet, quia post unum punctum immediate sequitur pars, quæ utique non potest tota formaliter tangi a puncto adæquate sed inadæquate, cum indivisibile non possit adæquari divisibili, virtualiter autem adæquat totam, quia reddit illam impenetratam et coordinatam alteri penes extremitates. Quantum autem unius partis possit afficere unum punctum nescimus, sufficit enim dicere, quod unum punctum non sequitur immediate post aliud, sed pars, et illud quod immediate post sequitur, afficitur ab indivisibili, ne penetretur cum alia parte, et sufficit illi parti unum indivisibile. Unde si pars illa dividatur inter punctum et punctum, resultabit novum indivisibile terminans actu, quod signum est ibi fuisse in potentia tantum.

Ex quo respondetur ad id, quod ultimo in argumento insinuatur, scilicet quomodo possit indivisibile afficere partem, quia quacunque parte data, alia medietas est prior, qua afficiatur indivisibile. Sed respondetur, quod indivisibile non potest afficere adæquate, et totaliter partem, licet inadæquate afficiat, et virtualiter totam. Et hoc ideo, quia punctum est initium partis, aut terminus, principium autem rei non afficit totam adæquate, et totaliter, alias esset totum, sed afficit totam inchoando illam, et hoc est afficere inadæquate, et non totaliter.

Quid de indivisibilibus substantiæ?

Multi recentiores communiter tribuunt substantiæ, et partes ordinatas, et indivisibilia a quantitate distincta. Et fundamentum præcipuum est, quia in substantia dantur partes ante quantitatem coordinatæ, substantia enim corporea, secundum se partes habet, ergo et indivisibilia, quibus partes coordinentur. Et sicut in substantia dantur partes, quia correspondere debent partibus quantitatis, ita et indivisibilia, quibus correspondeant indivisibilia quantitatis. Ex quo sumitur secundum fundamentum, quia indivisibile quantitatis non subsistit sed inhæret, et non in partibus, quia divisibiles sunt et improportionatæ indivisibilibus; ergo in indivisibili substantiæ, ergo substantia habet indivisibilia, ut correspondeant indivisibilibus quantitatis, quæ recipit.

Nihilominus oppositum omnino certum solidumque existimo, nam destruitur tota ratio, et essentia quantitatis si ponuntur in substantia partes formaliter ordinatæ per indivisibilia, ut in Logica tractavimus, quæst. xvi. Et sicut in substantia solum admittimus partes radicaliter, et secundum capacitatem, ita et indivisibilia. Ratio hujus est, quia si substantia habet indivisibilia, quibus formaliter uniantur partes, et ordinet eas, necessario debemus fateri in substantia ante quantitatem dari sufficiens principium impenetrationis, tam quoad se, quam quoad locum; et sic extensio quantitativa nihil omnino addit super extensionem substantiæ entitativam, nec ab ea differt siquidem si substantia habet partes extra partes extensas in ordine ad totum, quia ordinatæ uniuntur in ipso, et in ordine ad locum, quia habet sufficiens principium impenetrationis, ratione cujus extenditur in ordine ad locum, non habet quantitas aliquid amplius tribuere, quia omnis extensio etiam quantitativa exhauritur extensione quoad totum, et quoad locum, nec amplius potest præbere quantitas, quam principium impenetrationis, remota enim quantitate, substantia penetrationi non resistit, imo quantitas modo substantiæ posita, ut in corpore Christi in Eucharistia penetratur cum quantitate panis.

Quod ergo hoc sequatur, si substantia habet indivisibilia, quibus ejus partes uniantur et coordinentur, inde constat, quia illæ partes uniuntur indivisibilibus, quæ non se totis uniuntur, sed solum penes extremitates, si enim se totis unirentur, non indivisibilibus unirentur, sed una pars divisibilis alteri divisibili conjungeretur, non penes extremitatem aliquam, sed penes ipsam divisibilitatem, atque adeo una pars intraret aliam, quod nihil aliud est quam penetrari, id est, intra divisibilitatem alterius constitui. Ergo quæ uniuntur non se totis, sed penes extremitates et indivisibilia, hoc ipso habent principium resistendi penetrationi, quia principium resistendi penetrationi est principium uniendi unam partem alteri penes extremitatem seu indivisibile, ratione cujus una pars non intrat in aliam, sed sola extremitate unitur illi. Ergo si substantia habet indivisibilia unitiva partium, habet principium resistendi penetrationi, qua una pars intrat in aliam, et unitur illi non per solam extremitatem.

Dices: Substantiam solum ordinare partes, et extendere erga totum, non erga locum, neque erga alia corpora, sicut facit quantitas, sed penetrari posse ab aliis eo modo quo ipsum corpus Christi in Eucharistia non habet modum impenetrationis erga locum, licet habeat erga totum: id ergo quod miraculose habet quantitas corporis Christi, habet connaturaliter substantia remota quantitate, scilicet quod resistat penetrationi in ordine ad alia corpora, non in ordine ad proprias partes. Sed contra est. Primo, quia essentia quantitatis non consistit in hoc, quod est actu resistere penetrationi, potest enim una quantitas etiam localiter circumscripta actu penetrari cum alia quantitate, ut supra libro quarto ostendimus, sed consistit in eo, quod habeat principium, et potentiam, quæ petat resistere penetrationi quantum est ex se, licet actualis penetratio tanquam secundarius effectus quantitatis possit impediri a Deo: si ergo substantia partes unire impenetrative in ordine ad se, ex vi talis modi petit, et habet sufficiens principium, quo reddatur impenetrata loco seu corpori contiguo, quia non stat quod illud indivisibile quod sufficit reddere unam partem impenetratam alteri parti continuæ, non sufficiat reddere impenetratam alteri corpori contiguo, si ibi apponeretur, ergo habet principium sufficiens, et petens impenetrationem cum altero, quod est habere totum effectum quantitatis. Deinde, quia si substantia habet indivisibilia continuativa, ut recipiat indivisibilia quantitatis, etiam habebit indivisibilia terminativa, ut recipiat indivisibilia terminativa quantitatis, ergo ratione illius indivisibilis terminantis tanget alterum corpus seu substantiam mediante illo indivisibili tanquam aliquid contiguum, et non continuum, ea enim se tangunt contigue, quorum extrema seu indivisibilia sunt simul, ergo non minus habet principium resistendi penetrationi aliorum corporum penes indivisibile terminans, quam resistendi penetrationi partium continuarum penes indivisibile continuans.

Ad primum fundamentum oppositum respondetur non præhaberi in substantia in partes, et indivisibilia formaliter, formalitate coordinationis, et extensionis sed capacitate substantiæ, quæ solum radicaliter habet partes, et indivisibilia, non formaliter, id est, habet capacitatem recipiendi indivisibilia, et ordinationem formalem partium per quantitatem, quod non habet Ange-

lus, ut in quæstionem XVI Logicæ diximus.

Ad secundum respondetur, indivisibilia non subsistere, sed recipi in substantia, non tamen in indivisibili substantiæ formali, sed in radicali, id est, in entitate capaci indivisibilium. Imo ut bene advertunt Conimbricenses, quæst. I, art. III ad sextum, indivisibilia non sunt in subjecto adæquate quasi eis correspondeant indivisibilia distincta in subjecto, sed inadæquate hoc est, sunt in substantia ratione quantitatis, quæ sine superficie, et linea et punctis non coalescit, et mediante tali quantitate substantia recipit indivisibilia; qui autem ponunt indivisibilia in substantia, non facile se expediunt, quomodo sint ista indivisibilia in forma, et in materia, et si sunt distincta indivisibilia, quomodo se conjungant. Quod si sunt in sola materia, quomodo ergo per indivisibilia materiæ partes formæ extenduntur?

Si dicas : Quomodo ergo corpus Christi totum est in puncto, si substantia panis puncta non habet, respondetur corpus Christi correspondere puncto specierum panis, quod est punctum formale, et quantitativum : converti autem substantiam panis, etiam quantum ad punctum in corpus Christi non quantum ad punctum formale substantiæ, sed radicale, id est, illa entitas panis, quæ de se est capax recipiendi quantitatem cum puncto.

ARTICULUS III.

Utrum continuum componatur ex solis indivisibilibus?

Sensus quæstionis est, an continuum ita constat ex partibus, quod si illæ dividantur, possint pervenire ad aliquam quæ ulterius divisibilis non fit, et ita si dividantur omnes indivisibiles maneant. Unde si constat solum ex illis, solum constabit ex indivisilibus.

Sententia Aristotelis in hoc sexto libro, cap. I est contra Zenonem, et alios antiquos, continuum non constare ex solis indivisilibus, quod etiam tradit D. Augustinus XI de Trin. cap. X, et libro de quantitate animæ, cap. LI, in fine ; D. Thomas expresse in præsenti libro, lect. I, et in tantum in Philosophia invaluit hæc sententia quod Concilium Constantiense session. XV, inter errores Joannis Hus posuit tanquam errorem in Philosophia, quod dixerit lineam componi ex punctis immediatis, aut simpliciter finitis. Et tamen non desunt aliqui recentiores qui Zenonis opinionem suscitavérint, sentiendo contra Aristotelem continuum solis indivisibilibus componi.

Rationes quibus Philosophus probat suam sententiam physicæ sunt, quibus alii addunt rationes ex Mathematica petitas; præcipuæ ergo rationes philosophicæ ex duobus principiis pendent. Primum est, quod indivisibile additum alteri indivisibili, licet multiplicet numerum, quod est facere quantitatem discretam, non tamen facit majus et extensius, quod est constituere quantitatem continuam. Secundum est, quod unum indivisibile unitum alteri se toto illi conjungitur, et eumdem locum occupare potest, unde si tota quantitas constaret ex indivisilibus, tota esset in eodem loco, et non extensa in illo, imo nullæ darentur partes in quantitate, quia indivisibilia, solum sunt extremitates partium, non partes ipsæ.

Primum principium ex eo constat, quia indivisibile caret omni extensione, et omni principio constituente divisibilitatem, cum in se nullam habeat, sed solum rationem termini

quo partes terminantur, vel continuantur; ergo conjunctio plurium indivisibilium non potest constituere totum, quod constat partibus divisibilibus; neque enim indivisibilia ex eo quod conjungantur, aliquam positionem partium inducunt, cum ipsa in se nihil partis habeant, sed carentiam partium; ergo plura indivisibilia sunt plures carentiæ partium.

Dices : Esse formaliter indivisibilia, et ut quod tamen virtualiter, et ut quo dant divisibilitatem, quatenus unum conjungitur alteri, sicut unitas, licet sit indivisibilis in genere numeri, tamen conjuncta alteri facit numerum, seu extensionem discretam, et instans adjunctum parti præteritæ facit durationem majorem.

Sed contra est, quia unum punctum respectu alterius non se habet ut forma divisibilitatis, sed ut materia, quia in illa indivisibilia dividitur totum, ergo non se habet ut principium quo divisibilitatis; neque enim est forma, qua redditur divisibilis, sed id in quod dividitur ipsum totum. Et sicut una substantia spiritualis posita juxta aliam non facit extensionem, quia neutra in se extensionem habet, ita nec punctum ex eo quod ponatur juxta aliud, faciet extensum, quia utrumque caret extensione. Denique punctum, quod immediate sequitur post aliud, non extrahit illud a negatione divisibilitatis, ergo quod consequenter se habeat, nihil ad divisibilitatem confert, siquidem ipsa consecutio non potest facere extensionem, nisi juxta materiam in qua est, ut in rebus spiritualibus consequenter se habentibus extensio non datur; consecutio enim non est aliud quam relatio, seu ordo unius post aliud; relatio autem formaliter non potest facere extensum, ergo si ipsa materia extensionis sunt sola indivisibilia, quæ in se carentiam habent extensionis, ex eo præcise, quod unum consequenter se habet post aliud, non constituet extensionem, sed solum ordinem consecutionis. Et in hoc est lata differentia inter unitatem respectu numeri, et punctum respectu extensionis, quia unitas facit numerum segregando, et dividendo ab alio, quæ est extensio discreta, punctum autem, seu indivisibile componendo, et conjungendo. Est autem contra rationem indivisibilis extendere divisibiliter, non autem segregare, et dividere, vel segregari ab alio et consequenter numerum vel multitudinem facere. Similiter, instans vel indivisibile additum parti, non facit majorem durationem, sed addit terminationem illius, et sic instans non importat majorem durationem supra durationem præteritam, sed complementum terminans ipsam durationem.

Secundum principium ex eo deducitur, quia punctum caret partibus, ergo non potest tangere alterum punctum secundum aliquid sui, et non secundum aliud, secundum extremitatem, et non secundum medietatem, quia totum quod est in puncto, est extremitas, et sic vel tangit totum, vel nihil, si ergo indivisibile tangit aliud se toto, penetratur cum illo, et manet intra eumdem locum, ergo quantumcunque superaddantur indivisibilia, non extendunt quantitatem, quia occupant eumdem locum, et sic unum non ponitur extra aliud, neque ex sua natura id petit, atque adeo non extenditur.

Dices : Indivisibile positum juxta alterum, non tangit illud se toto, nec penetratur cum illo; potius indivisibile resistit penetrationi, et facit ut duo corpora secundum extrema se tangant, et non penetrentur, ergo non totis se tangunt, nec

ponuntur in eodem loco, et hoc constat, tum puncto terminativo, quia contiguatur cum alio terminativo alterius lineæ, et sic non est in eodem loco, alioquin penetrarentur duæ extremitates lineæ, vel duæ superficies corporum, ergo sunt in diversis locis etiamsi sint indivisibilia, consequenter se habentia; tum etiam in indivisibili continuativo, quia punctum inhæret alicui parti, et tamen non penetratur cum illa, sed alteri unit, ergo a forliori non penetrabitur cum altero puncto, si immediatum illi esset.

Sed contra est, quia indivisibile resistit penetrationi partium, quia est earum extremitas, et sic facit quod partes penes extremitatem se tangant, et non secundum se totas. At vero punctum sine partibus sumptum non tangit ut extremitas alterius, cujus aliæ partes non tangunt; sed totum quod in puncto est, extremitas est. Si autem punctum inhæret parti, et pars mediante illa tangit, vel unitur alteri, hoc ipso non se tota unitur illi, sed per aliquid sui non divisibile, sed indivisibile, et sic non penetratur. Unde ad primam instantiam dicitur quod duæ superficies quando se tangunt, sub eodem indivisibili loco continentur; ut expresse docet S. Thomas quæst. XXVIII de Verit. art. II ad 10. Itaque plura indivisibilia non requirunt distinctum locum, sed tanguntur se totis; quia idem est in illis tangi, et tangi se totis, cum careant partibus; faciunt tamen ne partes penetrentur, quia faciunt ne partes se totis tangantur, sed solum pones extremitates. Ad secundam instantiam dicitur, quod punctum continuativum inhæret parti inadæquate, scilicet toti parti, sed non totaliter, nec eam comprehendendo, et undique penetrando, cum sit illi improportionatum, utpote indivisibile cum divisibili, sed inhæret parti tanquam subjecto, ut principium ejus vel finis. Si vero punctum immediate uniatur alteri puncto, se toto unitur illi, cum sit adæquatum, nec sit in eo aliud tangere extremitate, et tangere se toto.

Plures rationes, quæ ex Mathematica deducuntur, omittimus in præsenti. Videri possunt apud Conimbricenses hic qu. II, art. II, et alios quos ipsi citant. Plures etiam dicemus in textu Aristotelis hujus libri.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur: Quia si continuum non componitur ex indivisibilibus, sed ex partibus, vel illæ sunt semper divisibiles in alias, vel devenitur ad aliquam, quæ ulterius divisibilis non sit. Si hoc secundum, habemus intentum, si primum, sequitur in quolibet continuo dari infinitas partes, et infinitum in actu, quia quamlibet partem accipiendo, semper alia restat accipienda, nec sufficit dicere, quod illæ partes sunt proportionales, et se communicantes, nam quæcunque pars divisibilis habet actu partes illas, in quas dividi potest, et cum illæ sunt divisibiles, aliquid addunt ad præcedentes, et constituunt majus, seu extensius, alioquin si non constitueret majus, esset indivisibile, ergo cum in quolibet continuo semper restet accipienda pars, quæ per additionem sui faciat majus, utique est pars non communicans. Item cum mobile successive transeat partes spatii, si illæ partes sunt infinitæ, quacunque signata prius aliam attigit, et prius aliam, ergo nunquam incœpit motus, quia nunquam est signare unde incœpit: nec similiter poterit pertransiri aliquod spatium finito tempore, quia sunt infinitæ partes pertranseundæ, et

quacumque transacta restant aliæ pertranseundæ. Ac denique positis partibus infinitis, etiam indivisibilia erunt infinita, et singulis indivisibilibus potest creari unus Angelus, ergo in fine eorum dabitur infinitum actu.

Confirmatur, quia Deus potest dividere omnes partes continui actu, quia omnes divisibiles sunt, ergo ab aliqua potentia dividi possunt, sive divisive, sive collective: facta autem hac totali divisione, non possunt amplius dividi, ergo remanent indivisibiles, ergo continuum componitur ex indivisibilibus.

Respondetur, solutione data, quod quælibet pars est divisibilis, hoc ipso quod est pars, sed dicuntur omnes partes continui esse divisibiles in partes communicantes, quia pars quæ servit divisioni unius, potest etiam servire divisioni suæ partis immediatæ, ut articulo præcedenti explicavimus. Unde ad replicam dicitur, quod quælibet pars seorsum sumpta, et secundum se facit additionem, et extensionem ad aliam præcedentem, etiam designate sumptam, et quæcunque restat dividenda, hoc ipso quod accipiatur et designetur cum partibus sumitur, in quas dividi potest, sed tamen istæ partes inclusæ in ipso toto quod dividitur, non faciunt majus respectu talis totius, quia in illo sunt inclusæ, sicut quod unus aureus valeat decem argenteos, non addit valorem distinctum super ipsum aureum, sed in eo includuntur, eique communicant. Similiter partes quæ in hoc continuo serviunt ad divisionem unius partis, et includuntur in ipso toto, et possunt servire pro divisione partis immediatæ, et hoc est ad invicem esse communicantes, atque ita omnes partes servant semper divisibilitatem, nec tamen addunt infinitatem, quia ut essent infinitæ per additionem, requirebatur quod adderent divisibilitatem ex nulla parte se communicantem divisibilitati aliarum partium, ut autem sint infinitæ divisione, sufficit quod quæcunque secundum se, et divisive sumpta sit divisibilis in partes, et actu habeat illas, in quas dividitur, sed cum communicatione, et conjunctione ad alias partes, in quas etiam dividitur pars immediata, et servit una pars (si vere existit) pro diversis, ideoque hæc infinitas non est actu, sed potentia.

Ad secundam replicam dicitur, quod mobile pertransit infinitas partes se communicantes, et syncategorematice infinitas, quas Philosophus in VIII Physicor. dicit esse infinitas in potentia, quæ infinitas, ut supra explicavimus, consistit in hoc, quod quæcunque signatur semper divisibilis est, et nunquam signari potest aliqua, quæ non sit divisibilis, quantumcunque in infinitum signetur, ut dividatur. Et verum est, quod non potest signari prima pars, unde incipit motus intrinsece, sed potest signari unde incipiat extrinsece, quia immediate post aliquod instans incipit, ut dicemus sequenti quæstione.

Ad tertiam replicam dicitur, quod in quolibet instanti designato potest creari Angelus, quia hoc ipso quod creatur, designatur instans, sicut designatur res producta, dicendo nunc est Angelus. Instantia autem designata non sunt infinita, nec in una hora, nec in toto tempore, cum includantur sub terminis finitis, sed designatio eorum dicitur infinita syncategorematice, quia non potest signari aliquod instans in aliqua parte temporis, quia in aliqua alia minori signari etiam posset. Ex hoc tamen in fine horæ non dantur actu infinita instantia actu, sed designabilitas eorum est infinita syncategorematice.

Ad confirmationem respondetur, quod implicat per viam divisionis omnes partes continui actu solvi, quia per divisionem ita dividitur pars, quod semper dividitur in partes, et consequenter quælibet manet semper divisibilis, et hoc modo dicuntur omnes esse divisibiles, non quia omnes simul dividi possint, sed omnes divisive, et seorsum, sicut omnes creaturæ dicuntur possibiles, non quia omnes collective, et simul creari possint (in probabiliori sententia) sed quia omnes divisive: unde non cognoscit Deus ultimam, quæ amplius dividi non possit, quia hoc non est dabile; posset tamen Deus solvere omnem partem continui, non per viam divisionis, sed destruendo omnia indivisibilia, quibus partes uniuntur; sed tunc partes illæ manebunt penetratæ, et non extensæ, sicque destruetur quantitas, non manebunt partes.

Secundo arguitur: Globus perfectus in plano perfecto tangit planum in puncto, ut demonstrat Euclides III lib. propos. XVI, asseriturque ab Aristotele I de Anima, cap. I, text. XIII, et III de Cœlo, text. LXIX, et constat, quia si in parte divisibili tangeret planum adæquaretur illi parti, et sic pro illa parte non esset perfecte sphæricum, sed talis globus in plano potest moveri motu continuo, ut si velocissime impellatur; ergo immediate post unum punctum tangit alterum; ergo in illo plano sunt plura puncta immediata, quæ tanguntur a globo. Confirmatur, quia secundum Mathematicos, si punctum moveretur, faceret lineam si linea superficiem; sed punctum motum non potest relinquere vestigium, nisi constans ex punctis, neque enim potest tangere nisi puncta; ergo linea componetur ex solis punctis.

Respondetur, illo argumento convinci Scotum ad asserendum, quod indivisibile separatum potest moveri successive, ut videri potest in II, dist. II, qu. IX, §. Ad argument. Nec tamen concedit continuum componi ex indivisibilibus, si immediate post unum punctum movetur ad aliud; dicunt enim Scotistæ (licet in hoc satis varient) non esse inconveniens quod punctum globi tangat partem inadæquate per modum motus, et fluxus, non vero permanenter in eo quiescendo, quia sic non potest quiescere, nisi in loco sibi adæquato, quod est indivisibile.

Cæterum hæc sententia manifeste enervat probationem Philosophi ut patet in hoc libro, capit. X, ubi id expresse improbat, et similiter capit. III et VIII, Physicorum, text. XL, ubi probat omne mobile esse corpus, quia est divisibile, nec enim Philosophus divisibilitatem posuit in motu, solum ratione spatii, sed etiam ratione mobilis; ergo quod non est corpus, nec divisibile, mobile non est; et videri potest S. Thomas in hoc libro, lect. V, in fine, ubi ostendit Philosophum loqui de divisibilitate mobilis in partes quantitativas, alias non recte probaret Philosophus quod mobile debet esse continuum, nisi esset divisibile, ergo indivisibile separatum non potest moveri motu continuo physico. Et præter hoc urget satis fundamentum adductum, quia si movetur continue, immediate post tangit aliud indivisibile, et sic erunt plura indivisibilia immediata in continuo. Dicere autem, quod potest tangere partem, in fluxu et motu, sed non quiescendo in illa, nihil est, quia etiam quando movetur, movetur in loco sibi adæquato, quia deserit unum locum, et acquirit alium, et omnis locus adæquatus debet esse locato, si vere locus est. Quod si potest moveri in loco sibi inadæquato, qualis est locus divisibilis, multo

melius in eo quiescet, quia quanto amplior est locus, tanto melius in eo quiescitur, si cesset impulsus, sicut in eo moveri potest. Adde quod indivisibile nihil expellit a loco, cum sit in extensum, ut ipsi Scotistæ concedunt, ergo non movetur loco, nisi penetretur cum eo, quod non expellit a loco.

Ad argumentum autem de globo super planum, quod est fundamentum Scoti, relictis variis solutionibus, mihi nullius videtur difficultatis. Dico quod globus ille non tangit planum continue, sed discrete, et tamen movetur continue. In quo magna contingit hallucinatio, quia existimatur, quod spatium, per quod movetur globus ex parte inferiori, est solum ipsum planum, quod tangit, cum tamen sic etiam ipsi aer, non solum qui a parte superiori circumdat globum, tanquam locus ejus, quem constat non esse planum, nec in puncto attingi a globo, sed per suas partes circumdari, verum etiam aer inferior, qui est inter punctum, quo tangitur planum a globo, et partes elevatiores ipsius globi, et per hunc aerem inferiorem movetur globus continue, licet ipsum planum tangat in puncto discrete, sicut quando animal elevando pedes, et deprimendo ambulat per terram, certum est quod pedes animalis non tangunt continue omnes partes terræ, sed discrete secundum elevationem pedum, et tamen movetur motu continuo per aerem, in quo pedes elevantur; ita ille globus non tangit partes plani, sed puncta contactu discreto, sed tangit aerem, qui est inter planum, et globum tactu, et motu continuo, et sic respectu plani se habet, ut motus modo progressivo, aut per saltum, quod tamen respectu aeris continue movetur. Unde etiam Angelus si se collocet in puncto, non se poterit movere motu continuo ad motum ipsius puncti, sed solum ratione suæ virtualis extensionis, qua divisibili spatio potest assistere.

Ad confirmationem respondetur, quod punctum secundum mathematicos, solum moventur motu imaginario, non reali ut per hoc explicetur longitudo lineæ sine latitudine, et sic motus puncti si daretur in re, faceret lineam quantum ad negationem, scilicet carentiam longitudinis et profunditatis, non quoad positionem partium.

Ultimo arguitur: Quia post primum punctum lineæ nullo alio puncto considerato, vel immediate post sequitur indivisibile, et sic habemus intentum, vel sequitur pars divisibilis, et sic illud quod immediate sequitur, sine punctis est divisibile, et continuum, quia ut suppono solum sumimus primum indivisibile, et illud quod sequitur immediate post; ergo eadem ratione reliquum omne, quod sequitur in continuo sine indivisibilibus continuari poterit. Confirmatur, quia secundum Philosophum I Topic. c. XIV, sic se habet indivisibile ad continuum, sicut unitas ad numerum, sed numerus componitur ex solis unitatibus, ergo continuum ex solis indivisibilibus.

Respondetur, quod si post primum punctum sumitur aliqua pars lineæ designata, et aliquota, non est dubium, quod in illa includantur plura puncta, sicut et plures partes continuatæ. Si vero consideretur pars non designata, sed id quod immediate sequitur post punctum, antequam aliud punctum sumi possit, dicimus quod illa entitas partis nondum est pars actu continuata, sed aliquid continuabile per modum partis mediante puncto sequenti, sine quo non datur actu continuatio, et sic non est simile de relicto continuo.

Ad confirmationem respondetur,

indivisibile comparari unitati non in omnibus, sed in eo quod unitas non est divisibilis discrete, sicut punctum non est divisibile continue et secundo, quia indivisibile est initium continui, sicut unitas numeri. Sed quia indivisibile pertinet ad continuum terminando, et continuando, non autem partes divisibiles præbendo, non potest continuum quod habet partes solis indivisibilibus constare, sicut numerus solis unitatibus, quia separatione et divisione non compositione constituitur numerus.

QUÆSTIO XXI.

DE INCŒPTIONE, ET DESITIONE RERUM.

Res quæ incipiunt et desinunt, solum reducuntur, vel ad permanentia, vel ad successiva, sub quibus continentur instantanea, et quæ tempore durant. De permanentibus agemus in hoc articulo, de successivis in sequenti.

ARTICULUS PRIMUS.

Explicantur regulæ incœptionis, et desitionis in permanentibus.

Cum incœptio significet initium durationis et desinitio finem, nihil aliud sunt termini incœptionis, et desinitionis quam instantia, sicut termini lineæ sunt puncta, et sic tota difficultas in incœptione, et desitione rerum consistit in designandis instantibus, quibus res initiatur, aut finitur. Ut autem diximus in quæstione octava, duo sunt modi incipiendi, et totidem desinendi, scilicet *intrinsece et extrinsece*; intrinsece dicitur aliquid incipere, quando in aliquo instanti habet existentiam, et immediate antea non habebat, et hoc vocatur *incipere per primum esse*. Extrinsece dicitur incipere, quando in aliquo instanti nondum habet esse, sed immediate post habebit, eo quod talis res incipit modo temporis divisibili, non modo instantis, et ita non potest signari ubi primo incipiat, et hoc vocatur *incipere per ultimum non esse*, id est, per instans ubi ultimo non est, et immediate post incipit esse. Ex parte desitionis terminus intrinsecus est, quando in aliquo instanti est verum dicere, nunc est, et immediate post non erit, et hoc est *desinere per ultimum esse*. Extrinsecus modus desinendi est, quando est verum dicere, nunc non est, et immediate antea erat, et vocatur *desinere per primum non esse*, eo quod non designatur ubi res ultimo fuit, sed ubi primo non est. Res autem spirituales licet nostro tempore et instantibus non mensurentur, quia tamen virtualiter illis coexistunt, et nostro modo intelliguntur, etiam ad mensuram nostrorum instantium eas regulamus.

Circa res ergo permanentes, sit prima regula: Substantiæ permanentes sive generatione, sive creatione instantanea fiant, incipiunt per primum esse, non obstante quod generationem præcedat alteratio, quæ est motus. Hæc conclusio intelligitur per se, et connaturaliter loquendo. Ratio est, quia istæ substantiæ fiunt actione indivisibili, ergo in instanti. Antecedens patet, quia non suscipiunt magis, et minus, in quantum substantiæ sunt, neque creatio est productio per partes, et per motum, cum sit totius entis productio ex nihilo, ergo instantanee producit. Quod si produceret per motum, ita quod esset verum dicere, nunc non est, immediate post hoc erit, vel immediate post incipiet totum vel pars: non totum, quia illa mensura est partibilis, et habet prius, et posterius, ergo prius est attingibilis pars quam totum, alias mensura attingendi non esset partibilis, ergo e contra, si non assignatur pars prior, et posterior, sed totum simul non incipit modo divisibili, sed indivisibili. Si autem immediate post non incipit totum sed pars, ergo illa actio non est factiva totius, nisi mediantibus partibus sicut motus, atque adeo non est per se primo productiva totius entis. De substantia vero quæ producitur per generationem, constat etiam produci in instanti; tum quia substantia non habet contrarium, cum non suspiciat magis et minus; tum quia terminus per se primo generationis est aliquod totum subsistens, non ut producitur per partes, sed ut totum est, ergo non respicit productionem modo divisibili, sed indivisibili, scilicet ut totum, et integrum, nec potest in quacunque parte minori, et minori produci, cum exigat determinatam quantitatem, ut producatur, ut diximus supra quæstione octava. Videatur D. Thomas quodlib. VII, art. IX, et in hoc libro, lectione septima.

Statim vero se offerebat argumentum de dispositione ultima, quæ fit per motum alterationis, et in illo instanti terminante motum est verum dicere, non est ultima dispositio, et in illo instanti adhuc non est verum dicere, nunc est forma genita, alias in illo instanti jam non esset forma corrupta, et consequenter ultima dispositio nunquam esset in subjecto corrumpendo, sed in generando, atque adeo non desineret forma corrupta ut vi dispositionis ultimæ, quidquid autem infra ultimam dispositionem est, compatibile est cum illa. Si ergo in illo instanti est dispositio ultima, et in illo nondum est forma genita, immediate post erit, atque adeo non incipiet in instanti intrinseco.

Hoc argumentum multa tangit quæ tractanda sunt in libris de Generat. Nunc sufficit dicere, quod ultima dispositio nunquam est nisi in subjecto generando, quia semper est conjuncta ipsi formæ genitæ, nec producitur a sola alteratione, sed ab ipsa generatione producente formam substantialem, quia ut conjuncta illi, et non seorsum producitur. Desinit autem forma corrupta ex vi ultimæ dispositionis, non quia in ipsa recipiatur, sed quia cum ipsa non compatitur, sicut etiam expellitur a forma substantiali, non simul existente cum forma corrupta, sed simul non compatiente, quidquid autem infra ultimam dispositionem est, compatitur cum forma corrupta, et in illa recipitur, sed cum advenit ultima dispositio, advenit etiam forma substantialis, ut illi conjuncta, et expellitur in genere dispositionis ab ultima dispositione, et a forma substantiali in genere causæ formalis: de hoc autem puncto in dicto loco plenius tractabitur.

Quod si inquiras, utrum possit per creationem produci aliquid non in instanti, sed in tempore de potentia absoluta, respondetur, plures id negare, ut Vazquez u tomo primæ partis, disp. CCXXIX, cap. X. Alii contra sentiunt, posse creare in tempore, de quo videri potest Cursus Carmelitanus hic disp. XXVI, quæst. IV; Fuente VI Phys. quæst. II, diffic. III, art. III, et alii. Veritas tamen est utramque sententiam quoad aliquid veram esse. Nam si intelligamus posse aliquod creari in tempore quantum ad mensuram intrinsecam creationis, vel rei productæ, hoc repugnat, quia illa entitas, et actio ab intrinseco habent incipere modo indivisibili. Si vero loquamur de successione extrinseca, id est, de mensura coexistente extrinsece tempore divisibili sic non repugnat

indivisibile comparari unitati non in omnibus, sed in eo quod unitas non est divisibilis discrete, sicut punctum non est divisibile continue et secundo, quia indivisibile est initium continui, sicut unitas numeri. Sed quia indivisibile pertinet ad continuum terminando, et continuando, non autem partes divisibiles præbendo, non potest continuum quod habet partes solis indivisibilibus constare, sicut numerus solis unitatibus, quia separatione et divisione non compositione constituitur numerus.

QUÆSTIO XXI.

DE INCŒPTIONE, ET DESITIONE RERUM.

Res quæ incipiunt et desinunt, solum reducuntur, vel ad permanentia, vel ad successiva, sub quibus continentur instantanea, et quæ tempore durant. De permanentibus agemus in hoc articulo, de successivis in sequenti.

ARTICULUS PRIMUS.

Explicantur regulæ incœptionis, et desitionis in permanentibus.

Cum incœptio significet initium durationis et desinitio finem, nihil aliud sunt termini incœptionis, et desinitionis quam instantia, sicut termini lineæ sunt puncta, et sic tota difficultas in incœptione, et desitione rerum consistit in designandis instantibus, quibus res initiatur, aut finitur. Ut autem diximus in quæstione octava, duo sunt modi incipiendi, et totidem desinendi, scilicet *intrinsece et extrinsece*; intrinsece dicitur aliquid incipere, quando in aliquo instanti habet existentiam, et immediate antea non habebat, et hoc vocatur *incipere per primum esse*. Extrinsece dicitur incipere, quando in aliquo instanti nondum habet esse, sed immediate post habebit, eo quod talis res incipit modo temporis divisibili, non modo instantis, et ita non potest signari ubi primo incipiat, et hoc vocatur *incipere per ultimum non esse*, id est, per instans ubi ultimo non est, et immediate post incipit esse. Ex parte desitionis terminus intrinsecus est, quando in aliquo instanti est verum dicere, nunc est, et immediate post non erit, et hoc est *desinere per ultimum esse*. Extrinsecus modus desinendi est, quando est verum dicere, nunc non est, et immediate antea erat, et vocatur *desinere per primum non esse*, eo quod non designatur ubi res ultimo fuit, sed ubi primo non est. Res autem spirituales licet nostro tempore et instantibus non mensurentur, quia tamen virtualiter illis coexistunt, et nostro modo intelliguntur, etiam ad mensuram nostrorum instantium eas regulamus.

Circa res ergo permanentes, sit prima regula: Substantiæ permanentes sive generatione, sive creatione instantanea fiant, incipiunt per primum esse, non obstante quod generationem præcedat alteratio, quæ est motus. Hæc conclusio intelligitur per se, et connaturaliter loquendo. Ratio est, quia istæ substantiæ fiunt actione indivisibili, ergo in instanti. Antecedens patet, quia non suscipiunt magis, et minus, in quantum substantiæ sunt, neque creatio est productio per partes, et per motum, cum sit totius entis productio ex nihilo, ergo instantanee producit. Quod si produceret per motum, ita quod esset verum dicere, nunc non est, immediate post hoc erit, vel immediate post incipiet totum vel pars: non totum, quia illa mensura est partibilis, et habet prius, et posterius, ergo prius est attingibilis pars quam totum, alias mensura attingendi non esset partibilis, ergo e contra, si non assignatur pars prior, et posterior, sed totum simul non incipit modo divisibili, sed indivisibili. Si autem immediate post non incipit totum sed pars, ergo illa actio non est factiva totius, nisi mediantibus partibus sicut motus, atque adeo non est per se primo productiva totius entis. De substantia vero quæ producitur per generationem, constat etiam produci in instanti; tum quia substantia non habet contrarium, cum non suspiciat magis et minus; tum quia terminus per se primo generationis est aliquod totum subsistens, non ut producitur per partes, sed ut totum est, ergo non respicit productionem modo divisibili, sed indivisibili, scilicet ut totum, et integrum, nec potest in quacunque parte minori, et minori produci, cum exigat determinatam quantitatem, ut producatur, ut diximus supra quæstione octava. Videatur D. Thomas quodlib. VII, art. IX, et in hoc libro, lectione septima.

Statim vero se offerebat argumentum de dispositione ultima, quæ fit per motum alterationis, et in illo instanti terminante motum est verum dicere, non est ultima dispositio, et in illo instanti adhuc non est verum dicere, nunc est forma genita, alias in illo instanti jam non esset forma corrupta, et consequenter ultima dispositio nunquam esset in subjecto corrumpendo, sed in generando, atque adeo non desineret forma corrupta ut vi dispositionis ultimæ, quidquid autem infra ultimam dispositionem est, compatibile est cum illa. Si ergo in illo instanti est dispositio ultima, et in illo nondum est forma genita, immediate post erit, atque adeo non incipiet in instanti intrinseco.

Hoc argumentum multa tangit quæ tractanda sunt in libris de Generat. Nunc sufficit dicere, quod ultima dispositio nunquam est nisi in subjecto generando, quia semper est conjuncta ipsi formæ genitæ, nec producitur a sola alteratione, sed ab ipsa generatione producente formam substantialem, quia ut conjuncta illi, et non seorsum producitur. Desinit autem forma corrupta ex vi ultimæ dispositionis, non quia in ipsa recipiatur, sed quia cum ipsa non compatitur, sicut etiam expellitur a forma substantiali, non simul existente cum forma corrupta, sed simul non compatiente, quidquid autem infra ultimam dispositionem est, compatitur cum forma corrupta, et in illa recipitur, sed cum advenit ultima dispositio, advenit etiam forma substantialis, ut illi conjuncta, et expellitur in genere dispositionis ab ultima dispositione, et a forma substantiali in genere causæ formalis: de hoc autem puncto in dicto loco plenius tractabitur.

Quod si inquiras, utrum possit per creationem produci aliquid non in instanti, sed in tempore de potentia absoluta, respondetur, plures id negare, ut Vazquez u tomo primæ partis, disp. CCXXIX, cap. X. Alii contra sentiunt, posse creare in tempore, de quo videri potest Cursus Carmelitanus hic disp. XXVI, quæst. IV; Fuente VI Phys. quæst. II, diffic. III, art. III, et alii. Veritas tamen est utramque sententiam quoad aliquid veram esse. Nam si intelligamus posse aliquod creari in tempore quantum ad mensuram intrinsecam creationis, vel rei productæ, hoc repugnat, quia illa entitas, et actio ab intrinseco habent incipere modo indivisibili. Si vero loquamur de successione extrinseca, id est, de mensura coexistente extrinsece tempore divisibili sic non repugnat

creari aliquid a Deo in instanti correspondente tempori nostro divisibili, sicut substantia indivisibilis Angeli coexistit spatio, et tempore divisibili, modo tamen indivisibili, ex parte sui. Sic ergo non repugnat immediate post instans nostri temporis aliquid creari a Deo, non quidem in instanti ejusdem temporis, quod non immediate sequitur, sed in instanti alterius mensuræ, quod æquivalet nostro tempori, v. g. in mensura ævi. An vero possit similiter annihilari, vel desinere substantia in mensura temporis, statim dicemus.

Secunda regula, seu conclusio: Res permanentes desinunt per primum non esse connaturaliter loquendo, etiamsi desinant per annihilationem, supernaturaliter autem, seu præternaturaliter, non repugnat aliquid desinere per ultimum esse. Prima pars quantum ad annihilationem probatur, quia annihilatio est suspensio totius concursus, quo res fuit creata, et conservatur in esse. Hic autem, cum modo indivisibili detur, ejus suspensio connaturaliter fit in instanti, sicut creatio in instanti fit: si autem suspenditur concursus in instanti, in eodem instanti intrinseco desinit creatura. Neque enim potest suspenso concursu in eo instanti durare, et immediate potest desinere, atque adeo erit verum dicere in illo instanti, nunc non est creatura, et immediate ante erat: hoc autem est desinere per primum non esse, quia tunc primo non est, si autem desineret per ultimum esse, esset verum dicere, nunc est et immediate post non erit; atque adeo esset verum dicere, sine concursu Dei in hoc instanti creatura est, et immediate post ablatum concursum non erit. Cæterum, quia potest Deus suspendere suum concursum, non instanti nostro, sed immediate post illud, quia immediate post libere continuat et potest non continuare, ideo si immediate potest instans tollat concursum, desinet per ultimum esse dicendo, nunc est immediate, post non erit. Quæ regula nullo modo potest negari, licet aliqui Auctores oppositum dicant fortasse mutatis terminis.

Secunda pars conclusionis intelligitur de re quæ desinit ad generationem alterius incipientis per primum esse; nam si aliqua forma incipiat per ultimum non esse, tunc illa quæ desinit ad ejus incœptionem necessario desinit per ultimum esse, eo quod desinit immediate post instans: sic enim aliud incipit. Ex hoc probatur conclusio posita, quia tales res permanentes desinunt ad generationem alterius, ita quod idem est instans generationis unius, et desitionis alterius, et ita si res generatur per primum esse, necessario desinit res corrupta per primum non esse, alias esset verum dicere, nunc est res illa, immediate post non erit, si desineret per ultimum esse; sed in illo nunc res est generata. Ergo esset simul in eodem instanti forma genita, et corrupta, vel si in illo nunc non est forma genita, sed immediate post erit, non generabitur in instanti per primum esse, sed in tempore per ultimum non esse, cujus oppositum ostendimus.

Ex quo sequitur, quod quando incipit motus per ultimum non esse, dicendo, nunc non est motus, immediate post erit, talis motus non excludit necessario formam, quæ toto tempore antecedenti quievit, sed incipit excludere, compatitur enim motus ad unam formam cum retentione oppositæ, licet via corruptionis, sicut ægritudo cum vita et frigus cum calefactione movente ad calorem.

Dices primo: Repugnat quod substantia desinat per primum non esse,

si desinit per annihilationem, quia totum illud esse est indivisibile, et suspensio concursus est indivisibilis; ergo desinit ad modum instantium; sed instantia desinunt per ultimum esse, ergo talis substantia, quæ desinit per annihilationem, desinit per ultimum esse. Secundo: nulla res permanens, nec per se, neque per accidens, nec etiam supernaturaliter potest desinere per ultimum esse; nam quod desinit per ultimum esse habet totum non esse in tempore, quia est verum dicere, nunc est, immediate post non erit; immediate autem post est tempus: sed hoc non potest convenire rei permanenti, quia convenit ei totum suum esse indivisibiliter, ergo non esse, quod est ejus oppositum, etiam indivisibiliter debet poni, quia id quod tollit, indivisibile est, ergo non in tempore. Tertio: Res successiva, nec de potentia absoluta potest incipere, aut desinere in instanti per ultimum esse, si enim esset in instanti, non haberet partem post partem, quod est contra quidditatem successivi; ergo non potest verificari, quod sit in instanti. Ergo etiam res indivisibilis non potest verificari, quod sit in tempore.

Ad primum negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod indivisibile formale ut instans, solum desinit per ultimum esse: indivisibile autem subjective et materialiter, scilicet id quod est subjectum indivisibilis durationis, bene potest desinere per primum non esse, si desinit annihilatione. Instans autem non desinit annihilatione, sed successione temporis, quia in instanti, quo est, non potest annihilari, desinit ergo immediate post, quod est per ultimum esse. Res ergo, quæ annihilatur, desinit ipsa annihilatione in instanti; in quo suspenditur concursus non immediate post, atque adeo per primum non esse. Neque est necesse, quod primum non esse, sit privativum, id est, adjunctum generationi alicujus rei; sufficit quod sit pura negatio essendi.

Ad secundum negatur antecedens. Ad probationem respondetur, quod bene potest non esset rei indivisibilis dari in tempore, et non instanti intrinsece; imo quod desinit per ultimum esse, non habet ipsum non esse in instanti, sed immediate post, quia non esse non mensuratur duratione, sicut ipsum esse, nisi per accidens, quando sequitur ad incœptionem alicujus esse, per cujus incœptionem aliquid corrumpitur: tunc enim desinit res in instanti, in quo primo opposita forma generatur et est. Secus est, si Deus suspendat concursum in tempore, et non in instanti, tunc enim desinit per ultimum esse, ut dictum est.

Ad tertium respondetur, quod motus non posset intrinsece mensurari duratione indivisibili, quia sic destrueretur ratio motus, quæ petit partem post partem; instans autem habet negationem partium. Nec potest coexistere instantaneæ durationi, nisi sit instans æquivalens multo tempori, sicut est instans ævi, quod tamen non correspondet motui, ut propria, et adæquata mensura, sed inadæquata: multa enim successiva coexistunt instanti angelico. Et similiter indivisibiles, licet intrinsece non possint mensurari mensura divisibili, et successiva temporis, bene tamen extrinsece coexistendo in mensura, quæ æquivalet, et coexistit multo tempori, ut explicatum est.

—

ARTICULUS II.

Regulæ incœptionis, et desitionis in successivis, et instantaneis, et quiete.

Prima regula: Motus incipit per ultimum non esse, et desinit per primum non esse. Ratio primæ partis est manifesta, quia motus successivus non habet esse in instanti, cum non habeat esse indivisibile. Ergo in tempore, ergo non incipit per primum esse, alias esset verum dicere: nunc est, et immediate ante non erat. Non potest autem verificari de motu, quod nunc est, hoc enim pertinet ad mutatum esse, quod est terminus motus: et sic ad tale mutatum esse, præcedit moveri, ut probat Philosophus in hoc libro sexto. Ergo motus ut distinguitur a mutato esse, quod est indivisibile motus, non incipit in instanti indivisibili sed indivisibiliter, quod est incipere per ultimum non esse, et non per primum esse.

Nec potest dici, quod motus incipit per aliquid indivisibile, licet non sit mutatum esse, quia hoc est terminus motus, non initium. Nam contra est, quia illud indivisibile, quod dicitur initium motus, modo est, et ante non erat, cum in illo instanti incipiat. Ergo est aliqua mutatio, seu mutatum esse, et cum ante illud non præcesserit aliquod moveri, erit actio instantanea sine aliquo motu præcedenti, sed quiescente subjecto, toto tempore ante in opposita forma; de qua actione non loquimur, sed de successiva: imo inde probat D. Thomas I par. q. LIII, art. III, non posse Angelum moveri in instanti, quia non potest aliquid toto tempore præcedenti quiescere, et in ultimo instanti illius temporis moveri, seu aliter se habere. Quæ doctrina est eadem cum ea, quæ traditur a Philosopho in hoc libro, text. LVI et ibi a D. Thoma lect. VIII, quod cum motus stricte dictus sit de uno positivo ad aliud positivum, non potest stare quod subjectum toto tempore quiescat sub una forma positiva, et in ultimo nunc illius temporis inveniatur mutatum ad aliam, eo quod in illa forma est tanquam in termino a quo, quiescendo tanquam in forma positiva, et sine motu et tendentia ad terminum ad quem, ut supponimus, quia toto tempore quiescit, ergo si in ultimo nunc illius temporis, est in termino ad quem, sine transitu et tendentia mutatur de termino a quo ad terminum ad quem, cum nunquam ante illud ultimum nunc moveatur, sed quiescat, quod naturaliter esse non potest, nam etiam in generatione substantiali datur motus et alteratio præcedens, et ante illuminationem de novo motus luminosi, supernaturaliter autem potest oppositum contingere, ut si Deus subito producat terminum ad quem, et destruat terminum a quo, sine transitu medio de uno ad aliud.

Quod vero omnis motus desinat per primum non esse constat, quia si desinere per ultimum esse, esset verum dicere, nunc est motus, immediate post non erit, nunquam autem verificatur de motu, quod est in instanti, et in nunc, cum essentialiter sit divisibilis secundum partes priores, et posteriores, quæ non possunt esse in instanti.

Secunda regula: Res permanentes, quæ incipiunt et desinunt modo successivo, ut calor, quantitas et similia, incipiunt et desinunt ad modum motus quantum ad suam entitatem absolutam. Si vero considerentur quantum ad gradus, vel ratione majoris, et minoris quantitatis, si gradus sit certus, et determinatus, et in parte certa, et determinata, incipiunt per primum esse, alias per ultimum non esse. Prima pars probatur, quia motus non est præter res ad quas est motus, sed est ipsa res in fieri, et tendentia, et sic incipiente motu, incipit res ipsa, verbi gratia, qualitas ad quam est motus, ergo sicut motus incipit per ultimum non esse, ita et res illa ad quam est motus, et simile est de ejus corruptione, supposito quod corrumpitur per motum.

Secunda vero pars probatur, supponendo, quod in qualitatibus, v. g. non solum datur latitudo ab una qualitate ad aliam, sed etiam datur latitudo gradualis a minori ad majorem gradum, et e contra; inter gradum autem et gradum datur latitudo divisibilis secundum magis, et minus ad modum partium proportionalium. Et qualitatem secundum istas partes proportionales vocamus formam indeterminatam, sed secundum partes aliquotas, seu gradum certum vocamus formam determinatam. Dicimus ergo, quod ut graduatio qualitatis, qua redditur tanta, incipiat per primum esse, debet concurrere duplex conditio prima, quod gradus ipse, seu pars qualitatis sit certa. Secunda, quod subjectum, seu pars subjecti in qua incipit, sit certa, et determinata, si vero altera conditio deficiat, incipiet per ultimum non esse.

Ratio est, quia stante utraque conditione, si inciperet gradus caloris, verbi gratia, ut quatuor per ultimum non esse, esset verum dicere, nunc non est talis gradus caloris, et immediate post erit. Vel ergo in illo instanti deest aliquid ad illum gradum determinatum, vel non; si non deest, ergo jam datur, et sic non incipiet immediate post in illa parte. Si deest aliquid, vel divisibile, vel indivisibile; si divisibile non incipiet immediate post in tota illa parte, quia de illo divisibili prius attingetur una medietas quam alias, et sic immediate post adhuc non incipiet tota. Si indivisibile non potest acquiri immediate post in tempore, sed in instanti quo est mensura indivisibilis, ergo non incipit immediate post instans, ergo neque per ultimum non esse. Cæterum pars, in qua incipit gradus qualitatis, non sit determinata, vel ipse non sit certus, et determinatus gradus, bene potest incipere per ultimum non esse, ut patet, quando intensio est motus uniformiter difformiter diffusus, sic enim calidum, verbi gratia, ut quatuor, si in aliquo instanti applicetur subjecto, ita diffundit calorem, quod in superficie immediata ponit calorem, ut quatuor, et in eo quod immediate sequitur post superficiem, quidquid est infra calorem ut quatuor, et sic consequenter minus ac minus, usque ad non gradum. Si ergo incipiat motus intensionis, cum debeat incipere per instans extrinsecum, seu ultimum non esse, oportet quod immediate post instans, illa pars, quæ immediate sequitur post superficiem majorem intensionem acquirat, ergo cum talis calor sit illud, quod immediate est infra gradum quatuor, si immediate post crescit, immediate post accipiet gradum ut quatuor, et sic incipiet ille gradus ut quatuor, immediate post instans in illa parte incerta, quod est incipere vel ultimum non esse. Et eodem modo incerta pars formæ poterit incipere immediate post instans ratione motus uniformiter difformis.

Quod si dicas: Currere hic argumentum supra factum, quia in parte immediata post superficiem, vel deest aliquid divisibile, vel indivisibile ad gradum ut quatuor, et quidquid dicatur, non potest incipere immediate post ille gradus certus, respondetur deesse aliquid divisibi-

le per modum partis proportionalis, et designatæ, sed illa vincitur per motum, qui etiam immediate post modo divisibili incipit, et sic etiam ponit modo divisibili, quidquid restat ad gradum, ut quatuor. Et si urgeas, cur non idem dicemus quando in parte certa incipit gradus certus, respondetur quod illa pars cum sit certa, non potest vinci per illam partem motus, quæ incipit immediate post instans, quia illud quod immediate post instans sequitur, est aliquid divisibile indesignatum, et proportionale, et sic non potest afficere qualitate totam partem certam. At vero si tota pars certa moveatur usque ad ultimum instans, quo incipit certos gradus in ea, tunc immediate ante instans non deest nisi aliquid indivisibile, ut producatur ille gradus, quia nihil deest quoad fieri, et divisibilitatem ejus, sed quoad terminari, et ut sit in facto esse, quod est indivisibile.

Quod si petas, quomodo desinant istæ formæ, quæ fiunt per motum, sive secundum se, sive secundum graduationem, respondetur quod desinunt ad incœptionem formæ oppositæ, v. g. calor incipit remitti ad motum frigoris, frigus autem incipit per ultimum non esse; quia incipit per motum, in quod est verum dicere, nunc non est frigus, immediate post erit, et sic necesse est, quod desinat ille gradus caloris, seu remittatur per ultimum esse, in quo est verum dicere, nunc est talis gradus, immediate et post non erit, quia nunc non est frigus, et immediate post erit, et cum frigore introducto non stat ille gradus caloris. Si autem calor desinat, non solum quantum ad gradum, sed etiam quoad totam entitatem, desinit per primum non esse, quia non desinit, nisi ad totalem introductionem formæ oppositæ quæ introducitur in instanti terminante motum, in quo est verum dicere, nunc est frigus, immediate autem antea non erat, et consequenter nunc non est calor, et sic verificatur, quod nulla forma perfecte, et totaliter desinit per ultimum esse, nisi sit instantanea.

Tertia regula : Quæcunque indivisibilia successiva incipiunt per primum esse, et desinunt per ultimum esse. Constat hoc, quia tantum durant per instans. De instanti autem est verum dicere, nunc est, et immediate antea non erat, et similiter nunc est, et immediate post non erit, ergo incipit per primum esse, et desinit per ultimum esse. Si autem inciperet per ultimum non esse, dicendo, nunc non est et immediate post erit, darentur duo nunc, seu instantia immediata. Indivisibilia autem permanentia, ut punctum in quantitate actus indivisibilis in intellectu, et similia, incipiunt lege rerum permanentium.

Ultima regula : Quies negativa motus incipit, et desinit sicut instans, quia solum datur in instanti, in quo est incapacitas ad motum. Quies autem privativa incipit per ultimum non esse, et desinit per ultimum esse. Et probatur, quia non potest incipere illa quies in instanti intrinseco, quia in illo non est capacitas ad motum, et consequenter non est quies per modum privationis, ergo incipit immediate post instans, quia immediate post potest esse motus, et consequenter si nunc non movetur, incipit quiescere privative. Desinit autem quiescere, quando incipit moveri ab una forma ad oppositam, licet enim adhuc in illa sit (quia non corrumpitur illa forma, quousque altera introducatur, quæ est terminus motus, tamen non est in illa quiescendo, sed tendendo ad oppositam, tollitur ergo quies, quando incipit motus, sed

incipit motus per ultimum non esse, ergo desinit quies per ultimum esse quando est verum dicere, nunc est quies, immediate post non erit, quia immediate post est motus.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur : Ad probandum motum incipere per primum esse, seu dari primum mutatum esse, nam aliquis terminus motus, v. g. aliquis locus primo acquiritur, alias non relinqueretur aliquis terminus a quo, si aliquis non acquiritur. Ergo sicut est dare primum terminum a quo, qui relinquitur, ita primus terminus ad quem, qui acquiritur. Si autem nullus assignatur ; ergo versus principium omnis motus est infinitus, cum careat principio. Confirmatur, in illo casu supra posito de cane cadente e turri, qui moritur in medio, tunc enim ille motus distinctus, qui incipit in cadavere, incipit in instanti, quia cum generatione continuatur ; ergo potest motus incipere in instanti. Denique, in motu datur ultimum mutatum esse, in quo desinit motus ; ergo eadem ratione poterit dari primum mutatum esse, licet in instanti non sit motus.

Respondetur non dari primum terminum acquisitum per motum, nisi talem terminum præcedat aliquis motus, quo acquiratur, atque adeo motus non initiatur in ipso termino. Et licet detur terminus a quo designatus, tamen quando primo incipit motus, non relinquitur in facto esse, sed quando terminatur motus : et sic quando motus incipit adhuc mobile potest esse sub termino a quo, licet non in esse quieto, sed in moveri, et via corruptionis, sicut dum quis movetur ad mortem per ægritudinem adhuc est in vita. Neque hoc est carere principio, et esse infinitum versus initium, quia non caret principio extrinseco motus, sed intrinseco, neque habet infinitatem, nisi syncategorematice, quia non est dare primam partem motus, cum incipiat modo divisibili, et pars illa sit divisibilis in infinitum, licet sub parte finita contineatur.

Ad confirmationem jam supra respondimus in illo instanti, quo generatur cadaver, non dari motum, sed incipere extrinsece, et discontinuari a motu præcedenti propter generationem distincti subjecti, a qua generatione, et non a motu procedit illa acquisitio loci, in qua cadaver invenitur, quando primo generatur.

Ad ultimum dicitur, dari in motu ultimum mutatum esse quia datur finis motus, qui finitur in aliquo termino producto, et tale mutatum esse præceditur a toto moveri. At vero si daretur primum mutatum esse, non præcederet aliquod moveri, alias non esset primum principium motus illud mutatum esse, sine moveri autem non potest dari mutatum esse. Nec intelligimus, quod ultimum mutatum esse, terminat motum, quasi intrinsece includendo in se partes priores, et posteriores, sed quasi ab illis relictum, et extrinsece terminans motum.

Quod si instes, quia in ultimo mutato esse existit motus ; ergo adhuc tunc non desinit intrinsece, et per primum non esse, sed per ultimum esse, antecedens constat, quia motus est divisibilis : ergo non possunt omnes partes simul desinere, sed una prius, quam alia ; ergo quando advenit ultimum instans non omnes simul desinunt, sed aliquid desinit, et aliquid permanet : ergo adhuc aliquid motus tunc datur ; et deinde, quia motus existit per suum indivisibile, sicut tempus per instans, ergo in illo indivisibili adhuc existit

motus. Imo non nisi per illud, sicut patet, quando incipit aliquis gradus caloris per primum sui esse, ut diximus, tunc enim vel adhuc existit motus, vel incipiet ille gradus caloris, sine actione, si tunc non datur motus. Denique, in quantitate permanente quamtumcunque dentur partes in infinitum divisibiles, tamen datur aliquis primus terminus, et ultimus, inter quos illæ partes includuntur, et redduntur finitæ. Ergo similiter partes motus priores, et posteriores aliquo primo termino includuntur, quia ubi datur prius, datur primum, nisi sit processus in infinitum.

Respondetur quod in ultimo mutato esse nulla pars motus invenitur intrinsece, et ita in illo non desinunt simul omnes partes, neque aliqua illius permanet, sed immediate ante omnes partes successive transierunt; in ultimo autem instanti jam non transeunt, sed terminative transactæ sunt. Dicuntur autem desinere in illo instanti, non quia in illo adhuc sit motus, sed quia in facto esse jam non est, cum immediate ante successive desinerent transeundo. Partibus autem transeuntibus succedit instans.

Ad secundam probationem dicitur, quod tempus, et motus existunt per indivisibilia continuata, non per terminativa, durat enim per illa per quæ continuatur ejus esse in ratione succedenti; terminativum autem instans est desitio non existentiæ motus. Ille autem terminus, seu gradus, qui producitur in illo instanti terminativo, habet illo instanti actionem terminative existentem, et virtualiter, non successive, et formaliter. Hæc est enim natura motus quod una pars resultat, et sequitur ex alia: et sic licet illa transeat successive, altera producitur ex illa terminative, et sic producitur una ex alia succedendo illi. Nec requiritur, quod tunc existat formaliter pars antecedens, quando existit, et producitur sequens, sed sufficit, quod immediate præcesserit, et illi altera continuetur, ratione enim continuationis virtualiter dicitur manere, seu terminative, de quo amplius dicemus in libro de Generatione.

Ad ultimum probationem dicitur, quod tam in quantitate permanente quam in successiva partes claudunturterminis seu indivisibilibus, sed cum hac differentia, quod in quantitate sucessiva termini sunt extrinseci ipsis partibus, nec positionem habent in illis, quia se habent ut terminus a quo, et ad quem: et a primo incipit motus relinquendo illum: in secundo terminatur cessando. In quantitate autem permanente termini, seu indivisibilia habent positionem in ipso continuo, et conjuncta sunt permanenter partibus, nec se habent tanquam terminus a quo, et ad quem, et ideo sunt intrinseci, et permanentes in ipsa quantitate, non extrinseci, ut in motu.

CIRCA LIBRUM SEPTIMUM.

DE COMPARATIONE MOVENTIUM ET MOBILIUM.

QUÆSTIO XXII.

DE CONDITIONIBUS REQUISITIS AD MOVENDUM.

Conditiones istæ sunt tres, scilicet ex parte agentis existentia, ex parte rei motæ, et effectus, distinctio a movente, neque enim potest aliquid movere, et facere se ipsum, et ex parte passi et agentis, requiritur applicatio. De existentia egimus supra quæstione septima. Quomodo autem salvetur in instanti ultimo, quando jam desinunt dispositiones ad corruptiones subjecti in libris de Generatione dicetur. De reliquis duobus agemus in præsenti quæstione.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum omne, quod movetur, ab alio moveatur?

Propositio ista Philosophi a multis rejicitur, qui existimant non requiri realem distinctionem, inter id quod movet et movetur, quod attribui solet Soto II Met. q. XIV, et videri potest Placa in II Phys. disp. I, q. VII, qui plures refert, et sequitur etiam Cabero hic disputatione unica, dubio secundo.

Fundamentum hujus sententiæ sumitur, tum ex variis actionibus, in quibus movens et motum non distinguuntur realiter; tum ex destructione fundamenti Philosophi. Primo ergo est difficultas in motu cordis, et in motu gravium et levium. Totum enim cor movetur, et totum movet, quia cum sit motus vitalis, est a seipso. Similiter totus lapis movetur deorsum, et totus se movet, quia non impellitur ab aliquo extrinseco. Et similiter aqua calida se movet ad frigus, non per emanationem, sed per motum successivum, ut videmus, atque adeo idem est, quod movet. Nec dici potest, quod in istis motibus materia movetur, et forma movet, quia ut supra qu. XIX, probavimus ex Philosopho mutatio materiæ primæ non est motus stricte dictus; sed motus requirit pro subjecto ens in actu. Et ita D. Thomas XXV de Verit. art. II, docet quod formæ non possunt esse moventes, sed solum principium, quo aliquid movetur. Quare, cum prædicti motus sint motus proprie, non potest sola materia esse mota, quia motus non habet pro subjecto solam materiam, ut in V Physic. dicit Aristoteles.

Secundo, est difficultas in actibus immanentibus, qui in eodem a quo egrediuntur, recipiuntur, alias non essent immanentes; ergo in illis idem est agens et patiens, movens et motum.

Tertio, est difficultas in emanatione propriæ passionis, recipitur enim passio in eodem subjecto, a quo emanat. Ergo idem se habet active, et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

motus. Imo non nisi per illud, sicut patet, quando incipit aliquis gradus caloris per primum sui esse, ut diximus, tunc enim vel adhuc existit motus, vel incipiet ille gradus caloris, sine actione, si tunc non datur motus. Denique, in quantitate permanente quamtumcunque dentur partes in infinitum divisibiles, tamen datur aliquis primus terminus, et ultimus, inter quos illæ partes includuntur, et redduntur finitæ. Ergo similiter partes motus priores, et posteriores aliquo primo termino includuntur, quia ubi datur prius, datur primum, nisi sit processus in infinitum.

Respondetur quod in ultimo mutato esse nulla pars motus invenitur intrinsece, et ita in illo non desinunt simul omnes partes, neque aliqua illius permanet, sed immediate ante omnes partes successive transierunt; in ultimo autem instanti jam non transeunt, sed terminative transactæ sunt. Dicuntur autem desinere in illo instanti, non quia in illo adhuc sit motus, sed quia in facto esse jam non est, cum immediate ante successive desinerent transeundo. Partibus autem transeuntibus succedit instans.

Ad secundam probationem dicitur, quod tempus, et motus existunt per indivisibilia continuata, non per terminativa, durat enim per illa per quæ continuatur ejus esse in ratione succedenti; terminativum autem instans est desitio non existentiæ motus. Ille autem terminus, seu gradus, qui producitur in illo instanti terminativo, habet illo instanti actionem terminative existentem, et virtualiter, non successive, et formaliter. Hæc est enim natura motus quod una pars resultat, et sequitur ex alia: et sic licet illa transeat successive, altera producitur ex illa terminative, et sic producitur una ex alia succedendo illi. Nec requiritur, quod tunc existat formaliter pars antecedens, quando existit, et producitur sequens, sed sufficit, quod immediate præcesserit, et illi altera continuetur, ratione enim continuationis virtualiter dicitur manere, seu terminative, de quo amplius dicemus in libro de Generatione.

Ad ultimum probationem dicitur, quod tam in quantitate permanente quam in successiva partes claudunturterminis seu indivisibilibus, sed cum hac differentia, quod in quantitate sucessiva termini sunt extrinseci ipsis partibus, nec positionem habent in illis, quia se habent ut terminus a quo, et ad quem: et a primo incipit motus relinquendo illum: in secundo terminatur cessando. In quantitate autem permanente termini, seu indivisibilia habent positionem in ipso continuo, et conjuncta sunt permanenter partibus, nec se habent tanquam terminus a quo, et ad quem, et ideo sunt intrinseci, et permanentes in ipsa quantitate, non extrinseci, ut in motu.

CIRCA LIBRUM SEPTIMUM.

DE COMPARATIONE MOVENTIUM ET MOBILIUM.

QUÆSTIO XXII.

DE CONDITIONIBUS REQUISITIS AD MOVENDUM.

Conditiones istæ sunt tres, scilicet ex parte agentis existentia, ex parte rei motæ, et effectus, distinctio a movente, neque enim potest aliquid movere, et facere se ipsum, et ex parte passi et agentis, requiritur applicatio. De existentia egimus supra quæstione septima. Quomodo autem salvetur in instanti ultimo, quando jam desinunt dispositiones ad corruptiones subjecti in libris de Generatione dicetur. De reliquis duobus agemus in præsenti quæstione.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum omne, quod movetur, ab alio moveatur?

Propositio ista Philosophi a multis rejicitur, qui existimant non requiri realem distinctionem, inter id quod movet et movetur, quod attribui solet Soto II Met. q. XIV, et videri potest Placa in II Phys. disp. I, q. VII, qui plures refert, et sequitur etiam Cabero hic disputatione unica, dubio secundo.

Fundamentum hujus sententiæ sumitur, tum ex variis actionibus, in quibus movens et motum non distinguuntur realiter; tum ex destructione fundamenti Philosophi. Primo ergo est difficultas in motu cordis, et in motu gravium et levium. Totum enim cor movetur, et totum movet, quia cum sit motus vitalis, est a seipso. Similiter totus lapis movetur deorsum, et totus se movet, quia non impellitur ab aliquo extrinseco. Et similiter aqua calida se movet ad frigus, non per emanationem, sed per motum successivum, ut videmus, atque adeo idem est, quod movet. Nec dici potest, quod in istis motibus materia movetur, et forma movet, quia ut supra qu. XIX, probavimus ex Philosopho mutatio materiæ primæ non est motus stricte dictus; sed motus requirit pro subjecto ens in actu. Et ita D. Thomas XXV de Verit. art. II, docet quod formæ non possunt esse moventes, sed solum principium, quo aliquid movetur. Quare, cum prædicti motus sint motus proprie, non potest sola materia esse mota, quia motus non habet pro subjecto solam materiam, ut in V Physic. dicit Aristoteles.

Secundo, est difficultas in actibus immanentibus, qui in eodem a quo egrediuntur, recipiuntur, alias non essent immanentes; ergo in illis idem est agens et patiens, movens et motum.

Tertio, est difficultas in emanatione propriæ passionis, recipitur enim passio in eodem subjecto, a quo emanat. Ergo idem se habet active, et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

passive respectu passionis emanantis, et receptæ.

Quarto, viventia movent se ipsa: in hoc enim præcise distinguuntur a non viventibus, ut docet S. Thomas I p. q. XVIII, art. I. Ergo in eis idem debet esse movens et motum. Nec sufficit dicere, quod in viventibus sint diversæ partes, quarum una est movens, et alia mota: contra enim est, quia ut Philosophus ostendit lib. VIII, text. XXX, lect. VII, apud D. Thomam, in fine, nullum continuum movet se ipsum, partes autem viventis sunt continuæ, ergo ratione partium non movet se ipsum, et deinde, quia si una pars movet aliam, illa quæ tantum est mota, non vivet, quia non movetur a se, pars autem quæ tantum movet, et non movetur, erit actus purus, si autem movetur ab alio extra se, hoc ipso non est vivens, quia movetur tantum ab alio.

Ultimo, fundatur hæc sententia, destruendo fundamentum Aristotelis, scilicet quod non potest idem simul esse in actu, et potentia respectu ejusdem, et consequenter non potest idem simul esse movens, et motum, quia in tantum est movens in quantum est in actu, et in tantum movetur, in quantum est in potentia. Sed hoc facile solvitur, dicendo quod non potest esse simul in actu, et in potentia formaliter, bene tamen virtualiter, sicut aqua calida formaliter caret frigore, et est in potentia ad illud, virtualiter tamen in actu habet frigus ratione formæ substantialis, cujus virtute exit: et voluntas est in potentia ad actum amoris, et in actu habet virtutem ad producendum illum.

Hæ sunt rationes, quibus aliqui infirmum ponant hoc axioma. Unde P. Suarez disp. XXIX Metaph. sect. I, non multum illi fidit, ut ex illo deducatur demonstratio ad probandum dari unum primum motorem, qui est Deus, magis autem id confirmari ex alio principio, scilicet quia omne quod fit, ab alio fit, et disput. XVIII Metaphys. sect. VII, conatur Aristoteles explicare, et defendere, majori forsitan labore, quam profectu.

Cæterum D. Thomas perpetuus est in hac doctrina Aristotelis defendenda in toto rigore, non solum in hoc sensu, quod omne quod movetur debet habere virtutem, qua moveatur ab alio productam, et receptam, sed etiam, quia præter virtutem requiritur, quod motio, qua aliquid movetur, sit ab alio. Et certe si hoc principium destruitur, consequenter oportet affirmare ex principiis philosophicis, quæ fundantur in motu, non posse nos sufficienter demonstrare Deum esse, si quidem Philosophi qui ex natura motus processerunt ad ostendendum dari unum primum motorem, qui sit immutabilis et æternus, in his solum duobus principiis fundati sunt, quia omne quod movetur, ab alio movetur, et non est dare processum in infinitum in causis moventibus. Si autem id quod movetur, non est necesse quod ab alio moveatur, nec etiam est necesse sistere in aliquo, quod sit movens non motum, cum idem possit moveri, et movere se ipsum. Constat autem Aristotelem tam hic lib. VIII, c. IV, quam in XII Metaph. text. XXXV, solum per viam motus processisse, et per prædicta principia ad ostendendum Deum esse, ut ibi lect. VI, in fine, et I contra Gent. c. XIII advertit D. Thomas qui etiam late explicat hoc principium loco citato contra Gen. et I par. quæst. II, art. III. Nec per illam unam Philosophi antiqui processerunt, Plato enim qui posuit aliquod movens esse, quod se moveret, loquebatur de motu, qui est intelligere, sicut invenitur in Deo, ubi tamen proprie non

est motus, sed metaphorice, de quo D. Thomas VII Physic. lect. I, et loco citato contra Gentiles. Constat autem Philosophos sufficienter demonstrasse dari divinitatem, et æternitatem in Deo, ut aperte eos revincit Apostolus ad Rom. I, dum inquit: *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas, ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Sentit ergo Apostolus non solum ratione naturali Deum cognosci posse, sed etiam de facto a philosophis esse cognitum, ergo consequenter tenemur admitterre, quod principia quibus Philosophi processerunt, sunt certa, et sufficientia ad talem demonstrationem.

Et quia Aristoteles hoc principium inductione ostendit in hoc libro VII, cap. I, et VIII, Physicor. cap. IV, et V, nos in præsenti illud admittimus, et explicamus, juxta universalius fundamentum, quod comprehendit omnem operationem creatam, quæ per modum motus agitur, ubi enim operatio rei differt a substantia, et aliquid potentialitatis supponit in subjecto, aliquem modum motus habet, ut dicit S. Thomas in I, distinct. VIII, q. III, art. I ad quartum; hoc autem fundamentum est illud supra insinuatum et positum a Philosopho hic cap. V, text. XL, quod non potest idem simul esse in actu, et in potentia respectu ejusdem, neque idem potest esse dependens a se ipso; unumquodque autem in tantum est movens in quantum est in actu, et motum in quantum est in potentia, et similiter in quantum motum dependet a movente; unde non potest esse idem simul movens, et motum respectu ejusdem.

Quod vero non sufficiat dicere, quod idem est simul in actu virtualiter, et formaliter in potentia, ita quod sufficit habere virtutem motivam, et subjectum recipiens motum, constabit manifeste ex solutione ad ultimum, ubi ostendemus, quod nihil sufficit actu movere, ex eo præcise quod in eo est virtus, sed requiritur, quod habeat aliquid de motu in actu, ratione cujus moveat id quod est in potentia, quia omnis motus est de quodam in quiddam, et tanquam actus entis in potentia habens scilicet aliquid de actu, et transiens ad id quod est in potentia.

Sic ergo istud axioma intelligitur cum duplici conditione. Prima, per modum negationis, quod nihil a se ipso movetur, ut a primo et per se movente, et primo et per se moto, ut intelligit S. Thomas VII Physic. lect. I. Quod enim movet supponendo illud prius cujus virtute movet, vel movet ratione partis moventis, et partis motæ, jam supponit aliud esse movens et aliud motum; non vero idem se movere formaliter loquendo. Secunda conditio est, quod intelligitur de motu procedente de potentia ad actum, ita quod per id quod est de actu reducit id quod est in potentia. Et ad hoc non sufficit habere actum qui est virtus ipsa, sed habere virtutem actu motam, ut transeat per actum ad id quod est de potentia; sola enim virtus est indifferens et indeterminata de se ad movendum, per hoc autem quod habet aliquid de motu in actu, movetur ad id in quo est in potentia; habere autem aliquid de motu in actu, non potest a se primo, quia id etiam debet habere per motum, et reducendo se de potentia ad actum, si enim sine motu habet per se primo movere, illud movere non est motus physicus, quia non est exiens de potentia ad actum, sed erit movere independens ab alio reducente de potentia ad actum, quod

est esse primum movens. Quod si in movendo est independens etiam in essendo, quia operari sequitur esse, et esse est propter operari: et sic, si aliquid est per se mobile, quia est natura, et per se primo movens se sine motu ab alio, aperitur via, ut dicatur naturam esse primum movens, et esse Deam sine alio principio primo movente, quod his temporibus introducere conatus est impius, et damnatæ memoriæ Julius Cæsar Vaninius in libro de admirandis naturæ arcanis.

Quare recte dixit D. Thomas VII Physic. lect. I, in fine idem esse: « Quod omne quod movetur ab aliquo movetur, ac dicere, quod omnis motus debet esse divisibilis, et non potest aliquid se toto esse motum, et esse mobile, sed ex parte motus in actu debet procedere ad partem motus in potentia. » Quod etiam verificatur in intellectu et voluntate, et in omni motu, seu operatione procedente de potentia ad actum, nam intellectus ex cognitione principiorum movetur ad conclusionem et voluntas, ex fine ad media, et in actu finis ab intellectu et a Deo, et intellectus in primo actu a Deo. Et sicut non sufficit habere virtutem motivam, ut aliquid dicatur se movere, sed requiritur, quod hæc virtus ut mota moveat, et ab una parte motus transeat ad aliam, et consequenter non moveat actu, nisi habeat motum in actu: ita non sufficit habere formam, ut dicatur per illam movere se ipsum ex parte materiæ, quæ est in potentia, quia tam forma, quam virtus se habent ut principium *quo* movendi, non ut ipse motor, ut dicit D. Thomas XXII, de Verit. art. III, præter quam quod id quod movetur motu stricte dicto, non est sola materia, ut probat Philosophus V Physic. sed corpus, ut etiam docet S. Thomas III cont. Gent. cap. XXIII. Nec denique materia est mobilis, sed informabilis a forma in genere causæ formalis non efficientis, quæ est movens.

Ad primum a principio respondetur quod de motu gravium, et levium, et reliquis ibi numeratis sequenti quæstione latius agemus. Interim dicimus, omnes illos per emanationem oriri a natura, cui conveniunt, quod etiam de aqua reducta ad pristinam frigiditatem, notat Cajetanus I par. quæst. LIV, artic. III. Emanatio autem respectu naturæ, a qua dicitur emanare, non est motus, et consequenter non procedit in ea prædictum axioma, nec enim dicitur per emanationem res se movere. Respectu autem generantis naturam, et consequenter passiones eadem actione et motu, jam in tali emanatione verificatur, quod movetur ab alio natura recipiens passiones, aut in illas se de novo reducens, scilicet a generante saltem mediato, ut sequenti quæstione latius dicetur. Motus autem cordis, quia vitalis est, non ita facile percipitur, quod a generante sit. Sed tamen quia etiam vita in rebus creatis est accepta, et derivata ab alio, non ita vivens movet se, quod non etiam moveatur ab alio in primo motu, quo incipit vita, ut D. Thomas docet I p. quæst. XVIII, art. III, et quæst. CV, art. IV ad 2, et ita ille motus est vitalis tanquam initium vitæ receptæ ab alio, non tanquam consummatio, et perfectio vitæ: hæc enim operatio viventis, et a se movente, quatenus per unam partem jam motam, et factam in actu movet alias, et ita ille motus cordis non ordinatur ad quiescendum in aliqua forma, sed ut constituatur in actu ad movendum reliquas partes, quæ constitutio a generante debet procedere, cum sit primus motus: in quo etiam assimilatur motus cordis motui cœli, ut docet D. Thomas opusc. XXXV, quia cœlum non movetur ad quiescendum in aliqua forma, sed ut constituatur movens, et primum alterans respectu aliorum.

Ad secundum de actibus immanentibus, respondetur, quod imprimis in eis agens, et recipiens non sunt idem; nam agit potentia cognoscens simul cum specie, recipit vero sola potentia non species, et appetitus agit ut motus a cognitione et a Deo; recipit vero sola potentia; qua ratione istæ potentiæ solent dici passivæ.

Secundo, dicitur quod licet agens et recipiens actionem sint idem, non ita repugnare; tum quia actio ipsa egreditur ut accidens, et consequenter ut inhærens; unde si sit actio perficiens ipsum agens tanquam actus ultimus illius, non autem transmutans alia, non repugnat, quod egrediatur, ut inhærens, et recepta in ipso agente: tum quia actio non requiritur, quod sit divisibilis, et de quodam in quiddam, sed potest esse indivisibilis. At vero motus necessario est divisibilis, et secundum partes priores, et posteriores procedit, et ita omne quod movetur secundum partem posteriorem, et motam, necessario supponit partem priorem, ut moventem, ut fiat transitus de uno ad aliud, et illa pars prior si etiam est mota, etiam est ab alia priori movente, quousque deveniatur ad aliquam, quæ vel sit sine motu, vel sit ab alio extrinseco movente; et sic si vere aliquid movetur, semper ab alio priori movetur, non vero si aliquid agit, debet in alio distincto ponere actionem receptam: unde aliud est actio, aliud motio, aliud agens et recipiens, aliud movens et motum; quod movet, reducit de potentia ad actum, et procedit de quodam in quiddam, quod agit præcise dicit elicientiam actionis.

Ad tertium, constat ex dictis, quod emanatio ut emanatio potest recipi in eo, a quo emanat, ut autem est idem cum motu, semper est ab alio, scilicet a generante, et vide quæ diximus de emanatione, quæstione duodecima, articulo ultimo.

Ad quartum respondetur quod viventia non se totis, nec per se primo se movent, sed mediantibus partibus, quatenus una pars organica movet aliam, ut Philosophus explicat VIII Physicor. cap. IV. Nihil ergo, quod per se primo movetur, a se potest moveri, sed ab alio. Et ad replicam dicitur, quod Aristoteles cum dixit nullum continuum se ipsum movere, loquitur de continuo homogeneo, quod habet partes omnino similes; sic enim est perfecte continuum, quia perfecte simile. Vivens autem habet partes organicas et heterogeneas, quæ licet sint continuæ quantum ad quantitatem, sunt tamen dissimiles quantum ad dispositionem, et qualitatem, secundum quam movent, et moventur. Neque in his partibus moventibus, et motis proceditur in infinitum, sed prima pars movens movetur ab alio motu vitalitio, elicitur quidem hic motus ab ipso vivente, sed moto a movente extrinseco seu generante, quod potest dare motum vitalem, non quidem consummatum et perfectum, sed inchoantem reliquos, eo quod vita in nobis est participata, et ita non repugnat inchoationem ejus esse ab alio. Pars autem ultimo motu non movet se ipsam per se primo, sed ab alia parte ejusdem viventis, et sic respectu totius, motus ejus vitalis est.

Ad ultimum respondetur non sufficere virtutem, qua aliquid constituitur virtualiter in actu, ut dicatur aliquid movere se ipsum, quatenus est in potentia ad actum producendum a tali virtute, quia talis virtus vel producit illum actum ut mota, seu mediante motu, vel per simpli-

cem emanationem sine motu. Si operatur ut mota, clarum est, quod non sufficit virtus illa, qua dicitur esse in actu virtualiter, quia licet sit principium movendi ut *quo*, non tamen est ipsum movens, neque constituit aliquid in actu movens, nisi supposito motu, quo tanquam ex priori parte motus transeat ad aliam. Ad hoc autem, ut virtus constituatur mota, oportet quod vel ille motus habeatur peralium priorem motum, et sic semper quod movetur, movetur ab alio, vel deveniatur ad unum priorem motum, qui sit ab alio quod moveat, et non per motum. Si vero illa virtus operetur per simplicem emanationem, vel per non motum, hoc ipso non comprehenditur sub isto axiomate, quod movetur ab alio movetur, nisi quatenus simplex emanatio est motus generantis, et tunc ab alio movetur, scilicet a generante; quomodo autem generans dicatur movere genitum, etiam si non sit illi præsens, vel generatio sit discontinuata, dicemus quæstione sequenti.

ARTICULUS II.

Utrum requiratur approximatio moventis a mobili, ut operetur?

Duplex approximatio inter movens et mobile potest intelligi, altera *formalis*, quæ vocatur immediatio supositi, ut cum ipsa substantia agentis proxima est passo. Altera *virtualis*, quæ vocatur immediatio virtutis, ut cum virtus agentis diffunditur in aliquid distans, ubi ipsa virtus est præsens, et non substantia ipsa: et de utraque procedit difficultas, an videlicet requiratur immediatio supositi respectu ejus, unde incipit motus, et secundo an per virtutem diffusam partus debeat agere in propinquum, quam in distans.

Sunt ergo aliqui auctores, qui absolute existimant non requiri approximationem, quia putant posse aliquid agere in distans, quin agat in propinquum, qui citantur a Conimbricensibus hic super c. II, q. I, ar. II. At vero Scotus, in I, dist. XXXVII, quæstione unica, non absolute sentit, quod potest aliquid agere in distans, quin agat in propinquum, sed quod qualitates diffusæ ab agente distante non producunt substantiam, etiam tanquam instrumenta, sed positis illis dispositionibus producitur substantia in parte distanti, sine eo quod producatur in medio.

Nihilominus opposita sententia omnino tenenda est, quæ est expressa Aristotelis in hoc libro VII, cap. II, et ibi eam late probat D. Thomas lect. II et III, et I p. q. VIII, art. I, et III contra Gent. capit. LXVIII, quæ sententia continet duo. Primum est, quod in omni agente requiritur approximatio, seu immediatio suppositi, respectu sui primi effectus, et consequenter respectu passi, si effectus ex passo educitur: quod si non educitur ex passo, ut in creatione, agens erit immediatum ipsi effectui. Secundum est, quod in agentibus quæ diffundunt suam virtutem in remotum, oportet quod prius agant in propinquum, et sic respectu omnis effectus, debet dari aliquis contactus, seu propinquitas agentis saltem virtualis; et communiter sequuntur Philosophum omnes ejus interpretes. Et præter probationem a Philosopho allatam per inductionem in omni genere motus; videmus enim in omni motu alterationis, et augmentationis, et in motu locali, qui fit per impulsum, vel tractionem semper reperiri aliquem contactum inter movens, et passum, quod immediate movetur. Ulterius etiam probatur necessitas hujus contactus, quia alias non esset unde

limitaremus sphæram activitatis in agentibus, posset enim quodcunque agens agere in omnem distantiam: si enim sine transmissione virtutis per medium potest agere in aliquid, quod distet duobus palmis, cur non poterit similiter agere in id quod distat duobus millibus, vel in quodcunque aliud sine termino, siquidem non dependet a medio, ut operetur virtus?

Quod si dicas: Non minus id sequi in nostra sententia, quia diffusio virtutis non fit per hoc quod transeat de subjecto in subjectum, sed per hoc quod multiplicetur de una parte subjecti in aliam, et sic quælibet pars poterit æqualiter agere in aliam, et totam virtutem suam imprimere: quæ est ergo ratio cur non possit ista multiplicatio fieri in quamcunque distantiam sine termino, respondetur quod omne agens, quod diffundit suam virtutem, diffundit illam uniformiter, difformiter per medium, et quanto magis elongatur virtus diffusa a suo agente, magis debilitatur usque ad non gradum, cujus ratio explicabitur amplius in libris de Generatione. Sufficit nunc advertere, quod actio procedit uniformiter difformiter, et magis, ac magis debilitatur, tum propter resistentiam passi, tum propter ipsum modum recipiendi, quia virtus in extraneo subjecto imperfectiori modo suscipitur, et consequenter debilius operatur, nisi a proprio agente instauretur, et consequenter si multiplicatur in subjectum magis distans, quælibet pars debilius operatur, et debilius recipit talem virtutem usque ad non gradum.

Ratio autem a priori cur requiritur approximatio agentis ad passum, ut effectus progrediatur ab agente, ea est, quia agens educens formam ex passo, educit illam ut unitam, aut inhærentem illi; et sic effectus exit ex concursu passi, et agentis, oportet ergo, quod virtus sit conjuncta passo, ut effectum illi conjunctum producat. Unde si diffundit suam virtutem in remotum, virtus illa, quæ ibi ponitur, etiam debet exire ex agente et passo, cum diffundatur ut unita passo, ergo debet supponere talem passum unitum agenti, denique non potest agens agere circa materiam sibi non subjectam, et determinatam erga se; non est autem alius modus determinandi, et subjiciendi materiam agenti, nisi penes contactum, et propinquitatem, quod enim remotum est et distans, non habet unde determinetur ad hoc agens potius quam ad illud, cum respectu ejus nullam habeat conjunctionem neque unionis, neque propinquitatis, per quam ad illud determinetur.

Quod si dicas: Quomodo sufficit virtutem agentis esse contiguam passo, siquidem ex una superficie ad aliam non transit actio, eo quod est accidens et non potest de uno subjecto transire ad aliud; ergo requiretur, quod virtus sit inhærens ipsi passo, ut ex illo eliciat actionem, et non solum illi contigua. Quod si dicatur communicari ab agente in passum virtutem, quæ ipsi passo inhæreat, in hoc ipso est difficultas, quomodo illa virtus communicatur passo, siquidem non transit illa virtus de subjecto in subjectum, neque actio illam communicans; ergo ut producatur in passo, et ei communicetur, manet idem argumentum in sua vi, respondetur ad producendam actionem, et effectum in passo non requiri, nisi quod virtus producens sit contigua et conjuncta passo, et non ei inhærens, imo passum debet esset distinctum ab agente, ut sit motum ab eo, non quia actio transeat de subjecto in subjectum, neque virtus diffusa, sed quia in alio subjecto non procedit ab agente, nisi in

passo conjuncto, a quo educitur, et sic unum tantum subjectum habet, non transitum de uno ad aliud; sed tamen non potest produci virtus, ut recepta in materia distanti, sed in propinqua, quia distans cum non fit conjuncta ipsi agenti, non determinatur erga illud, nec subjicitur illi, et consequenter non concurrit cum illo ad recipiendum actionem, et virtutem.

Ex quo sequitur, quare respectu Dei nihil possit esse distans; quia omnia respicit Deus ut effectum, nihil ut præsuppositum subjectum, quod effectus non sit, et quia quilibet effectus ita dependet in esse a Deo, quod per suspensionem concursus potest annihilari, ideo omne quod habet esse, est immediate a concursu Dei, et non mediante concursu diffuso extra se per creaturam, quia nullus concursus creaturæ est talis, quod per ejus suspensionem potest res annihilari. Est ergo omne ens immediate proximum Deo, et intra quamcunque rem Deus est, propter summam dependentiam a Deo, tam ex parte formæ, quam ex parte subjecti, et potius esse, quod nulla habet creatura. Quod si aliquid operetur in distans prius quam in propinquum, non est quia operetur in aliquid distans a se, sed distans respectu alicujus creaturæ, non autem respectu sui, qui ubique est.

Solvuntur argumenta.

Primum argumentum deducitur ex pluribus experientiis, quibus videtur prius aliquid agere in distans, quam in propinquum, sicut in lebete ad ignem adhibito partes superiores aquæ calidiores sunt, fundus autem lebetis, qui propinquior est igni, frigescit: ignis corripit sulfur, vel picem longe distantem, non aerem intermedium, sol generat multa in terra, quæ non in medio, neque per qualitatem diffusam, quia id quod generatur, substantia est: torpedo facit tremere manum piscatoris, non chordam, et oculi fascinantes imprimunt malam qualitatem pueris, et non aeri intermedio, et magnes attrahit ferrum distans, et non corpus propinquum; denique phantasia residens in capite movet appetitum, qui est in corde, et alias partes corporis distantes, et non alias intermedias. Confirmatur, quia calidum ut quatuor applicatum medio habenti similem qualitatem ut quatuor, non agit in illud, quia non potest illud amplius intendere, quia non potest agere ultra quatuor et tamen agit in passum ultra distans, quod non habet calorem ut quatuor, ut etiam supra admisimus qu. VIII. Ergo potest agere in distans prius, quam in propinquum.

Respondetur, omnes illas experientias solvi unica solutione, quam tradit D. Thomas VII Physic. lect. IV, et in II, distinct. XV, quæst. I, articul. II ad 6, ubi inquit: « Quod actio cujuslibet agentis habentis situm prius recipitur in medio, quam in termino, non tamen oportet, quod recipiatur in utroque eodem modo, sed secundum quod exigit dispositio utriusque, » sicut ponit exemplum Commentator VIII Physico. de pisce: « Qui retentus reti stupefacit manum, præter hoc quod stupefaciat rete, quod stupefactionis capax non est: et tamen secundum aliquem modum rete alteratur ex virtute piscis. Ita etiam oportet, quod virtutes superiorum stellarum prius recipiantur in mediis orbibus, quam in inferiora corpora, quamvis non eosdem effectus utrobique habeant. » Ita D. Thomas. Quare in his omnibus effectus quidem, qui manifeste apparent fiunt in distanti, sed tamen virtus, quæ diffunditur, transit

prius per medium, licet non habeat in illo similem effectum, quem in remotis propter dissimilem dispositionem, sicut ignis non inflammat proximum aerem, quia est humidior, inflammat autem sulphur distans, quia magis siccum, calore tamen transeunte per aerem; et lux solis majorem calorem efficit in terra, quam in medio, quia magis addensantur radii in terra, quam in medio, et diversas res generat in terra propter diversam dispositionem, quam in medio per quod transit virtus: sicut etiam magnes, torpedo, oculi fascinantes emittunt suas qualitates per media, licet effectus faciant solum ubi inveniunt proportionem et capacitatem. Et similiter phantasia imprimit in appetitum, et alias partes corporis distantes, quia non in omnibus est eadem dispositio, et temperamentum, ut eodem modo moveantur, licet virtus movens, et spiritus qui excitantur, descendant per partes propinquiores. Alii tamen volunt, quod illa motio fit per sympathiam, seu radicationem potentiarum in eadem anima, de quo agemus in lib. de Anima. Similiter in lebete apposito ad ignem, certum est, quod calor, qui est in partibus superioribus aquæ transit per fundum lebetis, sed tamen rarefacta aqua per calorem, dat locum frigidiori aquæ, quæ est in parte superiori, quæ densior et gravior est, ut descendat ad fundum, et infrigidet illud manentibus calidis partibus superioribus. Si tamen divisit ad ignem, totus redditur calidum.

Ad confirmationem respondetur, quod in illo casu agens vel conservat calorem ut qualuor, quem invenit in medio, et sic agit in illum conservando, et in reliquas partes alterando, vel conjungitur cum illo calore, qui est in medio, et uterque calor per modum unius operatur in partes non habentes tantum caloris, et sic nunquam agit in remotum, quin prius agat in propinquum.

Secundo arguitur: Quia divina virtute potest aliquid agere in distans prius, quam in propinquum: ergo illa conditio non requiritur essentialiter, sed solum ratione ordinis naturalis, non est autem ratio cur non possit talis ordo vinci, et suppleri ab aliqua causa naturali. Eadem enim inconvenientia sequuntur, si supernaturaliter vincatur, vel si naturaliter. Confirmatur, quia videmus aliqua moveri in absentia, vel distantia suorum agentium sine virtute diffusa per medium, sicut sagitta impulsa movetur in parte distanti, non impulso medio, et similiter grave movetur deorsum sine ulla motione actuali generantis. Ac denique, si quis ad ostium fornacis manum apponat, calefit ab igne fornacis, si autem concludatur ostium, statim cessat calor in manu. Ergo signum est, quod aer non calefaciebat immediate, sed ignis.

Respondetur conditionem istam approximationis suppleri posse a Deo, neque essentialiter esse requisitam, sed naturaliter propter limitationem virtutis agentium naturalium, eo quod virtus limitata non solum limitatos effectus producit, sed etiam in ipso modo producendi limitata est, et ideo non potest in quamcunque distantiam sine limite operari, sed in materiam determinatam, alioquin non magis determinabitur ad unam quam aliam, sicut non potest forma quamcunque materiam informare, sed eam quæ mediantibus dispositionibus sibi appropinquat, et sibi subjicitur. Deus autem potest hanc determinationem supplere, quia virtus ejus ubique tangit, et sic potest suo concursu causæ creatæ subjicere non solum materiam conjunctam et applicatam, sed etiam distantem, quia res-

pectu concursus Dei nihil est distans, et sic non sequuntur eadem inconvenientia, si Deus velit concurrere cum causa creata sine alligatione ad talem modum ejus connaturalem, respectu materiæ sibi proximæ et conjunctæ.

Ad confirmationem respondetur, quod in impulsu sagittæ virtus impellentis non solum est in aere proximo, sed in ipsa etiam sagitta, et in aere eam deferente, qui tamen aer a sagittante primo fuit impulsus et illa impulit partes sequentes, et illæ alias, et sic semper transivit virtus per medium, sed quia est virtus de se transiens, cum est in partibus sequentibus desinit esse in anterioribus, aer enim primo divisus a sagitta rursus in se reclusus est, et quiescit, impulsu ultra transeunte. In gravibus autem non fit motus a virtute emissa de novo a generante, sed ipsi naturæ a principio impressæ, ex qua per dimanationem oritur motus, non per novam actionem. Et ad ultimum de igne fornacis dicimus, quod recluso ostio, continuo debilitatur calor, qui est in aere ut in subjecto extraneo, et manus sentit debilitationem caloris, quousque totaliter a contrariis corrumpitur vel temperatur; unde non sequitur quod non calefaciebat per medium.

CIRCA LIBRUM OCTAVUM.

DE MOTUS ÆTERNITATE, ET REDUCTIONE IN PRIMUM MOTOREM.

QUÆSTIO XXIII.

DE MOTU RERUM NATURALIUM, ET PROJECTORUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum gravia, et levia moveantur a se, vel a principio extrinseco?

Hæc difficultas admodum celebris est, et ejus resolutio pendet ex principiis, quæ valde conducunt ad alias materias, in quibus agitur de motibus dependentibus a principiis extrinsecis, ut in prima intellectione, et prima volitione, in motu cordis, et similibus. Et supponimus hic duo tanquam certa, et in uno est tota difficultas.

Primo, est certum gravia et levia habere in se formam, et principium sive activum, sive passivum, ut etiam in absentia sui generantis, omni alio extrinseco movente remoto, moveantur, cum id constet ipsamet experientia: hoc autem principium est duplex, scilicet principale, quod est forma substantialis, quæ est radix illius motus, et minus principale, quod est gravitas, vel levitas, ut enim dicit D. Thomas in II, dist. XIV, quæst. I, artic. V ad secundum: « Sicut substantia non est

principium alterationis, nisi mediante calore, vel frigore, ita neque est principium motus, vel quietis localis, nisi mediante gravitate et levitate. » Unde male aliqui recentiores negant, gravitatem et levitatem esse qualitates, sed substantiam ipsam gravis et levis: nam gravitas suscipit magis et minus, unde illud dicitur gravissimum, quod petit esse in infimo loco, ut patet in primo de Cœlo, text. XVIII, lect. V, apud D. Thomam, substantia autem non suscipit magis et minus. Sola autem compressio partium non facit gravitatem, sed hoc pertinet ad densitatem, quæ etiam qualitas est, non substantia; potest autem dari corpus densum, nec tamen grave, nec leve, ut corpus solis et astrorum, potest etiam aliquid esse minus densum, et magis grave, sicut lignum, quod natat super aquam, et corium aquam plenum fertur in profundum, aqua autem non est densior ligno, neque corium, licet verum sit quod densitas juvet ad majorem gravitationem.

Secundo, est certum quod generanti saltem remote tribuitur motus gravis in hoc sensu, quia dat formam, et principium ipsi gravi, quo movetur. Sed hac ratione etiam generans dat viventi formam, et principium quo movetur vitaliter, et tamen vere movet se.

Quare difficultas in hoc consistit, an res inanimatæ accipiant a generante non solum virtutem movendi, sed etiam motum ipsum, ita ut licet habeant in se principium motus ut *quo*, sive passivum, sive activum, tamen principium movens ut *quod* non sit ipsum grave, quod movetur, sed ipsum generans, a quo accipit formam et motum.

Duplex est sententia: prima docet gravia et levia moveri ab intrinseco, nec habere motum a generante, sed solum ab eo habere virtutem ut moveantur, et hac ratione attribui motum eorum generanti, tanquam principio remoto, non ut proximo ipsius motus. Quæ sententia attribuitur Scoto in II, dist. II, qu. X; Gregorio dist. VI, q. I, art. III, et sequuntur plures ex recentioribus, ut Placa II Physic. disp. V, qu. VII; Pererius lib. VI, c. XVI; Martinez II Phys. in illustratione capitis primi, notabili VI; Cabero VII Physic. disp. unica, dub. III.

Opposita sententia tanquam Aristotelica docetur a D. Thoma pluribus in locis I p. q. XVIII, art. I ad 3, q. CV, art. II et II contra Gent. cap. XLVI, et III contr. Gent. cap. XXIII, et VIII Physic. lect. VIII, et II de Cœlo, lect. II, et in II, dist. XIV, q. I, art. III, et alibi sæpe. Et D. Thomam sequuntur communiter ejus discipuli, et alii, qui citantur a Conimbricensibus lib. VIII, c. IV, q. I, art. II, et Cursu Carmelitano disp. XXVIII, q. II.

Continet autem hæc sententia quatuor dicta, ex quibus tria tanquam certa affirmantur ab his Auctoribus, et in alio est dubium inter ipsos. Primum dictum: Principium motus gravium, et levium per accidens, est removens prohibens, sicut qui removet columnam est causa quod descendat lapis, sed per accidens, non per se. Secundum dictum: Principium talis motus per se ut *quod* est generans ipsum grave, mediante tamen principio intrinseco, quod est forma gravis, et gravitas ejus, tanquam principia ut *quo*, eo quod isto motus dimanat a tali forma. Tertium dictum: Nullo modo ipsum grave movet se ipsum tanquam motor, et ut *quod*. Quartum dictum: Principium *quo*, scilicet forma, et gravitas alii dicunt esse principium passivum talis motus, alii activum. Sed verius est in sententia D. Thomæ, quod est principium activum formale, ut distinguitur

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pectu concursus Dei nihil est distans, et sic non sequuntur eadem inconvenientia, si Deus velit concurrere cum causa creata sine alligatione ad talem modum ejus connaturalem, respectu materiæ sibi proximæ et conjunctæ.

Ad confirmationem respondetur, quod in impulsu sagittæ virtus impellentis non solum est in aere proximo, sed in ipsa etiam sagitta, et in aere eam deferente, qui tamen aer a sagittante primo fuit impulsus et illa impulit partes sequentes, et illæ alias, et sic semper transivit virtus per medium, sed quia est virtus de se transiens, cum est in partibus sequentibus desinit esse in anterioribus, aer enim primo divisus a sagitta rursus in se reclusus est, et quiescit, impulsu ultra transeunte. In gravibus autem non fit motus a virtute emissa de novo a generante, sed ipsi naturæ a principio impressæ, ex qua per dimanationem oritur motus, non per novam actionem. Et ad ultimum de igne fornacis dicimus, quod recluso ostio, continuo debilitatur calor, qui est in aere ut in subjecto extraneo, et manus sentit debilitationem caloris, quousque totaliter a contrariis corrumpitur vel temperatur; unde non sequitur quod non calefaciebat per medium.

CIRCA LIBRUM OCTAVUM.

DE MOTUS ÆTERNITATE, ET REDUCTIONE IN PRIMUM MOTOREM.

QUÆSTIO XXIII.

DE MOTU RERUM NATURALIUM, ET PROJECTORUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum gravia, et levia moveantur a se, vel a principio extrinseco?

Hæc difficultas admodum celebris est, et ejus resolutio pendet ex principiis, quæ valde conducunt ad alias materias, in quibus agitur de motibus dependentibus a principiis extrinsecis, ut in prima intellectione, et prima volitione, in motu cordis, et similibus. Et supponimus hic duo tanquam certa, et in uno est tota difficultas.

Primo, est certum gravia et levia habere in se formam, et principium sive activum, sive passivum, ut etiam in absentia sui generantis, omni alio extrinseco movente remoto, moveantur, cum id constet ipsamet experientia: hoc autem principium est duplex, scilicet principale, quod est forma substantialis, quæ est radix illius motus, et minus principale, quod est gravitas, vel levitas, ut enim dicit D. Thomas in II, dist. XIV, quæst. I, artic. V ad secundum: « Sicut substantia non est

principium alterationis, nisi mediante calore, vel frigore, ita neque est principium motus, vel quietis localis, nisi mediante gravitate et levitate. » Unde male aliqui recentiores negant, gravitatem et levitatem esse qualitates, sed substantiam ipsam gravis et levis: nam gravitas suscipit magis et minus, unde illud dicitur gravissimum, quod petit esse in infimo loco, ut patet in primo de Cœlo, text. XVIII, lect. V, apud D. Thomam, substantia autem non suscipit magis et minus. Sola autem compressio partium non facit gravitatem, sed hoc pertinet ad densitatem, quæ etiam qualitas est, non substantia; potest autem dari corpus densum, nec tamen grave, nec leve, ut corpus solis et astrorum, potest etiam aliquid esse minus densum, et magis grave, sicut lignum, quod natat super aquam, et corium aquam plenum fertur in profundum, aqua autem non est densior ligno, neque corium, licet verum sit quod densitas juvet ad majorem gravitationem.

Secundo, est certum quod generanti saltem remote tribuitur motus gravis in hoc sensu, quia dat formam, et principium ipsi gravi, quo movetur. Sed hac ratione etiam generans dat viventi formam, et principium quo movetur vitaliter, et tamen vere movet se.

Quare difficultas in hoc consistit, an res inanimatæ accipiant a generante non solum virtutem movendi, sed etiam motum ipsum, ita ut licet habeant in se principium motus ut *quo*, sive passivum, sive activum, tamen principium movens ut *quod* non sit ipsum grave, quod movetur, sed ipsum generans, a quo accipit formam et motum.

Duplex est sententia: prima docet gravia et levia moveri ab intrinseco, nec habere motum a generante, sed solum ab eo habere virtutem ut moveantur, et hac ratione attribui motum eorum generanti, tanquam principio remoto, non ut proximo ipsius motus. Quæ sententia attribuitur Scoto in II, dist. II, qu. X; Gregorio dist. VI, q. I, art. III, et sequuntur plures ex recentioribus, ut Placa II Physic. disp. V, qu. VII; Pererius lib. VI, c. XVI; Martinez II Phys. in illustratione capitis primi, notabili VI; Cabero VII Physic. disp. unica, dub. III.

Opposita sententia tanquam Aristotelica docetur a D. Thoma pluribus in locis I p. q. XVIII, art. I ad 3, q. CV, art. II et II contra Gent. cap. XLVI, et III contr. Gent. cap. XXIII, et VIII Physic. lect. VIII, et II de Cœlo, lect. II, et in II, dist. XIV, q. I, art. III, et alibi sæpe. Et D. Thomam sequuntur communiter ejus discipuli, et alii, qui citantur a Conimbricensibus lib. VIII, c. IV, q. I, art. II, et Cursu Carmelitano disp. XXVIII, q. II.

Continet autem hæc sententia quatuor dicta, ex quibus tria tanquam certa affirmantur ab his Auctoribus, et in alio est dubium inter ipsos. Primum dictum: Principium motus gravium, et levium per accidens, est removens prohibens, sicut qui removet columnam est causa quod descendat lapis, sed per accidens, non per se. Secundum dictum: Principium talis motus per se ut *quod* est generans ipsum grave, mediante tamen principio intrinseco, quod est forma gravis, et gravitas ejus, tanquam principia ut *quo*, eo quod isto motus dimanat a tali forma. Tertium dictum: Nullo modo ipsum grave movet se ipsum tanquam motor, et ut *quod*. Quartum dictum: Principium *quo*, scilicet forma, et gravitas alii dicunt esse principium passivum talis motus, alii activum. Sed verius est in sententia D. Thomæ, quod est principium activum formale, ut distinguitur

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

contra materiale et mere passivum, non autem est principium activum per modum motoris et agentis.

De primo dicto non est difficultas aliqua. De quarto, explicabimus mentem D. Thomæ infra. De secundo et tertio, probandum nobis est, quod sit sententia Aristotelis, et vera, tum quantum ad id quod negatur, scilicet grave non moveri a se; tum id quoad quod affirmatur, scilicet moveri a generante, ut a principio *quod*, et a forma intrinseca, et gravitate, ut a principio *quo*, quia mediante illo dimanat motus.

Quod ergo sit sententia Philosophi, constat manifeste ex hoc libro VIII, cap. IV, art. text. XXIX, supponit enim Philosophus gravia et levia suapte natura moveri, id est, naturali motu, et non violento, inquirit autem a quo principio moveantur, et inquit: « Est autem impossibile, quod moveantur a seipsis, est enim hoc officium vitæ, et animatorum proprium, quæ consistere in se ipsis possunt. » Subjungit autem in textu XXXIII: « Eorum quæ natura moventur, iterum quæcunque a se ipsis moventur, ab aliquo moventur, et quæ non a se ipsis, ut gravia et levia (aut enim a generante, et faciente leve et grave, aut ab eo quod impedientia, et prohibentia solvit) omnia ergo quæ moventur, ab aliquo moventur. » Videri etiam potest Aristoteles lib. III, et IV de Cœlo, in locis quæ infra citabimus adducendo auctoritates D. Thomæ.

Et licet verba citata clarissima sint, respondent tamen oppositi Auctores dupliciter. Primo, quod Aristoteles solum voluit docere, quod gravia et levia non moventur a se ipsis eo modo, quo animalia, scilicet motu spontaneo et progressivo, non tamen voluit negare, quod omnino moveantur ab alio cum dicat suapte natura moveri. Secundo, respondetur quod dixit Philosophus gravia et levia moveri a generante per quamdam attributionem, non sicut a proximo, et per se movente; nam eodem modo dixit, quod moventur a removente prohibens, cui tamen non attribuitur iste motus, nisi per quamdam attributionem, et sic Aristoteles non assignat hic principium proximum motus gravium, sed remotum.

Sed prima solutio omnino aberrat ab intento Aristotelis, cum enim ipse intendat probare, quod omne quod movetur ab alio movetur, quando dicit gravia et levia non a se moveri, sed ab alio; si solum intelligitur non moveri a se motu spontaneo, bene tamen alio motu, qui sit ab intrinseco, ergo ex hoc solum poterat inferre, quod omne quod movetur, non movetur ab alio motu spontaneo, non tamen quod absolute movetur ab alio et non a se ipso, cum tamen absolute Philosophus dicat omne quod movetur ab alio moveri. et gravia et levia a se ipsis non moveri. Deinde, quia viventia non solum moventur a se ipsis in motu spontaneo, quem possunt sistere quando volunt, sed etiam in motu omnino naturali, quem non possunt detinere, ut in motu nutritionis, et augmentationis, et aliis similibus, ergo non sufficienter probavit Aristoteles gravia et levia non moveri tanquam viventia, et a se ipsis, si solum intelligit quod non moventur a seipsis motu spontaneo, sed utrumque exclusit, scilicet quod non moventur motu spontaneo, neque alio motu a se ipsis, ut motu augmentationis, etc. Quod autem dicit Philosophus moveri suapte natura et levia, non intelligit, quod a seipsis moventur, sed naturaliter et non violenter.

Secunda vero solutio levissima est: tum quia moveri a generante, ut a principio remoto, et per quamdam attributionem etiam convenit

viventibus, quia accipiunt a generante virtutem se movendi, ergo si solum hac ratione tribuitur generanti motus gravium et levium, qui gravia et levia accipiunt virtutem a generante ut moveant se, nullam differentiam poneret Aristoteles inter gravia et levia, et inter viventia, cum tamen dicat a se ipsis non moveri, quia hoc est proprium animatorum; tum etiam, quia intentum Aristotelis non erat probare, quod omnia quæ moventur, moventur ab alio per quamdam attributionem, et ut a principio remoto, siquidem id probat per inductionem in his, quæ moventur ab alio, ut a principio proximo, sicut in his, quæ moventur violenter, et in viventibus. Ergo insufficienter relinqueret probatum Aristotelis illud principium, si in gravibus et levibus non probaret, quod moventur ab alio nisi tantum remote, et per quamdam attributionem, nec deberet dicere, quod omne quod movetur, movetur ab alio, sed quod habet virtutem ab alio, ut moveatur; hoc enim est moveri ab alio, ut a principio remoto, quod tamen non dixit Aristoteles.

Et fundamentum hujus sententiæ stat in duobus. Primo, quantum ad partem negativam, quod non moveantur a se. Secundo, quantum ad positivam, quod moveantur a generante. Quod a se non moveantur, ratio Philosophi satis ostendit. Primo, quia moveri a se est proprium viventium; in hoc enim præcise distinguuntur viventia a non viventibus, quia movent se et non solum ab alio: et tunc dicitur aliquid carere vita, quando non amplius se movet, ut optime S. Thomas ostendit I p. q. XVIII, ar. I. Et constat, quod viventia non solum motu progressivo se movent, quod solum convenit animalibus perfectioribus, sed etiam motu vegetationis, et nutritionis, sicut convenit plantis; et ita quilibet motus a se sufficit ad rationem vitæ. Deinde etiam, quia in lapide, v. g. omnes partes sunt ejusdem rationis et virtutis, nec est alia movens, et alia mota, sicut est necessarium in his, quæ se movent, ut probat Philosophus in hoc libro, cap. V. Alioquin eadem pars esset simul movens et mota in actu, et potentia respectu ejusdem contra id quod probatum est quæstione præcedenti. Nec sufficit distinguere materiam et formam, ita ut materia sit pars mota, et forma pars movens, quia materia sola non est capax motus stricte dicti, ut ex Philosopho in V Phys. probat D. Thomas in II, dist. XIV, q. I, ar. III, et q. XXII, de Ver. ar. III, et III contra Gent. cap. XXII, respectu autem mutationis substantialis movetur a generante. Forma autem est principium *quo* movendi, non autem motor, nisi habeat adjunctas partes organicas; qua ratione dicit Philosophus hoc libro, c. IV, quod anima est pars movens, scilicet mediantibus partibus organicis.

Quoad partem vero positivam, scilicet quod motor gravium et levium sit generans, ex eo deducitur, quia id quod acquiritur per motum in gravibus, et levibus est esse in loco, et situ determinato in universo, quod unicuique debetur juxta propriam naturam, perfectiori enim debetur locus superior, et inferiori inferior. Quare hoc ipsum debet dari a generante naturam cum ei debeatur ex vi et proprietate naturæ, et in ipso instanti generationis; res enim generatur cum suis proprietatibus et accidentibus inseparabilibus, sicut res generatur cum colore et figura, et cæteris dispositionibus, ergo etiam sibi debetur situatio et ordinatio aliqua in universo juxta propriam naturam.

Est autem hæc differentia inter viventia, et non viventia, quod propria et naturalis dispositio viven-

tium, est esse in motu, ita quod idem est viventi mors, quod carentia omnis motus a se. Naturalis autem dispositio non viventium est quiescere, et removeri a quiete est removeri a dispositione naturali. Unde proprius actus gravis et levis, est esse deorsum aut sursum, ut dicit Philosophus in hoc capite IV text. XXXII, et ibi D. Thomas lect. VIII, atque adeo gravitas et levitas primo, et per se dantur ad quiescendum in loco, non ad movendum; sed quia ipsum quiescere est quædam proprietas et passio naturæ, vel ad modum proprietatis, ideo pertinet ad complementum generationis obtinere quietem, sicut obtinere alias partes et proprietates naturæ, nisi obstet aliquod impedimentum, et cum nihil generet se, ideo talem quietem obtinere non pertinet ad ipsum grave, sed ad illud a quo generatur, ita quod ipsa tendentia ad quietem seu motus ad illam quoties a tali naturali dispositione removetur grave, est pars quædam generationis et complementum ejus, quod, ut recte dixit Cajetanus I p. q. XVIII, art. I, valde notandum est pro materia gravium et levium, inde enim pendet tota intelligentia illius. Igitur quoties impeditur propria passio manente forma in subjecto toties sublato impedimento resultat in vi illius generationis, qua primo producta est, quia ex vi illius debetur, sicut ablato uno puncto in linea resultat aliud, et ablata subsistentia Verbi, resultaret propria in humanitate Christi. Quod si ex ablatione propriæ passionis vel motus ejus, forma non maneat in subjecto eo quod removentur dispositiones requisitæ, non mirum, quod non amplius resultet illa passio, sicut impedito motu cordis, iterum non resultat, quia moritur animal, nec manet in eo forma a qua resultet.

Itaque motus in gravi et levi est emanatio quietis seu tendentia ad quietem in loco sibi debito, quæ emanatio virtualiter est ipsa prima generatio et complementum ejus. Sed tamen illa quies quando in loco proprio, in ipso primo instanti generationis datur, resultat sine motu per simplicem emanationem, si autem res sit extra proprium locum, datur per remotionem contrarii, et tollendo terminum a quo, atque adeo per motum, generatio enim illa in attingentia passionum potest vim habere motus, quatenus non solum dare potest ipsam proprietatem, sed removere ab opposito a quo impeditur, vel in quo invenitur. Et idem prorsus est in reductione aquæ ad connaturalem frigiditatem, si ablata sit.

Solvuntur argumenta.

Sed dices primo: Instari hanc nostram rationem in multis aliis actionibus, quæ etiam pertinent ad naturalem dispositionem et perfectionem rei, nec tamen attribuuntur generanti; nam in viventibus motus augmentationis et nutritionis, et respirationis, et in non viventibus calefactio ignis et generatio alterius, attractio ferri a magnete, et similes pertinent ad perfectionem eorum. Secundo, quia motus cordis prima intellectio et volitio non sunt a generante; tum quia sunt actu vitales et consequentes a principio intrinseco, non ab extra; tum quia non sunt per emanationem sicut propriæ passiones, alias ad actionem daretur actio, et ad motum motus, et ipsi primi actus intellectus et voluntatis clarum est quod per emanationem ab essentia esse non possunt, sed per veram elicientiam; tum denique, quia motus cordis non datur in primo instanti, cum in instanti motus non sit; ergo non est a generante,

solum enim tribuit generans id quod in primo instanti convenit. Tertio, quia datur principium elicitivum hujus motus in gravi, scilicet ipsa gravitas, mediante qua movetur; ergo non dimanat motus, ut propria passio, quia ad dimanationem non exigit substantia qualitatem mediam, qua tanquam principio operetur.

Ad primum respondetur, quod augmentatio et reliqui motus naturales sunt quidem perfectiones, sed non propriæ passiones ipsarum rerum, nec propriarum passionum acquisitiones; unde in ipsis non consummatur generatio, nec natura genita, et sic non tribuuntur a generante, sed acquiruntur a genito.

Ad secundam instantiam respondetur, omnes illos motus esse a generante, ut a movente sicut de motu cordis docet D. Thomas I-II, q. XVII, art. IV ad 2 et opusc. XXXV, et de primo motu intellectus, et voluntatis, quo movetur a Deo, I par. quæst. XVIII, artic. III, et qu. LXIII, artic. V, et I-II, quæst. IX, art. IV. Primus enim motus intellectus, et voluntatis, quia est circa finem, se habet sicut motus cordis, quia respectu finis in communi nunquam deficit, seu peccat; respectu vero finis in particulari, si deficiat, est mortale peccatum, quasi carentia vitæ. Sed tamen illi actus vel motus, licet sint ab extrinseco movente, sunt tamen ab extrinseco principio eliciente, quia actus vitales sunt, unde non se habent ut propriæ passiones, quæ ita dimanant, quod sola actione generantis fiunt, ita ut ipsum subjectum, cui conveniunt mere passive se habeat, ideoque motus cordis solum vocatur a D. Thoma accidens per se consequens vitam, in I-II, qu. XVII citata. Pertinet tamen ad generans dare tale accidens, seu motum ipsi genito, quia primus ille motus per se requiritur ad constituendum vivens in proprio statu viventis, quod est esse in motu, et non in pura quiete. Sed quia est in motu, non quomodocunque movente, sed movente ut se moveat, et ut agat, consequenter non est ab ipso vivente mere passive, ita ut recipiens motum illum nihil omnino agat, sed elicitive a principio activo, quia actus vitalis est; sed quia est actus vitalis talis viventis, quod habet vitam participatam ab alio, et dependentem ab alio, seu motum ab alio, ideo in illo actu et primo motu ab extrinseco principio movetur, sed movetur ut moveat, et ut agat, de quo D. Thomas prim. p. q. CV. art. IV ad secundum, et q. LXXXIII, art. I ad tertium, et q. XVIII, art. III. Quod si dicas: Quia eadem ratione primus motus ignis ad calefaciendum deberet esse a generante, quia ipso impetu naturæ emittit calorem, et pertinet ad generans, non solum dare proprias passiones, sed etiam accidentia concomitantia, negatur consequentia, quia motus ignis ad calefaciendum non pertinet ad constituendam naturam, nec perficiendum in ipso primo statu naturæ, quia ignis per calefactionem non movet se, sed alterum distinctum a se, natura autem est principium motus non alterius a se, sed ejus in quo est.

Primus autem motus viventis est motus ad movendum se, et sic pertinet ad ipsum statum naturæ, quia debet constitui natura in ratione principii motus in se ipso, principium autem motus non est solum forma, et virtus agendi, ut in potentia, sed ut mota ad agendum; et sic pertinet ad ipsum generans constituere genitum in ratione principii moti, ut moveat, eo quod primus motus non supponit alium priorem in ipso, per quem ad eum aliquis se moveat, sicque debet esse a principio extrinseco. Reliqui vero motus

inda secuti non attribuuntur generanti, quia non pertinent ad ipsum primum statum, generationemque naturæ, nec se habent ut accidens consequens naturam, sed pertinent ad perfectionem, vel acquisitionem alicujus superadditi naturæ jam perfectæ. Et ad omnes istos motus movetur animal ex primo motu cordis, sive sint alteratio, sive augmentatio, quia omnes spiritibus vitalibus a corde emanantibus aguntur.

Quod vero dicitur, ad actionem et motum non dari actionem et emanationem, respondetur motum et actionem vere emanare, quia se ipsa et non alia actione fit, et ita si sit actio pertinens ad primum statum naturæ, consequitur naturam productam ex vi ipsius generationis, in gravibus quidem et levibus, quia ipse motus est emanatio collocationis et situationis in loco proprio; et si fiat cum expulsione loci oppositi, erit proprie motus ex contrario; in viventibus autem motus ipse non est emanatio alicujus propriæ passionis, sed est actio elicita ab ipso vivente dependenter ab ipso generante et generatione, quatenus producit vivens sic actuatum, ut eliciat illum motum primum, quo constituetur in ratione principii moti se moventis, et ideo si generans non est deficiens, ille primus motus cordis, vel voluntatis deficiens esse non potest. Quid autem illa actio producat? Respondetur quod in corde producit ubi, seu mutationem loci similem motui locali cœli, ut dicit S. Thomas opusc. LIII, eo quod est continuus, et per modum conversionis, seu trepidationis: in intellectu autem producit conceptum, in voluntate terminum spirationis, seu amoris.

Quod vero dicitur, non dari motum cordis in primo instanti generationis, respondetur non dari tunc formaliter et intrinsece, sed initiative extrinsece, quia motus incipit per ultimum non esse.

Ad tertiam instantiam respondetur quod petit illud quartum dictum supra positum, quomodo gravitas sit principium motus. Nam principium intrinsecum quod est forma substantialis et gravitas, aliquando vocatur a S. Thoma principium passivum, ut III part. q. XXXII, art. III et in I de Cœlo, lect. III, imo in hoc libro VIII, lect. VIII, non solum id affirmat, sed addit: « Esse contra intentionem Philosophi, quod in materia sit principium activum, quod quidam dicunt esse necessarium, ad hoc quod sit motus naturalis, sufficit enim quod sit passivum, quod est potentia naturalis ad actum. » Videri etiam potest I-II, q. VI, ar. V. ad 2 et III contra Gent. c. XXII. Quod obiter advertendum est contra Vazquez, et alios, qui principio passivo negant rationem naturæ ut supra quæst. IX vidimus. Quod vero in gravibus, et levibus sit principium activum motus, expresse affirmat quæst. V de Potent. artic. V et IV contra Gent. cap. XCVI, et I-II, quæst. LVI, artic. II et in II, dist. XVIII, q. I, art. II, in fine corporis, et alibi sæpe. Veritas tamen est, quod ly *activum* aliquando sumitur pro principio formali, sive sit principium emanationis, sive actionis. Aliquando sumitur pro principio effectivo et movente, et hoc ideo, quia passivum, et opponitur formæ, et opponitur agenti, et ideo activum utroque modo sumitur. In gravibus ergo datur principium activum formale, et per modum emanationis; non vero activum per modum moventis, seu uno verbo datur principium activum, ut *quo*, non ut *quod*. Quæ resolutio sumitur ex D. Thoma in II, dist. XIV, q. I, art. III, ubi inquit: « Quod in motu corporum simplicium, quamvis forma naturalis sit principium motus, non tamen

est motor, sed essentialis motor est generans, qui dedit formam, et accidentalis est removens prohibens, ut dicitur VIII Physicor. » Unde in illis locis, quibus affirmat esse principium passivum, negat D. Thomas dari principium activum, quo constituatur movens eo modo, quo in viventibus datur principium activum ad motum; et sic sumit ly *activum* pro motore, ut præcipue videri potest I de Cœlo, lect. III et II de Cœlo, lect. II, et aliis locis. Quando vero dicit esse in eis principium activum sui motus, loquitur de principio intrinseco emanationis, et comparative ad cœlum, in quo non invenitur principium activum motus, nec per modum motoris, nec per modum principii a quo emanat motus, sed pure recipit illum a movente, et impellente extrinseco, gravia autem et levia sine impellente extrinseco per formam quam habent a generante, moventur per modum emanationis, qua tendunt ad propriam situationem in universo.

Quod si dicas: Quare ergo requiritur gravitas, et levitas ad hujusmodi emanationem, siquidem substantia per se ipsam est sufficiens principium emanationis, non vero requirit qualitates superadditas ad emanationem, sed ad actionem propriam, respondetur etiam in ipsa emanatione passionum, emanare unam mediante alia, sicut voluntas medio intellectu, risibile mediante admirativo, de quo S. Thomas I par. qu. LXXVII, art. IV et VII. Motus autem, et quies in loco, oritur in gravibus, et levibus mediante qualitate, quæ est gravitas, et levitas, quia locus non convenit immediate ipsi substantiæ, sed vel mediante quantitate quantum ad extensionem, et situationem, vel mediante qualitate quantum ad rationem loci naturalis, et conservativi, hoc enim maxime a qualitatibus pendet; esse autem sursum, vel deorsum secundum naturalem inclinationem convenit alicui secundum quod in tali situ convenienter se habet ad sui conservationem; unde gravitas et levitas non est virtus primo et per se motiva; neque enim datur gravi, et levi ad operandum primo et per se, sed ad quiescendum et existendum in loco; quia perfectio talium corporum non est in operando, sed in quiescendo, viventium autem perfectio est in operando ophus; et ita dixit Philosophus in hoc libro, textu XXXII, quod actus gravis est esse deorsum.

Tandem objicies pro prima sententia, quia licet intelligi possit, quod in primo instanti generationis movetur grave a generante, tamen quando postea posito impedimento interrumpitur generatio, et rursum movetur grave, oportet quod sit alia actio distincta a generatione; et tunc jam non est generans. Ergo non potest ab illo talis actio elici. Nec sufficit ponere virtutem generantis ut mediante illa dicatur generans movere, quia restat difficultas, quomodo ista virtus, et a quo moveatur, ut de novo incipiat operari, quia omnis virtus operatur mota. Et licet sit eadem difficultas in quacunque propria passione, quando post impedimentum iterum dimanat a subjecto siquidem emanatio non distinguitur ab actione generantis, tamen specialem difficultatem habet in motu gravium, et levium, et reductione aquæ ad frigus, quia hic intervenit verus et proprius motus a contrario in contrarium. Omnis autem motus in actu, requirit quod movens de novo excitetur ad operandum, et non solum virtualiter moveatur. Dicere autem, quod gravitas est principium passivum motus, major est complicatio, quia restat tunc inquirere, a qua virtute activa hoc principium passivum moveatur, si enim

a generante movetur, ab ipso debet active hoc principium passivum moveri, et cum generans non est per se ipsum præsens ipsi gravi quod movetur, debet aliquam virtutem activam in eo relinquere; unde tollere omne principium activum etiam emanationis in gravi, est tollere quod a generante in absentia moveatur.

Respondetur D. Thomam IV de Cœlo, lect. II, ubi luculenter rem istam tractat, in eam partem inclinare, quod quando grave generatur extra locum suum, et movetur ad locum proprium, tunc ille motus immediate est a generante in quantum dat formam, cui competit esse deorsum, mediatum autem principium activum talis motus est gravitas, quod etiam affirmat I-II, q. XXIII, art. IV. Si vero grave post ipsam generationem, et acquisitam formam suam sublato impedimento movetur, tunc generans non est proximum movens, sed ipsum grave est quod proxime se movet; nec est inconveniens, quod idem sit movens, et motum per accidens, quamvis sit impossibile, idem moveri a se ipso primo, et per se.

Cæterum auctoritas ista non est D. Thomæ qui quartum librum de Cœlo non est interpretatus, sed in tertio de Cœlo, lect. VIII, finiuntur commentaria D. Thomæ, reliqua vero adjecta sunt a Petro de Alvernia; quare D. Thomas in III de Cœlo, lect. VII, circa finem docet contra Averroem: « Quod forma gravis et levis non est principium activum per modum moventis, et sicut agens motum: sed sicut quo movens movet, sed motus gravium et levium procedit a generante immediate.» Et expresse impugnat Averroem, qui dicebat, quod corpus grave, et leve movet se ipsum per accidens, sicut nauta, qui movet navem, a cujus motu ipsi movetur.

Dicendum est ergo, quod motus gravium, et levium semper est a generante, sive fiat in principio generationis, sive postea quando sublato impedimento iterum grave movetur, quia semper est emanatio propriæ passionis, nempe collocationis et quietis in loco proprio. Et licet generatio prima cesset, et interrumpatur formaliter, tamen manet virtualiter, quia manet ipsa virtus generationis qua generans generabat, quatenus manet forma genita impedita suo complemento, et propria passione; generans autem non attingit proprias passiones immediate, sed mediante forma, cui conveniunt et connectuntur. Ut autem dicit D. Thomas quæstiuncul. III de Potentia, articulo XI ad 5: « Generatum tamdiu movetur a generante in gravibus et levibus, quamdiu retinet formam sibi traditam a generante, sicut instrumentum intelligitur moveri a principali agente, quamdiu retinet virtutem a principali agente impressam. Oportet autem movens, et motum esse simul, quantum ad principium motus, non tamen quantum ad totum motum, ut apparet in projectis. » Ita D. Thomas. Quare cum virtus relicta a generante non sit aliud, quam forma geniti, ut perficiatur generatio in his, quæ habent connexionem cum ipsa forma, quoties-cunque impeditur ista virtus, ne explicet se in talem emanationem propriæ passionis, sublato impedimento, iterum se explicat nova quidem emanatione, sed eadem virtute petente illam novam instaurationem, et explicationem emanationis, quoties de novo impeditur, et impedimentum tollitur. Nec ad hoc indiget nova excitatione, et motu, quia jam de se determinata est, ut sublato impedimento emanet iterum propria passio propter necessariam connexionem, et debitum propriæ passionis cum natura genita, jam mota a generante, quando prima attacta est, facta est enim ut determinata ad hanc passionem; neque est aliud virtus generantis remanens in genito, quam ipsa forma generata, ut dicit D. Thomas quatenus connexionem habet cum sua propria passione, et ad talem emanationem de novo non requiritur nova motio, aut determinatio sed impedimenti ablatio. Videatur etiam ad hoc D. Thomas V Physic. lect. III, ubi docet, novam relationem consurgere ex vi actionis ponentis fundamentum, in quo relatio continebatur virtualiter, sed explicatur posito termino, sive nova actione, et mutatione.

Sed dices: Si ille motus est emanatio propriæ passionis, cur est velocior in fine, quem in principio, et non semper æqualis, respondet D. Thomas I de Cœlo, lect. XVII, circa finem, ex eo esse, quod grave quanto magis descendit, tanto magis confortatur gravitas ejus propter propinquitatem ad proprium locum. Itaque emanatio propriæ passionis, vel est instantanea, si id quod dimanat, intra ipsum subjectum est; vel si respicit aliquid extra in quo sit, tanto est vehementior, quanto illi propinquior, quia tunc habet majorem convenientiam, et conjunctionem cum illa; unde inclinatio, et appetitus ad illam, quæ fundatur in tali convenientia confortatur, et major fit. Nec tamen valet, si dicas quod hoc modo si lapis incipit movere prope centrum, habebit motum velociorem, quam si incipiat moveri a longe, cum tamen in principio motus ille non sit ita velox. Respondetur enim, quod vehementia velocitatis non sumitur ex propinquitate loci ad locum, sed ex propinquitate emanationis ad quietem. Quando enim incipit emanatio ad quiescendum, et prolongatur, quanto magis appropinquat, tanto est velocior. Quod vero incipiat a loco majus, vel minus distante a centro, per accidens est, ad hoc ut habeat majorem velocitatem ex eo, quod a tali loco, incipit.

ARTICULUS II.

Qua vi moveantur projecta?

Tres sunt difficultates breviter tractandæ. Prima, an detur impulsus movens projectum, et quid sit. Secunda, quomodo corrumpatur talis impulsus. Tertia, quomodo fiat motus reflexus, quando resilit projectum.

Circa primum multi ex antiquis dixerunt, motum projectorum esse aerem a tergo impellentem rem projectam, qui eamdem difficultatem patiuntur in assignando, qua vi aer moveatur, ut Aristoteles advertit in hoc libro, cap. X. Negavit autem dari qualitatem impulsivam Pereira lib. XIV Phys. cap. V propter difficultates, quæ in ea asserenda inveniuntur, et auctoritates quasdam Aristotelis, quæ videntur aeri attribuere motum projectorum. Difficultates sunt, quia non apparet quæ sit ista quantitas, et cujus speciei, cum modo habeat vim levitatis tendendo sursum, modo gravitatis deorsum, modo nullius tendendo ad partes circumstantes; quomodo autem potest una qualitas tot motuum diversitates causare. Secundo, est difficultas, quomodo corrumpatur ista qualitas, cum non assignetur ei contrarium, a quo destruatur.

Auctoritates autem Philosophi sunt in IV Phys. textu LXVIII ubi dicit, projecta non posse moveri per vacuum, quia non est aer a quo deferantur. Item in hoc libro III, text. LXXXII, dicit moveri projecta, quatenus pars aeris movet vicinam, et illa aliam, quousque perveniat ad projectum, illudque deferat. Et in

III de Cœlo, text. XXIII, dicit quod motus violentus utitur aere ut instrumento : quod si aer non esset, motus violentus non esset. Et denique aliis multis utitur locis, attribuit aeri motum projectorum, non impulsui impresso rei projectæ, ut libro de insomniis, c. II et in problematibus, sect. XI, probl. VI et aliis locis. Denique, S. Thomas III de Cœlo, lect. VII dicit : « Non esse intelligendum, quod virtus motoris imprimat lapidi in motu violento aliquam virtutem per quam moveatur, sicut virtus generantis imprimit genito formam, quam consequitur motus naturalis. »

Nihilominus qualitas seu vis ista impulsiva negari non potest absolute loquendo, sive recipiatur in aere movente, sive in ipso projecto, aer enim concitatus et impulsus aliqua vi impressa indiget, ut concitetur ; ergo eadem difficultas est in hac sententia circa qualitatem istam impressam aeri, vel impressam projecto. Et Aristoteles aperte talem vim fatetur in ipso loco citato hujus libri VIII, text. LXXXII dum dicit, tunc cessare motum projectorum, cum vis movendi minor imprimitur. Et in sententia D. Thomæ negari non potest virtus ista impulsiva non per modum permanentis impressa, sed per modum transeuntis, ut loquitur in quæstione de Anima, art. XI ad 2 : « Virtus, inquit, quæ est in semine a patre, est virtus de permanens ab intrinseco, non fluens ab extrinseco, sicut virtus moventis, quæ est in projecto. » Et qu. III de Potent. art. XI ad 5, dicit : « Quod instrumentum intelligitur moveri a principali agente, quamdiu retinet virtutem a principali agente impressam, unde sagitta tamdiu movetur a projiciente, quamdiu manet vis impulsus projicientis. » Itaque a projiciente procedere vim aliquam efficientem istum motum in rebus projectis, sive illis immediate imprimatur, sive mediante aere, nec in sententia Aristotelis nec D. Thomæ negari potest, cum Aristoteles loco citato dixerit : « Id quod primum movet efficere ut aer aut aqua, aut ejusmodi aliquid, quod moveri movereque aptum sit, possit movere. » Et ratio est manifesta, cum effectus ille, scilicet motus localis rei projectæ ab aliqua vi provenire debet, non a sola virtute, quæ inhæret projicienti, quia hæc distat a projecto, nec potest operari in distans nulla virtute communicata illi, in quo effectum operatur ; alias illa virtus, si posset agere in distans sine communicatione virtutis, possit in quamcunque distantiam movere : requiritur ergo virtus aliqua extra projicientem emissa, ut operetur, sicut etiam securi communicatur aliqua vis, ut scindat tali vel tali modo, quam ex se non habet, et ab artificis motu participat.

An vero ista virtus seu impulsus recipiatur in ipsa re projecta, an in aere deferente non tanti momenti quæstio est. Videtur autem in utroque recipi. Nam verba citata D. Thomæ in ipsa figura impulsum recipi significant. Et in III de Cœlo lect. VIII dicit : « Quod aer susceptibilior est hujus impressionis, quam lapis, » quod est utrique eam attribuere. Et quidem multum juvari ab aere concitato, tum ut feratur res projecta, tum ne cadat, ipse Aristoteles docet IV Physic. text. LXVIII, licet ex aliorum sententia videatur loqui, refert enim quod alii id dicunt, loco citato ex III de Cœlo, docet ipse et D. Thomas : « Quod aer instrumentum motus violenti, » videtur etiam illa experientia juvari, ut advertit S. Thomas II de Cœlo, lect. VIII, quia res impulsa non tanto impetu fertur in principio, nec ita ferit rem propinquam, sicut aliquantulum distantem, quia aer non ita concitat plures partes in initio impulsus sicut paulo post. Cæterum non soli aeri imprimitur iste impulsus, quasi requiratur ad motum violentum projecti, quod ab extrinseco impellente, qualis est aer, moveatur. Restat enim eadem difficultas de aere distante, qui est deferens projectum distans, et etiam violenter movetur, a quo alio extrinseco moveatur, cum longe distet a projiciente. Nec apparet quomodo solus aer possit esse causa motus vehementissimi, ut globi emissi a bombarda, aut cum rota vehementissime concitatur, cur etiam res dura et solida ut lapis vehementius feratur ab impulsu, languidius vero pluma aut res alia mollis. Cum tamen si a solo vento fertur, e converso sit signum, ergo est impulsum non in solo aere recipi quasi ventum, ut ferat rem projectam.

Ad primum fundamentum oppositum respondetur multas alias qualitates esse motivas, præter levitatem, et gravitatem ut magnes movet ad se ferrum, electrum paleas, et alia similia, cur ergo negemus dari impulsum, qui sit virtus ab animali impressa quasi instrumentam ejus? Et ideo potest habere tam diversos motus, sicut ipsa virtus animalis, cujus vices gerit, ut participatio ejus : quamvis etiam facta aliqua compressione vel dispositione corporum, possit ex motu naturali aliquis impulsus seu motus resultare contra propriam inclinationem quod communiter accepit propter aliquod impedimentum obliquans motum naturalem, vel propter vacuum ne detur.

Ad quam vero speciem pertineat impulsus? Aliqui ut M. Soto hic qu. III, reducunt illum ad primam speciem, quia suscipit magis et minus, et habere potest contrarium. Alii reducunt illum ad secundam speciem, quia est virtus instrumentalis participata a potentia motiva ; reducit autem D. Thomas instrumentalem vim ad speciem potentiæ, cui deservit III p. q. LXIII, art. II. In his autem quæ reductive solum spectant ad aliquam speciem non repugnat deficere ab aliqua ejus perfectione vel conditione, ideo enim reductive solum pertinet, quia non perfecte ; et ita potest suscipere magis et minus talis virtus instrumentalis, licet non ipsa potentia cui ministrat. Et ita hoc est probabile.

Quod si dicas : Ergo in impulsu datur motus alterationis, quia productivus est qualitatis, respondetur proprie non esse alterationem, quia alteratio non est ad qualitatem instrumentalem, et per modum motionis deservientem, sed ad qualitatem disponentem materiam, vel terminantem motum per modum passionis, vel passibilis qualitatis, ut Philosophus probat lib. VII, cap. III.

Ad secundam difficultatem statim respondebimus, quomodo corrumpatur impulsus.

Ad auctoritates Philosophi respondetur ipsum non negare impulsum, quem aperte fatetur, sed docet imprimi aeri et mediante eo rei projectæ, quia ut dicit S. Thomas III de Cœlo, lect. VII, facilius recipit impulsum, quam res projecta, non enim negari potest saltem aerem ab impulsu concitari. Ad auctoritatem D. Thomæ respondetur solum negari projectis virtutem per modum permanentis, non per modum transeuntis, quæ a D. Thoma magis vocatur motus quam qualitas, quæ stabilem virtutem nominat, ut I-II, q. CX, art. II.

Secunda difficultas.

Multi existimant, impulsum corrumpi solum a contrario, non qui-

dem ab ipsa gravitate substantiali, seu habituali, sed ab accidentali, quæ non est aliud quam gravitatio, seu conatus gravis ad tollendum impedimentum descensus. Ita P. Vazquez I-II, disp. LXXXI, c. III; Montesinos I-II, disp. XXXIV, q. I. Sed urgentur isti Auctores illo vulgari argumento, quia impulsus non semper contrariatur gravitati aut levitati, ut patet, cum per impulsum lapis projicitur deorsum, vel aer traditur sursum, quo casu non est duplex motus, quia non acquiritur duplex ubi, est tamen duplex principium motus in unum conveniens, scilicet impulsus et gravitas, et tamen impulsus evanescit: quod patet, quia si impellatur lapis deorsum a loco distanti, non facit tantum in fine motus quantum in medio, v. g. globus emissus deorsum a tormento bellico languescente impetu emissionis, et durante motu gravitatis non tam vehementer ferit; signum, ergo est desinere impulsum quo fertur deorsum, et non a gravitate cum non contrarietur motui, quo impellitur deorsum.

Respondetur P. Vazquez in tali casu impulsum a terra, quam tangit corrumpi, quia impulsus ille terræ impressus aliquo modo movet eam, cum sit librata suo pondere quasi in bilance, et mota terra sua gravitatione contrariatur impulsui, eumque destruit. Alii respondent corrumpi a resistentia terræ impedimente motum impulsus, sicut impeditur a tecto sursum posito, ne ultra transeat impulsus: quod utique non est per contrarium motum, et ita non explicant, a quo contrario corrumpatur.

Cæterum illa prima solutio non potest sustineri, quia terra non est librata suo pondere quasi in bilance, sed tanquam in centro, ubi perfecte quiescit, et fundatur super stabilitatem suam. Unde nisi impulsus aliquis totam permeet, et violenter elevet, non movetur: hoc autem fieri non potest a lapillo vel grano cadente in terram, vel quolibet alio pondere; imo cum ex omni parte crebro aliqua cadant in terram, vel ambulent super eam ex omni parte, et contrariis motibus moveretur terra sursum et deorsum. Addo, quod cum his temporibus opinio quædam Copernici, et aliorum de motu naturali terræ per modum gyrationis, edicto Sedis Apostolicæ a Paulo V condemnata sit, iterum, ut a fide dignis audivi a Gregorio XV opinio de motu terræ qualicunque etiam librationis damnata est, utpote eisdem Scripturæ locis contraria. Deinde contra utramque solutionem instatur, quando leve ascendit impulsu aliquo motu, vel grave descendit, et impulsus ille cessat, antequam terram vel corpus attingat; tunc enim nullum datur contrarium, nec aliquod impediens, quo impulsus ille corrumpatur; ergo non semper a contrario corrumpitur.

Quare dicendum est, quod impulsus desinit sicut lux, et sonus, et aliæ qualitates transeuntes, quæ aliquando corrumpuntur a contrariis, aliquando desinunt ex defectu causæ conservantis, quia dantur per modum transeuntis, sicut et ipse motus. Sed tamen lux dependet a causa conservante, scilicet luminoso, taliter quod in absentia ejus, nec in instanti durat, quia illuminatio fit in instanti, et non per motum, unde cessante luminoso, in instanti desinit. Impulsus autem datur per modum motus, quia per modum virtutis instrumentalis ad movendum aliquod corpus, et ideo aliquamdiu durat in absentia motoris; et ut inquit D. Thomas quæst. de Anima, art. XI ad 2, et quæst. III de Potentia, articul. XI ad 5, quia illa virtus finita est, movet usque ad determinatam distantiam, et tamdiu moveturaliquid a projiciente, quamdiu manet vis impulsus projicientis. Quare istæ qualitates datæ per modum transeuntis ex natura sua habent dependere a principali agente, ut a conservante vel instantanee, vel secundum motum. Si vero occurrat motus oppositus, vel a gravitate, vel a levitate, vel ab alia causa ab illo corrumpetur, sicut etiam lux potest impediri ab opaco interposito, et non solum ex absentia luminosi deficere.

Quod si dicas impulsum non dependere a projiciente, ut a causa conservante, quia separatus ab ipso durat, respondetur quod impulsus separatus a projiciente, et non instauratus ab ipso, durat per modum transeuntis: et via corruptionis, quia dependet ab ipso non instantanee, sicut illuminatio, sed successivo modo sicut motus, et sic etiam separatus sit, et non continuetur cum projiciente, aliquamdiu durat, sed non diu conservatur, quia ex ipsa sua natura transeunter datur, et solum ad determinatam distantiam.

Et hinc colliges, quomodo desinat impulsus, nam si desinit per contrarium, desinit in instanti extrinseco per primum non esse, quando est verum dicere, nunc est positum contrarium, et consequenter non est impulsus, immediate antea erat. Si autem desinit defectu causæ conservantis, quia pervenit usque ad ultimam debilitationem, desinit similiter per primum non esse, quia qualitas versus diminutionem, et non gradum desinit per extrinsecum terminum parvitatis, ad quem non pervenit, et infra illum invenitur, ut diximus supra quæstione octava.

Tertia difficultas.

Circa motum reflexum dubium est, a quo causetur reflexus motus, an a corpore, v. g. a pariete, unde resilit, an a projiciente, unde incipit. Nec enim videtur posse causari a pariete: tum quia paries manet immotus, et caret vi impulsiva, et sic non potest movere, et de novo motum producere, si motus projicientis ibi deficit; tum quia quando pila, v. g. decidit in terram, et resistit ascendendo, ille ascensus non potest causari a terra, cum sit illi contrarius; tum quia non omnia corpora resiliunt, ut ferrum vel lapis, si tangant corpus durum; ergo non est a pariete illa reflexio, sed ab alia dispositione corporis impulsi; tum denique, quia pila tanto vehementius resilit quanto fortius projecta fuit; ergo non potest a solo pariete causari: hoc enim eodem modo semper se habet. A projiciente autem ille motus reflexus fieri non potest, tum quia est motus contrarius et discontinuus priori, cum in pariete frangatur prior impetus; tum, quia in pila cadente sine impulsu in terra, et resiliente datur idem motus reflexus, et non a projiciente, ergo a corpore unde resilit.

Respondetur, in motu reflexo duo inveniri scilicet id quod per se movet, et causat motum secundum se, et id quod refrangit motum, et causat reflexionem, quod per accidens se habet, et causat motum reflexum, ad modum, quo per antiperistasim causatur major intensio in qualitate opposita, vel ex reverberatione lucis in alio corpore causatur intensior lux, et calor; sicut enim quando frigus circumdat calidum, calor ille a frigore repercussus revertitur ad calidum, et intendit illud: ita etiam motus directus, sive fiat per impulsum projicientis, sive per motum naturalem gravitatis, si tangit corpus durum refrangitur, et fit duplex motus; et illud corpus durum est causa illius motus quantum ad discontinuationem, et refractionem,

sed impellens est causa illius quantum ad substantiam motus, sicut motus libiæ curvæ quantum ad obliquitatem est a curvitate, quantum ad substantiam motus vitalis est ab anima informante tibiam, et ibi modificante motum; sic motus reflexus in quantum est obliquatus, et deficiens a directo est a duritie corporis impedientis motum directum, quantum autem ad substantiam motus est a projicientis impulsu, vel ut a causa movente directe et suo impulsu tangente corpus durum, ubi obliquatur et modificatur impulsus in contrarium motum. Unde Aristoteles in hoc libro octavo, textu XXXII, cum simpliciter dicit, quod motus pilæ non est a pariete, sed a projiciente, intelligitur quod est a projiciente remote, et quantum ad substantiam motus, non quantum ad obliquitatem, et refractionem illius.

Ad primum fundamentum oppositum, respondetur quod paries ubi sit reflexio, est immotus, et caret vi impulsiva, quantum ad impellendum et movendum per se, non quantum ad resistendum, et impediendum motum directum, et causandum reflexum per accidens; ad hoc enim non requiritur vis impellens, sed impediens, nec requiritur quod paries sit motus, sed ipso motu directo attractus sicut frigus circumstans causat calorem per accidens et corpus opacum refractionem lucis per multiplicationem et divisionem ejus.

Ad secundum dicitur, quod quando pila cadit in terram, et flectitur ascendendo, ille ascensus per accidens est a terra, quia non est ab illa in quantum ascensus, sed in quantum motus obliquus, et refractus a directo, sicut quando aqua calefacta circumdatur frigore, fit calidior per antiperistasim, non quia calor fiat a frigore, sed quia refrangitur ab illo, et consequenter multiplicatur, redeundo ad calorem aquæ. Per accidens enim non repugnat fieri oppositum effectum alicujus qualitatis refrangendo, aut obliquando motum ejus.

Ad tertium respondetur ad refractionem requiri aliquam dispositionem in corpore resiliente, utpote, quod sit talis densitatis, vel levigationis, et similia, quæ si desint, non fit motus reflexus, non ex defectu moventis, vel refrangentis, sed ex defectu dispositionis requisitæ, sicut lux non in omni corpore refrangitur, nec frigus circumstans semper facit antiperistasim.

Ad ultimum respondetur vehementiorem motum reflexum causari præsuppositive a vehementiori motu directo stante eodem corpore duro, quia tunc fit major refractio motus; et consequenter in reflexione etiam invenitur major impetus, quia eadem fortitudine, qua exivit a projiciente, refrangitur a repercusso.

QUÆSTIO XXIV.

DE ÆTERNITATE MOTUS, ET PRIMO EJUS MOTORE.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum res permanentes potuerint esse ab æterno?

Supponimus duo in fide certa. Primum est, mundum incœpisse in tempore, et similiter motum ejus. Secundum, Deum non de necessitate produxisse mundum, sed potuisse non producere, et posse nunc destruere. Hæc omnia de fide sunt, et in Philosophia supponenda, vel potius suspicienda. Nam de primo constat Genes. I: *In principio fecit Deus cœlum et terram:* et Psal. LXXXIX; *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis:* Joan. XXXVII: *Priusquam mundus fieret apud te:* idque etiam definitum est in Concilio Lateranensi secundo. Nec vero per rationem potest demonstrari mundum incœpisse in tempore, cum id præcise pendeat ex voluntate libera Dei, sicut etiam rationes, quæ a Philosophis asseruntur ad probandum, quod mundus sit ab æterno, nullo modo cogunt, ut luculenter ostendit S. Thomas I p. q. XLVI, art. I et II, ubi etiam ostendit Aristoteles in hoc libro opinative locutum fuisse. Nam in I Topicor. cap. IX, inter problemata dialectica, ponit utrum mundus sit ab æterno. Videri etiam potest D. Thomas hac de re II contra Gen. a c. XXXII usque ad XXXVIII, et in II, dist. I, q. II, art. V, et dist. II, q. I, art. III.

Secundum etiam constat aperte ex Scriptura tribuente voluntati Dei creationem omnium, ad Eph. I: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ:* et Apocal. IV: *Tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.* De quo videri possunt Theologi I part. quæst. XIX. An vero mundus potuerit habere initium temporis ante instans, quo nunc creatus est, respondetur potuisse licet nos lateat ratio, quare in tali puncto creatus sit, de quo D. Thomas quæstione tertia de Potentia, articulo XIV ad sextum.

His suppositis, de possibili solum est difficultas, an potuerit mundus creari ab æterno, sive quoad res permanentes, de quibus in præsenti articulo agemus, sive quoad successivas, et generationes, et corruptiones, de quibus est specialis difficultas, de quibus agemus in sequenti articulo.

Quoad primum, videtur repugnare creatio rerum ab æterno. Primo, quia tunc non esset signabile initium, quando talis creatura incœpit, quia quolibet designato antea fuit. Secundo, quia tunc non procederet de non esse, quia nunquam fuit verum dicere, quod non erat. Tertio, quia creatura non esset annihilabilis per æternitatem. Nam vel duraret finita duratione, vel infinita; si infinita, in tota illa non annihilaretur: si finita, ergo ab æterno, quando incipit usque ad illam annihilationem, solum esset duratio finita, et sic tota duratio ab æterno infinita non esset, quia finitis terminis comprehenderetur. Quarto, non esset Deus liber in creando, si ab æterno crearet, quia nec antequam crearet; supponimus enim non dari ante; neque cum crearet, quia non poterat simul creare et non creare, nec post, quia ad præteritum non est potentia. Quinto, posset creatura habere infinitam virtutem, et si tota æternitate intenderetur calor, aut gratia, vel scientia, cresceret in infinitum, quia duratio esset infinita. Denique, creatura tunc esset infinita in duratione; ergo et in esse, seu essentia. Adstipulantur etiam dicta sanctorum, nam Augustinus XII de Civitate, cap. XV, ait: « Angelos non potuisse esse cœternos creatori, » et Hugo lib. I de Sacramentis, cap. X: « Fugit, inquit, divinam virtutem, ut aliquid sibi cœternum faciat. » Et communiter sancti negant creaturam posse esse cœternam creatori, ut Ambrosius, Damascenus et alii. Hanc partem nonnulli Doctores defendunt, præsertim ex antiquis qui videri possunt apud Conimbricenses hic q. VI, art. I, et Carmelitani, disp. XXIX, q. III.

Oppositum tamen omnino tenendum est, et expresse asseritur a S. Thoma I p. q. XLVI, art. I ad primum, et q. III de Potentia, art. XIV, ubi rationes in contrarium solvit, et II contra Gent. c. XXXVIII, et opusc.

sed impellens est causa illius quantum ad substantiam motus, sicut motus libiæ curvæ quantum ad obliquitatem est a curvitate, quantum ad substantiam motus vitalis est ab anima informante tibiam, et ibi modificante motum; sic motus reflexus in quantum est obliquatus, et deficiens a directo est a duritie corporis impedientis motum directum, quantum autem ad substantiam motus est a projicientis impulsu, vel ut a causa movente directe et suo impulsu tangente corpus durum, ubi obliquatur et modificatur impulsus in contrarium motum. Unde Aristoteles in hoc libro octavo, textu XXXII, cum simpliciter dicit, quod motus pilæ non est a pariete, sed a projiciente, intelligitur quod est a projiciente remote, et quantum ad substantiam motus, non quantum ad obliquitatem, et refractionem illius.

Ad primum fundamentum oppositum, respondetur quod paries ubi sit reflexio, est immotus, et caret vi impulsiva, quantum ad impellendum et movendum per se, non quantum ad resistendum, et impediendum motum directum, et causandum reflexum per accidens; ad hoc enim non requiritur vis impellens, sed impediens, nec requiritur quod paries sit motus, sed ipso motu directo attractus sicut frigus circumstans causat calorem per accidens et corpus opacum refractionem lucis per multiplicationem et divisionem ejus.

Ad secundum dicitur, quod quando pila cadit in terram, et flectitur ascendendo, ille ascensus per accidens est a terra, quia non est ab illa in quantum ascensus, sed in quantum motus obliquus, et refractus a directo, sicut quando aqua calefacta circumdatur frigore, fit calidior per antiperistasim, non quia calor fiat a frigore, sed quia refrangitur ab illo, et consequenter multiplicatur, redeundo ad calorem aquæ. Per accidens enim non repugnat fieri oppositum effectum alicujus qualitatis refrangendo, aut obliquando motum ejus.

Ad tertium respondetur ad refractionem requiri aliquam dispositionem in corpore resiliente, utpote, quod sit talis densitatis, vel levigationis, et similia, quæ si desint, non fit motus reflexus, non ex defectu moventis, vel refrangentis, sed ex defectu dispositionis requisitæ, sicut lux non in omni corpore refrangitur, nec frigus circumstans semper facit antiperistasim.

Ad ultimum respondetur vehementiorem motum reflexum causari præsuppositive a vehementiori motu directo stante eodem corpore duro, quia tunc fit major refractio motus; et consequenter in reflexione etiam invenitur major impetus, quia eadem fortitudine, qua exivit a projiciente, refrangitur a repercusso.

QUÆSTIO XXIV.

DE ÆTERNITATE MOTUS, ET PRIMO EJUS MOTORE.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum res permanentes potuerint esse ab æterno?

Supponimus duo in fide certa. Primum est, mundum incœpisse in tempore, et similiter motum ejus. Secundum, Deum non de necessitate produxisse mundum, sed potuisse non producere, et posse nunc destruere. Hæc omnia de fide sunt, et in Philosophia supponenda, vel potius suspicienda. Nam de primo constat Genes. I: *In principio fecit Deus cœlum et terram:* et Psal. LXXXIX; *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra et orbis:* Joan. XXXVII: *Priusquam mundus fieret apud te:* idque etiam definitum est in Concilio Lateranensi secundo. Nec vero per rationem potest demonstrari mundum incœpisse in tempore, cum id præcise pendeat ex voluntate libera Dei, sicut etiam rationes, quæ a Philosophis asseruntur ad probandum, quod mundus sit ab æterno, nullo modo cogunt, ut luculenter ostendit S. Thomas I p. q. XLVI, art. I et II, ubi etiam ostendit Aristoteles in hoc libro opinative locutum fuisse. Nam in I Topicor. cap. IX, inter problemata dialectica, ponit utrum mundus sit ab æterno. Videri etiam potest D. Thomas hac de re II contra Gen. a c. XXXII usque ad XXXVIII, et in II, dist. I, q. II, art. V, et dist. II, q. I, art. III.

Secundum etiam constat aperte ex Scriptura tribuente voluntati Dei creationem omnium, ad Eph. I: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ:* et Apocal. IV: *Tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.* De quo videri possunt Theologi I part. quæst. XIX. An vero mundus potuerit habere initium temporis ante instans, quo nunc creatus est, respondetur potuisse licet nos lateat ratio, quare in tali puncto creatus sit, de quo D. Thomas quæstione tertia de Potentia, articulo XIV ad sextum.

His suppositis, de possibili solum est difficultas, an potuerit mundus creari ab æterno, sive quoad res permanentes, de quibus in præsenti articulo agemus, sive quoad successivas, et generationes, et corruptiones, de quibus est specialis difficultas, de quibus agemus in sequenti articulo.

Quoad primum, videtur repugnare creatio rerum ab æterno. Primo, quia tunc non esset signabile initium, quando talis creatura incœpit, quia quolibet designato antea fuit. Secundo, quia tunc non procederet de non esse, quia nunquam fuit verum dicere, quod non erat. Tertio, quia creatura non esset annihilabilis per æternitatem. Nam vel duraret finita duratione, vel infinita; si infinita, in tota illa non annihilaretur: si finita, ergo ab æterno, quando incipit usque ad illam annihilationem, solum esset duratio finita, et sic tota duratio ab æterno infinita non esset, quia finitis terminis comprehenderetur. Quarto, non esset Deus liber in creando, si ab æterno crearet, quia nec antequam crearet; supponimus enim non dari ante; neque cum crearet, quia non poterat simul creare et non creare, nec post, quia ad præteritum non est potentia. Quinto, posset creatura habere infinitam virtutem, et si tota æternitate intenderetur calor, aut gratia, vel scientia, cresceret in infinitum, quia duratio esset infinita. Denique, creatura tunc esset infinita in duratione; ergo et in esse, seu essentia. Adstipulantur etiam dicta sanctorum, nam Augustinus XII de Civitate, cap. XV, ait: « Angelos non potuisse esse cœternos creatori, » et Hugo lib. I de Sacramentis, cap. X: « Fugit, inquit, divinam virtutem, ut aliquid sibi cœternum faciat. » Et communiter sancti negant creaturam posse esse cœternam creatori, ut Ambrosius, Damascenus et alii. Hanc partem nonnulli Doctores defendunt, præsertim ex antiquis qui videri possunt apud Conimbricenses hic q. VI, art. I, et Carmelitani, disp. XXIX, q. III.

Oppositum tamen omnino tenendum est, et expresse asseritur a S. Thoma I p. q. XLVI, art. I ad primum, et q. III de Potentia, art. XIV, ubi rationes in contrarium solvit, et II contra Gent. c. XXXVIII, et opusc.

XXVII. Est etiam communior sententia Auctorum hujus temporis, ut videri potest apud Conimbricenses et Carmelitanos citatos. Fundamentum est, quia non implicat neque ex parte Dei creantis, neque ex parte ipsius actionis, seu creationis; ergo, etc. Non repugnat ex parte Dei creantis, quia eamdem habet potentiam ab æterno quam nunc, et eamdem virtutem agendo libere, quam si ageret ex necessitate naturæ; sed nunc potest creare mundum, et si ageret ex necessitate naturæ ab æterno crearet, sicut sol si ab æterno esset, ab æterno illuminaret, ut docet Augustinus VI de Trinit. c. I. ergo ex parte Dei nec deest potentia, nec ulla est repugnantia. Non repugnat ex parte creaturæ, quia non est minus possibilis ab æterno quam nunc, nec enim incœpit in tempore esse possibilis, nec aliqua incompossibilitas est ipsi cum æternitate, ut in solutionibus argumentorum ostendetur, tum quia de facto dantur creaturæ æternæ a parte post, ut creaturæ incorruptibiles, ergo possunt dari a parte ante; tum, quia licet creaturæ essent ab æterno, non tamen essent æternæ æternitate per essentiam, sed in propria durationè creata coexisterent ipsi æternitati a parte ante, sicut modo coexistunt aliquæ a parte post. Non repugnat ex parte ipsius actionis, quia actio Dei non est per motum et successionem, sed in instanti, et ita non requirit tempus, sed potest esse ante omne tempus. Nec minus per illam actionem dependeret creatura a Deo libere, quia per voluntatem Dei operantem ad extra reciperet esse limitatum et dependens, et fieret ex nihilo, et ex non esse, non quia durationè antecederet non esse, sed prioritate naturæ, quatenus illa creatura non esset a se, sed ab alio, et ex Deo causante, ergo salvaretur tota ratio creationis.

Ad primum ergo a principio, respondetur quod non esset assignare principium incœptionis in durationè, sed principium originis, et causalitatis, hoc enim solum est, de ratione creationis, ut docet S. Thomas qu. III de Potentia, art. XIV ad octavum, in secundo loco. Quare si res fieret ab æterno, procederet sine initio durationis, sicut res incorruptibiles accipiunt durationem sine fine, et ita acciperent tunc durationem opposito modo ad tempus, id est, sine incœptione, sed semper existendo, cum dependentia tamen ab alio, in quo differret a processione Divinarum Personarum, quæ sine dependentia procedunt in ipsa æternitate essentiali non in participata. Creatura autem ab æterno haberet infinitatem durationis participatæ, et ita careret initio, quia initium infinitati opponitur, sicut infinita quantitas initio et fine caret. Quare non distingueretur ibi productio, et conservatio, quia hoc ipso quod sine initio procederet, conservata procederet, et simul esset producta et conservata, quia sine durationis initio procederet solo causalitatis principio et originis.

Ad secundum respondetur ex S. Thoma loco citato de potentia ad septimum, quod tunc non esse præcederet esse non durationè, sed natura, quia si sibi relinqueretur, nihil esset, et quia non producitur ex aliquo præexistente, esse vero non nisi ab alio habet, sed per dependentiam ab eo; quam solutionem late prosequitur opusculo XXVII citato. Et ita differt illa duratio ab æternitate Dei, quia hæc non solum caret initio durationis, sed etiam causalitatis et originis ab alio, et est tota simul.

Ad tertium respondetur, quod ex suppositione creationis ab æterno non potest res illa annihilari nisi in tempore; sicut enim ex suppositione, quod res creatur in eodem instanti, annihilari non potest, ita ex eo quod creatur sine initio durationis, oportet quod sine initio duret, atque adeo infinita aliqua durationè, de quo vide M. Soto hic quæstione secunda, Suarez disput. XX Metaphysicorum, sectione sexta, quia idem est creari sine initio durationis, atque creari cum infinita durationè, seu cum conservatione non habente principium durationis, siquidem tunc conservatio et productio idem sunt, ex suppositione autem quod conservat Deus, quamdiu conservat, annihilare non potest. An vero cum hoc stare possit motus ab æterno, sequenti articulo dicemus. Quando vero dicit D. Thomas quæstione citata de Potentia ad tertium, quod variabilitas excludit æternitatem sed non infinitam durationem, intelligitur quod habet variabilitatem; tum ad desinendum, sed in tempore, non ab æterno et in infinita durationè; tum ad existendum, quia producitur de non esse ad esse, quod non habet æternitas.

Ad quartum respondetur, quod Deus libere crearet ab æterno etiam dum actu crearet, quia potest non creare absolute, licet ex suppositione quod creat, non stet non creare, non solum si crearet ab æterno, sed etiam nunc; et ex suppositione quod creat sine initio durationis non possit non conservare. Et quando dicitur, quod antecedenter ad creationem non potest non creare, distinguo; antecedentia durationis, transeat; antecedentia naturæ et originis, nego; alias si non esset liber pro illa antecedentia, necessario crearet, et non posset differre, sicut de facto distulit usque ad tempus.

Ad quintum respondetur, imprimis non concludere quod res non possit creari ab æterno, sed quod non possit operari ab æterno, nec de quacunque operatione, sed de illa quæ est cum motu et augmentatione, seu intensione, de quo agemus sequento articulo. Interim dicemus, nullam qualitatem posse actu intendi in infinitum, etiamsi esset ab æterno, quia infinitum actu nullo modo est pertransibile, et ut dicit D. Thomas II contra Gent. cap. XXVIII ad 3. Si mundus semper fuisset, in omnibus circulationibus non esset accipere primam, et sic neque transitum qui semper exigit duo extrema. Quæ auctoritas, ut sequenti articulo videbimus, probat non posse dari motum ab æterno, quia motus exigit transitum, et incœptionem, et finem inter aliqua extrema, quod totum ab æterno esse non potest, et consequenter neque per motum, seu operationem qualitas aliqua in infinitum augeri posset. Et sicut si darentur infinitæ generationes, excipitur generatio hominum, non dentur infinitæ animæ, separatæ, ita si daretur motus intensionis infinitus per totam æternitatem, non daretur permanentia qualitatis intensæ, ne detur infinitum actu, sed qualitas illa transiret, et corrumpetur in suis partibus.

Ad sextum respondetur, quod infinitas in durationè non arguit infinitatem in esse, aut in virtute rei durantis, sed in actione et virtute conservante illam in esse; quia duratio, cum sit continuatio existentiæ, est aliquid conveniens rei non ex propriis sed ex participatione agentis. Unde, quod aliquæ creaturæ durent in infinitum a parte post, non arguit infinitatem in essentia.

Ad auctoritates Patrum dicitur ex D. Thoma III de Potent. art. XIV ad 1, et opuscul. XXVII, intelligi, quod creaturæ non sint coæternæ creatori æternitate propria, et es-

sentiali, sicut est attributum æternitatis in Deo; quam rationem dicit Boetius lib. v de consolation. prosa ultima, quod etiam si mundus semper fuisset, non esset Deo coæternus. Et sic recte inferunt Patres Filium Dei non esse creaturam, quia æternus est æternitate propria, quod nulli convenit creaturæ. Plerumque etiam sancti loquuntur de creaturis prout de facto incœperunt, et creatæ sunt, non de possibili.

ARTICULUS II.

Utrum repugnet res successivas fuisse ab æterno?

Res successivæ sunt motus, et generationes rerum, et per motus intelligimus tam locales, quam alterationis; et in localibus majorem difficultatem habent motus rectus quam circularis, continuus quam discretus. Est autem specialis difficultas in rebus successivis, quod fuerint ab æterno, quia deberent carere omni principio. Si enim assignaretur illis aliquod initium, hoc ipso non essent ab æterno, quia inter illud initium, et hoc instans essent duo termini, inter quos non posset includi infinita duratio, qualis est ab æterno. Si autem motus caret initio, necessario est deneganda aliqua successio infinita ab æterno: de ratione enim successionis est, quod una pars desinat, et alia incipiat, illa autem, quæ desinit, quando motus fuit productus ab æterno, vel duravit infinito tempore, vel finito. Si infinito, toto illo permansit, et non transivit: et sic non fuit successio ab æterno. Si finito tempore, ergo æternitas finita duratione consumi potest, quia ab illa desinitione computando usque nunc omnis motus comprehenditur duobus terminis, scilicet illo nunc, quo desiit motus, et isto nunc, in quo modo finitur; atque adeo finita duratio est. Ergo si illa quoque duratio successiva ab æterno finita fuit totum tempus ab æterno finitum manebit.

Duæ sunt sententiæ in hac parte. Prima negat omnem motum fuisse possibilem ab æterno, et consequenter etiam generationes substantiales, quæ sine motu præcedente non fiunt. Ita Magister Soto octavo Physicorum, quæstione II, conclusione III, Conimbricenses, Rubius, Placa, et alii in hoc libro VIII, et Pater Suarez disput. XX Metaphysicorum, sectione sexta, numero decimo sexto, licet aliqui ut Soto, Conimbricenses aliquantulum hæreant in motu circulari, qui continuus est, et videtur posse carere principio. Alii e contra admittunt omnem motum, et generationes potuisse esse ab æterno, et durasse per infinitum tempus. Ita Capreolus, Ferrariensis, Scotus Soncinas, Vazquez, Nazarius, et alii, quos citant, et sequuntur Carmelitani hic disputat. XXIX, quæstione IV, Cabero tractatu ultimo, dub. III et IV. Quorum fundamenta statim asseremus.

Prima sententia mihi non solum probabilior, sed etiam certior apparet, supponendo, quod corruptio sit impossibilis ab æterno, ut statim dicemus. Successio autem sine corruptione non est. Et D. Thomas opusc. XXVII, paulo ante medium dicit: « Non repugnare, si ponatur causa producens effectum suum subito, quod non præcedat duratione suum causatum; repugnare autem, in causis producentibus effectum suum per motum, quia oportet quod principium motus præcedat finem ejus. » Ergo si repugnat aliquem terminum produci per motum ab æterno, etiam repugnabit aliquod mutatum esse dari ab æterno, quia hic est terminus quidam motus, et consequenter etiam repugnabit motus ipse.

Fundamentum hujus sententiæ sumitur ex duplici ratione, quam D. Thomas semper difficillimam reputavit, et insolutam reliquit. Prima ratio est supra posita ex natura motus, qui successivus est, et constat partibus transeuntibus, quarum una desinit, et altera incipit. Si ergo datur aliqua, quæ nunquam incœpit, quia ab æterno datur motus, illa non potuit, nec infinito tempore, nec finito durare. Non infinito, quia sic toto illo tempore non esset successio, nec transitus illius partis, sed permanentia; et consequenter neque motus ab æterno. Non finito, quia sic illa pars motus, sub qua mobile creatum est, solum finito tempore duraret, et illa, quæ immediate secuta est, tunc verè incœpit, quia jam non fuit ab æterno: et sic ab illa computando usque ad istam partem motus, quæ modo datur, dabitur inter illam et hanc incœptio et desitio, atque adeo finita duratio, quia illa est finita, quæ incipit, et desinit, sed ultra totam istam durationem finitam a parte ante solum restat alia pars motus etiam infinita. Ergo totus ille motus ab æterno finitus esset, quia finitum addito finito, non facit infinitum. Repugnat autem, quod duratio aliqua ab æterno sit finita. Neque est idem de motu a parte post, posset enim durare in æternum per hoc, quod nunquam desineret, sed hoc non est habere partem aliquam motus, quæ infinite duraret, sed transire partes finitas, sine ullo termino finiente, quod est infinitum syncategorematice. Res autem permanens, si durat in æternum a parte post, unica durationе infinita durat, quia permanenter, et non successive: et ideo recte fit inde argumentum, quod etiam potuit ab æterno talis res permanens creari.

Hanc rationem tetigit S. Thomas II contra Gent. capite XXXVIII, ratione III, et I p. q. XLVI, art. II ad sextum, quia scilicet, si mundus esset ab æterno essent transacti infiniti dies. Et respondet: « Quod quælibet circulatio præcedentium transire potuit, quia finita fuit: in omnibus autem simul si mundus semper fuisset, non esset accipere primam, et ita nec transitum, qui semper exigit duo extrema. » Ecce quomodo S. Thomas fatetur, non posse esse transactas infinitas circulationes collective, quod est non dari motum ab æterno, quia cum non sit accipere primam, illa sub qua mundus creatus est, caruit principio, atque adeo fuit infinita in duratione, et permanentia, quod est non esse motum. Et licet in q. III de Potentia, art. XVII ad 17, solvens idem argumentum, dicat S. Thomas: « Quod illa ratio non probat, quod motus semper fuerit, sed quod motus circularis possit semper esse: » tamen non loquitur ibi D. Thomas assertive, nec dicit quod illud argumentum id efficaciter probat, subdit enim: « Quod ex Mathematicis non potest aliquid efficaciter concludi de motu. » Nec Aristoteles ex circulatione motus ostendit ejus æternitatem absolute, sed supposita æternitate, ostendit quod nullus alius motus potuit esse æternus, nisi circularis; quod totum non procedit absolute, sed ex suppositione.

Alia ratio pro ista sententia, quæ nunquam solvi potest, est quia si motus et generationes essent ab æterno, non repugnaret dari infinitum in actu, quod in sententia Aristotelis et D. Thomæ admitti non potest. Sequela patet, quia possent esse infinitæ generationes hominum, et manerent infinitæ animæ separatæ, quia immortales sunt, et una non transit in corpus alterius; aut similiter cum essent infiniti dies, posset quolibet die creari unus Angelus,

aut una stella, et nunc essent infinita actu. Hoc argumentum affert sæpius D. Thomas et insolutum relinquit afferens aliorum Philosophorum solutiones, et improbans, ut in II contra Gent. cap. XXXVIII, et opus. XXVII, et tandem prima p. q. XLVI, art. II ad octavum concludit : « Quod hæc ratio est particularis, et sic potest aliquis dicere, quod mundus fuit æternus, vel saltem aliqua creatura ut Angelus sed non homo ; nos autem intendimus universaliter, an aliqua creatura fuerit ad æterno. » Ita D. Thomas unde intentio ejus est probare, quod aliquam creaturam esse ab æterno non repugnat, quidquid sit, an repugnent generationes hominum, et consequenter reliqui alii motus et generationes, nam eadem ratio est de aliis, siquidem sicut formæ humanæ separatæ naturaliter durant, ita reliquæ aliæ formæ possunt per Dei potentiam separatæ conservari, et sic esse modo infinitæ in actu. Et ita qui concedunt reliquos motus posse esse ab æterno, excipiunt autem generationes hominum, inconsequenter loquuntur, et solum ad effugiendum concedere infinitum actu, quod tamen in aliis generationibus coguntur concedere, si Deus velit omnes formas corruptibiles separatas conservare, ut potest. Et saltem in productione infinitorum Angelorum non datur hoc effugium. Dicere autem, quod potest divisive producere quolibet die Angelum, non autem collective in omnibus diebus, est intelligibile, nam si quolibet die producit Angelum, et dies sunt infiniti, et Angeli perseverant, infiniti erunt collective ; numerationem enim dierum sequitur illa infinitas collective. Et multo minus dici potest, quod si Deus quolibet die producat Angelum, tenebitur alium annihilare. Unde enim constat, teneri Deum ad annihilandum, aut quid conducit annihilatio Angeli ad productionem alterius ? Solum videtur hoc confingi ad effugiendum inconveniens, quod ex illa sententia sequitur de infinito. Et ideo recte dixit Magister Soto ubi supra, hoc esse unum ex fortissimis argumentis contra Philosophos, ponentes generationes rerum ab æterno.

Sed pro contraria sententia objicies : Nam poterat ab æterno produci ignis applicatus stuppa, qui utique comburet illam, ergo poterit dari generatio ab æterno, sicut et illuminatio, si sol produceretur ab æterno, alioquin non posset res ab æterno produci, nisi maneret omnino immobilis, et nihil operans per totam æternitatem. Secundo, cœlum potest creari ab æterno cum motu circulari, quia hic motus caret principio, eo quod circularis est, ergo saltem ille non repugnat esse ab æterno. Denique, D. Thomas afferens rationes eorum qui contra Aristotelem volunt demonstrare, mundum non esse ab æterno, solvit eas, et ostendit non repugnare, quod mundus ab æterno sit, ut patet in locis supra allegatis, ergo in eo sensu admittit esse possibilem mundum ab æterno, quo illum posuit Aristoteles, posuit autem cum motu ; ergo sentit D. Thomas motum posse esse ab æterno.

Ad primum respondetur quod ille ignis sic applicatus generaret ignem, quam primum posset motus incipere, et stuppa corrumpi, non posset autem corrumpi, nisi post infinitam durationem, quia cum producatur sine initio durationis producitur ut permanens et conservatus infinita durationе, et post illam in tempore poterit generare, quia videlicet inter corruptionem stuppæ, et ejus productionem ab æterno non mediat duratio finita tantum, quod esse non potest, sed infinita, ut ostendimus ; illuminatio autem solis, cum non

fiat per motum, et quæcunque alia instantanea operatio ab æterno dari potest, sed non mutari, et desinere esse per durationem finitam, ut diximus ; operatio autem cum motu esse non potest ab æterno, et ideo immobilis debet esse res per durationem infinitam.

Ad secundum respondetur quod motus circularis caret principio ex parte mobilis, seu magnitudinis in qua fit, sed non ex parte durationis, quia oportet partem motus transire, et partem succedere, sicque debet quælibet pars finite durare, si enim duraret infinite, pro tunc motus non esset nec successio, finita autem duratio repugnat rei æternæ, quæ producitur sine durationis initio.

Ad D. Thomam respondetur se ipsum explicare I p. q. XLVI, art. II ad octavum ut supra ponderavimus ; solum enim intendit potuisse mundum esse ab æterno secundum substantiam, vel aliquas creaturas permanentes, non secundum generationes et motus, præsertim propter generationem hominum. Et sicut durabit mundus in æternum secundum substantiam, sed non secundum statum, quem nunc habet, ita ab æterno potuit fieri secundum se, sed non secundum statum motus, in quo ab Aristotele recedit, qui id solum opinative sensit.

Quod vero dicit S. Thomas III de Poten. art. XIV ad 9, in secundo loco positum, tempus et ævum non differre ab æternitate, solum quia carent principio durationis, sed quia admittunt aliquam successionem, qua caret æternitas, et sic admittit posse dari successionem in illis durationibus, si fierent ab æterno, in hac enim præsuppositione loquitur. Hoc inquam parum urget, admittunt enim tempus, et ævum successionem formalem vel virtualem, sed non pro omni statu, scilicet non pro illo signo, quo carent initio durationis, ut si fierent ab æterno. Unde non dicit ibi D. Thomas, quod successiva sunt ab æterno : « Sed etiam si essent, adhuc haberent per quid differrent ab æternitate essentiali, quæ in nullo statu successionem admittit. »

ARTICULUS III.

Quid Philosophus demonstret de Deo ex vi motus ?

Respondeo, ex vi motus immediate, et directe demonstrari, quod primum movens sit omnino immobile, inde vero consecutive demonstrari propria quædam attributa, quæ conveniunt ipsi divinitati, et actui puro, de quibus statim dicemus.

Quod ergo debeat dari unum primum principium immobile Aristoteles ostendit ex ipsa subordinatione causarum moventium, ut late declarat S. Thomas I contra Gent. cap. XIII, et I p. q. II, art. III. Et nititur tota demonstratio duobus principiis, scilicet quod omne quod movetur ab alio, et quod non est dare processum in infinitum in causis per se moventibus, et formatur sic demonstratio. Nam videmus dari multos motus de novo in rerum natura, qui de novo incipiunt exeundo de potentia ad actum ; id autem quod sic movetur, istum motum debet habere ab alio, vel saltem virtutem se movendi ab alio accipere, quia si movetur, est in potentia ad talem motum, et consequenter debet reduci in actum ab alio, quod sit in actu, vel si habet virtutem, qua se reducat, debet habere illam acceptam et motum ab alio, et non a se, quia id quod est in potentia, non potest habere virtutem movendi a se ipso, sicut nec naturam et esse, quia id quod habet a se virtutem, nec agit per illam ut motam, nullo modo est in potentia, sed est actus purus,

quia habet virtutem non acceptam aut participatam ab alio, et consequenter neque esse, et sic est independens ab alio. Oportet ergo, id quod est in potentia, et de novo movetur, quod supponat aliud, a quo habeat vel motum vel virtutem movendi. Quod vero non sit procedere in infinitum in istis causis, manifestum est, quia impossibile est infinitas causas pertransiri, ut detur aliquis effectus de novo, id enim dicitur infinitum, quod non habet terminum, neque finem, ergo si requiritur infinitas causarum ad causandum aliquid de novo, illa causatio nunquam habebit finem, quod est non habere effectum. Ergo sistendum est in aliquo, quod ita moveat, quod non habet motum ab alio, neque virtutem movendi, et consequenter erit immobile, et a se, et hoc vocamus Deum.

Sed potest aliquis subterfugere. Primo, dicendo quod in qualibet specie motus devenitur ad unum primum immobile in illo genere, non tamen ad unum primum immobile simpliciter, et in omni genere, et consequenter non pervenitur ad unum movens quod sit Deus. Secundo, dicendo quod datur circulus in causis moventibus, ita quod primus motor in isto genere rursus est mobilis ab aliquo sibi subordinato in alio genere motus, sicut causæ sunt ad invicem causæ in diverso genere. Denique, dici potest quod ide m sit movens, et motum, secundum diversas formalitates, sicut agens immanens se ipsum movet, et a sua actione patitur, vel saltem per accidens potest simul moveri, et movere.

Sed contra primam responsionem instatur, quia licet ex motu physico perveniatur ad primum movens expers motus physici, tamen idem argumentum instauratur respectu alterius motus in alio genere, nam id, quod est immobile, in uno genere motus, vel potest moveri in alio genere vel non. Si non, ergo est immobile in omni genere, si vero est mobile, redit argumentum factum in illo genere, in quo est mobile, quia vel movetur ab alio, et cum non sit dari processum in infinitum, oportet devenire ad aliquid, quod etiam in illo genere sit immobile, nisi forte detur circulatio in causis moventibus, de quo statim dicemus. Si autem non movetur ab alio in illo genere, sed a se, vel habet virtutem movendi, et motum ab alio vel non, si ab alio, redit argumentum de processu in infinitum; si a se, ergo sicut habet virtutem, ita et essentiam et esse habet a se, quod est esse improductum et increatum.

Contra secundam autem responsionem instatur, quia sufficit demonstrare, quod in uno genere causæ, nempe in moventibus efficienter, non datur circulatio, quia in eodem genere causæ non potest admitti circulus, ut quæstione decima monstratum est, sic enim eadem causa careret, et non careret conditionibus requisitis ad efficiendum, unde si primum movens ad efficiendum causas sibi subordinatas requiritur, quod sit in actu, illud esse in actu non potest per circulum habere a causa sibi subordinata, quia sic deberet supponere illam esse, ut sibi efficienter daret esse, et consequenter illud primum movens non efficeret causam sibi subordinatam, quia jam supponeret illam habere esse. Quare in habendo esse efficienter, non potest dari circulus, et sic esse primi moventis non potest efficienter procedere a causa sibi subordinata, sed vel habet illud ab alio, cui subordinatur, et a quo dependet, et sic non est primum movens, nec adhuc sistitur processus in moventibus. Si autem habet esse a se, et non ab alio efficiente, est improductum, et increatum. Et ita sufficit tollere circulum in uno genere causæ, scilicet efficientis, ut deveniamus ad unum esse increatum, quod est Deus. Posito autem ente increato, et non effecto ab alio, consequenter erit actus purus, quia si haberet potentiam, esset actuabilis, et mobilis ab aliqua forma, et ab aliquo efficiente, et consequenter si est actus purus, in nullo genere causæ mobilis est, quia actus purus est summa perfectio et a nullo alio perfectibilis.

Contra ultimam autem responsionem supra late tractavimus quæst. XXI, ostendendo, quod nihil movet se ipsum primo, et per se, nisi ratione partium, quarum nna sit movens, et alia mota, quod in primo efficiente non habet locum, quia est purus actus, et consequenter non dividitur in partes, quarum una sit movens, et alia mota, quia pars mota est in potentia respectu partis moventis, et consequenter repugnat puro activi, et multo magis repugnat, quod sit per se primo movens, et per se primo mota secundum idem, quia sic esset secundum idem in actu, et potentia, quod repugnat actui puro. Illud vero, quod dicitur de actione immanenti, quæ recipitur in eo, a quo elicitur, non est ad rem. Tum quia in Deo non potest dari actio recepta, quia primum efficiens est totum in actu, nec habet aliquid de potentia ut recipiat: tum, quia in nobis licet potentia immanens recipiat actum quem elicit, tamen potentia eliciens debet esse mota ab alio, ut eliciat, sicut voluntas est mota ab intellectu, et intellectus specie et objecto, et a Deo determinante et movente et sic semper distinguitur movens, et motum, licet sit idem recipiens, et eliciens secundum diversa; imo elicit actum potentia cum objecto seu specie et lumine, recipit autem illum potentia sola, et non species, et sic non est idem simpliciter recipiens, et eliciens.

Ostenso, quod debet dari unum primum movens, quod in genere causæ efficientis sit immobile, et consecutive deducuntur plura attributa propria divinitatis. Nam in primis demonstratur, quod primum efficiens caret omni potentialitate, tam materiali, quam objectiva, quia utraque supponit aliud efficiens, a quo possit moveri; materialis quidem tanquam subjectum immutandum ab aliquo efficiente; objectiva vero tanquam objectum possibile effici, et transiens de non esse ad esse. Et ita ratio actus puri pertinet ad ipsam entitatem entis increati.

Secundo, demonstratur attributum infinitatis, tam in essentia, quam in virtute, quia habet actum purum sine potentia: ergo perfectionem sine imperfectione; perfectio enim fundatur in actu, imperfectio autem in opposito actus, quod est potentialitas, ergo nullam habet limitationem in ipsa actualitate, et perfectione, ergo neque in virtute, quia virtus est activitas, quæ fundatur in actualitate. Item cum sit primo efficiens, habet virtutem superiorem ad omne aliud efficiens inferius, et ad omnem effectum; ergo ad omne ens, et hoc est habere virtutem infinitam.

Tertio, demonstratur quod caret magnitudine, seu quantitate, et materia; caret enim materia, quia materia est in potentia ad formam; actus autem purus nullo modo habet potentiam. Similiter caret corpore; tum quia corpus constat materia, cum sit aliquid materiale; tum quia est imperfectius spiritui, et sic non est perfectissimum ens; tum quia est divisibile in partes, et sic est in potentia ad divisionem, et similiter est compositum ex illis par

tibus, quod repugnat actui puro, et primo enti, quia omne compositum est dependens a partibus, et partes a toto, et totum est majus suis partibus, in eo autem quod est actus purus, non est aliquid majus, aut perfectius, vel dependens, quia illud quod est minus, hoc ipso non est actus purus, cum non habeat summam perfectionem, sed est in potentia ad totum, quod est majus, et perfectius illo, ubi autem est aliquid potentialitatis, deficit ratio actus puri. Unde similiter caret quantitate, quia hæc sine partibus, et divisibilitate non datur.

Quarto, demonstratur quod sit intelligens, quia ratio intelligibilitatis provenit ex immaterialitate. Et præterea nobilior motus operandi est per intellectum qui dirigit, quam cum ignorantia, vel ex directione alterius. Primum autem efficiens cum sit immobile, a nullo alio dirigitur et movetur, et cum sit purus actus, habet perfectissimum modum operandi.

Quinto, ostenditur primum motorem esse ubique, quia ejus virtus est infinita, et attingit omnia entia, et omnia moventur, et dependent ab illo, non quacunque dependentia, sed in omni ratione essendi, et tali influxu, quod per ejus suspensionem quodcunque ens annihilaretur, qui influxus non potest esse mediante aliqua creatura, sed immediate a Deo, ergo est immediate præsens omnibus.

Sexto, ostenditur esse sempiternum, quia est immutabile et a se habens esse, ergo semper habuit esse sine ulla mutatione, quod est esse æternum.

Ultimo, sequitur esse unum: tum quia si essent duo primi motores, vel quilibet faceret idem quod alter æqualiter cum ipso, et sic alter superflueret, nihil autem absurdius, quam ponere Deum superfluum; vel non faceret idem, neque æqualiter cum illo, et sic non esset æqualis perfectionis, unde unus esset perfectior alio; et perfectio, quæ esset in uno, deesset alteri, atque adeo neuter esset summæ et infinitæ perfectionis, quod est non esse actum purum neque ens increatum.

Plura de his tractare pertinet ad Metaphysicos, lib. XII, et ad Theologos I p. usque ad q. XXVII. Nobis sufficit hæc breviter attigisse; quia raptim a Philosophia ex ipso motu deducuntur, ea quæ tractat. Aristoteles tum in hoc libro VIII, tum in XII Metaph. Ut tamen perfectius reductio, et subordinatio causarum inferiorum ad primam causam intelligatur, sequentibus duabus quæstionibus de subordinatione causarum principalium, et instrumentalium agemus, quod a secundo libro ad hunc locum transtulimus.

QUÆSTIO XXV.

DE SUBORDINATIONE CAUSÆ SECUNDÆ AD PRIMAM.

In subordinatione causarum a Deo possumus tria considerare, scilicet dependentiam effectus causæ inferioris a superiori. Secundo, dependentiam ipsius causæ inferioris a superiori in causando, nam in essendo dependet ut effectus. Tertio, dependentiam ordinis in ipsis causalitatibus, ita quod omnia subjiciantur ordini, et directioni divinæ causalitatis, et nihil per accidens fiat respectu Dei. De his tribus agemus in præsenti. In primo articulo de concursu simultaneo, qui influit in effectum simul cum causa secunda. In secundo et tertio de prævio movente causam secundum ad causandum. In quarto de causa per accidens, et de facto.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit concursus simultaneus, et quomodo distinguatur a concursu causæ primæ?

Negavit Durandus in II, distinct. I, quæst. V, et dist. XXXVII, quæst. I, Deum concursu simultaneo operari concomitanter cum causis secundis earum effectus. Et fundamentum est id, quod in hoc articulo præcipuam ingerit difficultatem. Primum, quia non potest Deus concurrere ad effectum causæ secundæ, neque eadem actione creaturæ, neque diversa. Non eadem, quia una et eadem actio non potest procedere a duobus agentibus perfectis, et totalibus, ita quod ab utroque tota dimanet, imo si est eadem actio creaturæ, et Dei, ergo illa actio in quantum creaturæ, non est effectus Dei, nec causata a Deo, quia idem non potest causare seipsum. Nec potest esse diversa actio, quia sic haberet diversum terminum ab actione creaturæ, vel si eumdem haberet, produceret rem productam et sic superflueret.

Secundum fundamentum est, quia non est aperta implicatio, quod aliqua creatura agat sine concursu Dei, sicut enim communicavit causis secundis virtutes operativas in actu primo, ut non solum essent instrumenta, sed causæ principales, cur non potuit communicare tam perfectam virtutem, quod non indigerent concursu Dei? Si autem hoc potuit, unde constat non fecisse? Nec propter hoc tollitur, quod Deus usque modo operetur, operatur enim tum res illas, quas se solo producit, ut animas quas creat, gratiam quam largitur; tum etiam ea quæ fecit, conservando.

Ultimum fundamentum sumitur ex aliquibus actionibus, quæ non possunt immediate esse a Deo, sicut, v. g. actiones peccaminosæ, quatenus tales a Deo non sunt, similiter actiones vitales, et liberæ sub illa formalitate vitæ, et libertatis non sunt a Deo, quia non denominantur vitales, nisi prout sint a principio intrinseco, et proximo; imo generationes, et mutationes sub illo modo, quo sunt a creatura, non sunt a Deo, ergo saltem quantum ad illum modum aliquid non eget concursu Dei. Denique, causalitates causæ formalis, et materialis non sunt a Deo, alias diceretur Deus formaliter, aut materialiter causare, quod illi repugnat: ergo non omnis causalitas est a Deo, cur ergo omnis actio?

Nihilominus certa, et concors est Theologorum et Philosophorum sententia: Causas secundas indigere concursu simultaneo causæ primæ in ordine ad omnes suos effectus, præter ipsam dependentiam talis causæ in essendo a causa superiori. Et hoc constat, tum auctoritate, tum ratione. Auctoritate quidem, nam id aperte testatur Scriptura, ut cum dicitur Isai. XXVI: *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine:* et Joan. XV: *Sine me nihil potestis facere:* et Act. XII: *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus:* et ad Ephes. II: *Deus est enim, qui operatur in nobis velle, et perficere, etc.* Ratione quoque id constat, quia omne ens quocunque modo sit, a Deo participatum est, et derivatum, sed effectus ipse, et actio sunt entia quædam creata, ergo a Deo sunt participata, ergo actio nostra, et effectus illius etiam a Deo debet procedere, indiget ergo causa creata in quocunque effectu concursu Dei simultaneo, qui magis requiritur propter effectum, qui est ens participatum a Deo, quam propter ipsam causalitatem causæ secundæ. Et hu-

tibus, quod repugnat actui puro, et primo enti, quia omne compositum est dependens a partibus, et partes a toto, et totum est majus suis partibus, in eo autem quod est actus purus, non est aliquid majus, aut perfectius, vel dependens, quia illud quod est minus, hoc ipso non est actus purus, cum non habeat summam perfectionem, sed est in potentia ad totum, quod est majus, et perfectius illo, ubi autem est aliquid potentialitatis, deficit ratio actus puri. Unde similiter caret quantitate, quia hæc sine partibus, et divisibilitate non datur.

Quarto, demonstratur quod sit intelligens, quia ratio intelligibilitatis provenit ex immaterialitate. Et præterea nobilior motus operandi est per intellectum qui dirigit, quam cum ignorantia, vel ex directione alterius. Primum autem efficiens cum sit immobile, a nullo alio dirigitur et movetur, et cum sit purus actus, habet perfectissimum modum operandi.

Quinto, ostenditur primum motorem esse ubique, quia ejus virtus est infinita, et attingit omnia entia, et omnia moventur, et dependent ab illo, non quacunque dependentia, sed in omni ratione essendi, et tali influxu, quod per ejus suspensionem quodcunque ens annihilaretur, qui influxus non potest esse mediante aliqua creatura, sed immediate a Deo, ergo est immediate præsens omnibus.

Sexto, ostenditur esse sempiternum, quia est immutabile et a se habens esse, ergo semper habuit esse sine ulla mutatione, quod est esse æternum.

Ultimo, sequitur esse unum: tum quia si essent duo primi motores, vel quilibet faceret idem quod alter æqualiter cum ipso, et sic alter superflueret, nihil autem absurdius, quam ponere Deum superfluum; vel non faceret idem, neque æqualiter cum illo, et sic non esset æqualis perfectionis, unde unus esset perfectior alio; et perfectio, quæ esset in uno, deesset alteri, atque adeo neuter esset summæ et infinitæ perfectionis, quod est non esse actum purum neque ens increatum.

Plura de his tractare pertinet ad Metaphysicos, lib. XII, et ad Theologos I p. usque ad q. XXVII. Nobis sufficit hæc breviter attigisse; quia raptim a Philosophia ex ipso motu deducuntur, ea quæ tractat. Aristoteles tum in hoc libro VIII, tum in XII Metaph. Ut tamen perfectius reductio, et subordinatio causarum inferiorum ad primam causam intelligatur, sequentibus duabus quæstionibus de subordinatione causarum principalium, et instrumentalium agemus, quod a secundo libro ad hunc locum transtulimus.

QUÆSTIO XXV.

DE SUBORDINATIONE CAUSÆ SECUNDÆ AD PRIMAM.

In subordinatione causarum a Deo possumus tria considerare, scilicet dependentiam effectus causæ inferioris a superiori. Secundo, dependentiam ipsius causæ inferioris a superiori in causando, nam in essendo dependet ut effectus. Tertio, dependentiam ordinis in ipsis causalitatibus, ita quod omnia subjiciantur ordini, et directioni divinæ causalitatis, et nihil per accidens fiat respectu Dei. De his tribus agemus in præsenti. In primo articulo de concursu simultaneo, qui influit in effectum simul cum causa secunda. In secundo et tertio de prævio movente causam secundum ad causandum. In quarto de causa per accidens, et de facto.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit concursus simultaneus, et quomodo distinguatur a concursu causæ primæ?

Negavit Durandus in II, distinct. I, quæst. V, et dist. XXXVII, quæst. I, Deum concursu simultaneo operari concomitanter cum causis secundis earum effectus. Et fundamentum est id, quod in hoc articulo præcipuam ingerit difficultatem. Primum, quia non potest Deus concurrere ad effectum causæ secundæ, neque eadem actione creaturæ, neque diversa. Non eadem, quia una et eadem actio non potest procedere a duobus agentibus perfectis, et totalibus, ita quod ab utroque tota dimanet, imo si est eadem actio creaturæ, et Dei, ergo illa actio in quantum creaturæ, non est effectus Dei, nec causata a Deo, quia idem non potest causare seipsum. Nec potest esse diversa actio, quia sic haberet diversum terminum ab actione creaturæ, vel si eumdem haberet, produceret rem productam et sic superflueret.

Secundum fundamentum est, quia non est aperta implicatio, quod aliqua creatura agat sine concursu Dei, sicut enim communicavit causis secundis virtutes operativas in actu primo, ut non solum essent instrumenta, sed causæ principales, cur non potuit communicare tam perfectam virtutem, quod non indigerent concursu Dei? Si autem hoc potuit, unde constat non fecisse? Nec propter hoc tollitur, quod Deus usque modo operetur, operatur enim tum res illas, quas se solo producit, ut animas quas creat, gratiam quam largitur; tum etiam ea quæ fecit, conservando.

Ultimum fundamentum sumitur ex aliquibus actionibus, quæ non possunt immediate esse a Deo, sicut, v. g. actiones peccaminosæ, quatenus tales a Deo non sunt, similiter actiones vitales, et liberæ sub illa formalitate vitæ, et libertatis non sunt a Deo, quia non denominantur vitales, nisi prout sint a principio intrinseco, et proximo; imo generationes, et mutationes sub illo modo, quo sunt a creatura, non sunt a Deo, ergo saltem quantum ad illum modum aliquid non eget concursu Dei. Denique, causalitates causæ formalis, et materialis non sunt a Deo, alias diceretur Deus formaliter, aut materialiter causare, quod illi repugnat: ergo non omnis causalitas est a Deo, cur ergo omnis actio?

Nihilominus certa, et concors est Theologorum et Philosophorum sententia: Causas secundas indigere concursu simultaneo causæ primæ in ordine ad omnes suos effectus, præter ipsam dependentiam talis causæ in essendo a causa superiori. Et hoc constat, tum auctoritate, tum ratione. Auctoritate quidem, nam id aperte testatur Scriptura, ut cum dicitur Isai. XXVI: *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine:* et Joan. XV: *Sine me nihil potestis facere:* et Act. XII: *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus:* et ad Ephes. II: *Deus est enim, qui operatur in nobis velle, et perficere, etc.* Ratione quoque id constat, quia omne ens quocunque modo sit, a Deo participatum est, et derivatum, sed effectus ipse, et actio sunt entia quædam creata, ergo a Deo sunt participata, ergo actio nostra, et effectus illius etiam a Deo debet procedere, indiget ergo causa creata in quocunque effectu concursu Dei simultaneo, qui magis requiritur propter effectum, qui est ens participatum a Deo, quam propter ipsam causalitatem causæ secundæ. Et hu-

jus signum etiam est, quia si Deus suspendat concursum, effectus non erit, siquidem non potest aliquid habere esse, si Deus non communicet illud, alias non posset Deus annihilare effectum aliquem causæ creatæ; annihilatio autem non fit nisi per suspensionem concursus, ergo si effectus non indigent concursu Dei non sunt annihilabiles per suspensionem ejus. Et inde est quod ille concursus Divinus debet identificari cum concursu causæ creatæ, quia tendunt ad eumdem terminum, siquidem ipsemet effectus, qui est a concursu causæ creatæ, dependet etiam a concursu Dei, quia per suspensionem ejus potest desinere, ergo oportet quod in eodem termino conveniant uterque concursus, et hoc est identificari rationem ejusdem termini, quem producunt.

Ad primum fundamentum Durandi dicimus cum D. Thoma 1 part. quæst. cv, art. v ad 2, quod una actio non procedit a duobus agentibus unius ordinis, sed nihil prohibet quod una, et eadem actio procedat a primo, et secundo agente. Hoc tamen est quod difficile percipitur, quomodo illa actio elicitive possit procedere ab illo duplici principio, cum non possit esse a Deo, nisi tanquam effectus habens esse ab ipso Deo, non tanquam ipsa ratio agendi; si autem est effectus, ergo efficitur ab aliqua actione, et sic non identificatur cum illa, et ulterius ad actionem dabitur actio, siquidem actio creaturæ est effectus actionis Dei. Si vero dicatur quod actio illa creaturæ non est effectus Dei, sed actio, seu ratio operandi, non apparet quomodo illa actio dimanet immediate a Deo ut actio, et non ut effectus, nihil enim dimanat a Deo, nisi ut effectus, et non ut actio, ut determinat D. Thomas 1 p. q. xxv, art. v, cum actio Dei, ut distinguitur ab effectu ad extra, sit substantia Dei.

Quare dicendum est, quod illa actio creaturæ dicitur etiam concursus Dei respectu effectus, in quem influit, sed iste influxus cum sit temporalis, et non ab æterno in Deo, non constituit formaliter intrinsece Deum agentem, quia non se habet ut actualitas ejus, sed ut effectus. Et non est inconveniens, quod actio temporalis sit effectus actionis æternæ, licet ad actionem temporalem, et creatam non detur alia actio temporalis etiam et creata, eo quod immediate dimanat ab agente; bene tamen ista actio temporalis supponit actionem æternam, quæ est radix omnium actionum et effectuum, et cujuscunque entitatis, et sic actio creaturæ ut actio, est participatio quædam et effectus actionis Divinæ, sicque non repugnat actionem illam esse effectum respectu actionis Divinæ, esse autem actionem, et non effectum respectu potentiæ creatæ. Quando ergo dicitur quod actio illa jam non diceretur eadem cum concursu Dei, respondemus quod est eadem cum concursu Dei ad extra, qui est effectus, et participatio Divina, licet distinguatur ab actione increata, et æterna Dei, cujus est participatio, et effectus ad extra; et ad talem actionem, seu concursum datur actio ut dictum est, non quidem actio temporalis, sed actio increata, et æterna, sicut supra q. xiv, art. iv, diximus de actione ex parte agentis, et ex parte effectus. Et sicut forma substantialis operatur effectum non per distinctum concursum a concursu suæ virtutis, dicitur tamen concursus formæ, seu animæ magis generalis, quia ad plures effectus, et virtutes se extendit, sic Deus se habet cum toto universo, et collectione creaturarum, cum quibus concurrit eodem concursu, quo ipse creaturæ, et tamen quia Deus ad omnes se extendit, et non ad istam solam restringitur, sicut ipsa virtus determinata creaturæ, concursus Dei dicitur generalis, unde dicit D. Thomas III cont. Gent. c. lxx: « Quod sicut non est inconveniens, quod una actio procedat ex agente, et ejus virtute, ita non est inconveniens quod producatur idem effectus ab agente inferiori, et a Deo, ab utroque immediate, licet alio, et alio modo. »

Sed inquires: An iste concursus Dei simultaneus sit partialis simul cum concursu causæ creatæ, ita quod aliquid correspondeat concursui Dei, aliud actioni creaturæ, et similiter an isti concursus omnino adæquentur inter se, ita quod unus non magis se extendat, quam alter, videmus enim quod actio creata cessare potest ipso effectu producto, actio tamen Divina non cessat, quia conservat effectum sine causa creata. Quod si ita est, ergo non est unica, et indivisa actio, si quidem cessante una, non cessat alia. Si vero totaliter imbibitur, et adæquatur concursus simultaneus actioni causæ secundæ, ergo ille concursus, et actio Divina se sola non poterat producere totum effectum, sed partialiter tantum, et dependenter a causa creata, quod est partialiter Deum concurrere, nec ut causam totalem. Nec potest explicari, quid correspondeat tali actioni ut est a concursu Dei, et ut est a creatura.

Respondetur P. Suarez disp. xxii Met. duo dicere: alterum sect. i, n. xxiii, quod concursus Dei, et creaturæ potest partialis dici non ex parte effectus, quasi una pars effectus fiat ab uno, et pars ab alio, sed partialiter ex parte causæ, quatenus neutra causalitas habet totum concursum, sed ex utraque integratur. Secundum est sect. iv, n. viii et ix, quod Deus in hoc concursu taliter se accommodat, quod non posse illo concursus se solo producere effectum, sed cum causa creata. Apertius docet Molina Deum, et creaturam se habere ut causas partiales, sicut duo trahentes navium, vel lapidem, de quo videri potest i. p. q. xxiii, art. iv et v, disp. i membr. vi, et in concordia, pag. lx et lxi et clxxi, et aliis, quod videtur sequi Martinez II Phys. q. iv, in consectariis, ubi inquit, quod concursus causæ secundæ nullatenus pendet a concursu primæ, quia sunt idem, dici tamen recte posse Deum at creatura quodammodo in operando dependere, non quidem dependentia rigorosa, sed quatenus limitat suum concursum ad creaturam, et concursus Dei a concursu creaturæ dependet.

Nihilominus nulla partialitas in concursu Divino ponenda est, neque ex parte effectus, neque ex parte causæ, vel actionis. Non ex parte effectus, quia si una pars effectus fieret a Deo, et alia pars a creatura, ita quod ista secunda pars non esset a Deo, non omnis ratio entis creati esset a Deo, quod repugnat. Non ex parte causæ, quia sic in ipsa actione, et modo operandi Dei daretur aliqua limitatio, et dependentia quatenus illa actio Dei non potest de facto operari, nisi dependenter a concursu alterius causæ. Et explicatur implicatio in hoc, quia causalitas Divina est causalitas causæ universalissimæ, quæ attingit omnia, quæ sunt in effectu, cum omnia ex participatione illius sint, ergo repugnat, quod ex parte causæ ille concursus sit partialis, et multo minus dependens ab altero concursu causæ secundæ, siquidem propter suam universalitatem omne illud attingere debet, quod attingit ipsa causa secunda, ergo ex parte causæ, et modi causandi universalissimi repugnat, quod partialiter attingat effec-

tum et dependenter; quia propter suam universalitatem causa secunda dependet ab ipsa, et subjicitur illi, non e contra; et licet non sine illa producat, tamen quia hoc ipsum non est ex indigentia causæ primæ, sed ex abundantia, et participatione ipsius, ideo hoc non est dependenter operari a causa secunda, sed causam secundam a Deo; unde per suspensionem talis concursus, quo Deus continuat esse effectus, annihilabitur, non ergo est partialis etiam ut procedit a causa, sed modo totali procedit.

Quare dicendum est, quod concursus simultaneus identificatur cum actione creata, sed non adæquatur illi, sicut ens identificatur cum vero, sed non adæquatur illi, identificatur enim etiam cum bono, et corpus identificatur cum uno modo, verbi gratia, sessione, sed non illi adæquatur; identificatur enim etiam cum aliis modis, et potest illum amittere. Sic licet ex parte rei faciendæ concursus Dei determinetur per concursum causæ creatæ ad operandum talem effectum, cum possit etiam alios; tamen ex parte modi operandi ita universalis, et illimitati, non adæquatur ipsi causalitati creatæ: tum quia sine concursu creato potest rem producere; tum quia cessante actione creata permanet concursus Divinus conservando rem productam, quod evidentius apparet in concursu cum instrumento, cessat enim agere instrumentum producente gratiam, et non cessat actio Dei illam conservans. Dicitur autem, quando Deus producit se solo effectum, specialori modo producere; non quia majori concursu producat, sed quia modo magis extraordinario, scilicet impediendo causam creatam, aut non concurrendo cum illa.

Ad secundum fundamentum respondetur, implicare quod aliqua creatura operetur sine concursu causæ primæ, sicut enim est contra rationem entis creati, quod in essendo non sit participatum, et dependens a Deo: ita repugnat quod causa creata in causando non sit dependens a Deo, et ita hoc non potest communicari causæ creatæ propter limitationem illius; et ita implicat non dependere a concursu Divino, quando producitur, sicut repugnat non esse creaturam cum sit effectus creatus, ut ostensum est.

Ad ultimum respondetur, imprimis quod omnes illæ actiones, quæ non sunt deficientes, seu peccaminosæ, totum positivum quod habent participant a Deo, alio tamen modo, quam a creaturis, non quod ipse modus procedendi a creaturis non sit etiam a Deo, cum aliquid entitatis sit, sed quia ille modus est a Deo, ut effectus participatus ab ipso, non ut ratio, sub qua participatur, et ita est a Deo ut *quod*, seu ut quid participatum, non ut *quo*, seu ut ratio sub qua participatur a Deo, quia a Deo sub modo universalissimo causæ primæ descendit, non sub illo particulari, et limitato, quo est a creatura. Et ita vitalitas, libertas, et reliqua, quæ ibi numerantur, a Deo sunt tanquam aliquid factum, et participatum ab ipso, non illo inferiori modo, et particulari, quo a causa proxima, unde accipiunt denominationem vitalis, et liberi, sed universalissimo modo, et illimitato, quo a Deo fiunt omnia, etiam ille modus particularis, et limitatus, sicut etiam dicuntur res contingenter accidere, quæ contingentia est a Deo, non tamen contingenter. Actus autem peccaminosus etiam ultra hoc, licet in eo quod habet positivum, et entitativum dependeat, et participetur a Deo, tamen quantum ad id, quod habet de deficientia, et privatione, et in quantum illam fundat, non est a Deo.

Ad id vero, quod dicitur de causalitate materiali, et formali, respondetur etiam Deum concurrere ad istas causalitates, quia aliquid reale sunt, et ab eo participatum, de quo D. Thomas in libro de causis, lect. I. Cæterum impossibile est, quod Deus concurrat tanquam causa prima materialis, vel prima formalis, non solum, quia non concurrit ad componendum aliquod totum; hoc enim est clara et manifesta imperfectio, sed etiam quia non concurrit illo modo causæ materialis, et formalis, ut inter se mutuo causalitates exercent recipiendo, aut informando, ut videtur intendere Fonseca v. Met. q. XII, quem bene impugnat Suarez disp. XXII Met. sect. I, num. XXIX. Etenim licet Deus concursu effectivo causet ipsas causalitates materiæ et formæ quatenus aliquid reale, et entitativum sunt, tamen per modum causæ materialis, vel formalis, id est, exercendo tales causalitates, impossibile est, siquidem causalitas materiæ est receptiva, et fundatur in potentialitate recipientis; causalitas autem formæ est ejus actualio, quæ fundatur in actualitate appetente potentiam, eique communicabili, quod totum repugnat actui puro, qui ex ipsa ratione actus puri ita abstrahit ab omni potentialitate, quod neque in se illam habet, sicut materia, nec illi commiscetur sicut forma. Quando vero Deus sine subjecto sustentat accidentia in Eucharistia, non sustentat illa concursu materiali recipiendo illa, sed concursu effectivo, quo dependebant a Deo, et conservabantur in esse, etiam sine subjecto conservantur a Deo, eo quod illud magis dependet a Deo quam a subjecto. Nec Deus supplet causam formalem se ipso, sed solum rationem formæ terminantis, ut subsistentiam, et existentiam, aut specialem intelligibilem, ut in beatis.

Ex dictis colliges, quomodo actio causæ secundæ sit causata a prima, vel posterior illa, in quo subjecto concursus Divinus subjectetur. Dicimus enim, quod actio causæ secundæ non est causata ab actione externa Dei, quia est una et eadem actio creaturæ, et Dei licet prout correspondet Deo non adæquate identificetur actio Dei cum actione creaturæ, sed solum inadæquate, quia magis se extendit, et durat actio Dei ad extra, quam actio creaturæ, scilicet quamdiu durat effectus. At vero respectu actionis Dei immanentis, et æternæ, quæ in ipso est, sic omnis actio creaturæ causata est ab ipso, sicut omnis concursus Dei ad extra, et consequenter datur prius, et posterius inter actum Dei immanentem, seu ad intra, et inter concursum, et actionem Dei ad extra, sicut inter causam, et effectum. De subjecto vero concursus Divini simultanei si loquamur de ipso pro actione immanente Dei, est in ipso Deo tanquam volitio ejus, et substantia ejus, si vero loquamur de concursu ad extra qui est effectus Dei, qui identificatur cum ipsa actione creata, in eodem subjecto est, in quo est actio creata; scilicet in subjecto, in quo est effectus ejus.

ARTICULUS II.

Utrum detur realis, et physicus concursus prævius in causa determinans illam ad causandum?

Nomine concursus physici non intelligimus concursum solum pertinentem ad ens naturale, et mobile, neque ut putavit Suarez libro III de Auxiliis, c. VII, concursum coarctantem ad unum, ita ut sub illo causa creata amittat potentiam ad aliud, sed nomine concursus physici intelligimus duo. Primo, motionem

non metaphoricam, neque fictam, neque solum moralem, qualis fit persuasione, vel propositione objecti, sed illam, quæ fit secundum realem activitatem, quo sensu accipitur hæc vox physica, seu naturalis apud sanctos Patres ut patet in D. Cyrillo in defensione tertii anathematismi contra Nestorium, et habetur in Concilio Ephesino in IV appendice quinti tomi, cap. I. Secundo, intelligimus nomine talis concursus illum, qui nullo modo immutat modum operandi causæ inferioris, sive sit modus operandi indifferenter, sive necessario, sed conservat illum, solum autem tollit indeterminationem, et suspensionem ad agendum.

Et inadvertenter P. Suarez lib. I de Auxiliis, cap. XI, num. III, in fine, dixit neutiquam reperiri apud D. Thomam causam primam determinare secundas ad omnes actiones earum; multoque minus reperiri apud D. Thomam mentionem physicæ prædeterminationis. Oppositum tamen evidenter constat, dicit enim D. Thomas II Physic. lect. VIII, super text. XLVIII: « Quod sicut potentia motiva quæ est ad utrumlibet, non exit in actum, nisi per potentiam appetitivam determinetur ad unum, ita nihil quod est ad utrumlibet exit in actum, nisi per aliquid determinetur ad unum, quia id quod est ad utrumlibet, est sicut ens in potentia, potentia autem non est principium agendi, sed solum actus unde ex eo, quod est ad utrumlibet, nihil sequitur, nisi per aliquid aliud, quod determinat ad unum. » Qui locus manifestissimus est pro isto prævio concursu determinante causam ut agat. Idemque confirmat sanctus Doctor I par. q. XIX, art. III ad 5, ubi inquit: « Quod causa, quæ de se est contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum: » ubi loquitur de determinatione causæ ante ipsum effectum, quæ uno nomine vocatur prædeterminatio, et sic illam vocat S. Dionysius V c. de Divinis nominibus, et ibi S. Thomas lect. III, ubi dicit: « Voluntatem Divinam esse existentiam prædeterminativam, et effectivam. » Ac denique videri potest S. Thomas in quæstione III de Potent. art. VII ad 7, ubi præter formam, et virtutem collatam rebus naturalibus dicit: « Aliquid per modum incompletæ motionis, et ad modum esse intentionalis superaddi a Deo ipsi causæ ut agat. » Qui locus adeo est expressus, ut P. Suarez citato loco, n. VI. non invenerit quid respondeat ad illum, nisi quod D. Thomas tacite retractavit sententiam, quia prætermisit in aliis locis hanc motionem, quam in isto loco posuit; quasi vero hoc sit tractare sententiam, non in omnibus locis eam explicare; præterquam quod in I-II, q. CX, art. II, dicit D. Thomas: « A Deo movente aliquid fieri in anima per modum motus, licet non per modum qualitatis ad volendum, vel agendum. »

Cum ergo constet apud D. Thomam et Auctores probatos, quid nomine prædeterminationis, et concursus prævii intelligatur, restat videre an ita sit quod detur, et requiratur ad omnem actionem causæ creatæ. Et quidem generaliter loquendo communissime receptum est apud Philosophum quod causa secunda non operatur nisi ut mota, et applicata a prima ad agendum; de quo videri potest D. Thomas II p. q. CV, art. V et I-II, q. LXVII, art. I ad 3 et q. CIX, art. I, III contra. Gent. cap. LXVII et alibi sæpe. Et quod iste motus, quo causa secunda movetur, debeat in ipsa causa antecedere actionem effectus, siquidem movetur ut agat, etiam apertissime tradit Scotus in I, dist. II, q. II, §. Ostenso, et dist. VIII, q. V, §. Ad argumenta.

Tota difficultas consistit in explicando istam motionem prævium, ut causa ipsa dicatur mota a Deo, et applicata ad agendum. Circa quod est maxima varietas, et concertatio Auctorum, quorum tamen sententiæ ad tria præcipua capita reduci possunt. Prima existimat non dari alium concursum, seu motionem distinctam a concursu simultaneo, qui dicitur esse motio causæ inferioris secundum quamdam prioritatem virtualem, quatenus ille concursus est superior, et dignior, et a quo dependet concursus causæ inferioris, et ratione hujus dependentiæ et prioritatis dicitur causa secunda determinari, et applicari, seu præmoveri a prima, non tamen requiritur distinctus concursus imprimens aliquid ipsi causæ, quo actuetur, et compleatur ad agendum, nisi forte indigeat aliqua virtute, quæ a Deo, vel ab alia causa ibi conferenda sit, quia de se non habet sufficientem virtutem. Ita videri potest apud Patrem Suarez disp. XXII Met. sect. II; præsertim a num. XLVIII, Fonsecam V Metaph. cap. II, q. IX, sect. II; Molinam in concord. q. XIV, art. XIII, disp. XCVI; Bellarminum lib. I de gratia, et libero arbitrio, cap. XV et XVI et Lorcam I-II, sect. IV, disp. XXXV et sect. VI, disput. XX; Cabero in præsenti, Martinez, et alios.

Secunda sententia est scholæ Scoti, qui simpliciter admittit præmotionem in causa creata antecedenter ad concursum simultaneum, non tamen constituit aliquid physice impressum ex tali motione in causa creata, sed Deum per solam efficaciam sui decreti quasi per quamdam sympathiam, et morale imperium movere causas secundas, sicut anima movet manum; hac sola differentia servata, quod causam liberam movet mediante cognitione, cætera vero causas motione immediata. Ita videri potest apud Fuente II Physic. q. V, diffic. III, art. III.

Tertia sententia simpliciter fatetur dari præmotionem distinctam a concursu simultaneo, quæ physice, et realiter ponit, et imprimit aliquid in ipsa causa inferiori, estque complementum, et applicatio ad agendum, non per modum virtutis in actu primo, sicut dantur habitus, sed per modum ultimæ determinationis, et applicationis actus primi ad secundum. Ita communiter Schola D. Thomæ et ejus discipuli, tam recentiores, quam antiqui; licet enim pro opposita sententia citetur ab aliquibus Cajetanus I p. q. XIX, art. VIII et Contrado I-II, q. LXXIX, art. I, dum inquiunt primam causam non operari prævia motione, aut non præcedere motionem Dei voluntatem, cum aliquis vult; cæterum in his locis solum dicunt contra Scotum, quod non prius attingit Deus in aliquo instanti ipsum actum causæ secundæ, quam ipsa causa secunda. Quod vero causa secunda applicetur a Deo, et conjungatur actui ut operetur, quod pertinet ad prædeterminationem, eisdem locis affirmant prælati Auctores paulo post illa verba, et Cajetanus etiam I-II, q. CIX, art. II.

Dico ergo primo: Causæ secundæ antecedenter ad influxum, et actionem, qua producunt effectus, indigent aliqua prævia motione causæ primæ, qua applicentur ad agendum. Hæc conclusio sumitur ex locis D. Thomæ supra citatis. Ratio autem, et fundamentum sumitur ex duobus. Primo, ex indeterminatione causæ secundæ. Secundo, ex potentialitate ejus ad operandum. Et primum constat ex eo, quod causæ secundæ possunt producere diversos effectus, aliquando quidem diversos specie, sicut potentiæ cognoscitivæ et volitivæ, vel saltem diversos in individuo, ut quæcunque virtutes

activæ, neque enim virtus aliqua creata permanens datur solum ad unam actionem, et effectum, alioquin in illo producto evaneseceret virtus, utpote jam otiosa, et ita solum se haberet per modum transeuntis, sicut virtus instrumenti, et quæcunque motio ad unum tantum actum. Imo in hoc præcipue differt concursus iste prævius, seu auxilium efficaciter movens ab eo, quod solum dat sufficientiam, et virtutem, quod sufficiens non solum respicit unum actum in individuo, sed speciem actus, ad quem dat virtutem, efficax autem respicit determinationem in individuo. Omnis ergo causa creata de se indeterminata est ad diversas actiones, et effectus in individuo. Secundum vero constat, quia causa secunda ita est in potentia ad operandum quod indiget mutari in se, ut de facto operetur, siquidem non semper operatur in actu; ergo necesse est quod ut operetur, aliter se habeat; si enim eodem modo se habet, sicut antea, manebit in potentia operans, quia antea in potentia erat operans. Nec potest mutari per ipsam operationem, quia mutatur ut operetur, et operatio, non mutat agens active, sed passum, ut probatur in III Physic. et est manifestum, quia operatio non exit ab aliquo, nisi prout est in actu, unumquodque enim operatur prout in actu, et patitur prout in potentia; ergo in quantum operatur agens non mutatur a sua operatione effective, sic enim pateretur in quantum operans, ergo si mutatur, est antecedenter ad actionem.

Ex quibus principiis deducitur necessariam esse aliquam motionem prævium in omni causa creata antecedenter ad ejus actionem, et concursum simultaneum Dei, quia omnis causa creata indiget aliqua mutatione ad hoc, ut operetur, quia est indeterminata ad hanc, vel illam actionem in singulari, et est in potentia ad operandum, cum non semper actu sit operans, ergo indiget ab aliqua causa reduci in actum, et determinari, siquidem a causa existente in potentia, et indeterminata non exit effectus in actu, et determinatur, sed non potest a se ipsa determinari, et immutari, neque ab alia causa creata, neque a concursu simultaneo Dei, ergo ab aliqua motione prævia. Non a se ipsa, quia est in potentia ad agendum, et indeterminata, ergo non potest se reducere de potentia in actum, quia sic deberet supponi in actu determinante, unumquodque enim reducitur de potentia in actum per aliquem actum; et si supponitur esse in actu, ut se moveat, rursus iste actus non est primo se movens, sed motus ab alio, alias esset movens non motum, quod est Deus. Neque per ipsam operationem, ad quam movetur potest reduci de potentia in actum, quia ista operatio est id, ad quod ipsa causa indiget determinari, et applicari; ergo implicat quod per ipsam applicet, et moveat ad se ipsam, nec potest ista applicatio, et motio fieri ab alia causa creata; quia licet requirantur plures conditiones procedentes a causis creatis, ut determinetur aliqua causa, tamen omnes illæ causæ cum sint creatæ, sunt etiam in potentia ad operandum, et indigent simili applicatione et motione; et cum non sit processus in infinitum, oportet, quod tandem a Deo fiat ista motio et applicatio, et sicut fit in illis causis, ita et in reliquis aliis, quia omnes æque subjeiuntur Deo; præterquam quod etiam positis omnibus illis conditionibus aliquæ causæ adhuc manent indeterminatæ ad agendum, ut causæ liberæ, aliæ non sufficienter determinatæ ad hanc numero actionem, vel effectum : ergo oportet quod hæc determinatio

tandem reducatur in Deum, ad quem pertinet dare ultimam actualitatem ad operandum. Nec sufficit concursus Dei simultaneus, quatenus dignitate, et perfectione prior est, quia ista major dignitas et perfectio, vel reddit causam creatam reductam de potentia ad actum, et determinatam ad operandum, vel non; si non reddit, manet causa tam indisposita ad operandum sicut antea, utpote non sublata potentialitate, et indeterminatione : si vero reddit determinatam, ergo jam non est solum concursus simultaneus, id etiam prævius, quia habet effectum prævium, scilicet in ipsa causa movendo illam ante actionem et effectum. Quare simultaneus concursus quatenus simultaneus cum non influat, nisi in effectum et identificetur cum actione causæ creatæ, non magis potest ipsam causam creatam actuare, et movere, quam ipsamet actio causæ creatæ.

Dico secundo : Hæc applicatio, et prævius concursus aliquid physicum relinquit in causa quam movet, et non solum est assistentia extrinseca, vel moralis motio, aut sympathia. Deducitur ex locis D. Thomæ supra citatis, præsertim q. III de Potent. art. VII ad 7 et I-II, q. CX, art. II ubi inquit : « Ex motione Divina relinqui motum in anima, quia actus moventis in moto, est motus. » Et I-II, q. LXXIX, art. II, inquit : « Quod omnis actio causatur ab aliquo, quod est in actu, quia nihil agit nisi secundum quod est in actu, omne autem ens actu reducitur in primum actum, scilicet in Deum, sicut in causam, qui est per suam essentiam actus, unde relinquitur quod Deus sit causa omnis actionis, in quantum actio est; » ubi non loquitur S. Thomas de concursu simultaneo, quia iste non est causa actionis, sed idem cum ipsa actione, et solum est causa effectus, loquitur ergo de concursu prævio, qui est causa actionis creatæ, sed dependentia actionis ab eo, quod est in actu, non est dependentia moralis, vel metaphorica, sed physica, et fundatur in reductione entis in actu ad primum actum, qui est Deus, quæ reductio est physica secundum veram, et realem causalitatem, et dependentiam omnis entis a primo ente, quæ dependentia moralis non est, ergo S. Thomas non potest intelligi de causalitate morali, et metaphorica, sed de physica.

Et fundamentum speciale hujus conclusionis est, quia ex vi illius sympathiæ, aut voluntatis efficacis Dei ad intra, vel resultat aliqua mutatio ad extra in creatura, vel non; si resultat, ergo non est mera assistentia extrinseca, et moralis sympathia, sed realis, et vera mutatio tanquam effectus impressus a Deo ad extra; si non resultat aliqua mutatio, ergo totum intrinsecum hujus causæ creatæ manet ita immutatum sicut antea, et cum antea esset intrinsece in potentia, et indeterminata, etiam post illam extrinsecam assistentiam, in eadem potentialitate, et indeterminatione intrinseca manebit, ergo a principiis intrinsecis talis causæ creatæ non poterit dimanare actio, quantumcunque ponatur illa extrinseca assistentia; sed non dicitur causa creata agere nisi ab ejus intrinseca virtute, et potentia dimanet actio, quia ipsa virtus intrinseca est quæ dicitur agere, ergo si per illam sympathiam et assistentiam extrinsecam nihil de intrinseca potentialitate tollitur, non remanet causa illa intrinsece disposita ad agendum.

Nec obstat exemplum de sympathia, et motione, qua manus movetur ab anima, tum quia adhuc est incertum, an ista motio fiat per aliquam impressionem physicam; tum etiam quia est longe dispar ratio,

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quia potentia manus motiva, et voluntatis imperativa radicuntur in eadem anima, et sic non requiritur quod una influat in aliam, seu sufficit quod anima in utramque. Deus autem est principium movens extrinsecum, in quo non inhæret virtus creata, unde oportet quod ipse influat hanc motionem in causa creata, præsertim quia hoc quod est causam creatam esse motam, et applicatam ad agendum, est aliquid novum in rerum natura, et non per aliquid novum ex parte Dei, quia est immutabilis, ergo per aliquid novum extra Deum, et non nisi in causa creata, ergo oportet, quod illa realiter, et physice sit mota a Deo.

Nec sufficit concursus simultaneus Dei, ut dictum est, tum quia iste concursus simultaneus non movet causam, sed solum est ad effectum; tum quia est idem cum actione creaturæ, et sic non magis movet creaturam quam ipsamet actio ejus, quæ non potest movere causam, a qua egreditur ut agens est, sed passum, in quo recipitur; tum denique, quia simultaneus concursus non subordinat causam creatam Deo, sed effectum, et propter dependentiam effectus a causa prima, datur concursus simultaneus, ergo ex vi illius non potest Deus efficere quod causa secunda agat, sed solum poterit impedire effectum, si non velit dare concursum, non vero inclinare causam, et facere ut operetur.

Et ex hoc profundius aperitur necessitas ponendi istum concursum prævium, etiam pro aliis materiis theologicis. Nam si solum causa secunda est dependens a Deo ratione concursus simultanei, quatenus non potest effectus fieri, nisi dependenter a Deo, non tamen quia in ipsam causam Deus imprimat, et moveat ut operetur, sequeretur quod in producendo isto effectu causæ secundæ debeat Deus expectare operationem causæ secundæ, ut efficaciter velit ejus effectum, nec possit ex sua propria virtute facere, quod causa secunda efficiat nisi mediantibus aliis causis, per quas talem causam moveat, et inclinet, v. g. solum media persuasione, aut propositione objecti, quod totum morale est et contingens non simpliciter, et infallibiliter efficax, licet possit impedire effectum si velit, suspendendo concursum suum. Quod exemplo potest fieri manifestum. Sit enim casus, quod Deus velit Petrum elicere actum amoris, vel assensum fidei, qui actus non potest a solo Deo fieri, sed simul a causa secunda, si illa causa secunda non subordinatur Deo nisi ratione effectus exequendi, non vero ex parte ipsius causæ, quia debet moveri a Deo ut actum eliciat, ergo non poterit Deus vel illum effectum, nisi expectando, quod ipsa causa secunda velit, et cooperetur, si dederit Deus simultaneum influxum, quia talis influxus non est in causam ut velit, sed in effectum, in quem influit simul cum influxu ipsius causæ secundæ, non ergo habet potestatem in causam secundam, ut efficiat, sed in effectum si causa secunda etiam efficiat; unde nisi ipsa causa secunda velit, frustra ille concursus simultaneus operatur, imo non operatur cum sit idem cum influxu ipsius causæ secundæ, et sic frustra Deus miserebitur, nisi nos volimus, quod expresse negat Augustinus lib. 1 ad Simplicianum, q. II. Et non minus dicetur, quod est Dei miserentis, quam hominis volentis, et currentis, quod tanquam magnum absurdum infert Augustinus in Enchiridio, cap. XXXII: « Si recte, inquit, dictum est, non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas homini sola non implet,

cur non et e contrario recte dicitur, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? » Quod tamen, ut ibi subdit: « Nullus Christianus dicere audebit. » Qui autem solum ponunt concursum simultaneum, et non prævium in ipsam causam, quæ præparatur, seu applicatur a Deo, non possunt dicere quod est solius Dei miserentis, sed etiam hominis volentis, quia scilicet ex utroque fit, id est, ex voluntate hominis, et misericordia Dei, et quousque velit homo, non sufficit inclinare illum concursus simultaneus, qui cum ipso actus identificatur, non ad illum inclinat.

Dices: Sufficere solum misericordiam Dei, non ratione prævii concursus physici, sed moralis, id est, mediante aliqua cogitatione moraliter inclinante. Sed contra, tum quia in aliis causis, quæ non operantur cognitione, hæc moralis inclinatio locum non habet, et habet locum argumentum factum, quod Deus sua virtute non poterit inclinare causam contingentem, verbi gratia, aut necessariam ad operandum nisi mediis causis, aut virtute creata; tum quia illa moralis motio de se fallibilis est, et contingens, nec nisi extrinsece allicit, ergo ut certo moveat, expectat volitionem nostram, nec nisi dependenter ab ea certam habet motionem, et inclinationem; ergo perinde est recurrere ad hanc motionem ac dicere, quod expectat Deus voluntatem nostram, et frustra miseretur, nisi nos velimus, quantum ad certitudinem movendi.

Scio non deesse, qui concedat in hoc concursu, quo Deus cum causa secunda operatur, dependere Deum quodammodo a creatura in operando, in hoc sensu quia actio Dei, qua cooperatur creaturæ ab ea sane dependet, ergo etiam Deus, ut ea operans, quod expressis verbis concedit Martinez Physic. q. IV, in tertio consectario, et oppositum sentientes stolidos vocat. Sed stoliditatem hanc parcamus, scriptum est enim: *Qui contumeliam profert insipiens est*, Prover. X. Excessit autem ille Auctor attribuens actioni Dei, qua cooperatur, dependentiam a creatura, licet enim identificetur concursus Dei cooperativus cum actione creaturæ, non tamen ut dependens a creatura, quia non causatur a creatura, sed a solo Deo, non potest autem dependere a creatura, nisi ab ea aliquo modo causetur, vel derivetur aut esse ab ea accipiat, cum e contra sit, quia creatura et ejus operatio, a Dei actione pendent illique subjiciuntur. Cum autem non ponat prævium concursum in creaturam, sed solum simultaneum, si in hoc dependet Deus a causa creata in operando, omnino destruitur subordinatio causarum a Deo, et inciditur in illo inconvenientia toties a B. Augustino explosa, frustra Deum misereri, si homo non velit; siquidem Deus non habet alium concursum, quam simultaneum apud hunc Auctorem, et in hoc non solum expectat, sed dependet a creatura ut habeat effectum volendi. Nec apparet, quomodo salvetur illa doctrina catechismi Pii V par. I de primo Symboli, art. n. XXII, ubi dicitur: « Non solum Dominus universa, quæ sunt providentia sua tuetur, atque administrat, verum etiam quæ moventur, et agunt aliquid intima virtute ad motum, atque actionem ita impellit ut quamvis secundarum causarum efficientiam non impediat, præveniat tamen eum ejus occultissima vis ad singula pertineat. » Cum quibus verbis nescio quomodo stant verba hujus Auctoris in primo consectario, scilicet causam primam, et secundam usque adeo simul concurrere in effectum, ut neutra alteram

præcedat. Cur ergo credemus huic Auctori dicenti: « Neutra præcedat, » an Pio V, dicenti: « Ita impellit, ut præveniat. »

DICO TERTIO: Prævius iste concursus realiter movens causam secundam non est qualitas aliqua per modum virtutis in actu primo, nec aliquis actus seu effectus ab ipsa causa secunda procedens, quo se moveat ad alium actum; sed est quædam motio Dei, non dans activitatem, sed activitatis applicationem ad effectum, et si est qualitas, est per modum motionis, et transeuntis. Pro istius conclusionis intelligentia est advertendum, varias esse sententias etiam inter Thomistas, de isto prævio concursu, seu motione, quid sit, et præcipue ad tres reducuntur. Quidam ponunt non esse aliquid creatum, et de novo productum in creatura, sed solum decretum seu voluntatem Dei efficacem extrinsecus assistentem, quo statim movetur creatura, quasi quadam sympathia, et naturali subjectione ad Deum. Alii distinguunt de causa libera et hanc secundam dicunt præmoveri motione aliqua, seu qualitate recepta in ipsa creatura: liberam vero in his, in quibus se ipsam movet, priorem actum, quo excitatur voluntas dicunt esse motionem prævium ad secundum, ad quem excitatur: primus vero actus, quo excitatur est ex motione Divina, ipse autem actus excitans, elicitus est a potentia. Tertii dicunt, istam motionem absolute in omnibus causis esse aliquam motionem a Deo derivatam, seu qualitatem per modum motionis, qua virtus creata applicatur ad suam operationem tollendo indeterminationem, et potentialitatem ejus ad operandum.

Inter has sententias hæc ultima est certior in sensu D. Thomæ. Prima enim jam supra impugnata est, et potest applicari illi ratio, qua probat D. Thomas II-II, q. XXIII, art. II, contra Magistrum, charitatem non esse ipsum Spiritum Sanctum, sed aliquem effectum ejus in anima, quia charitas secundum Augustinum est motus animi ad fruendum Deo propter ipsum, sed motus animi est aliquid creatum in anima; ergo et charitas; quæ probatio omnino deficit, si Deus solo suo decreto efficaci, sine aliquo de novo producto sufficienter potest aliquam causam movere. Quare sicut Deus ad constituendam aliquam causam in actu primo operativam, non potest id facere solo suo decreto non ponendo aliquam virtutem in causa, ita ad applicandum, et movendum causam istam, et virtutem ad actum secundum, non sufficit decretum Dei prout æternum, sed aliqua mutatio ejus in tempore.

Secunda vero sententia deficit; tum quia in causis naturalibus, de quibus in præsenti agimus, coincidit cum tertia sententia; tum etiam quia in causis liberis etiam respectu actuum deliberatorum, non sufficienter procedit, quia illic primus actus voluntatis non potest esse ipsa operatio, et causalitas Dei, procedit enim et elicitur a creatura, et consequenter non potest procedere sub illa universalitate, et illimitatione, qua procedit a Deo, sed est id, quo causa creata in suo genere, se movet, scilicet per modum moventis creati, quæ motio non est confundenda cum motione qua movetur a Deo. Et præterea vel ille actus, ut elicitur a creatura, habet omnimodam infallibilitatem ad actum sequentem, vel non. Si non habet, ergo non est motio, et auxilium Divinum, quia hoc infallibiliter movet, cum sit operatio causæ infallibilis, alioquin ad cognoscendum infallibiliter actum sequentem non sufficeret Deo inspicere virtutem, et concursum suum, sed ipsam creaturam, ut a qua dependeat illa infallibilitas, quod negant isti Auctores. Si vero habet infallibilitatem, ergo redditur infallibilitas Divini concursus ex causa creata, siquidem est infallibilis ille actus, prout elicitur a voluntate creata, et non ratione alicujus superaddidi a Deo, quod est impossibile cum illud principium sit mutabile, et contingens, non infallibile, et certum, imo ad cognoscendum aliquid infallibiliter non inciperet Deus ex decreto suo, et auxilio, sed ex ipsa operatione causæ creatæ, siquidem ab ipsa infallibilitate habet, quod est præscire effectum antecedenter ad decretum.

Quare relinquitur tertia sententia, quæ sine dubio est D. Thomæ qu. III de Poten. art. VII ad 7, ubi inquit: « Quod virtus naturalis, quæ est rebus in sua constitutione collata, inest eis ut quædam forma habens esse ratum et firmum in natura, sed id quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agit, est ut intentio sola habens esse quoddam incompletum per modum, quo colores sunt in aere, et virtus artis in instrumento artificis. » Et I-II, quæst. CX, art. II, dicit: « Quod istud auxilium non est qualitas, sed motus quidam animæ, quia motus moventis est in moto. » Ubi nomine motus non intelligitur esse actus elicitus, sed aliqua inspiratio recepta ut eliciatur, quia motus in mobili recipitur, non elicitur, ut motus est. Similiter nomine qualitatis intelligit qualitatem permanentem, et quasi habitualem, non autem negat esse qualitatem per modum motionis transeuntis, sicut virtus instrumenti, et colores in aere, qui non sunt motus, nec potest esse motus ad qualitatem quasi via, et tendentia ab ipsam, quia sic illa motio Dei haberet terminum ad quem tendit, qui esset causalitas per modum permanentis, et sic permanenter causa secunda esset applicata ad operandum, neque apparet quænam esset illa qualitas sic producta: si ergo non est motus ad qualitatem, restat quod sit qualitas per modum motus.

Quod si inquiras, quem effectum formalem habeat ista qualitas, seu motio, respondetur istam motionem neque posse esse actum secundum, scilicet operationem ipsam causæ creatæ, siquidem ista motio est prævia ad talem operationem, et movet ad illam, non ergo est ipsa actio causæ creatæ, hæc enim non potest movere causam ut agentem, sed passum. Similiter non potest esse virtus per modum actus primi, hæc enim datur per modum permanentis in ipsa causa, vel saltem per modum sufficientiæ, ita quod sine ipsa, causa non est sufficienter constituta in ratione principii operativi, nos autem loquimur in præsenti de concursu prævio supponente causam sufficienter potentem, et virtuosam ad agendum, et sic iste concursus non dat virtutem in actu primo. Unde in hoc præcipue distinguitur auxilium dans sufficientiam, et dans efficaciam, quod sufficientia dat virtutem in actu primo, quæ respicit non aliquem actum in individuo tantum, sed ipsam speciem actionis et ita deservit pro aliis actibus in singulari. At vero prævius iste concursus determinatus ad actum individuum in singulari, et sic non dat virtutem in actu primo, quæ deserviat ad varia individua. Unde restat, quod sit applicatio quædam actus primi ad secundum, sicut applicatur, et conjungitur instrumentum ad operandum effectum principalis agentis; quo nomine etiam ipsam declarat S. Augustinus lib. I ad Simplic. quæst. II, inquiens: « Non defuisse Deo modum, quo mentem Esau ad credendum applicaret, voluntatemque conjungeret. » Sed est

duplex applicatio, altera causæ efficientis cum subjecto, seu materia, sicut ignis applicatur ligno, altera unus efficientis cum alia efficiente, sicut duæ partiales causæ, vel causa inferior, et superior, ut sol cum homine ad generationem hominis, et similiter Deus cum causa secunda, qui magis intime conjungitur, quam quælibet alia causa, eo quod magis ab illo dependent omnes causæ. Ex conjunctione autem causæ inferioris ad superiorem inferior semper confortatur, et perficitur, et ita cum Deus sit causa summæ actualitatis, et perfectionis nullam habens potentialitatem, consequenter relinquit causam creatam maxime actuatam et reductam in actum sublata omni potentialitate, et indeterminatione ad agendum, quod ex propria virtute non habebat, quia virtus creata quantumcunque sufficiens in actu primo semper est indeterminata, et in potentia ad hoc, vel illud singulare, et licet possit in quodcunque singulare, ut contentum sub specie illius rei ad quam habet virtutem, tamen propter indifferentiam talis virtutis, deest illi non aliqua virtus ad agendum hoc singulare, sed aliqua determinatio virtutis.

Et hinc nascitur effectus formalis, quem præbet talis motio Divina, reddit enim causam applicatam et determinatam ad operandum nihil immutando de modo, quo causa secunda nata est operari, ita quod si causa secunda operatur necessario dat illi determinationem ad operandum actionem singularem, et simul dat illi, ut per modum necessitatis operetur, si autem operatur contingenter, vel libere, dat illi determinationem ad actum individuum, et similiter modum operandi mutabiliter, et indifferenter conservat, neque enim ulla est repugnantia, quod sicut ex Divina participatione descendit in causam creatam, quod operetur talem substantiam actus, et quod operetur tali modo, scilicet cum indifferentia, vel mutabilitate ad oppositum, ita aliqua motio, vel qualitas Divini concursus descendat a Deo, quæ utrumque faciat, et tollere indifferentiam potentialitatis, qua ipsa causa erat suspensa, et indeterminata, et conservare indifferentiam virtutis, seu modi agendi sine coactione ad unum. Et sic facit operari non solum talem actum, sed operari libere, et contingenter, hoc enim totum infallibile est; utriusque enim est causa, et radix Divina operatio multo magis, quam ipsa nostra anima, et voluntas, juxta illud Augustini lib. de correct. et grat. cap XIV: « Magis habet Deus in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas, » quod est præmotionem illam esse infallibilem ut *quod* et ut effectus Dei, mutabilem autem et contingentem ut *quo*, id est, ut ratio operandi ipsi creaturæ. Et ita antecedentia hujus motionis, licet sit suppositio antecedens, non tamen est suppositio necessitans, sed antecedens influendo, et causando ipsum modum libertatis in actu, et determinatam substantiam actus, et ideo non tollit libertatem ista antecedentia determinans, sed causat illam in actu, et perficit, et conservat in potentia, quæ est doctrina tradita a D. Thoma ut hoc modo concilíet efficaciam Divinæ actionis cum indifferentia nostræ voluntatis, ut videri potest I p. q. XIX, art. VIII, et quæst: LXXXIII, art. I ad. 3 et I-II, quæst. X, ar. IV et III contra Gen, cap. XCIV et I Periherm. lect. XIV et in I ad Annibaldum, dist. XLVII, art. IV, et aliis locis.

—

ARTICULUS III.

Expediuntur difficultates circa præmissa.

Ex quatuor capitibus conflantur præcipua argumenta contra hanc præmotionem physicam. Primo, in actibus naturalibus. Secundo, in liberis. Tertio, in peccaminosis. Quarto, in supernaturalibus.

Circa primum arguitur contra istam præmotionem quia superfluit, et quidquid ipsa facere potest, sufficienter fit per concursum simultaneum, et quatenus in perfectione, et universalitate et prior nostra actione, et ab ipsa voluntate Dei definitur, et determinatur, supponitque alias conditiones causarum creatarum, quæ in suo genere determinant ad agendum, ergo non est necessarius iste concursus prævius, imo videtur solum propius causarum instrumentalium quæ indigent motione, quia non habent virtutem completam ad agendum. Ac denique si ille concursus est qualitas, indigebit alia motione ut operetur, quia est virtus creata, et sic indigens præmotione, supponitque agentia creata non habere sufficientem virtutem; si autem est motus, et non qualitas, ergo debet habere aliquem terminum, qui debet esse qualitas, de qua idem inquiretur. Nec vero potest talis motus habere pro termino ipsam actionem agentis creati, quia ad actionem non datur actio, et hæc motio recipitur in ipsa causa, actio vero sæpe recipitur in passo. Nec habet pro termino aliquam unionem cum causa prima, quia talis unio non est intelligibilis, nec ponitur intimior præsentia cum Deo ex parte creaturæ quando causat, quam antequam causaret. Nec est determinatio aliqua ad singularem effectum, quia virtus causæ creatæ, sicut est ad speciem actus, ita est ad singularia talis speciei, alias indigeret causa creata tot præmotionibus, quot singularia per aliquem actum producit. Nec denique ponit aliquam excitationem ad agendum, quia excitatio si fit ab objectis, solum est respectu potentiarum cognoscentium, vel appetentium; si autem fit per aliquam alterationem, imprimis id non requiritur in omnibus causis, in quibus autem datur, non est aliud quam additio, vel complementum alicujus virtutis, vel dispositio ad agendum, quod totum non facit prædeterminatio illa, ergo non apparet, ad quid ponatur.

Respondetur non superfluere prædictam motionem, quæ ita necessaria est, ut causa inferior sit subordinata, et dependens a Deo, non solum ex parte effectus, sed etiam ex parte ipsius causæ, ita quod habeat Deus potestatem, et dominium in ipsam causam ut possit facere, ut illa faciat per suam propriam virtutem, non autem expectare debeat concursum ipsius, ut jam supra ponderatum est. Neque hoc est proprium causarum instrumentalium, quia instrumenta agunt ex præmotione non quomodocunque sed dante ipsam virtutem agendi, ita quod tota ratio agendi sit motio. In causis autem principalibus sed subordinatis, et inferioribus requiritur motio non ut ratio agendi, et virtus, sed ut applicatio, et determinatio virtutis, ut hic, et nunc operetur in singulari, et a Deo ad operandum moveatur.

Et quando dicitur, quod determinatur a conditionibus, et circumstantiis aliarum causarum in suo genere, dicimus verum esse, sed non sufficere, quia si requiruntur circumstantiæ, et conditiones causarum creatarum, cur excludetur conditio, et determinatio causæ pri-

mæ? Præsertim cum causæ creatæ non possint determinare nisi in virtute causæ primæ, quia ipsæ circumstantiæ, et conditiones, quas operantur hic, et nunc ad determinandum alias causas procedunt a virtute creata, quæ de se respicit speciem actus quæ indifferens est, et indeterminata ad operandum hanc circumstantiam, et conditionem in individuo potius quam illam, ergo quod talem circumstantiam in individuo operetur, oportet reducere ad aliquam causam quæ determinet et tollat illam indifferentiam, et cum hoc non possit fieri sufficienter ab aliqua causa creata, quia est eadem ratio ac de reliquis quoad indeterminationem in individuo, oportet tandem hoc reducere ad causam primam, quæ est extra omnem potentialitatem et indeterminationem. Quare non est dubium requiri motionem causæ primæ, ut causa creata determinetur, sicut requiruntur motiones, et conditiones aliarum causarum.

Et ad ultimam instantiam, qua inquiritur quid sit illa motio divina, et quem terminum habeat, jam articulo præcedenti respondimus, quod ille motus non est per modum viæ, et tendentiæ ad aliquem terminum adquirendum, sed est aliqua qualitas producit a Deo per modum motionis, quia non datur per modum actus primi, et virtutis, sed per modum applicationis, et determinationis ad unum tantum actum in singulari, quo cessante, illa quoque qualitas otiosa est, et ideo dicitur dari per modum transeuntis. Nec dantur tot præmotiones, quot effectus, sed quot operationes, ad quas determinatur causa creata. Et per suam actionem non determinatur causa agens ad operandum applicative et effective, sed formaliter in actu secundo constituitur operans; per illam autem motionem effective, seu applicative. Et ita hæc applicatio, seu motio reducitur aliquo modo ad genus illius potentiæ seu virtutis quæ determinatur a Deo.

Et quando instatur, quod virtus ipsa, sicut est ad speciem actus, ita ad singularitatem, respondetur virtutem operativam respicere singularia, prout contenta in specie sua, et cum indifferentia ad illa, hæc vero præmotio ut tollens indifferentiam, seu indeterminationem, et applicans tantum ad unum individuum, ideo non datur per modum virtutis ad multa individua, sed per modum applicationis ad unum. Denique, per hanc determinationem dicitur unita causa secunda, et prima ea modo, quo aliquæ causæ uniuntur in ratione causandi, quod enim in aliis causis creatis non est mirum, quod conjungatur ad operandum, sicut cœlum coordinatur cum causis inferioribus, cur difficile apparebit in causa prima respectu secundæ, cum magis ad illas necessaria sit? Idque pertinet ad immensitatem Divinam, ratione cujus est præsens omnibus rebus non solum ut in illo sint, sed etiam ut moveantur, ut vivant, ut dicitur lect. xvii. Et ita illa motio Dei etiam pertinet ad ejus præsentiam, et non est alia unio quam immensitatis, qua est præsens omnibus dando vitam et inspirationem, et omnia opera operando; præsertim, quia Deus est in rebus per mutationem ipsarum creaturarum, in quibus operatur quacunque mutatione, ut docet S. Thomas 1 p. q. viii, art. 1.

Secundo arguitur ex secundo capite contra hanc præmotionem in actibus liberis, quia hæc promotio tollit libertatem; ergo non est ponenda. Antecedens probatur, quia illa præmotio ita est determinata ad unum individuum, quod tantum ad illud applicat, et illa posita non stat retrahere, ut non sequatur actus,

cum sit infallibilis connexio ejus cum actu, alias ex vi illius non infallibiliter, moveret Deus causam, ut certificaretur de actu ejus, sed deberet expectare determinationem causæ; ergo cum sit ultima determinatio aliam ulterius non expectans, ex natura sua infallibilis est; ergo tollit omnem contingentiam, et indifferentiam libertatis. Patet consequentia, quia est suppositio antecedens, siquidem causat ipsum actum, et est determinata ad unum infallibiliter, et non est in manu voluntatis illam ponere aut positam avertere, cum veniat a principio extrinseco; ergo non relinquit libertatem ad faciendum, vel non faciendum. Nec habet hic locum vulgaris distinctio in sensu composito, et diviso, quod potest oppositum in sensu diviso, id est, ex vi voluntatis sic motæ, licet non quantum ex vi auxilii, quod est in sensu composito. Nam contra hoc est, quia posita illam præmotione, vel potest illi resistere, vel non; si non potest tollitur libertas, et contradicitur Concilio Tridentino sess. vi, c. v, dicenti: « Agere liberum arbitrium motionem illam recipiens, quippe qui illam abjicere potest. » Si vero potest resistere, et illa stante oppositum facere, ergo non est ultimo determinata ad hunc actum, sed adhuc indiget alia determinatione, siquidem adhuc habet indifferentiam, ut possit oppositum; et unde constat, quod talis potentia nunquam reducetur ad actum, si retinet potentiam ad illam; nisi forte manet impedita per oppositionem auxilii, quod est non manere libertatem expeditam ad unum, et ad aliud.

Respondetur negando antecedens et ad probationem dicitur, non pugnare illam præmotionem determinatam cum indifferentia libertatis, quæ est indifferentia activa, seu universalitatis, et potestatis, sed pugnare cum indifferentia suspensionis, et indeterminationis, quæ est indifferentia passiva, et potentialitatis, quam tollit illa determinatio ad unum actum, quasi vero non debeat dari libertas actualis in singulari, quæ utique determinata est quoad suspensionem, non quoad coactionem et necessitatem. Et a præmotione causæ primæ dimanat non solum substantia, et determinatio actus, sed etiam modus ejus, et singularitas; puta quod sit liber vel necessarius hic et nunc, nec minus causat ista præmotio quam ipsamet voluntas, et anima, quæ est radix actus, et causat actum liberum determinatum in singulari, et tamen talis determinatio non opponitur illi modo indifferentiæ libertatis, sed exigit illum, quia conducit ad constituendum talem actum in singulari. Cur ergo causa prima, quæ est prima radix hujus determinationis et singularitatis, et actus, non poterit similiter prævia illa motione utrumque influere, et determinare tam substantiam actus, et modum indifferentiæ ejus? Et sic non est mirum id quod miratur P. Suarez lib. 1 de Auxiliis, c. xiii, n. ii, quod voluntas participet libertatem per illam motionem, quia illa motio est participatio, et influxus quidam primæ radicis totius libertatis nostræ, unde antecedentia illius motionis non destruit rationem libertatis, quia antecedit ut causans, et fundans illam, tollens autem indifferentiam suspensionis et indeterminationis, ut fiat actus in individuo, cum modo tamen libertatis, quo possit oppositum, sed de facto non faciat.

Et hinc patet ad id quod opponitur contra sensum compositum, et divisum, quod est idem ac dicere, quod non potest fieri oppositum potentia consequente, id est, taliter quod consequatur effectus in re oppositus auxilio, bene tamen potentia

antecedenti, quæ solum respicit modum operandi causæ liberæ, quem conservat auxilium; sicut etiam stante concursu simultaneo, et ipso actu dum fit, non stat oppositum, non fieri in sensu composito, id est, utrumque actum conjungendo, bene tamen potest oppositum in sensu diviso, hoc est potestatem ipsam respiciendo, quam conservat auxilium et actus. Et ita sensus compositus et divisus, non est idem quod posito, vel ablato auxilio, sed ipso stante fit compositio, et divisio secundum diversas habitudines, et respectus talis auxilii, nam cum causet utrumque, scilicet determinatum actum, et modum indifferentiæ in ipso actu, sensus compositus conjungit utrumque simul, et ponit in re, et sic non stat oppositum actum etiam ponere, quia repugnat iste actus cum opposito simul: sensus autem divisus fit considerando auxilium sub una tantum ratione, scilicet quatenus dat, vel conservat modum libertatis in operando, sic enim dividimus considerationem, et officia auxilii, et sub ista consideratione sic divisa potest oppositum, quia conservat modum indifferentiæ, qua oppositum potest, sed cum hoc posse, stat non facere.

Et quando dicitur, quod habere illam motionem prævium non est in manu nostra, respondeo quod licet non sit in manu nostra ex parte principii dantis, est tamen in manu nostra ex parte termini, ad quem datur, quia datur ad operandum modo libero, et consequenter non tollendo aliquid a manu nostra, sed perficiendo.

Ex quo etiam patet ad replicam, quomodo possimus resistere illi promotioni infallibili, vel non resistere. Utrumque enim verificatur secundum diversas considerationes; nam utrumque dicitur de ipso auxilio, ut in Scriptura: *Voluntati ejus quis resistet?* Roman. IX, et Esth. XIII: *Non est qui possit resistere tui voluntati*: et Augustinus, lib. de correct. et grat. cap. XIV: «Deo volenti salvum facere, nullum humanum resistit arbitrium» et D. Thomas I-II, q. X, art. IV ad 3: «Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est quod voluntas non moveatur.» Quod vero possit ei resisti, dicitur a Concilio Tridentino sessione VI, cap. V: «Quippe qui illam abjicere potest:» et in Concilio Senonensi, in decreto XV fidei: «Auxilium non est tale, cui resisti non possit.» Verificatur ergo quod non possumus resistere auxilio potentia consequenti, et in sensu composito, et conjungendo actum cum actu, possumus autem resistere in sensu diviso, et potentia antecedenti, scilicet quantum est ex parte modi, quo per tale auxilium operamur. Nec tamen inferri potest, quod si potest resisti auxilio, et fieri oppositum ipso stante, quod non erit inconveniens de facto ita poni. Respondetur enim quod possibile poni in actu, non est inconveniens, quando est possibile potentia consequenti, et absolute, non autem si solum sit possibile potentia antecedente, et in sensu diviso, quia si ponitur in re hoc ipso fit sensus compositus, quia absolute ponitur, si in re ponitur, et sic mutatur sensus divisus in compositum, sicut me sedente possum surgere, et tamen non potest de facto poni, quod surgam stante sessione, licet stante illam possim.

Ex quo etiam solvitur instantia, quæ solet adduci, quia si de facto aliquis faciat oppositum actum, de facto frustraretur auxilium; ergo si absolute potest facere oppositum, absolute potest frustrari.

Respondetur enim, mutari appellationem in illa consequentia, et ideo distinguenda est, si potest facere oppositum, potest frustrari, distingui-

tur; si potest solum potestate antecedente, nego; si potest potestate etiam consequente, et in sensu composito, concedo: nam frustrari auxilium, dicit non quomodocunque posse facere oppositum, sed tali modo, quod contra ipsum auxilium etiam prout descendit a Deo, possit oppositum, et sic non potest, sed solum in sensu diviso, et potestate antecedente, id est, quantum est ex motu ipsius indifferentiæ et libertatis, quam conservat auxilium. Itaque in istis consequentiis a posse ratione libertatis, et modi operandi ad posse cum absoluta positione effectus paralogizatur defectu appellationis.

Tertio arguitur ex tertio capite, scilicet ex actibus peccaminosis. Nam si requiritur præmotio physica ad actus causæ creatæ, sequitur quod etiam requiratur ad actum peccati ex parte entitatis materialis, siquidem in illa producendo in quantum entitas actus est, non minus dependet voluntas nostra a Deo, quam in entitate cæterorum actuum. Hoc autem est magnum inconveniens, sic enim determinaret Deus voluntatem ad hunc actum in singulari, qui non potest a voluntate procedere nisi peccando, quod est multo magis juvare, et impellere ad peccatum, quem qui persuadet, vel impetat illud; tum quia causa physica fortius impellit, et movet ad actum, quam moralis, præsertim cum in ista præmotione Deus incipiat determinare, et reddere voluntatem ex nolente volentem respectu actus, quem voluntas non potest exercere, nisi peccando; tum etiam, quia qui persuadet aliquod malum, non persuadet quatenus malum, sed quatenus utile, vel delectabile, et tamen, quia illi annexa est malitia, nec potest exerceri ab altero, nisi peccando, attribuitur malitia ipsi persuadenti, vel moventi moraliter, ergo multo magis attribuetur Deo præmoventi, et determinanti physice ad talem actum.

Respondetur, hoc argumentum late tractari a P. Suarez lib. I de Auxiliis, cap. II, et Vasquez I part. disp. XCIX, cap. IV, qui hoc urgent contra nostram sententiam. Supponendo autem quod Deus nullo modo concurrit ad peccatum includendo deformitatem; et de hoc loquuntur omnes auctoritates, quæ nimis in hac parte exaggerantur: quod attinet ad entitatem peccati, non minus debet solvi argumentum propositum ab oppositis Auctoribus, qui negare non possunt Deum concurrere concursu simultaneo ad entitatem peccati; constat autem quod non minus attribui potest, quod sit causa peccati cooperator, quam præoperator. Dicimus ergo, quod sicut ille actus ex eo quod habet entitatem, debet derivari et descendere a Deo, ita ipsa causa secunda ex eo quod operatur eamdem entitatem pro ea parte, qua entitas est, divinæ motioni subordinari debet, et ab ea principari id quod entitatis, et bonitatis est in tali actu, nihil enim est aliud Deum principiare illum actum quoad entitatem, quam quod derivetur et participetur a Deo ut a prima radice entitas illius actus, licet nulle modo influat in illum actum ut defectuosus est, nec moveat causam ut defective se habet in operando sed ut effective.

Et quando instatur, quod illi operationi intrinsece est annexa malitia, nec potest sine illa fieri a causa creata, respondetur quod ex annexa illa malitia illi actui non absolute ut entitas est, sed ut a tali principio originatur, scilicet deficiente, ad id enim quod est positivum, entitativum in tali motione quatenus entitas est, et non sequitur defectus, sed ad entitatem ut diminutam, et minus habentem de plenitudine essendi, et

sic præmotio, vel concursus ad entitatem, et non ad diminutionem vel modum deficiendi entitatis, nullo modo nec per accidens est causa defectus, cum potius tendat ad oppositum, et sic causa ne malitia illa totum bonum corrumpat, sed aliquid bonitatis, et entitatis relinquatur in actu.

Et ad instantiam de causa morali, respondetur quod licet causa physica vehementius, et intimius influat, quam causa moralis, quæ extrinseca est, tamen modus operandi causæ physicæ, magis præcisivus est ad effectum, quam causa moralis; quia causa physica agit actione fundata in activitate agentis, et quanto superior est agens tanto activitas est major, et purior a potentialitate, et defectu, et sic ejus actio non attingit nisi id quod in effectu de actualitate participat, et a defectu recedit, quia ejus ratio formalis operandi sub qua præcise operari potest, solum est activitas, et non defectus. At vero causa moralis non influit activitate sua, sed proponendo objectum, et ita non magis præscindere potest a defectu secuto in operatione, quam præscindat ipsum objectum, quod cum deformitatem includat, nec ab ea præscindat, movens mediante objecto, a deformitate etiam non præscindit. Et hinc patet, quomodo Deus incipiat movere ad illum actum, non enim præmovet excitando et proponendo objectum, licet ad entitatem excitationis concurrat; et similiter incipit movere ad id quod entitatis est sub ratione effectus, nullo vero modo sub ratione defectus, licet ille sequatur ex modo agendi ipsius creaturæ. Nec Deus tenetur illum concursum evitare, sed potius tanquam universalis provisor debet causas relinquere juxta suas naturas, et illi entitati talis actus dare locum, qui debetur in universo actioni defectibili. Nec voluntas in eo peccat, quod sequatur istam præmotionem Dei, sed quia non eo modo sequitur, quo Deus movet, scilicet præcise id quod entitatis est agendo, sed modo defectuoso, et substrahendo se ab eo quod positivum, et bonum est in illa entitate actus, sicut claudicatio tibiæ nullo modo est ex virtute animæ moventis, sed ex curvitate tibiæ non obedientis motioni illius virtutis.

Ultimo, potest argui ex supernaturalibus, quomodo scilicet distinguatur gratia efficax a sufficienti penes istam præmotionem. Sed hoc Theologis relinquimus, ne naturalis Philosophus supernaturalia speculetur, sed credat.

ARTICULUS IV.

Utrum causa per accidens, ut casus, et fortuna inveniatur in subordinatione causarum?

Multa Philosophus de causa per accidens disputavit in libro secundo agendo de casu, et fortuna. Breviter tamen quid sit, et in quo consistat per sequentes propositiones explicabimus.

Dico primo primo: In communi loquendo, causa per accidens, ut opponitur causæ per se, dicitur dupliciter, vel quia deest illa propria forma, aut quia deest illi propius finis, quia scilicet non ex proposito operatur. Sumitur hoc ex Aristotele in capite quinto secundi libri. Et notandum, quod illa particula *per accidens*, dupliciter sumitur uno modo per accidens, id est, per aliud, sive illud aliud per se, et necessario requiratur, sive non qua ratione omnes causæ creatæ per accidens operantur, id est, per virtutem accidentalem, quæ tamen proprie est virtus. Alio modo per accidens dicitur illud, quod convenit non simpliciter, et per se. Et hoc ideo est, quia accidens aliud est proprium, et aliud commune, accidens proprium licet sit distinctum a subjecto, habet tamen connexionem per se cum illo, accidens autem commune non habet, et ideo convenientia primi accidentis non opponitur ei quod per se, bene tamen convenientia secundi. Loquimur ergo in præsenti de eo, quod est per accidens hoc secundo modo, et sic dicimus, quod contingit esse causam per accidens illo duplici modo, vel quia deest habitudo ad propriam formam, ut cum dicitur album ædificat; albedo enim non est forma ad quam sequitur ædificatio licet sit in subjecto ædificante, et talis causa per accidens opponitur quarto modo per se, in quo explicatur id secundum quod causa. Vel potest sumi ex defectu habitudinis ad proprium finem, ut si fodiens sepulcrum invenit thesaurum dicitur per accidens invenire, quia non intendebat illam inventionem, ex defectu ergo finis, vel formæ, quæ sunt principia agendi dicitur causa per accidens.

Et primus modus causæ per accidens dupliciter dicitur. Uno modo quia conjungitur formæ agenti per se, ut cum dicitur musicus ædificat, musica conjungitur arti ædificandi. Alio modo, quia conjungitur cum effectu per se, quia scilicet attingit aliquid, cui alius effectus est annexus, ut in removente prohibens, sicut qui removet columnam, est causa descensus lapidis, qui non oritur ab ipso removente, sed a gravitate, et similiter persecutio tyrannorum est causa per accidens patientiæ martyrum per modum occisionis.

Dico secundo: Casus et fortuna pertinent ad causas per accidens, quæ dicuntur agere præter intentionem. Constat hoc ex Aristotele in secundo libro, cap. v; differunt autem casus, et fortuna, quia casus magis communiter se habet, fortuna vero solum invenitur in rationibus; neque enim dicitur lapis, vel brutum bene fortunatum, et hoc ideo quia bona fortuna est valde affinis felicitati; dicimus enim bene fortunatos esse felices, felicitas autem solum convenit rationali naturæ. Dicitur ergo fortuna *causa efficiens per accidens in his, quæ raro contingunt, et secundum propositum fiunt propter finem.* Quæ definitio convenit casui, excepta ultima particula, eo quod casus etiam in irrationalibus invenitur, sicut casu accenditur ignis in silva, vel lapis cadit, et percutit. Dicitur autem fortuna causa per accidens reductive sicut id, quod est per accidens tale, reducitur ad id, quod est per se. Dicitur autem causa, et non effectus, quia id, quod est effectus, est fortuitum, seu ex fortuna proveniens, non fortuna ipsa: si enim fortuna esset effectus, et non causa, restabat inquirendum a qua causa proveniret, et cum non sit a causa per se, debet esse per accidens.

Dico tertio: Omnes causæ creatæ, quæ coordinantur inter se, sunt capaces casus, et fortunæ. Respectu vero causæ primæ nihil fortuitum, vel casuale datur. Hæc conclusio sumitur ex D. Thoma I part. quæst. xv, artic. vi et in contra Gen. cap. lxxxvi, in fine, ubi etiam causis cœlestibus attribuit rationem casus, seu causæ per accidens. In quæst. vero cxvi, artic. i, removet rationem fortuiti a Deo, omnia enim subduntur Divinæ providentiæ, quæ ex proposito operatur. Ratio hujus fundatur in duplici propositione. Prima est, quod nulli creaturæ convenit omnium cognitio saltem respectu eorum, quæ sunt supra se. Secunda, quod nulli creaturæ subduntur omnes causæ, præsertim liberæ,

quæ in multis actionibus solum pendent a Deo. Ex his enim deducitur, quod multi effectus possunt consequi casualiter, quia quod ignoratum est ab aliquo, potest fieri præter ejus intentionem, ut si Angelus jubeatur a Deo facere aliquid, ex quo sequitur, quod quidam convertantur, et hoc sibi ignotum est. Et similiter, si alicui non subduntur omnes causæ, potest concursus, et combinatio aliqua causarum fieri, in quam non influat, et respectu ejus erit casualis effectus secutus, sicut quod aliquid sit album, habet causam, et similiter quod sit musicum, sed hæc conjunctio album, musicum, non habet causam. Oppositum vero accidit respectu Dei, quia ipse nihil potest ignorare, et sic non potest aliquid præterire ejus providentiam; et similiter nihil præterit ejus causalitatem, quomodocunque enim combinentur causa, hæc ipsa combinatio, est ex participatione Dei, quia hoc ipsum potest intelligere, et consequenter ordinare, ac disponere, vel impedire.

DICO QUARTO: Recte dicitur omnem causam per accidens reduci ad aliquam causam per se. Et hoc axioma est valde commune, sed potest habere falsum, et verum sensum. Primo enim potest esse sensus, quod omnis causa per accidens reducitur ad aliquam causam per se proximam et particularem, tanquam derivata et originata ab illa. Et hoc sensus est falsus, quia multi sunt effectus per accidens qui non originantur ab aliqua causa per se, sicut quod album sit musicum, non habet causam, cum sit ens per accidens, quod non est unum ens, neque vere ens, et sic docet D. Thomas I p. q. CXV, art. VI.

Secundus sensus est, quod omnis effectus, seu causa per accidens reducitur ad aliquam causam per se præsuppositive, quia scilicet supponit aliquam causam, vel effectum per se cui accidit, vel quia reducitur ad causam primam, cui nihil est fortuitum et per accidens, ut dictum est. Hoc modo reducitur omne per accidens ad aliquod per se, cui conjungitur, v. g. inventio thesauri conjungitur fossioni terræ, quæ per se est intenta, et album musicum conjungitur homini, qui est per se capax albedinis, et etiam musicæ.

DICO ULTIMO: Fatum est ipsa ordinatio, et dispositio causarum creatarum derivata a Divina providentia ad executionem effectuum, quos per ipsas ordinat, et disponit exequi. Sumitur hæc conclusio ex D. Thoma I par. quæst. CXVI, præsertim artic. I et IV, fuerunt autem de fato diversæ sententiæ, vel errores apud antiquos, quos ad duo principalia capita reducit S. Thomas. Cum enim inter effectus alii sint necessario, et immutabiliter provenientes, ut motus colorum; alii vero mutabiles, et casui subjecti, de primis non erat aliqua difficultas, cum clare constet illa esse naturaliter disposita, et ordinata. Circa casualia vero, et contingentia erat tota difficultas, et in hoc quidam ad nullam causam superiorem reducebant res istas casuales, et sic omnino tollebant fatum. Alii vero reducebant omnia fortuita ad causam superiorem, quam dicebant esse cœlum, et ita ponebant fatum non a Deo, sed a cœlo derivari, quo sensu sancti Patres sæpius a nomine fati abhorrent, quatenus attribuitur sideribus subjicientibus sibi humanas actiones. Et ideo primi erraverunt subtrahendo a Divina providentia res mutabiles, et casuales; secundi vero subjiciendo omnia casualia cœlo, quod constat esse falsum; tum in his quæ fiunt a libera voluntate quæ nullo modo subjiciuntur cœlo: tum in his, quæ fiunt per

accidens, quorum non potest esse principium causa naturalis, quia hæc operatur ut determinata ad unum, res autem per accidens nec determinatæ sunt, nec unum. Quare si casualia, et fortuita in aliquam causam reducuntur, illa debet esse intellectiva, quia intellectus reducit ad unum etiam ea quæ sunt per accidens, et ita potest de illis ordinare. Ordinatio ergo istorum effectuum casualium primo et principaliter reducitur in Divinam providentiam, proxime vero in causas intermedias non absolute, sed quatenus dispositæ, et ordinatæ a Deo ad tales effectus. Sic ergo illa dispositio causarum dicitur fatum, quasi aliquid a Deo prælocutum, et præfatum; ipsa vero Dei providentia active sumpta potius est disponens, seu loquens, aut fans, quam fatum et dispositum. Et sic ista dispositio fati designat ordinem habitudinis in causis, non dispositionem illam, quæ est qualitas. Subduntur autem fato omnes illi effectus, qui pendent a causis secundis mutabiliter, et quanto a pluribus causis pendent, plus fati nexibus implicantur, ut dicit Boet. IV de Consolat. prosa IV. Quæ vero immediate a Deo fiunt, non subduntur fato, sicut creatio cœli, glorificatio spirituum, collatio gratiæ, etc.

Sed objicies: Nam absolute non datur aliquis effectus casualis; tum quia licet in genere loquendo invenire thesaurum sit effectus per accidens respectu fodientis sepulcrum ignoranter, tamen hæc fossio in singulari in quantum fit hic et nunc in hac parte terræ non stat, quod non inveniat thesaurum; tum etiam respectu cœli, quia nullus effectus corporeus est, qui non dependeat a cœlo; ergo licet respectu hujus, vel illius constellationis aliquid videatur fortuitum, tamen respectu omnium simul, seu respectu totius cœli nihil est fortuitum; tum denique respectu dispositionis divinæ in causis nihil est fortuitum, quia est fatum et dispositum, ergo nihil casuale datur quod respectu alicujus causæ non sit per se.

Confirmatur, quia ideo datur casus, et fortuna in creatis, quia id quod est per accidens non habet causam, cum non sit vere ens quod non est vere unum, sed hæc ratio etiam currit respectu Dei, quia non causat nisi id quod est vere ens, et vere unum, ergo etiam Deus non est causa effectuum per accidens, vel si est causa eorum in quantum intelligens, etiam intellectus creatus poterit esse causa per se eorum, quæ per accidens fiunt.

Respondetur, negando antecedens principalis argumenti. Ad primam probationem respondetur, quod illa actio prout fit in illa determinata parte terræ, per se non respicit inventionem thesauri, sed apertionem terræ, in qua, quia fuerat positus thesaurus omnino præter intentionem aperientis terram; ideo respectu hujus actionis, et agentis dicitur illa inventio per accidens, et sola apertio terræ per se, etiamsi in singulari consideretur respectu fodientis. Ad secundam probationem dicitur quod in primis nihil probat de actibus liberis, respectu quorum cœlum non est causa, respectu autem aliarum rerum naturalium etiam nihil probat, quia licet diversæ constellationes diversos producant effectus, et quandoque unum alterius contrarium, tamen illa combinatio, et concursus effectuum non est per se intentus ab illis constellationibus, quia unaquæque respicit suum effectum, quod vero uterque effectus simul occurrat, est illis per accidens, verbi gratia, planeta vel constellatio, quæ generat fulmen, solum respicit illius productionem, similiter alia constellatio, quæ siccavit messem, solum intendit illam siccare,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quod vero super messem siccam cadat fulmen et comburatur, non est per se intentum ab illis constellationibus, quia non agunt intendendo conjunctionem illorum effectuum, sed quælibet suum, solum autem causa intelligens, quæ comparat unum alteri, potest intendere tanquam unum ea quæ plura sunt, et per accidens, ut docet S. Thomas statim citandus, præterquam quod illæ constellationes in producendis suis effectibus dependent a dispositione, vel distantia materiæ, quæ si deficiat, frustratur actio cœli, et consequenter fit effectus per accidens. Ad ultimam probationem dicitur, probare quod ratio casualis, et contingentis sumitur penes ordinem ad causas particulares, seu creatas, non respectu Dei, cui nihil est fortuitum.

Ad confirmationem dicitur, quod entis per accidens, in quantum tale, nulla datur causa, sed dicitur causari a Deo, quia id, quod est per accidens in se, potest reduci ad aliquam unitatem, et sub illa causatur, quia potest per apprehensionem intellectus sumi ut unum, et sic ab intellectu potest ordinari per modum unius et intendi, ut dicit S. Thomas I p. q. CXVI, art. 1. Et sic non repugnat etiam id fieri ad intellectu creato respectu eorum effectuum, quorum habet notitiam, et quos potest causare, non tamen respectu omnium, nisi tantum Deus, qui omnia novit, et omnia causat quantumcunque libera, et contingentia. Causæ autem naturales, quia sunt determinatæ ad unum, non possunt ea, quæ sunt per accidens, causare per se.

—

QUÆSTIO XXVI.

DE INSTRUMENTIS.

In causa efficiente invenitur, et agens principale, quod primo, et principaliter operatur, et instrumentale quod ministerialiter, et secundario, quod non præbet virtutem ipsi agenti, sed a virtute ejus movetur ad operandum, et serviendum ei, tanquam illi subordinatum et dependens, ideoque pertinet hoc ad perfectum tractatum de subordinatione causarum. De hoc ergo duo inquirimus, alterum pertinens ad formale constitutivum, scilicet qua virtute constituatur in ratione instrumenti: alterum præsuppositum, an scilicet prærequiratur propria actio instrumenti.

—

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ sit propria differentia causæ instrumentali a principali?

Omittimus in præsenti instrumenta moralia, quæ ut instrumenta sint, non requirunt aliquid reale sibi superadditum, sed sufficit aliqua denominatio extrinseca, v. g. aliquod pactum vel designatio, aut præsentia, ad cujus positionem causa physica operatur, et sic tale instrumentum solum se habet ut conditio requisita, et metaphorico modo dicitur instrumentum. Agimus ergo de instrumento proprio et influente, a quo physice exit effectus, licet modo ministeriali, et inferiori ad causam principalem. Omittimus etiam instrumentum, quod est ipsa virtus causæ principalis, quæ solet appellari instrumentum, sed improprie, solum enim similitudine quadam dicitur instrumentum, quia est ratio

agendi, et principium *quo* in virtute formæ agens, ut magis principalis, et subjecti, ut principii *quod*. Vere tamen ista virtus est virtus et ratio agendi principalis agentis. Distinguitur autem ab instrumento proprie dicto, quod virtus illa solum supponit virtutem radicalem substantiæ, dat vero formalem: instrumentum autem de quo in præsenti supponit tam virtutem radicalem, quam formalem causæ principalis, et ei ministerialiter deservit; et hoc aliquando est conjunctum principali agenti, ut humanitas Verbo, baculus percutienti; aliquando separatum ut virtus diffusa ab agente, et Sacramentum respectu Christi.

Igitur distinctio hujus causæ principalis ab instrumentali maxime pendet ex duobus, scilicet ex termino, qui est effectus, et ex principio quod est virtus. Ex parte termini oportet videre, quis effectus correspondeat instrumento, quis vero causæ principali, vel quomodo unus, et idem effectus correspondeat utrique. Ex parte vero principii oportet videre, qua virtute, et modo constituatur instrumentum in actu primo.

Circa primum communiter dici solet, quod instrumentum debet respicere effectum improportionatum, et excedentem, quia videlicet non assimilatur virtuti instrumenti, sed virtuti principalis agentis. Quod etiam admittit schola Scoti in instrumentis artificialibus, in quibus solum existimat esse propria instrumenta physica, nam in naturalibus non admittit vera et propria instrumenta, quia existimat accidentia non attingere substantiam etiam instrumentaliter. Aliqui tamen absolute existimant causam instrumentalem non attingere effectum principalis agentis, sed solum dispositive conducere ad illum, quatenus aliquid prævium attingit, quo forma aliqua resultat. Quam sententiam suppresso nomine refert P. Suarez disput. XVII Metaphys. sect. II, num. X, et attribuitur Fonsecæ V Metaphys. cap. II, quæst. VI. Ipse vero Pater Suarez ibidem num. XVII et sequentibus, in eo præcise constituit causam instrumentalem, quod producat effectum nobiliorem se, ad quem non habet proportionatam virtutem, sed indiget elevatione superioris; causa vero principalis est, quæ respicit effectum non excedentem suam virtutem, sive partialis sit, sive totalis, unaquæque suo modo. In quo consequenter fundatur causam vitalem in supernaturalibus actibus, qui excedunt propriam virtutem, agere instrumentaliter.

Quantum ad secundum, scilicet quo principio constituatur instrumentum in actu primo, aliqui existimant solum distingui causam instrumentalem a principali, penes denominationem, quia scilicet instrumentalis est illa cui non attribuitur actio, principalis vero cui attribuitur: quod tamen insufficienter dicitur, nam etiam instrumentum denominatur agere, sicut Sacramentum dicitur dare gratiam, minister consecrare, vel absolvere, baculus percutere, etc.

Inter eos vero qui ad instrumentum requirunt aliquam realem virtutem, sive assistentem, sive receptam, duæ sunt sententiæ. Prima affirmat constitui instrumentum in actu primo per aliquam motionem, quæ sit participatio virtutis per modum transeuntis. Ita communiter tradunt Thomistæ, ut Cajetanus III par. quæst. LXII, articul. I et articul. IV; Capreolus in IV, distin. I, quæst. I; Nazarius I part. quæst. XLV, art. V, et alii communiter. Eadem in schola Scoti tradi constat ex Patre Fuente II Physic. quæst. VI, difficult. I, articul. II, pro instrumentis artificialibus. Verum est aliquos solum

quod vero super messem siccam cadat fulmen et comburatur, non est per se intentum ab illis constellationibus, quia non agunt intendendo conjunctionem illorum effectuum, sed quælibet suum, solum autem causa intelligens, quæ comparat unum alteri, potest intendere tanquam unum ea quæ plura sunt, et per accidens, ut docet S. Thomas statim citandus, præterquam quod illæ constellationes in producendis suis effectibus dependent a dispositione, vel distantia materiæ, quæ si deficiat, frustratur actio cœli, et consequenter fit effectus per accidens. Ad ultimam probationem dicitur, probare quod ratio casualis, et contingentis sumitur penes ordinem ad causas particulares, seu creatas, non respectu Dei, cui nihil est fortuitum.

Ad confirmationem dicitur, quod entis per accidens, in quantum tale, nulla datur causa, sed dicitur causari a Deo, quia id, quod est per accidens in se, potest reduci ad aliquam unitatem, et sub illa causatur, quia potest per apprehensionem intellectus sumi ut unum, et sic ab intellectu potest ordinari per modum unius et intendi, ut dicit S. Thomas I p. q. CXVI, art. 1. Et sic non repugnat etiam id fieri ad intellectu creato respectu eorum effectuum, quorum habet notitiam, et quos potest causare, non tamen respectu omnium, nisi tantum Deus, qui omnia novit, et omnia causat quantumcunque libera, et contingentia. Causæ autem naturales, quia sunt determinatæ ad unum, non possunt ea, quæ sunt per accidens, causare per se.

—

QUÆSTIO XXVI.

DE INSTRUMENTIS.

In causa efficiente invenitur, et agens principale, quod primo, et principaliter operatur, et instrumentale quod ministerialiter, et secundario, quod non præbet virtutem ipsi agenti, sed a virtute ejus movetur ad operandum, et serviendum ei, tanquam illi subordinatum et dependens, ideoque pertinet hoc ad perfectum tractatum de subordinatione causarum. De hoc ergo duo inquirimus, alterum pertinens ad formale constitutivum, scilicet qua virtute constituatur in ratione instrumenti: alterum præsuppositum, an scilicet prærequiratur propria actio instrumenti.

—

ARTICULUS PRIMUS.

Quæ sit propria differentia causæ instrumentali a principali?

Omittimus in præsenti instrumenta moralia, quæ ut instrumenta sint, non requirunt aliquid reale sibi superadditum, sed sufficit aliqua denominatio extrinseca, v. g. aliquod pactum vel designatio, aut præsentia, ad cujus positionem causa physica operatur, et sic tale instrumentum solum se habet ut conditio requisita, et metaphorico modo dicitur instrumentum. Agimus ergo de instrumento proprio et influente, a quo physice exit effectus, licet modo ministeriali, et inferiori ad causam principalem. Omittimus etiam instrumentum, quod est ipsa virtus causæ principalis, quæ solet appellari instrumentum, sed improprie, solum enim similitudine quadam dicitur instrumentum, quia est ratio

agendi, et principium *quo* in virtute formæ agens, ut magis principalis, et subjecti, ut principii *quod*. Vere tamen ista virtus est virtus et ratio agendi principalis agentis. Distinguitur autem ab instrumento proprie dicto, quod virtus illa solum supponit virtutem radicalem substantiæ, dat vero formalem: instrumentum autem de quo in præsenti supponit tam virtutem radicalem, quam formalem causæ principalis, et ei ministerialiter deservit; et hoc aliquando est conjunctum principali agenti, ut humanitas Verbo, baculus percutienti; aliquando separatum ut virtus diffusa ab agente, et Sacramentum respectu Christi.

Igitur distinctio hujus causæ principalis ab instrumentali maxime pendet ex duobus, scilicet ex termino, qui est effectus, et ex principio quod est virtus. Ex parte termini oportet videre, quis effectus correspondeat instrumento, quis vero causæ principali, vel quomodo unus, et idem effectus correspondeat utrique. Ex parte vero principii oportet videre, qua virtute, et modo constituatur instrumentum in actu primo.

Circa primum communiter dici solet, quod instrumentum debet respicere effectum improportionatum, et excedentem, quia videlicet non assimilatur virtuti instrumenti, sed virtuti principalis agentis. Quod etiam admittit schola Scoti in instrumentis artificialibus, in quibus solum existimat esse propria instrumenta physica, nam in naturalibus non admittit vera et propria instrumenta, quia existimat accidentia non attingere substantiam etiam instrumentaliter. Aliqui tamen absolute existimant causam instrumentalem non attingere effectum principalis agentis, sed solum dispositive conducere ad illum, quatenus aliquid prævium attingit, quo forma aliqua resultat. Quam sententiam suppresso nomine refert P. Suarez disput. XVII Metaphys. sect. II, num. X, et attribuitur Fonsecæ V Metaphys. cap. II, quæst. VI. Ipse vero Pater Suarez ibidem num. XVII et sequentibus, in eo præcise constituit causam instrumentalem, quod producat effectum nobiliorem se, ad quem non habet proportionatam virtutem, sed indiget elevatione superioris; causa vero principalis est, quæ respicit effectum non excedentem suam virtutem, sive partialis sit, sive totalis, unaquæque suo modo. In quo consequenter fundatur causam vitalem in supernaturalibus actibus, qui excedunt propriam virtutem, agere instrumentaliter.

Quantum ad secundum, scilicet quo principio constituatur instrumentum in actu primo, aliqui existimant solum distingui causam instrumentalem a principali, penes denominationem, quia scilicet instrumentalis est illa cui non attribuitur actio, principalis vero cui attribuitur: quod tamen insufficienter dicitur, nam etiam instrumentum denominatur agere, sicut Sacramentum dicitur dare gratiam, minister consecrare, vel absolvere, baculus percutere, etc.

Inter eos vero qui ad instrumentum requirunt aliquam realem virtutem, sive assistentem, sive receptam, duæ sunt sententiæ. Prima affirmat constitui instrumentum in actu primo per aliquam motionem, quæ sit participatio virtutis per modum transeuntis. Ita communiter tradunt Thomistæ, ut Cajetanus III par. quæst. LXII, articul. I et articul. IV; Capreolus in IV, distin. I, quæst. I; Nazarius I part. quæst. XLV, art. V, et alii communiter. Eadem in schola Scoti tradi constat ex Patre Fuente II Physic. quæst. VI, difficult. I, articul. II, pro instrumentis artificialibus. Verum est aliquos solum

requirere motionem moralem, id est, quod principalis causa solum per assistentiam suam, et quasi sympathiam reddat instrumentum motum sine alia reali immutatione. Alii vero ponunt realem mutationem in ipso instrumento, quod communius est inter Thomistas.

Secunda vero sententia affirmat, constitui instrumentum in actu primo per potentiam obedientialem activam, qua potest obedire superiori agenti ad agendum, elevari vero hanc potentiam ipso usu seu concursu concomitante causæ superioris, quatenus adjungit sibi talem causam ut sociam, et administram suæ operationis. Ita P. Suarez I tom. III partis, disput. XXXI, sect. V, et videri potest disput. XVII Metaphys. sect. II, numer. XIX.

Pro resolutione supponimus triplex esse instrumentum, naturale, artificiale, et supernaturale, quæ distinguuntur ratione effectuum, quos producunt, scilicet vel naturales, vel artificiales, vel supernaturales, et ad unumquodque requiritur elevatio proportionalis ad talem effectum.

DICO ERGO PRIMO : Necessario requiritur ad causam instrumentalem, quod respiciat effectum nobiliorem se, non tamen in hoc solo consistit ratio causæ instrumentalis. Prima pars admittitur communiter ab Auctoribus citatis, et de illa videri potest S. Thomas III part. quæst. LXII, articul. I et in IV, dist. I, quæst. I, articul. IV, quæstiuncula I, ubi inquit : « Sciendum quod actio instrumenti quandoque pertingit ad ultimam perfectionem, quam principale agens inducit, aliquando autem non ; semper tamen pertingit ad aliquid, ultra id quod competit sibi secundum suam naturam, sive illud sit ultima forma, sive dispositio. » Et hujus ratio manifesta est, quia si instrumentum non attingit effectum perfectiorem, seu ultra suam virtutem, ergo solum attingit id in quod potest sua virtus, et consequenter est causa principalis, siquidem operatur per virtutem quæ adæquat effectum, et assimilat illum sibi, et sic non indiget in producendo talem effectum, deservire, et ministrare alteri, quod est instrumentaliter procedere, cum in se habeat sufficientem virtutem.

Secunda pars conclusionis probatur, quia multæ causæ operantur aliquos effectus ultra propriam virtutem per virtutem participatam ab alio et tamen sunt causæ principales, sicut patet quod aqua, et ferrum calefactum producit calorem, et luna illuminata producit lucem participando illam a sole, et tamen sunt causæ principales, quia effectus, quos producunt univoce, assimilantur virtuti receptæ, qua illos producunt, scilicet calori, et luci. Similiter potentia vitalis, ut intellectus elevatus lumine gloriæ vel gratiæ producit actus supernaturales, qui excedunt propriam virtutem, et tamen producit illos, ut causa principalis, tum quia illi actus non excedunt virtutem superadditam, a qua procedunt, cum sint supernaturales, sicut ipsa virtus, et solum differunt sicut actus primus, et secundus quod non sufficit ad rationem instrumenti, alias ad omnes actus naturales potentia et habitus se haberent instrumentaliter : tum etiam, quia isti actus sunt vitales, ergo procedunt a principio se movente, ergo non solum instrumentaliter moto, et deservienti alteri, sed ut a causa principali, siquidem quod se movet, hoc ipso movet, et operatur ex virtute quam in se habet, nec ministrat alteri, sed sibi nec ab alio expectat moveri, sed a se incipit, quia se movet; istæ autem sunt conditiones causæ principalis, scilicet a qua primo et per se incipit motus, et quæ non deservit et ministrat alteri, sed sibi.

DICO SECUNDO : Propria, et formalis ratio causæ instrumentalis, ut distinguitur a principali, consistit in eo quod operetur, ut motum a principali agente, si ly *ut motum* dicat totam virtutem, et rationem operandi, non vero si dicat solam concausam cooperantem, vel conditionem requisitam. Hanc conclusionem paucis verbis indicavit Cajetanus I p. quæst. XIX, artic. VIII, in secunda responsione ad primam rationem Scoti, ubi loquens de causa inferiori, quæ operatur, ut mota a prima, inquit : « Quod cum dicitur causa inferior movet in quantum mota, ly *in quantum mota*, potest denotare causam præcisam, et potest denotare concausam, et si denotet causam præcisam, falsum est, quod causa secunda movet ob hoc præcise, quia movetur, sed etiam ex virtute propria, si autem denotet concausam sic movere causæ secundæ provenit, non ex moveri tantum, sed ex moveri, et modo proprio ipsius causæ secundæ. » Sic ergo dicimus, quod causa secunda principalis, et instrumentum indigent motione superioris ad agendum, sed in causa instrumentali esse motam est causa præcisa agendi, in causa vero principali est concausa, vel conditio requisita. Et hanc conclusionem communiter tenent Thomistæ supra citati, et videri potest S. Thomas III part. quæst. LXII, articul. I, ubi inquit : « Quod causa instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo movetur a principali agente, unde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti. » Et art. IV inquit : « Quod instrumentum non operatur nisi in quantum motum a principali agente, quod per se operatur, et ideo virtus principalis agentis habet permanens, et completum esse in natura, virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex uno in aliud et incompletum, sicut et motus est actus imperfectus ab agente in patiens. » Et II contra Gent. c. XXI, inquit : « Quod instrumentum nunquam adhibetur ad causandum nisi per viam motus. Etenim ratio instrumenti, quod sit movens motum. » Et idem late tradit in IV, distinct. I, quæst. I, articul. IV et III part. quæst. XIX, art. I.

Fundamentum conclusionis est duplex ; alterum quoad id quod negat, alterum quoad id quod affirmat. Negat conclusio instrumentalem virtutem esse innatam, tanquam potentia obedientialis activa, nec esse solum extrinsecus assistentem. Affirmat vero esse receptam in ipso instrumento, et per modum motionis derivatam a causa principali. Et quoad utrumque supponit, effectum illum perfectiorem, et excedentem, quem respicit, debere ab ipso instrumento vere, et realiter procedere, alioquin sit ab illo non procedit ab instrumento effectus sibi proportionatus, et non excedens, atque adeo nunquam operatur vere, et realiter, nisi ut causa principalis, id autem quod excedit propriam virtutem vere et realiter non operatur, quod est tollere instrumentum reale, et verum, siquidem vere non operatur nisi principalem effectum suum. Quod si operatur effectum illum perfectiorem, ergo et influxus in illum perfectior etiam est, quam in proprium effectum, ergo et virtus aliqua supponitur in tali instrumento perfectior, et elevatior ad talem influxum. Consequentia patet, quia omnis operatio seu influxus, cum sit actus secundus, essentialiter supponit actum primum, qui ordinetur ad talem actum secundum, et consequenter sit illi proportionatus, et positive ordinatus ad illum, a virtute enim improportionata quomodo potest exire aliquis actus, siquidem disparate se habet ad illum.

Actus autem primus, et secundus coordinate se habent.

Ex hoc ergo destruitur tam virtus obedientialis activa, quam virtus solum extrinsece assistens pro constituendo instrumento sufficienter in actu primo. Virtus quidem obedientialis activa, quia talis virtus si datur in instrumento, oportet quod sit virtus in actu primo, proportionata ipsi effectui, instrumentaliter quidem et obedientialiter, sed tamen tali modo, quod sine alia superaddita activitate, vel virtute ab illa exire possit effectus, ad quem concurrit causa principalis, ergo oportet, quod habeat positivum ordinem, et proportionem cum tali effectu, ita quod concursus influens in talem effectum non sit indebitus, nec extraneus illi virtuti obedientiali activæ; alioquin si totum hoc non habet illa virtus, non habet id, quod requiritur ad constituendum instrumentum in actu primo, et in tali virtute, quæ sit influxiva in effectum illum excedentem, sed solum habebit capacitatem, et potentiam, ut constituatur in tali virtute, indigebit autem constitui actu in illa per participationem alterius causæ, siquidem non habet illam a se, et sine illa influere non potest, etiam instrumentaliter in effectum. Rursus hæc virtus obedentialis activa est congenita ipsi instrumento, et naturaliter illi conveniens, non ab extrinseco superveniens, ergo ex propriis et naturalibus instrumentis ei convenit, et sic ex propriis talis naturæ conveniet aliqua virtus formaliter potens in id, quod excedit talem naturam, quod repugnat, cum ipsa natura a qua dimanat, non sit illi effectui proportionata; ergo neque virtus illa, cujus radix est. Præsertim vero si dari potest instrumentum physicum respectu effectuum supernaturalium, quomodo potest ex natura, tanquam ex radice virtus proportionata formaliter effectui supernaturali dimanare, et in visceribus naturæ virtus attingens supernaturalia contineri?

Quod vero non sufficiat virtus solum extrinsece assistens, et non recepta in ipso instrumento, nec immutans illud, constat quia per talem extrinsecam subordinationem instrumentum non redditur realiter potentius vel virtuosius quam antea, ergo non potest aliquem effectum producere, qui excedat propriam virtutem, causa enim non immutata, nec potentior reddita in se, non potest novum vel majorem effectum producere ex se, quam antea, cum careat principio a quo exire possit talis effectus. Unde videmus, quod ex sola extrinseca denominatione, verbi gratia, quod aliquid sit visum vel cognitum, non potest aliquid amplius efficere vel operari realiter quam sine tali denominatione, eo quod nihil reale ponit in eo, ergo similiter si ex ista extrinseca subordinatione nihil reale additur instrumento, non poterit aliquid amplius operari realiter ex vi illius, quia operatio realiter et vere procedit a virtute intrinseca operantis. Nec obstat quod in aliquorum opinione concursus speciei cum intellectu ad producendam cognitionem salvatur per extrinsecam assistentiam, nam in tali sententia etiam debet dici, quod species non addit aliquam virtutem potentiæ, qua active producat ipsam cognitionem, sed solum formationem extrinsecam.

Denique, quod ista virtus instrumentalis solum se habeat per modum transeuntis a causa principali probatur, quia talis virtus non habet radicem in ipso instrumento, quia non oritur ex ejus natura, sed ex alterius participatione; ergo non habet permanentiam in instrumento, nisi ex influxu alterius actuali; proprie autem virtus permanens

datur causæ operanti principaliter, et utenti illa aut semper, aut quando voluerit.

Solum poterit aliquis hærere, quia character est aliquid permanens in anima, et tamen in sententia S. Thomæ III part. q. LXIII, art. II se habet per modum potestatis, et virtutis instrumentalis, ergo datur virtus instrumentalis per modum permanentis. Sed respondetur, quod character non dicitur virtus instrumentalis etiam in hac sententia D. Thomæ, quasi per ipsam constituatur instrumentum in activitate ultima ad operandum physice effectum supernaturalem, hæc enim non est virtus characteristica, sed communis omnibus, quæ per modum instrumenti a Deo sumi possunt, ut instrumenta talium effectuum, sive sint animata, sive inanimata, unde et aqua Baptismi virtutem instrumentalem consequitur ad operandum gratiam, et in verbis, consecrationis prolatis a ministro dari virtutem ad ponendum corpus Christi, docet D. Thomas III part. quæst. LXXVIII, art. IV. Ergo præter characterem necessaria est alia virtus per modum transeuntis data ipsis verbis, et Sacramentis. Solum ergo character se habet, ut virtus designativa ministri, ut possit quando voluerit exercere valide, vel recipere actiones sacramentales, quæ a Deo recipiant virtutem instrumentalem productivam effectus supernaturalis: et ex hoc ipso quod character non est potestas, solum ad agendum istas actiones, sed etiam ad recipiendum valide, non potest esse instrumentalis virtus ultimo constituens rationem instrumenti, quia hæc solum est ad agendum. Quare ut dicit D. Thomas III part. quæst. LXXII, art. III ad 2 instrumentum virtutem instrumentalem acquirit dupliciter, scilicet quando accipit formam instrumenti, ut quando fit aliquid ad hoc, ut instrumentum, verbi gratia securis, et quando movetur a principali agente ad effectum. Ita ergo character est instrumentalis potestas, quasi dans formam instrumenti, seu ministri, sive ad agendum, sive ad recipiendum, non ut virtus instrumentalis ultimo constituens ad agendum.

Dico ULTIMO: Motio principalis agentis elevans instrumentum etiam in instrumentis quæ movetur a Deo, est aliquid prævium in instrumento distinctum a concursu simultaneo. Quid sit concursus, et prævius, et simultaneus, diximus quæstione præcedenti. Sic ergo instrumentum ut elevetur ad producendum effectum, requirit concursum prævium, et non sufficit simultaneus, quia oportet instrumentum constitui in actu primo per modum virtutis proportionatæ, et ordinantis illud ad effectum, ut docet D. Thomas III part. quæst. LXII, art. IV ad 1 et satis constat per concursum simultaneum non constitui causam in actu primo, sed in actu secundo, siquidem ut præcedenti quæstione diximus, non distinguitur ab ipsa actione et influxu in effectum: ergo motio constituens instrumentum in actu primo, et ordinans illud ad effectum non est concursus simultaneus qui effectum facit, et cum instrumento moto et actuato concurrit ad effectum, sed prævius qui causam movet, aut etiam dat ei virtutem per modum actus primi, ut ordinetur ad effectum faciendum, et continuat et coordinat instrumentum ipsi causæ principali, ut virtus ejus quodammodo in instrumentum transfundatur, ut docet D. Thomas in IV, dist. II, quæst. I, art. IV, quæstiuncula III. An vero ista motio respicit terminum in ipso instrumento producendum, dicimus solutione ad ultimum.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur : Instrumentum esse motum a causa principali non dat ei totam virtutem agendi, aliquid realiter imprimendo; ergo non consistit tota ratio instrumenti in hoc, quod operetur ut motum. Antecedens probatur, quia multa instrumenta carent tali virtute per motum illum impressa: ut in instrumentis corporeis, quæ operantur effectus spirituales, sicut Sacramenta operantur gratiam, et phantasma speciem intelligibilem media virtute intellectus agentis; hæc enim instrumenta, nec recipiunt virtutem corpoream, quia hæc est improportionata effectui spirituali, neque spiritualem, quia hujus non est capax res corporea, ergo non operantur ex virtute per motionem recepta. Instrumentum etiam conjunctum, ut calor in animali non recipit aliquam virtutem per motionem ad producendam carnem, nec enim apparet quid imprimat anima calori de novo, ut carnem producat, cum per se ipsam anima non operetur. Denique, multa agentia non operantur, nisi per impressionem alicujus virtutis, et tamen instrumenta non sunt, ut cœlum non operatur, nisi motum ab Angelo, et recipiendo virtutem ab eo, piper, aut vinum non calefacit, nisi prius calefactum : ergo non consistit instrumentum in agendo per impressionem virtutis ex motu causæ superioris.

Confirmatur, quia illa virtus per motionem data instrumento, vel est ipsi affectui omnino proportionata, et sufficiens, vel non; si hoc secundum; ergo ut proportionata fiat, indigebit alia motione, et sic in infinitum, vel egredietur actio a virtute non proportionata, et ruit totum fundamentum supra traditum. Si primum, jam illa virtus constituet causam principalem, quia cum virtus sit proportionata effectui, et ejusdem ordinis cum illo, assimilat sibi effectum, et sic constituit causam principalem. Nec refert quod detur ista virtus per modum transeuntis, vel permanentis, hoc enim non constituit formalissime rationem instrumentalis, vel principalis, sed quod assimilet, vel non assimilet effectum sibi. Et instatur in multis, quæ homo operatur per virtutem transeuntem, et tamen est causa principalis eorum, quia causa vitalis, ut actus prophetiæ per modum transeuntis datur, et non permanentis, ut docet S. Thomas II II, quæst. CLXXI, art. I et similiter actus charitatis, quando elicitur per auxilium nondum posito habitu in anima, et similia alia exempla multiplicari possunt.

Respondetur ad principale argumentum, negando antecedens. Ad probationem quoad primam instantiam dicitur quod licet aliqui existiment, quod virtus illa impressa instrumento corporeo ad effectum spiritualem sit corporea entitative, et spiritualis intentionaliter, sicut species impressa entitative est accidens, et intentionaliter substantia : tamen evidenter S. Thomas docet illam virtutem esse spiritualem, nec repugnare quod subjectetur in corpore, quia datur modo quodam virtutis incompletæ et transeuntis. Ita docet III part. quæst. LXII, art. IV ad 1 et in IV, dist. I, quæst. I, art. IV et in quæst. XXVII de Verit. art. IV, ubi in solutione ad 5 docet : « Quodilla virtus proprie neque est corporea, neque incorporea; corporeum enim et incorporeum sunt differentiæ entis completi, sed proprie dicitur virtus ad incorporeum, sicut motus magis dicitur ad ens, quam ens. » Itaque virtus illa cum proportionari debeat effectui potius quam subjecto, eo quod subjectum elevat ad efficiendum ultra se, si esset virtus corporea, restabat difficultas per quid proportionatur effectui supernaturali faciendo. Et similiter licet species intentionalis in entitate non adæquetur objecto, in virtute tamen adæquari debet ejusdem ordinis esse, ut si objectum est spirituale, species non potest esse corporea, si objectum supernaturale, species propria supernaturalis esse debet; si objectum increatum, species propria supernaturalis esse debet, si objectum increatum, species propria debet esse increata in spiritualitate. Et similiter virtus licet accidens sit, ejusdem tamen ordinis et proportionis cum effectu esse debet.

Ad difficultatem ergo attactam, quomodo virtus incorporea in subjecto corporeo esse possit, S. Thomas perpetuo respondet citatis locis, quod virtus spiritualis incompleta, et per modum motus bene potest subjectari in re corporea, non tamen virtus per modum permanentis, et in esse completo et perfecto. Nec intelligimus nomine virtutis transeuntis, et permanentis, virtutem quæ parvo tempore, vel multo duret, hoc enim per accidens est, sed intelligitur virtus transiens et permanens, completa, vel incompleta ratione muneris et officii, quod exercet. Quædam enim virtus datur per se primo, et ex natura sua ad constituendum rem in ratione principii operativi, quædam ad continuandum, et subordinandum aliquid alteri principaliter operanti, tanquam illi ministrans in operando, et sic operans non per se primo, sed ministerialiter, sicut etiam in entitatibus quædam dantur, ut principales partes constituentes, quædam ut nexus et colligationes earum. Igitur virtus, quæ non datur ut per se operativa, sed ut continuativa cum alia principaliter operante, dicitur dari per modum motus, quia licet operativa sit, non tamen hoc habet, nisi ex continuatione actuali ad virtutem principalis agentis, cui ministrat et servit, dum actu operatur, et ideo dicitur per motus dari. Et talis virtus licet spiritualis sit, potest subjectari in re corporea, non absolute, sed quatenus obediens, et subjicibilis est spiritui, et a fortiori Deo, naturaliter enim corpus subjicitur spiritui, et ejus impressionem ac motum recipit; sicut etiam anima rationalis, licet in se spiritualis sit, potest tamen substantialiter informare corpus, quia non est substantia completa, sicut Angelus, sed incompleta; similiter ergo accidens incompletum, et per modum motus poterit informare corpus, eique inhærere et actuare. Et hoc ideo, quia corpus non solum est entitas materialis, sed etiam obediens spiritui in ordine ad aliquos effectus spirituales, ut ad movendum et excitandum intellectum per sensus et alia similia : debet ergo esse capax recipiendi motus spirituales, nec tamen similiter spiritus est capax motus corporei, quia spiritus non obedit corpori, nec corpus agit in illum, nec per illum causat effectus corporeos. Et per hanc Philosophiam melius intelligitur quomodo Angelus suo spirituali actu moveat cœlum, quomodo intellectus agens utatur phantasmate ad speciem intelligibilem producendum, et voluntas moveat appetitum sensitivum, ac denique potentia superior vires inferiores imprimendo illi per modum transeuntis motus suos.

Ad difficultatem insinuatam in argumento de instrumentis conjunctis jam sæpe diximus, nos non loqui de illis, quia proprie non sunt instrumenta, sed virtutes ipsarum causarum, quæ hoc ipso quod sunt con-

junctæ, vel ab ipsa substantia profluentes, sine alia nova motione superaddita virtutem agendi habent ab ipsa substantia, eo quod virtutes illius sunt.

Ad aliam vero difficultatem de quibusdam causis principalibus, quæ non movent nisi ut motæ, dicitur, quod illæ non movent ut motæ, taliter quod ly *motæ* sit tota ratio causandi, sed solum conditio, vel coadjuvatio requisita, qua posita ipsarum virtus ut principalis operatur.

Ad confirmationem respondetur ex dictis, quod virtus illa instrumentalis est proportionata ad effectum producendum, distinguo; proportione virtutis ministerialis, et præsupponentis aliam priorem virtutem, a qua derivatur tanquam a principaliori, concedo; non præsupponente aliam priorem, cujus gerat vices, et cui deserviat derivando ex ipsa effectum, nego. Ad rationem autem causæ principalis requiritur virtus, quo per se primo sit operativa, et non ex ministerio, et derivatione actuali alterius. Neque exempla in contrarium allata quidquam obstant, quia ad actum prophetiæ, vel ad actum amoris, et visionis, quando sine habitu charitatis, et luminis producuntur, requiritur aliqua qualitas supplens vicem habitus, et ideo per se primo operativa est ex natura sua, licet statum habitus non habeat; et ideo per modum transeuntis dicitur dari ratione status, quia licet ex natura sua deberet esse firmiter, et perfecte in subjecto, utpote per modum habitus, tamen quia de facto non existit permanenter sicut alii habitus, sed in statu imperfecto, dicitur dari per modum dispositionis transeuntis, scilicet quoad statum existendi in subjecto. Motio autem instrumenti, et qualitas Divini auxilii, dati per modum concursus, non ad supplendum habitum, et virtutem non solum ratione status imperfecti, sed etiam ex propria natura non sunt per se primo operativæ, sed ut deservientes alteri priori, et principaliori.

Et si instes: Nam illa Dei motio præbet ipsi instrumento virtutem in actu primo; ergo solum dat sufficientiam, et non efficaciam, quia efficax concursus non dat actum primum operandi, sed applicationem ejus ad actum secundum; et sic ultra motionem, qua instrumentum applicatur ab agente per modum elevationis et virtutis, requiretur alia motio efficax ad operandum, sicut in aliis causis principalibus, eritque illa virtus per se operativa.

Respondetur utrumque effectum dari in instrumento mediante motione Dei elevativa, quia et constituitur in actu primo ipsa motione, ut elevativa est, et applicatur ad operandum efficaciter, quatenus actualis usus instrumenti est: non enim repugnat utrumque convenire eidem motioni, quia ex actuali usu et motione causæ principalis descendit in ipsam causam antecedenter ad exitum operationis, et quia datur ut virtus solum deserviens actuali operationi, et ut ministrans et applicans virtutem causæ principalis ad passum et effectum, circa quæ operatur, non est virtus principalis, sed ministrans conjuncta ipsi actuali operationi. Non tamen poterit similiter concursus simultaneus movere causam, et concurrere ad effectum, quia identificatur cum effectu, et actione, non cum causa.

Ultimo arguitur: Vel illa motio est aliquid impressum instrumento, vel non; si non, ergo per talem motionem non magis redditur instrumentum actuatum ad operandum per ipsam quam sine ipsa, quod est destruere fundamentum nostrum. Si est aliquid impressum, vel est motus physicus, et sic habebit suum terminum, v. g. qualitatem si est alteratio, vel ubi si est latio, et tunc ille terminus, et non motus constituet instrumentum in actu primo. Si vero est motus aliquis nobis ignotus, ad minus hoc ipso, quod est motus, est aliquid imperfectius ipsa re producta, et sic non potcrit sufficienter constituere instrumentum in actu primo respectu rei perfectioris: præterquam quod videmus instrumenta separata qualitate aliqua constitui in actu primo, ut sagitta, vel baculus cum impulsu aliquo moventur.

Confirmatur, quia per illam motionem nihil aliud habet instrumentum, quam subjici, et subordinari causæ principali, quod nihil est aliud, quam obedientialiter se habere ad illam, sed in creatura datur potentia obedientialis, ut in ea, vel media ea fiat quidquid creator disposuerit, ut S. Thomas dicit in IV, dist. VIII, quæst. II, art. III ad 4, igitur ad rationem instrumenti in actu primo superfluit alia motio præter istam potentiam obedientialem.

Respondetur, aliquos, quos refert et impugnat Cajetanus III part. quæst. LXII, articul. IV, sentire, quod illa motio producit aliquem terminum in ipso instrumento. Cæterum falsum hoc est, cum instrumentum non moveatur ad acquirendum sibi, sed ad movendum alia. Est ergo ille motus qualitas aliqua per modum transeuntis et motionis, sicut impulsus in securi, virtus in Sacramentis; non autem motus est ad qualitatem, et ita negamus esse alterationem proprie loquendo, quæ qualitatem producat in ipso instrumento ut terminum, sed ipsa motio est qualitas movens, et producens; sed reductive potest ad alterationem pertinere, sicut quælibet immutatio per qualitatem aliquam factam largo modo loquendo alteratio dicitur, et sicut illa virtus instrumenti est quid incompletum in genere virtutis, ita et in genere alterationis, vere tamen aliquid imprimit in ipsum instrumentum ab actione principalis agentis productum, et derivatum, et in ipso genere virtutis incompletum; nec obstat, quod producat effectum perfectiorem, qui aut dicit D. Thomas q. XXVII de Veritat. art. IV ad 6: « Incompletus motus potest esse causa ejus quod completum, et supernaturale est, non per modum virtutis principalis, sed instrumentalis. » Et hoc relinquit instrumentum sufficienter proportionatum ad operandum per modum instrumenti deservientis, non sicut requiritur ad causam principalem: instrumenta vero, quæ operantur per impulsum, non operantur per qualitatem completam, et perfectam, sed per modum motionis datam, ut supra q. XXIII de impulsu diximus.

Ad confirmationem dicitur, potentiam obedientialem, de qua loquitur D. Thomas non importare instrumentalem virtutem, aut positivam habitudinem seu proportionem ad effectum supernaturalem, sed capacitatem tantum per modum non repugnantiæ ab obediendum Deo, sive ut in ipsa creatura aliquid recipiatur, sive ut per eam aliquid fiat, et hæc est congenita cuicunque creaturæ, seu ipsa entitas creaturæ, ut obediens Deo. Sed ultra hanc potentiam obedientialem requiritur aliqua vis impressa instrumento, ut ipse D. Thomas in illo eodem loco citato, et in aliis multis a nobis citatis aperte docet, nam potentia obedientialis solum potest constituere aliquid ut elevabile, non ut elevatum. Requiritur autem ad instrumentum determinata virtus elevans, tum quia potentia obedientialis de se est indifferens ad omnia, quæ

Deus velit per illam operari, et sic pro determinatis effectibus oportet determinari; tum quia requiritur positivus ordo, et proportio ad effectum producendum in ipso instrumento producente, ut ostensum est.

ARTICULUS II.

Utrum in omni instrumento requiratur aliqua propria operatio ad effectum principalis agentis?

Supponimus per illam virtutem, qua instrumentum a causa principali movetur ad agendum ultra se, attingere ipsum effectum principalis agentis, et non solum aliquid antecedenter se habens ad ipsum, quia vel illud, quod attingit antecedenter ad effectum principalis agentis, est ipsi proportionatum, et non excedens propriam virtutem, vel excedit. Si non excedit, non respicit ipsum instrumentaliter sed principaliter; si excedit, pari ratione poterit attingere virtute excedente effectum principalem.

Quare tota difficultas est, an ut elevetur instrumentum ad agendum ultra propriam virtutem, requiratur aliqua actio in ipso instrumento, quæ ab ipso secundum propriam virtutem procedat, et ulterius elevetur a causa principali: an vero etiam si instrumentum nihil omnino agat per propriam virtutem possit ex sola impressione principalis agentis instrumentaliter operari. Et præcipue habet locum ista difficultas in instrumentis Dei, creaturæ enim non utuntur instrumentis, nisi tanquam adminiculis, quibus adjuvantur, sicut artifex utitur acumine serræ, ut necessariæ sibi ad scindendum, et Angelus applicat activa passivis, ut indigens activitate eorum; Deus autem utitur instrumentis, non ut indigens illis, sed ut communicans eis, ut sibi cooperentur; et ita difficultas est an ut instrumentum sit elevabile, etiam a Deo requiratur aliqua propria ipsius actio, quæ suscipiat elevationem causæ superioris; an vero etiam sine ulla propria actione possit talem motionem recipere, et operari.

Circa quam difficultatem P. Suarez tom. I, III part. disput. XXXI, sect. IX, et alii existimant, non requiri propriam operationem instrumenti, ut a causa principali assumatur, quod ibi probat discurrendo per omnia genera instrumentorum Dei, naturæ, et artis. Inter Thomistas autem etiam est varietas in hac parte, nam Ferrariensis II contra Gent. cap. XXI, circa sextam rationem D. Thomæ requirit in instrumento propriam actionem distinctam ab ea, quæ sibi communicatur a superiori agente, et sequitur Nazarius I p. q. XLV, art. I; Alvarez III p. disp. LXVI, et alii. At vero Cajetanus I p. q. XLV, art. V, et Bannez ibidem requirunt quidem actionem propriam in instrumento respectu effectus principalis agentis, non tamen distinctum terminum realiter, sed sufficit quod in eodem effectu, seu termino aliquid correspondeat motioni principalis agentis, et aliquid propriæ virtuti instrumenti, sicut actio collocans tres virgas ex propria virtute, solum dat illis situm localem ex ratione vero dirigente facit triangulum. Alii vero ut M. Nunno III p. q. LXII, art. I, diffic. VII tenent, non requiri in instrumento aliquam actionem propriam, et realem, ut elevetur a Deo, nec dispositionem aliquam proprie dictam, sed solum obedientialem, quæ largo modo dicitur operatio, et non repugnantia ad suscipiendam motionem principalis agentis. Cui etiam suffragari videtur Lorca III p. disput. LXIII, loquens de instrumentis supernaturalibus.

SIT UNICA CONCLUSIO: Ut instrumentum elevetur a Deo, requiritur quod exerceat aliquam propriam actionem, ita quod si omnino sit mortuum, seu carens omni actione non poterit elevari. Cæterum non requiritur, quod operetur aliquem terminum qui sit dispositio ad effectum principalis agentis in subjecto, in quo ponitur talis effectus, ita quod sint distincti termini res operatæ per propriam actionem, et per elevationem, quarum una sit dispositio ad aliam; sed sufficit quamcunque rem operari in quocunque subjecto, ita quod ex parte modi operandi modificet actionem Divinam, et hoc est dispositive operari. Prima pars conclusionis probatur ex D. Thomas in III p. quæst. LXII, artic. I ad 2, ubi postquam dixit, quod instrumentum habet duas actiones, unam instrumentalem secundum quam operatur, non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis; aliam propriam, quæ sibi competit secundum propriam formam, sicut securi competit scindere secundum propriam acuitatem, et facere lectum, ut est instrumentum artis, subdit: « Quod non perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam, scindendo enim facit lectum, et similiter Sacramenta corporalia per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute divina circa animam: » ubi S. Thomas eodem modo loquitur de instrumento artificiali, et de supernaturali, quod movetur a Deo, ergo videtur esse de natura ipsius instrumenti, siquidem etiam in supernaturalibus requiritur: imo ex eo probat D. Thomas non posse dari instrumentum creationis, quia instrumentum non participat actionem principalis agentis, nisi in quantum per aliquid sibi proprium operatur ad effectum principalis agentis, quod esse non potest in creatione, cum creatio sit ex nihilo, circa quod creatura non potest operari, ut patet in I p. quæst. XLV, artic. V, ergo etiam de potentia absoluta non potest dari instrumentum, nisi habeat aliquam propriam actionem.

Ratio vero hujus sumitur ex his, quæ docet ipse D. Thomas quæst. III de Potentia, articulo IV, quia actio alicujus etiamsi sit illius ut instrumenti, oportet quod ab ejus potentia egrediatur, ergo requiritur aliqua actio talis instrumenti, illa enim est actio talis instrumenti, quæ egreditur ab ejus potentia, alioquin si nihil ab ea egreditur nihil operabitur, et sic non erit instrumentum, quia si nihil ab eo egreditur, sed otiosum manet, non magis erit instrumentum Dei id quod dicitur assumi pro instrumento, quam quod non assumitur. Dices: Egreditur effectus tantum per virtutem communicatam a superiori agente, sed nihil egreditur a virtute propria instrumenti. Sed contra est. Quia si virtus propria nihil agit, sed tantum virtus communicata a superiori agente, ita quod actio tantum exit ab illa virtute communicata, et nullo modo a propria virtute, non potest ex vi illius constitui instrumentum in ratione instrumenti, ut distinguitur a causa principali, quia causam esse instrumentalem non consistit in hoc tantum quod operetur virtute ab alio participata, sed in hoc quod operetur ultra propriam virtutem; nam operari per virtutem participatam, nullo modo concurrente propria virtute, ut ultra illam operetur, etiam in causis principalibus invenitur, ut patet in aqua ex calore recepto calefaciente, et in luna ex luce solis lucente, et in intellectu ex lumine gloriæ videnti, quæ non operantur instrumentaliter, eo quod effectus eis per se primo assimilantur. Si ergo instrumentum ni-

hil operatur propria virtute, ut habeat effectum ultra propriam actionem, sed nihil omnino agendo ex se, solum recipit virtutem a superiori agente, et illa sola agit, ex hoc præcise non habemus rationem sufficientem distinguendi illud instrumentum a modo agendi causæ principalis; siquidem hoc quod est recipere virtutem, et agere per illam, non est operari ultra propriam virtutem, quia de facto si nihil operatur instrumentum propria virtute, sed tantum recipit virtutem alterius, in nullo ministrat superiori agenti, quia illa virtus ab illo recepta tantum operatur effectum principalis agentis, non illi ministrando, sed præcise effectum emittendo, licet per virtutem emendicatam ab alia, quæ tamen virtus se habebit, tunc ut primo, et per se operativa, non ut motio elevativa alterius actionis sibi ministrantis, et deservientis. Ut ergo tanquam causa instrumentalis ministerialiter operetur, necesse est, quod habeat aliquam actionem, quæ in quantum propria est ministret, et in quantum elevata ultra proprium effectum aliquid attingat.

Secunda vero pars conclusionis constat pluribus exemplis, nam potest Deus assumere actum immanentem, verbi gratia, cogitationem, vel visionem ut aliquid extra se operentur, ut S. Thomas admittit II-II, quæst. CLXXVIII, art. I ad 1, et tamen actus immanens secundum sibi propria nihil operatur in subjecto extra ubi sit effectus. Similiter instrumenta corporalia, quæ assumuntur ad producendum aliquid spirituale, ut Sacramenta gratiam in anima, ignis torturam in dæmone, nullam dispositionem producunt propria actione in ipsum spiritum, quia propria eorum actio corporalis est, ergo non requiritur actio propria instrumenti ad producendam aliquam dispositionem in eo subjecto, in quo effectus principalis ponitur. Et ratio est, quia virtus Divina non assumit instrumentum quasi indigens illo, vel effectu ab ipso producto ad principalem effectum producendum, sed solum ut cum communicatione, et consortio illius operetur, ergo sufficit accommodare se modo operandi instrumenti, ita quod ab ipso instrumento exeat operatio aliqua juxta modum suum, et attingat effectum aliquem ultra virtutem propriam, et sic ex parte modi operandi dispositive se habeat, non ex parte alicujus rei operatæ. Quomodo autem illa actio identificetur cum effectu a se distanti, respondetur quod actio illa elevata a Deo est virtualiter multiplex, et plures effectus quasi partiales et inadæquatos respicit, sicut impulsus qui plura projicit, calor qui in plura subjecta agit, et sol in omnia inferiora, licet continuata, instrumentum vero in distantia supernaturaliter.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur aliquibus instantiis : Ad probandum non requiri aliquam actionem propriam, ut instrumentum operetur, sed sufficere passionem, vel motum. Nam sufficit contactus unius corporis cum alio ad faciendum miraculum, sicut corpus mortuum ad contactum corporis Elisæi revixit, et mors Christi, ac resurrectio jam præterita efficienter operantur nostram justificationem, ut constat ex D. Thoma III part. quæst. L, art. VI et q. LVI, art. I, constat autem quod mors non est actio, sed passio, et resurrectio præterita jam non est actio, sed solum manet terminus talis actionis, ergo non requiritur ad operationem instrumentalem propria, et vera actio

instrumenti. Ex alia parte instatur ad probandum, quod si requiritur actio propria instrumenti prævia ad elevationem causæ principalis, etiam requiretur aliquid productum tanquam dispositio ad effectum principalis agentis; ideo enim negat D. Thomas I part. quæst. XLV, art. V posse dari instrumentum creationis, quia instrumentum debet operari dispositive ad effectum principalis agentis, quod in instrumento creationis non invenitur, quia nullum præsupponit subjectum, sed si non requiritur, quod producat aliquid in ipso subjecto, quod de novo fit, cessat ista ratio, quia instrumentum salvatur operando dispositive in uno subjecto, et effectum principalem in alio, ubi nihil operatur dispositive, ergo poterit ad creandum assumi instrumentum, quod operatur aliquid dispositive circa unum subjectum, et nihil circa subjectum, quod creatur.

Ad primam instantiam respondetur in omnibus illis inveniri aliquam propriam actionem, quæ proxime assumitur ad operandum instrumentaliter, nam ille contactus aliquam actionem adjunctam habuit, vel impulsus, quo projectum est cadaver, vel gravitatis, qua descendit, vel etiam aliquam infrigidationem, aut alterius qualitatis alterationem, qua fit contactus corporum secundum qualitates sensibiles. Mors autem, et passio Christi, et resurrectio dicuntur operari instrumentaliter nostram resurrectionem, vel justificationem ratione sui termini, cujus ipsæ sunt conditiones; at humanitas Christi operetur per suas actiones et imperium tales effectus. Et ita D. Thomas q. LVI citata, art. I ad 3 dicit : « Quod resurrectio Christi est causa efficiens nostræ resurrectionis, in quantum humanitas ejus secundum quam resurrexit, est quodammodo instrumentum Divinitatis ipsius. » Et advertit ibi Cajetanus, quod resurrectio Christi se habuit ut conditio ad hoc, ut humanitas Christi esset instrumentum resurrectionis nostræ; et similiter passio, ut esset instrumentum remissionis peccatorum. Quare humanitas passa, et resuscitata est instrumentum Divinitatis, mediantibus tamen actionibus, quas facit, vel in nostra resurrectione faciet, quæ distinctæ sunt a sua resurrectione : nam : *Ipse Dominus in voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo*, id est, in imperio movente Angelum ad nostram resurrectionem, quod imperium distincta actio est.

Ad secundam instantiam respondetur, non requiri de necessitate, quod illa actio prævia instrumenti producat terminum realiter distinctum ab effectu principalis agentis, sed sufficit eumdem effectum producere, licet modo ipsius instrumenti proprio, sufficit etiam producere aliquid in subjecto distincto ab eo, in quo producitur effectus principalis agentis, ut cum assumitur actus immanens ad producendum aliquid extra. Nec D. Thomas dixit requiri ad instrumentum, quod operetur aliquam dispositionem ad effectum principalis agentis, sed quod dispositive operatur, in quo multi hallucinantur, putantes idem esse operari dispositive, et operari dispositionem; cum tamen salvetur operari dispositive, quando ex parte modi operandi modificat actionem principalis agentis, ut operetur modo causæ inferioris, licet non distinctum realiter effectum operetur, vel non in eodem subjecto.

Et cum urgetur, quod secundum hoc non repugnabit dari instrumentum creationis in vi rationis D. Thomæ, respondetur adhuc repugnare tale instrumentum propter modum operandi creatum ipsius instrumen-

ti, quia actio ipsius cum sit accidens, operatur dependenter a subjecto, unde si Divina actio elevat hanc actionem creatam et juxta modum operandi ejus se accommodat, non potest ex vi illius creare, quia creatio est ex nihilo, et sic opponitur modo operandi actionis, quæ est ex subjecto, et hoc ipso quod actio est accidens non potest non esse in subjecto, et ex subjecto operari. Quam rationem advertit D. Thomas quæstione illa III de Potent. art. IV.

Quod si instes ex p. Suarez ubi supra, quia ad propriam actionem instrumenti non requiritur, quod sit in eodem subjecto, in quo effectus producitur, sed sufficit quod in alio sicut actus immanens existens in anima operatur instrumentaliter ad extra, ergo sufficit quod actio creativa instrumentalis existat in uno subjecto ut accidens, et alibi operetur ex nihilo. Quod explicatur exemplo transubstantiationis, quia etiam transubstantiatio caret subjecto, cum ipsum solum habeat pro termino a quo, et tamen potest dari instrumentum respectu ipsius, ergo ex defectu subjecti non debet denegari instrumentum creationis. Item ad Divinam potentiam non requiritur alia dispositio in instrumento, quam obedientialis, ut obediat Deo moventi, et quod effectus possit ab ipso dependere. Ad hoc autem non requiritur quod Deus accommodet se in modo agendi ipsi instrumento, sed sufficit quod nolit fieri effectum sine consortio instrumenti, et dependentia ab illo, ergo propria actio instrumenti non requiritur.

Respondetur quod bene potest actio esse in uno subjecto inhæsive secundum mutationem ipsius, et operari in alio distante a se, tanquam in subjectum inadæquatum per similem mutationem, sed quod elevetur ad operandum extra se sine ulla prorsus mutatione, sed ex nihilo omnino repugnat, quia hoc ipso quod actio aliqua est motus, et dependens a subjecto, non potest operari sine motu, nisi destruatur actio et fiat non immutativa. Et ita poterit Deus intra lineam actionis immutantis, seu motus (et loquimur large de motu, prout etiam comprehendit actiones spirituales, et quascunque alias, quæ sunt in subjecto) subrogare diversos effectus, vel subjecta, sive distantia, sive indistantia, quæ per modum mutationis attingantur sive contactu reali, sive virtuali; quod vero agat sine ulla mutatione, sicut requirit creatio, quæ est ex nihilo, hoc non potest esse nisi destructa specie illius actionis, quæ ex sua natura est motus, seu mutatio aliqua, si autem creat, creat ut non mutatio, atque adeo non operans modo ipsi instrumento se accommodando, quod esset non uti illo ut instrumento.

Nec obstat exemplum de transubstantiatione, quia est vera mutatio, non formalis, sed totalis, neque enim corpus Christi creatur, sed panis mutatur in ipsum, et ita ex parte subjecti, quod transmutatur, et convertitur potest actio instrumenti elevari a Deo, ut intra lineam mutationis operetur transubstantiationem, quod insinuat D. Thomas in IV, dist. VIII, q. II, art. III ad 3 dicens : « Nihil deperire dignitati corporis Christi, si aliqua creatura accipiat instrumentalem virtutem operandi in id, quod in corpus Christi transubstantiatur. » Sentit ergo D. Thomas instrumentum transubstantiationis attingere subjectum, quod mutatur, et ideo talis actio non amittit rationem mutationis licet elevetur a Deo ad operandum mutationem non naturalem, neque formalem, sed totalem et ita transubstantiationem esse veram mutationem, tanquam conversio ab existenti in existens, docet late D. Thomas in IV, distin. XI, quæst. I, artic. III, quæstiunc. III.

Ad aliam instantiam respondetur sufficere ad Divinam virtutem dispositionem obedientialem instrumenti, sed tamen ista obedientialis dispositio secundum potentiam est non repugnantia, seu capacitas obedientialis, et secundum actum est aliqua actio, quæ elevatur a Deo, quia nisi ipsum instrumentum vere producat, et agat instrumentum in actu non erit, non potest autem producere nisi actionem, quæ sit accidens, et mutatio.

Ultimo instabis : In aliquibus instrumentis, in quibus non apparet aliqua actio prævia ipsius instrumenti præter operationem principalis agentis, verbi gratia, sigillum imprimens figuram non apparet, quam actionem habeat præter ipsam impressionem figuræ, similiter in serra non datur virtus activa, præter virtutem moventis illam ad scindendum, nam duritiei non est virtus activa, sed resistitiva multo minus quantitas, et figura ipsius serræ activa sunt; neque gravitas, quia hæc solum movet deorsum, et sic serra non scinderet nisi deorsum versus. Item etiam phantasma attingit instrumentaliter speciem spiritualem productam ab intellectu agente, et tamen non apparet quid prævium operetur in anima, vel intellectu. Denique, si illa propria instrumenti est prævia ad motionem principalis agentis, ergo distinguitur ab illa, alias esset prævia ad se ipsam, si vero distinguitur, ergo non eodem motu fit, verbi gratia, scissio serræ, et productio lecti, quod negat D. Thomas III part. quæst. LXIII, art.

Respondetur ad exemplum de sigillo et serra, et aliisque similibus instrumentis operari actione propria, v. g. duritia aut gravitate, quæ impulsa comprimit Ceram et imprimit figuram; et duritia non solum est resistitiva sed etiam divisiva, vel fractiva alterius, sicut et acumen; duritia enim impulsam per se ipsam dividit, aut frangit, acumen penetrat, seu dividit; licet verum sit, quod ad sic dividendum adhuc ut causa principalis dependeat ab impulsu, et motione non quatenus artificiosa, sed quatenus impulsiva præcise, sicut piper, aut vinum non calefaciunt, nisi prius calefacta a stomacho, ab artificiosa vero motione dependet non ad scindendum, sed ad faciendum lectum, verbi gratia.

Ad illud exemplum de phantasmate latius dicetur in libris de Anima. Nunc breviter dicitur phantasma non esse proprie instrumentum effectivum intellectus agentis ad producendas species, sed objectuum quatenus præbet objecta habilia, ut intellectus agens producat species, quas non sufficit producere phantasma, quia non est intelligibile in actu, sed determinat ipsum intellectum agentem quasi materiam objectivam. Unde dicit D. Thomas I part. quæst. LXXXIV, art. VI in fine corporis : « Quod cognitio sensibilis non est perfecta, et totalis causa intellectivæ cognitionis, sed magis quodammodo est materia causæ. » Et Cajetanus I part. quæst LXXXV, art. I in fine, docet quod phantasma proprie non est instrumentum intellectus, sed vocatur large instrumentum, quatenus omnis causa ex se non sufficiens ad aliquem effectum, sed indigens virtute alterius, instrumentum ejus dicitur, sicut etiam color potest dici instrumentum lucis, quia color sine luce non sufficit movere visum. Est tamen differentia, quod lux informat superficiem coloratam informatione reali, intellectus autem agens non informat realiter phantasma neque illi

communicat aliquam virtutem, aut lucem, ut aliqui putarunt, sed illuminat phantasmata, inquit S. Thomas quæst. illa LXXXIV, art. 1 ad 4 : « Quia sicut pars sensitiva redditur virtuosior ex conjunctione ad intellectum, ita phantasmata ex virtute intellectus agentis redduntur habilia, ut ex eis species intelligibiles abstrahantur. » Igitur hæc habilitas illuminatio nuncupatur, non vero in se recipiunt lucem spiritualem informantem illa, sed lux spiritualis, si qua datur, est ipsa species producta in intellectu possibili ab intellectu agente determinato per tale phantasma, quod ex conjunctione ad intellectum est sic habile, ut ex illo formari possit talis species.

Ad ultimum dicitur, illam actionem instrumenti aliquando esse actionem prævíam, et realiter distinctam a motione causæ principalis sicut ablutio aquæ, et productio gratiæ, quia sunt termini realiter distincti; aliquando vero solum est prævia actio virtualiter, et secundum aliquam formalitatem tantum, quia termini ipsi solum formaliter sunt distincti, et non realiter, sicut quando securis scindendo facit lectum divisio quantitatis, et forma producta per artem non sunt termini realiter distincti, sed formaliter, secundum aliquos respectus, et modus, quibus figura illa, aut divisio perfectior est, et sic sufficit quod actio prævia sit, secundum aliquam formalitatem distinctam a forma artificiosa, non vero realiter sit distincta.

SUMMA TEXTUS

LIBRI PRIMI

PHYSICORUM.

Intentum Philosophi in hoc primo libro est. Primo, tradere ordinem, methodumque procedendi in hac scientia. Secundo, principia rerum naturalium investigare, sententias veterum Philosophorum referendo et refutando. Tertio, tandem propriam sententiam statuendo et probando.

Summa capitis I.

Igitur in primo capite proponit ordinem methodumque doctrinæ in scientiis, scilicet ut primo procedatur ex causis, et principiis, deinde inter principia assumantur ea, quæ nobis sunt notiora, et manifestiora; procedit enim ordo doctrinæ a facilioribus et notioribus. Tertio, inquit ea esse nobis notiora, quæ sunt magis confusa, et universalia, sicque ab universalioribus procedendum est, cujus rei tria affert indicia. Primum, quia totum est notius parte secundum cognitionem confusam, universale autem est quoddam totum. Secundum, quia in definito et definientibus prius cognoscimus ipsum definitum, ut quoddam totum, deinde definientia, in quantum ejus partes. Tertium, quia pueri a principio non discernunt, existimando omnes viros patres, et omnes feminas matres. Deinde vero incipiunt unumquodque discernere.

Summa capitis II.

A secundo capite, usque ad quartum, incipit afferre, et impugnare sententias antiquorum circa principia naturalia. Et in hoc capite secundo, primo affert opiniones veterum in genere. Deinde, specialiter agit contra Parmenidem, et Melissum. Quoad primum generaliter reducit opiniones antiquorum circa principia naturalia ad duo capita, nam quidam posuerunt unum tantum dari principium rerum naturalium, alii plura. Ex his qui ponebant unum principium, quidam posuerunt illud immobile, ut Parmenides, et Melissus, alii mobile, ut antiquiores Physici, qui etiam valde divisi sunt, nam quidam dicebant hoc principium esse aerem ut Diogenes, alii aquam ut Thales, alii ignem ut Heraclitus, nullus vero ex illis posuit solam terram esse primum principium, quia propter ejus grossitiem potius existimabant esse compositam, quam simplicem : prima autem principia

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

communicat aliquam virtutem, aut lucem, ut aliqui putarunt, sed illuminat phantasmata, inquit S. Thomas quæst. illa LXXXIV, art. 1 ad 4 : « Quia sicut pars sensitiva redditur virtuosior ex conjunctione ad intellectum, ita phantasmata ex virtute intellectus agentis redduntur habilia, ut ex eis species intelligibiles abstrahantur. » Igitur hæc habilitas illuminatio nuncupatur, non vero in se recipiunt lucem spiritualem informantem illa, sed lux spiritualis, si qua datur, est ipsa species producta in intellectu possibili ab intellectu agente determinato per tale phantasma, quod ex conjunctione ad intellectum est sic habile, ut ex illo formari possit talis species.

Ad ultimum dicitur, illam actionem instrumenti aliquando esse actionem prævíam, et realiter distinctam a motione causæ principalis sicut ablutio aquæ, et productio gratiæ, quia sunt termini realiter distincti; aliquando vero solum est prævia actio virtualiter, et secundum aliquam formalitatem tantum, quia termini ipsi solum formaliter sunt distincti, et non realiter, sicut quando securis scindendo facit lectum divisio quantitatis, et forma producta per artem non sunt termini realiter distincti, sed formaliter, secundum aliquos respectus, et modus, quibus figura illa, aut divisio perfectior est, et sic sufficit quod actio prævia sit, secundum aliquam formalitatem distinctam a forma artificiosa, non vero realiter sit distincta.

SUMMA TEXTUS

LIBRI PRIMI

PHYSICORUM.

Intentum Philosophi in hoc primo libro est. Primo, tradere ordinem, methodumque procedendi in hac scientia. Secundo, principia rerum naturalium investigare, sententias veterum Philosophorum referendo et refutando. Tertio, tandem propriam sententiam statuendo et probando.

Summa capitis I.

Igitur in primo capite proponit ordinem methodumque doctrinæ in scientiis, scilicet ut primo procedatur ex causis, et principiis, deinde inter principia assumantur ea, quæ nobis sunt notiora, et manifestiora; procedit enim ordo doctrinæ a facilioribus et notioribus. Tertio, inquit ea esse nobis notiora, quæ sunt magis confusa, et universalia, sicque ab universalioribus procedendum est, cujus rei tria affert indicia. Primum, quia totum est notius parte secundum cognitionem confusam, universale autem est quoddam totum. Secundum, quia in definito et definientibus prius cognoscimus ipsum definitum, ut quoddam totum, deinde definientia, in quantum ejus partes. Tertium, quia pueri a principio non discernunt, existimando omnes viros patres, et omnes feminas matres. Deinde vero incipiunt unumquodque discernere.

Summa capitis II.

A secundo capite, usque ad quartum, incipit afferre, et impugnare sententias antiquorum circa principia naturalia. Et in hoc capite secundo, primo affert opiniones veterum in genere. Deinde, specialiter agit contra Parmenidem, et Melissum. Quoad primum generaliter reducit opiniones antiquorum circa principia naturalia ad duo capita, nam quidam posuerunt unum tantum dari principium rerum naturalium, alii plura. Ex his qui ponebant unum principium, quidam posuerunt illud immobile, ut Parmenides, et Melissus, alii mobile, ut antiquiores Physici, qui etiam valde divisi sunt, nam quidam dicebant hoc principium esse aerem ut Diogenes, alii aquam ut Thales, alii ignem ut Heraclitus, nullus vero ex illis posuit solam terram esse primum principium, quia propter ejus grossitiem potius existimabant esse compositam, quam simplicem : prima autem principia

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

debent esse simplicia, ut ex eis alia componantur, licet alii antiquiores, quos Theologos et Poetas vocarunt, terram dixerint esse omnium rerum substantiam et naturam, ut lib. II, lect. II, ex Philosopho notat D. Thomas. Ex illis vero qui ponebant plura esse principia rerum naturalium, quidam dixerunt esse finita, alii infinita. Qui finita, alii dixerunt esse duo, ut ignem, et terram; alii tria scilicet aerem, ignem et aquam, repellentes terram propter ejus grossitiem. Alii omnia quatuor elementa, et etiam litem, et amiciliam ut Empedocles. Qui posuerunt infinita, etiam divisi sunt; nam quidam, ut Democritus, posuerunt infinita indivisibilia, seu atomos qui erant ejusdem naturæ, differebant vero secundum figuram, et formam, et ex eorum diversa positione, et combinatione diversæ res resultabant. Alii ut Anaxagoras posuerunt infinita principia, non tamen indivisibilia, neque ejusdem generis, sed infinitas partes minimas, verbi gratia, carnis, et ossis, et aliorum hujusmodi, eo quod dicebant in unaquaque re inesse omnia, quæ ex illa possunt fieri, et cum possint fieri infinitæ secundum diversas generationes ex unaquaque re, oportet quod in illa sint infinita, et cum non fiant ex nihilo, sed ex aliquo, oportet quod illa infinita sint in actu.

In secundo loco specialiter descendit in hoc capite ad impugnandam opinionem Parmenidis, et Melissi, quorum opinio, quia ponebat unum principium immobile, non pertinet ad Physicum, qui tantum agit de mobilibus, sed ad Metaphysicum. Inde tamen petitis rationibus ostendit illud principium naturale, ex quo cætera fiunt, non posse esse unum, neque immobile, et impugnat eos, ex æquivocatione, qua procedebant, quia non apparet quomodo sumebant rationem entis pro substantia, vel accidente, vel pro quo accidente nec etiam qua ratione sumerent unum pro uno, continuatione, vel pro uno indivisibili. Unde quia ex æquivocatione unius, et entis processerunt isti Philosophi non a Physico, qui non agit de uno et ente, sed a Metaphysico confutari debent.

Summa capitis III.

In tertio capite solvit rationes Parmenidis et Melissi, ostendens non solum peccare falsum assumendo, sed etiam contra formam argumentandi procedendo.

Summa capitis IV.

In quarto capite incipit agere contra alios Philosophos, qui Physici appellantur, qui de principiis tanquam de mobilibus sentiebant. Et proponit duo genera istorum Philosophorum : quidam enim ponebant unum principium materiale, verbi gratia, aliquod ex elementis; ad separationem autem, et distinctionem rerum ponebant aliqui duo contraria concurrere, puta rarum, vel densum, sive parvum, vel magnum, aut uno verbo dicendo quamcunque excellentiam et defectum. Alii vero Physici posuerunt res naturales fieri ex aliquo principio, in quo omnia erant confusa, sed per quamdam segregationem dicebant fieri de novo ab illa confusione emergendo, et in hoc conveniebant Anaximander, Empedocles, et Anaxagoras; sed differebant, quia Anaximander solum illud unum in quo omnia confusa erant et commixta, dicebat esse principium; non autem illa multa, quæ in eo erant : sed Anaxagoras etiam illa multa ibi contenta dicebat esse principia, et illa multa dicebat esse infinitas partes minimas, quæ in unaquaque

re præexistebant, et ex eorum segregatione dicebantur res fieri; dicebant enim isti Philosophi ex nihilo nihil fieri, et consequenter ex aliquo, et illud aliquod dicebant esse ens actu, quia ens in potentia tantum non agnoscebant. Unde si ex aqua fiebat aer, dicebant aerem præexistere in aqua. Sed quia rursus repugnat sensui dicere, quod in aqua sit aer, vel ignis, qui ex illo generantur, ideo ad hoc evitandum dicebat Anaxagoras in qualibet re esse permixtas infinitas partes insensibiles, et minimas eorum, quæ ex tali re fieri possunt et quia possunt, fieri infinita, ideo dicebant infinitas partes minimas dari.

Contra hanc ergo opinionem Anaxagoræ disputat Philosophus in isto capite : et ad hoc facit tria. Primo, proponit ejus rationem, seu fundamentum. Secundo, quinque rationibus illum impugnat, et occasione istarum minimarum partium agit de terminis magnitudinis, et parvitatis in rebus. Tertio denique ostendit motivum Anaxagoræ, ex malo intellectu suæ positionis processisse.

Summa capitis V.

In capite quinto incipit tradere propriam sententiam circa principia rerum naturalium : et primo procedit disputative præmittendo in hoc et sequenti capite quædam, quæ apud antiquos etiam admissa fuere circa principia. Et tandem in septimo capite resolvit veritatem. Præmittit autem duo. Primum in hoc capite de contrarietate principiorum. Secundum in sequenti, de numero eorum. Igitur in hoc capite quinto ostendit, principia naturalia debere esse contraria : omnes enim Philosophi antiqui aliquam contrarietatem agnoverunt, ut fieret segregatio, et distinctio in naturis, licet in illa assignanda dissentirent; nam, verbi gratia, qui dicebant totum hoc universum esse unum ens unamque substantiam immobilem, dicebant pluralitatem rerum solum esse secundum sensum, ideoque solum inducebant contrarietatem secundum sensum ut calidum, et frigidum, qui vero ponebant unum principium mobile materiale, ponebant rarum et densum, ut ex illo alia fierent. Qui ponebant principia infinita indivisibilia, ponebant vacuum et plenum, quatenus indivisibilia relinquebant quasdam partes vacuas, quasdam plenas. Qui vero infinita divisibilia, scilicet partes minimas ponebant, pro contrarietate assignabant aliquam congregationem et segregationem, secundum quam illæ partes aliquid unum facerent, vel segregarent. Itaque omnes aliquam contrarietatem agnoscebant in principiis. Denique, illam ostendit Philosophus ex inductione et experientia; tum ex ipsa conditione principiorum, quia principia non sunt ex aliis, et ex alterutris, et omnia alia sunt ex ipsis, quæ conditio etiam convenit contrariis : tum ex ipsa generatione et corruptione, quæ sine contrarietate, id est, sine esse, et non esse non datur, ut experientia constat.

Summa capitis VI.

In capite sexto præmittit secundum de numero principiorum. Circa quod tria facit. Primo, ostendit quod principia ex eo quod sunt contraria, neque sunt unum tantum neque infinita. Non sunt unum tantum, quia contrarietas inter plura versatur. Non sunt infinita : tum quia infinitum est ignotum : tum quia principia sunt prima contraria, hæc autem solum sunt in ge-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nere substantiæ, et sic non sunt infinita ; tum denique, quia si sunt infinita omnia contraria erunt principia, quod est falsum, quia multa contraria sunt ex aliis prioribus, ut dulce et amarum ex calido et sicco, et sic non sunt prima principia : repugnat ergo esse prima principia, et esse infinita ; infinitum enim complectitur omnia. Secundo, ostendit principia non posse esse tantum duo, quia principia sunt contraria inter se ; ergo oportet dari aliquod tertium, in quo subjectentur, et circa quod exerceant oppositionem, et sic plusquam duo principia esse debent. Tertio, ostendit non esse plus quam tria, quia sufficiunt duo contraria, et unum subjectum, ut ex contrariis dicatur aliquid fieri : ergo non est necesse plura ponere, quam subjectum et formam, et contrarium formæ, quod est privatio. Et ad hoc plures alias rationes congerit.

Summa capitis VII.

In capite septimo determinate resolvit veritatem, et primo procedit ab ipsa generatione seu fieri rei ostendendo, quod ad illud tria requiruntur, scilicet subjectum ex quo aliquid fit, oppositum unde fit, et terminus, qui de novo fit : et quidem dari terminum, manifestissimum est, cum videamus res fieri de novo, quod vero fiat ex subjecto, et privatione constat, quia in omni fieri aliquid permanet, scilicet quod fit de novo, et aliquid non permanet, scilicet id quod antea erat, ergo requirit privationem illius, quod antea erat, et positionem hujus quod modo fit, et quia fit ex aliquo non ex nihilo, cum ex nihilo nihil fiat, sequitur ut ad fieri requirantur tria, subjectum, forma, et oppositum formæ, scilicet privatio. Secundo, colligit ex his principiis rerum naturalium, duo distincta esse inter se, et per se requisita, ex quibus scilicet, res ipsa constat, scilicet materia et forma, in hæc enim resolvitur unumquodque tanquam in partes componentes. Aliud principium requiritur ratione distinctum, scilicet privatio, et dicitur principium per accidens respectu ejus quod de novo fit, sicut hominis musici per se est causa homo et musica, sed quod antea fuerit non musicus per accidens est ad constitutionem ipsius hominis musici.

Summa capitis VIII.

In capite octavo excludit errores antiquorum circa materiam, et in capite nono errores circa privationem. Etenim ex ignorantia materiæ antiqui tollebant generationem substantialem, et solum accidentalem admittebant : ducti ea ratione, quia nihil potest fieri simpliciter seu substantialiter, neque ex ente, neque ex non ente : non ex ente, quia si jam est, non sit : non ex non ente, quia ex nihilo nihil fit : ostendit autem Philosophus ipsos non distinxisse inter ens in potentia, et in actu : ex ente enim in potentia fit ens in actu, et hoc ens in potentia est materia, quæ neque est nihil, neque est illud ens in actu quod fit, sed est ens in potentia ad illas formas, quæ in illa de novo educuntur.

Summa capitis IX.

In capite nono et ultimo excludit errores, qui apud antiquos circa privationem irrepserant; licet enim aliqui antiqui materiam dari faterentur, tamen privationem non distinguebant ab illa, et ita dicebant

materium esse non ens, quia videbant eam privatam omni forma : et sic dicebant aliquid fieri ex non ente, quia fiebat ex materia. Et in hoc fuit inductus Plato, ex ratione Parmenidis, quia quidquid est præter ens, est non ens, materia est præter ens, cum non sit ens actu, ergo non est ens, et sic non distinguebat inter materiam, et privationem; Aristoteles autem ostendit materiam non esse quidem ens actu, nec tamen esse privationem, sed ens in potentia, quia privatio non appetit formam, neque est in potentia ad formam, sed illi opponitur, eamque destruit : materia autem simul est cum forma recipiendo illam, et componendo ipsum totum : non est ergo idem privatio quod materia, licet materiæ insit privatio quando non habet formam, unde definit materiam, quod est primum subjectum, ex quo aliquid fit cum insit non secundum accidens.

SUMMA SECUNDI LIBRI.

Liber iste in duas partes dividitur. In prima tractat de natura. In secunda de causis. Et habent ista duo inter se connexionem, quia natura definitur per modum principii, et causæ motus, ideoque necesse fuit investigare causas, tractando de natura.

Igitur de natura agit Aristoteles duobus primis capitibus, de causis vero in reliquis septem.

Summa capitis I.

In hoc capite duo facit Philosophus Primo, investigat quid sit natura. Secundo, ostendit quibus conveniat ratio naturæ. Circa primum ponit unam divisionem, et tres definitiones. Divisio est : Eorum, quæ sunt, quædam sunt a natura, quædam ab aliis causis, scilicet ab arte, vel a casu. A natura sunt animalia, partes ipsorum, plantæ et corpora simplicia. Ab arte, ut vestis, lectica, et similia, inter quæ hoc intercedit discrimen; quod ea quæ sunt a natura, per se habent principium alicujus mutationis; quæ vero ab arte, non habent per se mutationis principium, sed per accidens, quatenus constat aliqua substantia naturalis, verbi gratia, lapide, vel ferro. Definitiones sunt tres. Prima ipsius naturæ, quæ definitur non per aliquid absolutum, sed per habitudinem principii. Natura est principium motus, et quietis jus, in quo est primo et per se, et non secundum accidens. Secunda definitio est rerum naturalium. Naturalia dicuntur illa, quæ habent in se ipsis principium sui motus. Tertia definitio est eorum, quæ dicuntur secundum naturam. Secundum naturam dicuntur tam subjecta quorum esse est a natura, quam accidentia, et affectiones eis convenientes.

Circa secundum dicit, quod definitio naturæ convenit materiæ, et formæ. Materiæ quidem non sicut antiqui Philosophi, qui non agnoscebant materiam esse puram potentiam, sed aliquod corpus in actu, puta terra vel aqua, aut quid simile, ad quam omnes formæ comparabantur tanquam accidentia. Sed Philosophus docet, quod materia prima est natura tanquam principium intrans compositionem rei naturalis : et secundo, quod etiam forma est natura, quia ex ipsa est species, et ratio naturæ, idque rationi-

nere substantiæ, et sic non sunt infinita ; tum denique, quia si sunt infinita omnia contraria erunt principia, quod est falsum, quia multa contraria sunt ex aliis prioribus, ut dulce et amarum ex calido et sicco, et sic non sunt prima principia : repugnat ergo esse prima principia, et esse infinita ; infinitum enim complectitur omnia. Secundo, ostendit principia non posse esse tantum duo, quia principia sunt contraria inter se ; ergo oportet dari aliquod tertium, in quo subjectentur, et circa quod exerceant oppositionem, et sic plusquam duo principia esse debent. Tertio, ostendit non esse plus quam tria, quia sufficiunt duo contraria, et unum subjectum, ut ex contrariis dicatur aliquid fieri : ergo non est necesse plura ponere, quam subjectum et formam, et contrarium formæ, quod est privatio. Et ad hoc plures alias rationes congerit.

Summa capitis VII.

In capite septimo determinate resolvit veritatem, et primo procedit ab ipsa generatione seu fieri rei ostendendo, quod ad illud tria requiruntur, scilicet subjectum ex quo aliquid fit, oppositum unde fit, et terminus, qui de novo fit : et quidem dari terminum, manifestissimum est, cum videamus res fieri de novo, quod vero fiat ex subjecto, et privatione constat, quia in omni fieri aliquid permanet, scilicet quod fit de novo, et aliquid non permanet, scilicet id quod antea erat, ergo requirit privationem illius, quod antea erat, et positionem hujus quod modo fit, et quia fit ex aliquo non ex nihilo, cum ex nihilo nihil fiat, sequitur ut ad fieri requirantur tria, subjectum, forma, et oppositum formæ, scilicet privatio. Secundo, colligit ex his principiis rerum naturalium, duo distincta esse inter se, et per se requisita, ex quibus scilicet, res ipsa constat, scilicet materia et forma, in hæc enim resolvitur unumquodque tanquam in partes componentes. Aliud principium requiritur ratione distinctum, scilicet privatio, et dicitur principium per accidens respectu ejus quod de novo fit, sicut hominis musici per se est causa homo et musica, sed quod antea fuerit non musicus per accidens est ad constitutionem ipsius hominis musici.

Summa capitis VIII.

In capite octavo excludit errores antiquorum circa materiam, et in capite nono errores circa privationem. Etenim ex ignorantia materiæ antiqui tollebant generationem substantialem, et solum accidentalem admittebant : ducti ea ratione, quia nihil potest fieri simpliciter seu substantialiter, neque ex ente, neque ex non ente : non ex ente, quia si jam est, non sit : non ex non ente, quia ex nihilo nihil fit : ostendit autem Philosophus ipsos non distinxisse inter ens in potentia, et in actu : ex ente enim in potentia fit ens in actu, et hoc ens in potentia est materia, quæ neque est nihil, neque est illud ens in actu quod fit, sed est ens in potentia ad illas formas, quæ in illa de novo educuntur.

Summa capitis IX.

In capite nono et ultimo excludit errores, qui apud antiquos circa privationem irrepserant; licet enim aliqui antiqui materiam dari faterentur, tamen privationem non distinguebant ab illa, et ita dicebant

materium esse non ens, quia videbant eam privatam omni forma : et sic dicebant aliquid fieri ex non ente, quia fiebat ex materia. Et in hoc fuit inductus Plato, ex ratione Parmenidis, quia quidquid est præter ens, est non ens, materia est præter ens, cum non sit ens actu, ergo non est ens, et sic non distinguebat inter materiam, et privationem; Aristoteles autem ostendit materiam non esse quidem ens actu, nec tamen esse privationem, sed ens in potentia, quia privatio non appetit formam, neque est in potentia ad formam, sed illi opponitur, eamque destruit : materia autem simul est cum forma recipiendo illam, et componendo ipsum totum : non est ergo idem privatio quod materia, licet materiæ insit privatio quando non habet formam, unde definit materiam, quod est primum subjectum, ex quo aliquid fit cum insit non secundum accidens.

SUMMA SECUNDI LIBRI.

Liber iste in duas partes dividitur. In prima tractat de natura. In secunda de causis. Et habent ista duo inter se connexionem, quia natura definitur per modum principii, et causæ motus, ideoque necesse fuit investigare causas, tractando de natura.

Igitur de natura agit Aristoteles duobus primis capitibus, de causis vero in reliquis septem.

Summa capitis I.

In hoc capite duo facit Philosophus Primo, investigat quid sit natura. Secundo, ostendit quibus conveniat ratio naturæ. Circa primum ponit unam divisionem, et tres definitiones. Divisio est : Eorum, quæ sunt, quædam sunt a natura, quædam ab aliis causis, scilicet ab arte, vel a casu. A natura sunt animalia, partes ipsorum, plantæ et corpora simplicia. Ab arte, ut vestis, lectica, et similia, inter quæ hoc intercedit discrimen; quod ea quæ sunt a natura, per se habent principium alicujus mutationis; quæ vero ab arte, non habent per se mutationis principium, sed per accidens, quatenus constat aliqua substantia naturalis, verbi gratia, lapide, vel ferro. Definitiones sunt tres. Prima ipsius naturæ, quæ definitur non per aliquid absolutum, sed per habitudinem principii. Natura est principium motus, et quietis jus, in quo est primo et per se, et non secundum accidens. Secunda definitio est rerum naturalium. Naturalia dicuntur illa, quæ habent in se ipsis principium sui motus. Tertia definitio est eorum, quæ dicuntur secundum naturam. Secundum naturam dicuntur tam subjecta quorum esse est a natura, quam accidentia, et affectiones eis convenientes.

Circa secundum dicit, quod definitio naturæ convenit materiæ, et formæ. Materiæ quidem non sicut antiqui Philosophi, qui non agnoscebant materiam esse puram potentiam, sed aliquod corpus in actu, puta terra vel aqua, aut quid simile, ad quam omnes formæ comparabantur tanquam accidentia. Sed Philosophus docet, quod materia prima est natura tanquam principium intrans compositionem rei naturalis : et secundo, quod etiam forma est natura, quia ex ipsa est species, et ratio naturæ, idque rationi-

bus tribus probat, quæ in textu claræ sunt.

Summa capitis II.

Ut magis elucescat quid sit natura, et naturalia, distinguit inter Physicam, et Mathematicam, et objectum unius et alterius, et facit duo. Primo, ostendit distinctionem Mathematicæ a Physica. Secundo, declarat extensionem objecti Physicæ.

Circa primum proposita prius ratione dubitandi, quia Physica agit etiam de objecto Mathematicæ, scilicet de quantitate, et indivisibilibus, et specialiter de figura, et aspectu cœli, de quo etiam agit Astrologia, solvit difficultatem positam ostendendo, quod aliter considerat Mathematicus quantitatem aliter, Physicus enim ut subjectam motui, et sensui, Mathematicus autem ut abstrahens a motu et sensu, quæ abstractio non est falsa, quia abstrahentium non est mendacium, sed asserentium. Quod vero sic considerent Mathematicus, et Physicus idem objectum ostendit duplici ratione: tum ex diversis definitionibus, seu diverso modo definiendi utriusque; tum ex eo quod dantur quædam scientiæ mediæ inter naturales, et mathematicas, sicut Astrologia, Perspectiva, Musica, etc. quæ ea quæ Mathematicus considerat abstracte, applicant alicui sensibili, sicut Astrologus considerat figuram in cœlo, Perspectivus lineam in visuali, Musica numerum in sonoro: ergo signum est quod Mathematica secundum se abstrahit a materia sensibili, et consequenter a modo scientiæ naturalis.

Circa secundum ostendit Physicam extendi circa materiam, et formam, neque esse duas scientias circa ista duo. Et antiqui quidem non distinguentes materiam primam a forma substantiali parum, vel nihil attigerunt de forma in scientia naturali. Ostendit autem ad eamdem scientiam pertinere agere de materia, et forma, tum exemplo artis, quæ imitatur naturam, eadem enim ars agit de forma, artificiosa, et materia competenti; tum, quia forma est finis materiæ, ad eam enim terminatur omnis mutatio materiæ, eadem autem scientia considerat finem, et quæ sunt ad finem; tum denique, quia materia et forma, se habent correlative, et consequenter sunt simul cognitione. Et sic concludit, quod de formis totaliter separatis a materia non pertinet agere ad Physicum, sed ejus terminus est in anima rationali, quæ est in materia, et separari potest ab illa.

Summa capitis III.

In isto capite incipit secunda pars hujus libri, in qua tractatur de causis. Et procedit Philosophus tali ordine, quod primo agit de manifestis speciebus, et modis causarum in hoc tertio capite. Secundo, de causis minus manifestis, quales sunt causæ per accidens, scilicet casus, et fortuna, de quo in capite IV, V et VI. Tertio, ostendit non esse plures species causarum quam quatuor in capite VII, et tandem duo dubia resolvit circa modum causandi propter finem, et modum causandi ex necessitate in capite VIII et IX.

Igitur in capite tertio tria facit Aristoteles. Primo, proponit necessitatem tractandi hic de causis. Secundo, numerat earum genera. Tertio, numerat diversos earum modos. Quantum ad primum, licet agere de causis ut sic pertineat ad Metaphysicum, quia multæ causæ non pendent a materia, tamen agere de causis quatenus sunt causæ naturæ, pertinet ad naturalem, qui resolvit et explicat res per suas causas.

Quoad secundum, genera causarum sunt quatuor, materialis, formalis, efficiens, et finalis. Materialis dicitur, ex qua fit aliquid cum insit. Causa formalis dicitur, species et exemplar, quia causa formalis intrinseca dat speciem rei informando; exemplar autem, seu idea efformando. Causa efficiens dicitur id a quo est principium primum motus et quietis, sicut pater est causa filii. Causa finalis est id, cujus gratia aliud fit, sicut sanitas est causa de ambulationis. Ex hoc autem infert Aristoteles tria corollaria. Primum est, quod ejusdem rei contingit esse plures causas per se, sicut statuæ est causa æs ut materia, artifex ut efficiens, figura ut forma. Secundum est, quod causæ sunt sibi invicem causæ, ut laborare est causa bonæ valetudinis, et bona valetudo est causa laboris. Tertium est, quod idem est causa contrariorum secundum diversa, sicut nauta est causa salvationis navis per præsentiam, et submersionis per absentiam.

Circa tertium, explicat quatuor modos, seu divisiones causarum. Primus est in causam priorem, et posteriorem, id est, remotam, et propinquam, seu universalem, et particularem, et potest esse universalis dupliciter, uno modo per prædicationem, sicut artifex in communi respectu hujus et illius artificis, vel potest esse universalis per causalitatem, ut cœlum respectu horum inferiorum, et Deus respectu omnium. Secunda divisio est: alia est causa per se, alia per accidens; per se, a qua per se pendet effectus, ut statua a statuario; per accidens a qua per se non pendet effectus, sed est conjunctum causæ per se operanti, sicut statuario accidit quod sit Polycletus. Tertia divisio est: causa alia est in potentia, alia in actu. Quarta divisio: causæ aliæ complexæ, aliæ simplices; complexæ ut si conjungantur causæ per se, et per accidens, ut si dicatur quod Polycletus statuarius facit statuam: simplices sumendo seorsum unamquamque causam. Et quot modis dicuntur causæ, tot modis dicuntur causata eis correspondentia.

Summa capitis IV.

Agit de causis per accidens, quæ sunt casus, et fortuna, et in hoc capite recenset opiniones antiquorum; in sequenti determinat propriam opinionem quoad fortunem; in sexto quoad differentiam ejus a casu. Igitur de casu, et fortuna fuerunt tres opiniones antiquorum. Prima dicebat, nihil esse casum et fortunam: tum quia omnia habent aliquam causam determinatam, ac proinde nihil fit a casu; tum quia veteres numerando causas non meminerunt fortunæ. Secunda opinio in alio extremo dicebat omnia esse a casu non solum in hoc mundo, sed etiam in cœlo, quæ fuit opinio Democriti, qui ex consursu casuali atomorum dicebat mundum, et ejus partes esse factas. Tertia opinio Stoicorum dicebat fortunam esse aliquid divinum, et menti nostræ ignotum, ad quod reducebant omnes effectus. Hanc ultimam opinionem non impugnat Aristoteles, tum quia de causa divina non pertinet agere ad Naturalem, sed ad Metaphysicum tum; quia infra impugnanda, ostendendo quod fortuna est causa per accidens, quod non convenit rei divinæ. Primum vero opinionem ex eo improbat, quia etiam antiqui Philosophi non ignoraverunt fortunam et casum nec contradixerunt illis, qui casum et fortunam ponebant: ergo hoc ipso debebant agere

de fortuna et casu, ut ostenderent id esse falsum tum quia quædam posuerunt fieri a casu; et fortuna, sicut Empedocles, qui dixit, quod quando mundus est factus, et ejus partes per litem fuerunt distinctæ, accidit aerem, verbi gratia, in hunc locum se collegisse, et partes animalium sic fortuito coaluisse. Secundam opinionem ex eo improbat, quia videmus multa non a casu fieri, sed ex causis determinatis, ut oliva, et aliæ plantæ ex determinato semine non ex quolibet: quomodo ergo existimandum est quod nobiliores partes mundi, ut cœlum, et res sempiternæ sint a casu, et non ex causis determinatis?

Summa capitis V.

Ad tradendum propriam sententiam de fortuna, tria facit Philosophus. Primo, proponit quasdam divisiones eorum, quæ causantur, ut videat sub quo illorum ponatur fortuna. Secundo, definit fortunam. Tertio, docet quomodo verificanda sint ea, quæ de fortuna dici solent. Quantum ad primum ponit tres divisiones ex parte rerum, quæ causantur, et aliam ex parte causarum. Prima divisio est: quædam sunt, quæ semper fiunt, ut ortus solis; quædam frequenter, ut hominem nasci oculatam; quædam in paucioribus, ut hominem nasci cum sex digitis, et hoc ultimum communiter dicitur fieri a fortuna. Secunda divisio: eorum quæ fiunt, quædam fiunt propter finem, quædam non. Tertia divisio: eorum quæ fiunt propter finem, quædam fiunt ex proposito, seu electione, alia non.

Ex parte causæ dividit causam ut supra in per se, et per accidens, et dicit causam per se esse finitam, et determinatam, causam autem per accidens indeterminatam et infinitam, quia contingit infinita alicui accidere, et aliquando dicitur causa per accidens, ex eo quod accidit causæ, aliquando ex eo quod accidit effectui. Primo modo, ut si dicas: Album ædificat, album enim accidit ædificanti. Secundo modo, ut si dicas: Fodiens invenit thesaurum, accidit enim inventio thesauri fossioni.

Quoad secundum dicit fortunam contineri sub causa per accidens in his, quæ fiunt propter finem, et sic definitur fortuna. Quod est causa per accidens eorum, quæ fiunt propter aliquid.

Quoad tertium verificatur de fortuna. Primum id quod dicitur quod est ignota, ut asserebant Stoici, quia cum sit causa per accidens, potest in infinitum extendi, infinitum autem est ignotum. Secundo, quod fortuna est nihil, quia causa per accidens habet aliquid per accidens pro effectu, quod simpliciter est non ens. Tertio, quod fortuna est cæca, quia de eo quod est per accidens tanquam de infinito, et indeterminato non datur certa ratio, et visus. Quarto, quod fortuna est bona, vel mala ratione ejus quod accidit bonum, vel malum: et sic dicitur infortunium, quando magnum malum accidit, et infortunium, quando magnum bonum accidit. Denique, fortuna dicitur incerta, quia est causa per accidens.

Summa capitis VI.

Agit de differentia inter casum, et fortunam, et facit tria. Primo, ponit differentiam inter casum, et fortunam, comparando eas inter se. Secundo, comparando ea respectu illorum, quibus conveniunt, et in quibus inveniuntur. Tertio, concludit ad quod genus causæ pertineant casus, et fortuna.

Quoad primum, differentia est inter casum, et fortunam, quia casus magis ample se habet, quam fortuna: omnis enim fortuna est casus, et non e contra. Quod ostendit, quia fortuna non invenitur proprie, nisi in his, qui agunt ex proposito, cujus signum est, quia bona fortuna, vel est felicitas, vel propinqua felicitati: felices enim dicimus bene fortunatos: felicitas autem solum convenit rationali creaturæ. Casus autem etiam in aliis rebus invenitur, sicut dicimus lapidem, vel sedem casu cadere, et sic casus accidit in his quæ fiunt propter finem, si non fiunt causa ejus, quod accidit.

Quoad secundum, constat ex dictis, quibus conveniat casus, et quibus fortuna. Casus enim maxime dicitur in operationibus naturæ, quando fiunt extra suum finem, ut cum alicui nascitur sextus digitus, et sic casus potest habere causam intrinsecam, scilicet naturam: fortuna vero solum invenitur in his, qui operantur ex proposito.

Quoad tertium, reducit fortunam, et casum ad genus causæ efficientis, seu moventis, per accidens tamen eo quod casus et fortuna, vel convenit his quæ sunt a natura, vel quæ ab intelligentia, quorum utrumque est principium motus. Denique, excludit opinionem, quæ ponebat casum, et fortunam esse causam cœli.

Summa capitis VII.

In hoc capite duo facit Philosophus. Primo, confirmat numerum causarum supra positum, quod sint tantum quatuor causæ. Secundo, ostendit ad Physicum pertinere de omnius causis agere.

Primum ostendit ex eo, quia propter quid quærit de causa, sed ad propter quid non respondetur, nisi aliqua dictarum causarum quæ sunt quatuor, ergo non sunt plures. Minor patet, nam propter quid aliquando reducitur in causam formalem, vel definitionem, ut si dicatur propter quid angulus est rectus, respondetur quia constituitur ex linea faciente duos angulos æquales. Aliquando vero redditur causa movens, ut propter quid aliqui pugnaverunt? Quia furati sunt. Aliquando redditur causa finalis, ut cujus causa aliqui pugnant? Ut dominentur. Aliquando materialis, ut propter quid aliquid corruptum est? Quia constabat ex contrariis: tot ergo sunt causæ, quot sunt modi quærendi propter quid.

Quoad secundum, ostendit ad Naturalem spectare demonstrare per omnes causas: tum quia aliquando contingit causas convenire in unum, sicut formalis, et finalis potest esse unum, nam forma rei genitæ est finis generantis, et similiter causa movens potest esse ejusdem speciei cum effectu, ut in agentibus univocis: tum etiam, quia ad Naturalem pertinet agere de omni mobili, et de omni movente, nam si est omnino immobile, non pertinet ad Naturalem, sed ad Metaphysicum. Agendo ergo de omni mobili, quod constat ex materia et forma, et pendet ab aliquo movente oportet agere de causa formali et materiali, et movente, quæ est efficiens. Et quia generatio ipsa, et motus est propter aliquid, forma enim est finis generationis, ideo etiam Naturalis demonstrat per causam finalem. Denique, in calce capitis ponit exempla demonstrationum naturalium per omnes causas.

Summa capitis VIII.

Tractat in hoc capite Philosophus, utrum natura agat propter finem

occasione accepta ex eo quod dixerat capite præcedenti, Philosophum demonstrare per causam finalem, et quia ex hoc pendet alia difficultas, scilicet quomodo necessitas inveniatur in naturalibus, siquidem multi antiquorum negabant naturam agere propter finem, quia omnia eveniunt ex necessitate materiæ; ideo sicut in isto capite agit de fine, ita in sequenti de necessario. In hoc ergo capite tria facit. Primo, proponit antiquorum opinionem, et dubitationem circa hoc. Secundo, improbat eam ostendens naturam agere propter finem. Tertio, fundamentis antiquorum satisfacit.

Quoad primum, dicit antiquos reduxisse effectus naturales in necessitatem materiæ, et ideo dixerunt non esse necesse reddere rationem propter quid natura faciat, neque quod melius faciat, ut si quæratur, propter quid pluat. Non est necesse reddere rationem, quod pluit ut frumentum augeatur, sed pluit propter dispositionem terræ, e qua sol elevat vapores, et similiter cur animal habeat dentes duros, et acutos. Non est necesse reddere rationem, quod id fiat propter cibi manducationem, sed quia ex tali materia facti sunt, scilicet densa, et dura: inde vero consecutæ sunt illæ utilitates, non tamen propter illas facti sunt.

Quoad secundum, ponit quinque rationes ad probandum, naturam agere propter finem, quæ in textu satis claræ sunt, et res ista satis nota est.

Quoad tertium, excludit tria fundamenta antiquorum, ex quibus movebantur ad negandum, quod natura ageret propter finem. Primo, quia aliquando natura exorbitat, et peccat non consequendo finem, ut patet in generatione monstri. Cui rationi affert instantiam Philosophus, tum quia etiam ars peccat aliquando, et tamen nullus negat, quod ars agit propter finem; tum quia licet natura aliquando exorbitet a suo fine, tamen de se determinatum ordinem habet in procreandis animalibus, et consequenter determinatum finem. Secundum fundamentum erat, quia ea quæ fiunt naturaliter, fiunt ex causis prioribus, scilicet materia, et agente, non autem ex intentione finis, quia naturali modo fiunt, sed oppositum jam supra est demonstratum, cum natura non sit causa per accidens, sicut fortuna, sed determinatis viis procedat, et consequenter ex determinato fine, nisi aliquid impediat. Tertium fundamentum erit, quia natura non deliberat, ergo non agit propter finem. Respondet Philosophus quod etiam ars non deliberat, quia habet certas et determinatas rationes operandi, et tamen facit propter finem, scilicet ut mota a fine, non ut movens.

Summa capitis IX.

In hoc capite facit tria. Primo, proponit quæstionem supradictam: an scilicet in naturalibus inveniatur necessarium absolute, vel ex suppositione, et dicitur necessitas absoluta, quæ provenit ex causis prioribus, quæ simpliciter necessitant, scilicet materia, et efficiente operante necessario; necessitas autem ex suppositione, est ratione finis, scilicet supposito quod intenditur. Secundo, ponit opinionem antiquorum, qui dicebant, omnia provenire ex necessitate materiæ, ut si dicatur, quod homo habet pedes inferius propter gravitatem humorum, et manus superius propter levitatem. Tertio, determinat veritatem tum absolute, tum comparative assimilando necessitatem rerum naturalium necessitati scientiarum.

Quoad primum, dicit quod in naturalibus necessitas sicut in artificialibus provenit ratione materiæ, sed ratio, seu dispositio est ex fine, sicut ad ensem requiritur materia dura, quæ est ferrum, non tamen propter duritiam sic dispositus est ensis, sed propter finem scindendi: sic natura assumit materiam talem, v. g. duram pro dentibus, mollem pro carnibus, non tamen propter ipsam duritiam, vel mollitiem determinat talem finem, sed potius propter talem finem assumit talem materiam. Et hinc manet expeditum, quod secundo loco proponit de opinione antiquorum.

Quoad tertium, assimilat necessitatem in generatione naturæ necessitati in scientiis demonstrativis: tum quantum ad ordinem, tum quantum ad principia quæ necessaria sunt. Quantum ad ordinem quidem, quia ex illo, quod assumitur ut principium, sequitur de necessitate conclusio, finis autem se habet in operativis, sicut principium in speculativis, licet quantum ad assecutionem, finis sit posterior. Unde sicut ex principio disposito sequitur conclusio, sic ex fine intento sequuntur media, sive in operatione artis, sive in generatione naturæ. Quantum ad ipsa principia, quia principium demonstrationis est definitio, et similiter finis pertinere potest ad definitionem in naturalibus: finis enim generationis est forma rei, quam significat definitio.

SUMMA LIBRI III.

In hoc libro de duobus agit Aristoteles, scilicet de motu et infinito, et complectitur totus liber octo capita. De motu agit tribus primis capitibus, de infinito in reliquis. Cur autem de his duobus agat in hoc tertio libro, diximus in principio agendo de ordine istorum librorum.

Summa capitis I.

In hoc capite duo facit Philosophus. Primo, præmittit tres divisiones tanquam quid præsuppositum ad inveniendam definitionem motus, quam traditurus est capite secundo. Secundo, ostendit motum cadere in prædictas divisiones.

Circa primum, divisio est triplex. Prima est: ens, aliud est in actu, aliud in potentia. Quæ divisio non distinguit ens per genera, quia in omni genere invenitur actus et potentia. Secunda divisio: ens dividitur per decem prædicamenta, scilicet substantiam, quantitatem, qualitatem et cætera. Tertia divisio: specialiter est in his, quæ se habent ad aliquid, motus enim definitur per ordinem ad mobile: nam relativum aliud est, quod fundatur super abundantiam et defectum, id est, super quantitatem penes majus et minus, aliud quod fundatur super movens et mobile, activum et passivum, de qua divisione plura agit Philosophus v Metaphys. tractans de fundamentis, et divisione relationum.

Circa secundum, ostendit ad quam divisionem ex istis pertinet motus, et dicit duo. Primo, quod motus reducitur seu pertinet ad res, ad quas est motus. Secundum, quod motus dividitur per genera rerum. Ratio primi est, quia motus est quid imperfectum in his generibus, et omne imperfectum reducitur ad suum

occasione accepta ex eo quod dixerat capite præcedenti, Philosophum demonstrare per causam finalem, et quia ex hoc pendet alia difficultas, scilicet quomodo necessitas inveniatur in naturalibus, siquidem multi antiquorum negabant naturam agere propter finem, quia omnia eveniunt ex necessitate materiæ; ideo sicut in isto capite agit de fine, ita in sequenti de necessario. In hoc ergo capite tria facit. Primo, proponit antiquorum opinionem, et dubitationem circa hoc. Secundo, improbat eam ostendens naturam agere propter finem. Tertio, fundamentis antiquorum satisfacit.

Quoad primum, dicit antiquos reduxisse effectus naturales in necessitatem materiæ, et ideo dixerunt non esse necesse reddere rationem propter quid natura faciat, neque quod melius faciat, ut si quæratur, propter quid pluat. Non est necesse reddere rationem, quod pluit ut frumentum augeatur, sed pluit propter dispositionem terræ, e qua sol elevat vapores, et similiter cur animal habeat dentes duros, et acutos. Non est necesse reddere rationem, quod id fiat propter cibi manducationem, sed quia ex tali materia facti sunt, scilicet densa, et dura: inde vero consecutæ sunt illæ utilitates, non tamen propter illas facti sunt.

Quoad secundum, ponit quinque rationes ad probandum, naturam agere propter finem, quæ in textu satis claræ sunt, et res ista satis nota est.

Quoad tertium, excludit tria fundamenta antiquorum, ex quibus movebantur ad negandum, quod natura ageret propter finem. Primo, quia aliquando natura exorbitat, et peccat non consequendo finem, ut patet in generatione monstri. Cui rationi affert instantiam Philosophus, tum quia etiam ars peccat aliquando, et tamen nullus negat, quod ars agit propter finem; tum quia licet natura aliquando exorbitet a suo fine, tamen de se determinatum ordinem habet in procreandis animalibus, et consequenter determinatum finem. Secundum fundamentum erat, quia ea quæ fiunt naturaliter, fiunt ex causis prioribus, scilicet materia, et agente, non autem ex intentione finis, quia naturali modo fiunt, sed oppositum jam supra est demonstratum, cum natura non sit causa per accidens, sicut fortuna, sed determinatis viis procedat, et consequenter ex determinato fine, nisi aliquid impediat. Tertium fundamentum erit, quia natura non deliberat, ergo non agit propter finem. Respondet Philosophus quod etiam ars non deliberat, quia habet certas et determinatas rationes operandi, et tamen facit propter finem, scilicet ut mota a fine, non ut movens.

Summa capitis IX.

In hoc capite facit tria. Primo, proponit quæstionem supradictam: an scilicet in naturalibus inveniatur necessarium absolute, vel ex suppositione, et dicitur necessitas absoluta, quæ provenit ex causis prioribus, quæ simpliciter necessitant, scilicet materia, et efficiente operante necessario; necessitas autem ex suppositione, est ratione finis, scilicet supposito quod intenditur. Secundo, ponit opinionem antiquorum, qui dicebant, omnia provenire ex necessitate materiæ, ut si dicatur, quod homo habet pedes inferius propter gravitatem humorum, et manus superius propter levitatem. Tertio, determinat veritatem tum absolute, tum comparative assimilando necessitatem rerum naturalium necessitati scientiarum.

Quoad primum, dicit quod in naturalibus necessitas sicut in artificialibus provenit ratione materiæ, sed ratio, seu dispositio est ex fine, sicut ad ensem requiritur materia dura, quæ est ferrum, non tamen propter duritiam sic dispositus est ensis, sed propter finem scindendi: sic natura assumit materiam talem, v. g. duram pro dentibus, mollem pro carnibus, non tamen propter ipsam duritiam, vel mollitiem determinat talem finem, sed potius propter talem finem assumit talem materiam. Et hinc manet expeditum, quod secundo loco proponit de opinione antiquorum.

Quoad tertium, assimilat necessitatem in generatione naturæ necessitati in scientiis demonstrativis: tum quantum ad ordinem, tum quantum ad principia quæ necessaria sunt. Quantum ad ordinem quidem, quia ex illo, quod assumitur ut principium, sequitur de necessitate conclusio, finis autem se habet in operativis, sicut principium in speculativis, licet quantum ad assecutionem, finis sit posterior. Unde sicut ex principio disposito sequitur conclusio, sic ex fine intento sequuntur media, sive in operatione artis, sive in generatione naturæ. Quantum ad ipsa principia, quia principium demonstrationis est definitio, et similiter finis pertinere potest ad definitionem in naturalibus: finis enim generationis est forma rei, quam significat definitio.

SUMMA LIBRI III.

In hoc libro de duobus agit Aristoteles, scilicet de motu et infinito, et complectitur totus liber octo capita. De motu agit tribus primis capitibus, de infinito in reliquis. Cur autem de his duobus agat in hoc tertio libro, diximus in principio agendo de ordine istorum librorum.

Summa capitis I.

In hoc capite duo facit Philosophus. Primo, præmittit tres divisiones tanquam quid præsuppositum ad inveniendam definitionem motus, quam traditurus est capite secundo. Secundo, ostendit motum cadere in prædictas divisiones.

Circa primum, divisio est triplex. Prima est: ens, aliud est in actu, aliud in potentia. Quæ divisio non distinguit ens per genera, quia in omni genere invenitur actus et potentia. Secunda divisio: ens dividitur per decem prædicamenta, scilicet substantiam, quantitatem, qualitatem et cætera. Tertia divisio: specialiter est in his, quæ se habent ad aliquid, motus enim definitur per ordinem ad mobile: nam relativum aliud est, quod fundatur super abundantiam et defectum, id est, super quantitatem penes majus et minus, aliud quod fundatur super movens et mobile, activum et passivum, de qua divisione plura agit Philosophus v Metaphys. tractans de fundamentis, et divisione relationum.

Circa secundum, ostendit ad quam divisionem ex istis pertinet motus, et dicit duo. Primo, quod motus reducitur seu pertinet ad res, ad quas est motus. Secundum, quod motus dividitur per genera rerum. Ratio primi est, quia motus est quid imperfectum in his generibus, et omne imperfectum reducitur ad suum

perfectum. Ratio secundi est, quia in omnibus generibus invenitur privatio et forma, imperfectum et perfectum, una enim differentia est perfectior, alia imperfectior. Igitur secundum transitum de imperfecto ad perfectum, quod est motus, tot sunt divisiones motus, quot entis.

Summa capitis II.

In hoc capite tria præstat Philosophus. Primo, definit motum, et particulas definitionis ejus explicat. Secundo, ostendit definitionem bene esse assignatam. Tertio, tractat illam quæstionem, an motus conveniat mobili, vel moventi.

Quoad primum definit motum hoc modo: Motus est *actus existentis in potentia ut tale est, sive prout in potentia est*: dicitur actus, quia per motum deducitur aliquid omnis actus proprie est illius in quo invenitur in aliqua potentia, agit enim aliquid ut est in actu, et movetur prout est in potentia, sicut si aliquid est actu calidum, et potentia frigidum non movetur in quantum calidum, sed movetur ut sit frigidum. Tertio dicitur *in quantumhujusmodi*, quia contingit aliquid esse in actu et potentia: nihil autem movetur ut est in actu, sed ut est in potentia, sicut ex ære fit statua, non in quantum est æs in actu, sic enim non fit, nec movetur, sed jam est, sed ut est statua in potentia.

Quoad secundum, ostendit hanc definitionem bene esse assignatam: tum directe tum indirecte. Directe quidem, quia ejus quod est in potentia, datur aliquis actus, sed ædificabile, v.g. vel alterabile in potentia, ergo oportet illi assignare actum, vel ergo iste actus est ipse terminus, verbigratia, domus ædificata, velipsaactio, idest, ædificatio; modus ædificata esse non potest, quia hæc non actuat ædificabile, sed ædificatione reducitur in actum, ergo ædificatio est actus ejus, et hæc est motus, ergo motus est actus existentis in potentia. Indirecte vero id probat, quia definitiones antiquorum videntur incongruæ, qui dicebant motum esse quamdam alteritatem, alii quod esset quædam inæqualitas, alii quod non ens, quia semper in motu aliquid diversitatis, vel inæqualitatis, vel non entis invenitur, cum non semper eodem modo se habeat: sed ex hoc solum sequitur, quod motus debeat habere aliquid de potentia, et aliquid de actu, cum sit actus imperfectus, non autem pure collocari in genere nonentis, vel inæqualitatis, vel potentialitatis, sed utrumque debet dici, scilicet quod sit actus cum aliqua potentia.

Quoad tertium, ostendit, quod motus convenit non potentiæ moventi, sed potentiæ mobili, et sic potest alia definitione definiri motus, scilicet *quod sit actus mobilis*, quia et si movens aliquando moveatur, tamen id non est in quantum movens, sed in quantum mobile, id est, in quantum patitur tangendo.

Summa capitis III.

In hoc capite tria facit Philosophus. Primo, solvit quamdam dubitationem ex præcedenti capite relictam; an motus subjectetur immobili, vel in movente, et sit actus utriusque. Secundo, præponit aliam dubitationem in utraque partem, et resolvit, scilicet an actio et passio sint in eodem subjecto. Tertio, colligit ex dictis, quomodo possit quilibet motus in particulari definiri ex applicatione definitionis motus in communi.

Circa primum, ex dictis in capite præcedenti solvit id quod aliqui quærunt, an motus sit in mobili an in movente, et dicit subjectari in mobili, ut tamen causatur a movente: quia actus est in eo, cujus est actus, et quod reducit de potentia ad actum, tale autem est mobile respectu motus.

Circa secundum, disputat ad utramque partem difficultatum propositam, an actio et passio sint in eodem subjecto, supponendo prius quod actus activi vocatur actio, et actus passivi, passio: quia illud quod est finis et opus uniuscujusque est actus ejus. Unde arguit, quia si actio est in agente tanquam motus distinctus, sequeretur agens in quantum agens moveri, quia illud movetur ubi est motus. Si vero est in passo, sequitur quod proprius actus non sit in eo cujus est actus, nec enim actio est in agente cujus est proprius actus. Quod si dicatur, quod actio et passio sunt idem motus, sequuntur quatuor inconvenientia. Primum, quod idem secundum speciem erit actus diversorum, scilicet agentis et passi. Secundum, quod idem erit actio et passio. Tertio, quod idem erit agere et pati, addiscere et docere. Quarto, quod omne agens patietur, et patiens aget, formaliter loquendo.

Hanc autem dubitationem solvit Philosophus dicendo, quod actio et passio sunt unus motus, qui secundum quod est ab agente dicitur actio, et secundum quod in patiente dicitur passio. Et sic secundum diversam rationem est actus duorum, agentis ut a quo, patiens ut in quo. Ad inconvenientia respondet. Primo, ad id quod inferebatur, quod docens addisceret, et agens pateretur, negat id sequi, quia cum agere et pati sint diversa secundum rationem seu respectum, licet idem secundum rem, non sequitur quod cui cunque convenit unum, conveniat et aliud secundum eamdem denominationem. Ad tertium et ad secundum inconveniens dicit, non sequi quod agere sit pati, et actio sit passio, sed solum quod sint idem cum motu, seu eadem res quæ est motus, sed diversa secundum formalitatem, sicut licet sit idem spatium inter duos terminos, est tamen alia distantia unius termini, et alterius.

Denique quoad tertium, ostendit quomodo possit ex definitione motus sic universali, definiri in particulari quilibet motus, v. g. alteratio vel motus localis dicendo, quod est actus alterabilis in potentia, prout in potentia, vel mobilis secundum locum, etc.

Summa capitis IV.

A capite quarto incipit disputare de infinito. Et procedit Philosophus hoc modo, quod in hoc capite quarto disputative tractat materiam pro utraque parte. In quinto capite reprobat opinionem de infinito, quæ erat apud antiquos. In capite sexto incipit determinare veritatem quoad tria. Primo, quoad an est ipsius infiniti. Secundo, quoad quid est in capite septimo. Tertio, respondendo ad rationes oppositas in capite octavo.

Igitur in hoc capite quarto, tria facit Philosophus. Primo, proponit seu supponit pertinere ad Philosophum naturalem agere de infinito. Secundo, ponit quasdam opiniones antiquorum circa infinitum. Tertio, incipit disputative inquirere veritatem.

Quoad primum, ostendit quod pertinet ad Naturalem tractare de infinito, quia pertinet agere de motu et magnitudine, et continuo, quæ habent rationem finiti vel infiniti, quia habent divisibilitatem, quæ vel finite, vel infinite divisibilis est.

Quoad secundum, proponit opiniones antiquorum de infinito, et quantum ad id, in quo differebant et quantum ad id, in quo conveniebant. Et quoad differentiam fuerunt duo ordines Philosophorum. Primi, qui posuerunt infinitum in substantia, ut Pythagoras et Plato, quia Pythagoras reducebat omnia in numeros, quod putabat esse substantias rerum; Plato vero in ideas separatas, quæ erant substantiæ. Et numeri dicebantur extra cœlum infiniti: ideæ vero carent loco. Alii posuerunt infinitum in aliquo accidentali, ut naturales Philosophi, præsertim Anaxagoras, et Democritus, qui ponebant aliquam substantiam pro primo principio: dicebant autem accidere illi infinitum, sicut Anaxagoras ponebat infinitas partes similes, v. g. carnis vel ossis et quod quælibet pars erat commixta alteri et confusa, disgregabatur autem per intellectum, qui est principium rerum. Democritus autem posuit non partes infinitas, sed indivisibilia finita. Conveniebant autem isti Philosophi in hoc, quod attribuebant infinito quatuor proprietates. Prima, quod infinitum esset principium in entibus, quia infinitum non est ex alio principio. Secunda, quod sit ingenerabile et incorruptibile, quia ipsum non est ex alio. Tertia, quod contineat et gubernet omnia: id enim videtur pertinere ad principium. Quarto, dicebant infinitum esse aliquid divinum et immortale, quia est incorruptibile.

Quoad tertium, ponit rationes disputative. Primo, ad ostendendum, quod detur infinitum. Secundo, ad ostendendum, quod hoc sit valde dubium, et difficile. Et primum ostendit quinque rationibus, tum ex ipso tempore, quod caret principio et fine, ut erat tunc communis opinio; tum ex divisione magnitudinis qua utuntur Mathematici in infinitum; tum ex perpetuitate generationis et corruptionis, quæ finem non habet; tum ex eo, quod omne corpus finitum ab alio superiore continetur: aut ergo erit processus in infinitum, aut deveniemus ad aliquod, quod in altero non continetur: et si detur primum, erit numerus infinitus, et si secundum, erit magnitudo infinita illius ultimi corporis; tum denique ex imaginatione et intellectu, qui in infinitum potest imaginari et apprehendere, quidquid autem apprehendit intellectus, dicebant antiqui, quod correspondet illi aliquid ad extra.

Ex altera autem parte ostendit non esse certum dari infinitum, propter multa inconvenientia quæ inde sequuntur, ut in sequentibus ostendetur, et propter multa difficilia quæ in illo involvuntur, præsertim utrum infinitum sit substantia vel accidens, et an sit magnitudo aliqua sensibilis, de quibus postea tractabitur. Inter multas autem acceptiones infiniti docet proprie infinitum accipi pro eo, cujus transitus est simpliciter sine fine, ut linea quæ non habet terminum.

Summa capitis V.

In isto capite impugnat Philosophus infinitum. Et dividitur in duas principales partes. In prima impugnat opinionem Platonis et Pythagoræ de infinito separato. In secunda impugnat opinionem de infinito sensibili, seu in corpore naturali.

Quoad primum, ostendit quod substantia non potest esse infinita, quia substantia sine quantitate non est divisibilis: ergo non est infinita, quia infinitum est divisibile in partes infinitas: nisi sit infinitum negative sicut punctum, de quo non agimus in præsenti. Si autem substantia est infinita ratione quantitatis, jam non erit infinita in quantum substantia, neque infinitum sub ratione infiniti erit principium et elementum rerum naturalium, ut Platonici dicebant, quia principium debet esse substantia, non accidens.

Quoad secundum, impugnat opinionem dicentium inveniri infinitum in corpore sensibili. Primo, per rationes probabiles. Secundo, per rationes physicas supposito hoc universo. Tertio, nulla suppositione facta, sed absolute.

Relictis autem rationibus probabilibus probatur supposito universo non dari infinitum, quia omne corpus naturale, aut est compositum, aut simplex. Si est compositum, non potest esse infinitum, quia elementa, ex quibus componitur, vel sunt finita, et sic non possunt constituere infinitum; vel alterum illorum est infinitum, et non alia, et sic illud infinitum consumet omnia, quia infinitum omnia occupat, et sic non relinquet aliis locum; vel omnia sunt infinita, et sic non poterunt conjungi, ad componendum mixtum, quia unumquodque occupabit omnia, et sic non poterunt conjungi, nisi penetrentur, quod repugnat. Si autem sit corpus simplex infinitum, illud convertet in se alia corporæ simplicia, quæ sunt elementa, siquidem elementa ad invicem contrariantur, et unum agit in aliud, et sic infinitum consumeret omnia alia, nec relinqueret in universo alia elementa, cum tamen videamus plura elementa requiri ad universum.

Et ex hoc probatur absolute, non dari infinitum, quia ejus partes vel erunt finitæ. Si finitæ, non possunt componere infinitum, nisi altera ex eis infinita sit, et illa consumet reliquas, ut supra dictum est. Si vero omnes sunt infinitæ, sequitur quod loca infinita et elementa sint infinita, et corpus illud constet partibus dissimilibus, et redit argumentum supra factum. Si autem omnes partes sint similes, sequitur quod tale corpus moveri non poterit neque secundum se totum, quia occupat omnia, neque secundum partem, quia non habebit determinatum centrum in illo corpore infinito ad quod moveatur, et sic determinato et ad terminum non movebitur.

Aliis tribus rationibus probat non dari corpus sensibile infinitum, quæ procedunt ex parte loci, quia neque potest moveri sursum neque deorsum habet aliquam determinatam positionem, ut ante et retro, sursum et deorsum, et denique nullum habet locum, neque est alicubi, quia caret omni termino, et circumscriptione, sine qua talia loca et positiones non dantur.

Summa capitis VI.

In sexto capite determinat Philosophus ex propria sententia de infinito, an sit; et in sequenti capite quid sit. Et in hoc capite duo facit. Primo, ostendit quomodo infinitum sit et quomodo non sit. Secundo, comparat diversa infinita ad invicem. Quoad primum dicit infinitum non esse in actu, esse tamen in potentia. Nam quod infinitum non sit simpliciter in actu, in capite præcedenti probatum est, quod vero non sit negandum dari in potentia probat: tum quia alias non daretur tempus infinitum, quod apud ipsum et antiquos Philosophos magnum erat inconveniens, ut dicetur in libro octavo; tum etiam quia alias numerus non esset in infinitum augmentabilis, quantitas non esset in infinitum divisibilis, sed deveniretur ad aliquam, quæ ulterius divisibilis non esset: dandum est ergo infinitum potestate.

Hujus autem occasione declarat Philosophus, quomodo intelligatur

dari infinitum in potentia, intelligitur enim infinitum in potentia, non quia sit possibile poni, sicut æs dicitur statua in potentia, quia ex illo fieri potest : sed dicitur infinitum in potentia, vel ratione additionis, vel ratione detractionis, quod præsertim apparet in successivis, in quibus unum fit post aliud, ut unus dies post alium, qui sine termino succedat, dicitur infinitum in potentia cujus una pars est actu, et reliquæ in potentia.

Quoad secundum, comparat duo genera infinitorum. Primo, comparat infinitum temporis et generationis, quod est infinitum successivum cum infinito magnitudinis : in utroque enim una pars post aliam sumi potest et semper id quod sumitur finitum est, sed in magnitudine partes permanent, in tempore autem et generationibus transeunt. Secundo, comparat infinitum additione et divisione cum eodem infinito magnitudinis : sicut enim magnitudo potest dividi per partes in infinitum, ita additione potest crescere per easdem, et utrumque est in potentia infinitum, et assimilatur materiæ, quæ potest recipere infinitas formas : actu autem non habet nisi unam : differunt autem, quia per divisionem potest aliquid dividi in infinitum, si autem per illas partes quæ dividuntur, fiat additio, non potest crescere in infinitum.

Summa capitis VII.

Ostenso an sit infinitum, procedit in præsenti capite ad explicandum quid sit. Circa quod duo facit. Primo, excludit aliquorum antiquorum definitionem de infinito, et quid sit declarat. Secundo, assignat ex sua definitione rationem eorum, quæ de infinito dicuntur.

Quoad primum, duo improbat in sententia antiquorum. Primum, quia definiebant infinitum id, cujus nihil est extra, seu extra quod est nihil. Secundo, quia supponebant tanquam per se notum, infinitum esse aliquid perfectum continens omnia. Et primum impugnat dicens, quod potius infinitum debet definiri *id cujus aliquid semper est extra, id est, accipientibus unam partem, semper alia restat accipienda*, quod ostendit, quia illud cujus nihil est extra, etiam convenit definitioni totius et perfecti : tunc enim aliquid est perfectum et totum, seu integrum, quando nihil deest eorum, quæ debet habere, ergo confunditur definitio infiniti cum definitione totius seu perfecti.

Secundum improbat Philosophus quia infinitum non est idem quod totum, seu perfectum, licet habeat quamdam similitudinem cum illo, quatenus potestate est totum, non actu : est enim infinitum quod in infinitum potest dividi vel augeri : unde secundum se est in potentia, sive ad divisionem, sive ad additionem, sine termino, non tamen actu est sine termino, quare tali infinito magis competit contineri, quod est materiæ et potentiæ, quam continere, quod est totius et perfecti.

Quantum ad secundum, ex definitione infiniti a se tradita, reddit rationem duorum. Primum, quare infinitum per additionem non superat omnem magnitudinem ; infinitum autem per divisionem superat omnem parvitatem : nam quod crescit per additionem semper tendit ad perfectum, et ad totum, quod utique finitatem et determinationem habet respectu partium, quas continet. Per divisionem vero proceditur a toto ad partes, et consequenter ad imperfectum, et ad materiam, quod infinitatem quamdam et indeterminationem dicit. Secundum est, quare in numeris invenitur aliquis terminus ex parte parvitatis, scilicet unitas, non tamen ex parte magnitudinis, seu pluralitatis : cujus ratio est, quia numerus coalescit ex unitatibus : unitas autem indivisibilis est in numerando, quia ultra unitatem non numeratur. At vero numerus crescit per ipsam divisionem continui, quæ in infinitum fieri potest, et sic numerus potest crescere in infinitum.

Summa capitis VIII.

In hoc capite respondet Philosophus rationibus et inconvenientibus contra suam positionem de infinito, et facit duo. Primo, ostendit se non tollere infinitum, ut ponitur a Mathematicis, neque omnino tollere, ut ponitur a veteribus Philosophis. Nam pro Mathematicis non requiritur, quod detur aliquod infinitum sensibile, sed sufficit quod infinitum imaginabile, puta linea aliqua imaginata sine termino : pro veteribus autem dicit posse admitti infinitum pro principio rerum, quatenus materia est unum ex principiis, et materia est infinita in potentia ratione privationis termini, et sic se habet ad modum continui infiniti, quod est infinitum in potentia, et se habet ut materia ; sed in hoc deficiebant veteres, quia ponebant infinitum continere alia, cum potius materiæ sit contineri et determinari.

Secundo, accedit Philosophus ad solvendas rationes supra adductas pro infinito, quæ solutiones in textu sunt satis clare.

SUMMA LIBRI IV.

Intentum Philosophi in hoc libro postquam supra determinavit de proprietate entis mobilis, quæ est motus, est determinare de duplici mensura, altera ipsius mobilis, altera ipsius motus. Mensura mobilis extrinseca est locus, et quia oppositum loci est vacuum, agit primo de loco, deinde de vacuo. Mensura vero ipsius motus est tempus, et ita tertio loco agit de tempore. Dividitur autem totus liber in quatuor decem capita. In primis quinque agit de natura loci, in quatuor sequentibus de vacuo, in quinque reliquis de tempore.

Summa capitis I.

Igitur naturam loci inquisiturus Philosophus, tria in hoc capite facit. Primo, præmittit pertinere ad Philosophum naturalem agere de loco. Secundo, incipit disputationem de loco in utramque partem : primo quidem probando quod locus sit ; deinde, quæ est tertia pars capitis, ostendendo quod locus non sit. Circa primum, ostendit ad Physicum pertinere agere de loco : tum, quia esse in loco est commune omnibus entibus naturalibus ; tum, quia ad Physicum pertinet agere de omni motu, quorum unus est motus localis, qui sine loco cognosci non potest.

Circa secundum, ostendit dari locum : tum secundum rei veritatem ; tum ex opinionibus antiquorum. Ex rei veritate, primo quia stante eodem loco, videmus mutari corpora, sicut exeunte aqua ex vase subintrat aer, ergo locus aliquid aliud est a corporibus contentis. Secundo, quia locus gravium, et levium non solum ostendit locum esse aliquid, sed etiam habere virtutem conservandi locata, et propter hoc

dari infinitum in potentia, intelligitur enim infinitum in potentia, non quia sit possibile poni, sicut æs dicitur statua in potentia, quia ex illo fieri potest : sed dicitur infinitum in potentia, vel ratione additionis, vel ratione detractionis, quod præsertim apparet in successivis, in quibus unum fit post aliud, ut unus dies post alium, qui sine termino succedat, dicitur infinitum in potentia cujus una pars est actu, et reliquæ in potentia.

Quoad secundum, comparat duo genera infinitorum. Primo, comparat infinitum temporis et generationis, quod est infinitum successivum cum infinito magnitudinis : in utroque enim una pars post aliam sumi potest et semper id quod sumitur finitum est, sed in magnitudine partes permanent, in tempore autem et generationibus transeunt. Secundo, comparat infinitum additione et divisione cum eodem infinito magnitudinis : sicut enim magnitudo potest dividi per partes in infinitum, ita additione potest crescere per easdem, et utrumque est in potentia infinitum, et assimilatur materiæ, quæ potest recipere infinitas formas : actu autem non habet nisi unam : differunt autem, quia per divisionem potest aliquid dividi in infinitum, si autem per illas partes quæ dividuntur, fiat additio, non potest crescere in infinitum.

Summa capitis VII.

Ostenso an sit infinitum, procedit in præsenti capite ad explicandum quid sit. Circa quod duo facit. Primo, excludit aliquorum antiquorum definitionem de infinito, et quid sit declarat. Secundo, assignat ex sua definitione rationem eorum, quæ de infinito dicuntur.

Quoad primum, duo improbat in sententia antiquorum. Primum, quia definiebant infinitum id, cujus nihil est extra, seu extra quod est nihil. Secundo, quia supponebant tanquam per se notum, infinitum esse aliquid perfectum continens omnia. Et primum impugnat dicens, quod potius infinitum debet definiri *id cujus aliquid semper est extra, id est, accipientibus unam partem, semper alia restat accipienda*, quod ostendit, quia illud cujus nihil est extra, etiam convenit definitioni totius et perfecti : tunc enim aliquid est perfectum et totum, seu integrum, quando nihil deest eorum, quæ debet habere, ergo confunditur definitio infiniti cum definitione totius seu perfecti.

Secundum improbat Philosophus quia infinitum non est idem quod totum, seu perfectum, licet habeat quamdam similitudinem cum illo, quatenus potestate est totum, non actu : est enim infinitum quod in infinitum potest dividi vel augeri : unde secundum se est in potentia, sive ad divisionem, sive ad additionem, sine termino, non tamen actu est sine termino, quare tali infinito magis competit contineri, quod est materiæ et potentiæ, quam continere, quod est totius et perfecti.

Quantum ad secundum, ex definitione infiniti a se tradita, reddit rationem duorum. Primum, quare infinitum per additionem non superat omnem magnitudinem ; infinitum autem per divisionem superat omnem parvitatem : nam quod crescit per additionem semper tendit ad perfectum, et ad totum, quod utique finitatem et determinationem habet respectu partium, quas continet. Per divisionem vero proceditur a toto ad partes, et consequenter ad imperfectum, et ad materiam, quod infinitatem quamdam et indeterminationem dicit. Secundum est, quare in numeris invenitur aliquis terminus ex parte parvitatis, scilicet unitas, non tamen ex parte magnitudinis, seu pluralitatis : cujus ratio est, quia numerus coalescit ex unitatibus : unitas autem indivisibilis est in numerando, quia ultra unitatem non numeratur. At vero numerus crescit per ipsam divisionem continui, quæ in infinitum fieri potest, et sic numerus potest crescere in infinitum.

Summa capitis VIII.

In hoc capite respondet Philosophus rationibus et inconvenientibus contra suam positionem de infinito, et facit duo. Primo, ostendit se non tollere infinitum, ut ponitur a Mathematicis, neque omnino tollere, ut ponitur a veteribus Philosophis. Nam pro Mathematicis non requiritur, quod detur aliquod infinitum sensibile, sed sufficit quod infinitum imaginabile, puta linea aliqua imaginata sine termino : pro veteribus autem dicit posse admitti infinitum pro principio rerum, quatenus materia est unum ex principiis, et materia est infinita in potentia ratione privationis termini, et sic se habet ad modum continui infiniti, quod est infinitum in potentia, et se habet ut materia ; sed in hoc deficiebant veteres, quia ponebant infinitum continere alia, cum potius materiæ sit contineri et determinari.

Secundo, accedit Philosophus ad solvendas rationes supra adductas pro infinito, quæ solutiones in textu sunt satis clare.

SUMMA LIBRI IV.

Intentum Philosophi in hoc libro postquam supra determinavit de proprietate entis mobilis, quæ est motus, est determinare de duplici mensura, altera ipsius mobilis, altera ipsius motus. Mensura mobilis extrinseca est locus, et quia oppositum loci est vacuum, agit primo de loco, deinde de vacuo. Mensura vero ipsius motus est tempus, et ita tertio loco agit de tempore. Dividitur autem totus liber in quatuor decem capita. In primis quinque agit de natura loci, in quatuor sequentibus de vacuo, in quinque reliquis de tempore.

Summa capitis I.

Igitur naturam loci inquisiturus Philosophus, tria in hoc capite facit. Primo, præmittit pertinere ad Philosophum naturalem agere de loco. Secundo, incipit disputationem de loco in utramque partem : primo quidem probando quod locus sit ; deinde, quæ est tertia pars capitis, ostendendo quod locus non sit. Circa primum, ostendit ad Physicum pertinere agere de loco : tum, quia esse in loco est commune omnibus entibus naturalibus ; tum, quia ad Physicum pertinet agere de omni motu, quorum unus est motus localis, qui sine loco cognosci non potest.

Circa secundum, ostendit dari locum : tum secundum rei veritatem ; tum ex opinionibus antiquorum. Ex rei veritate, primo quia stante eodem loco, videmus mutari corpora, sicut exeunte aqua ex vase subintrat aer, ergo locus aliquid aliud est a corporibus contentis. Secundo, quia locus gravium, et levium non solum ostendit locum esse aliquid, sed etiam habere virtutem conservandi locata, et propter hoc

illa corpora tendunt ad talia loca, ut ibi conserventur. Ex opinionibus autem antiquorum id probat. Primo, ex opinione eorum, qui ponebant vacuum: hi enim debebant admittere locum, quia vacuum est locus privatus corpore. Secundo, ex opinione Hesiodi, qui posuit primo factum fuisse quoddam chaos et confusionem rerum, deinde terram latam et spatiosam quasi locum, et receptaculum rerum, quia omnia credebat esse in loco, et sic locus aliquid est etiam secundum opinionem antiquorum.

Circa tertium, ponit rationes ad probandum, quod locus non sit. Primo, nam si locus est aliquid, maxime debet esse corpus, siquidem habet longitudinem, latitudinem, et profunditatem: non potest autem esse corpus, quia est simul cum locato, corpus autem non potest esse simul cum alio corpore: deinde, quia quidquid est, habet rationem causæ respectu alicujus; locus autem respectu locati non est materia, cum locata non constent ex illo, neque forma, quia alias omnia locata essent ejusdem formæ et speciei; neque finis, cum magis locus sit propter locata: neque efficiens, cum potius sit terminus motus, ergo nihil. Item quia omne quod est, est in loco, ergo si locus est aliquid, erit in loco, et ille locus in alio, et sic infinitum. Denique, quia si omne corpus est in loco et in omni loco corpus, ergo cum locatum crescit, crescit etiam locus, alias non adæquaretur locus locato, sed locus non potest crescere, quia est immobilis, ergo non datur locus.

Summa capitis II.

Antequam Aristoteles determinet, quid sit locus, disputat duo in præsenti capite. Primum, an locus sit materia vel forma. Secundo, probat quod nec sit materia, nec forma.

Circa primum, proponit duplicem rationem. Primam ad probandum quod locus sit forma. Secundam ad probandum, quod sit materia. Prima est, quia locus est duplex, alter communis alter proprius; communis in quo omnia corpora sunt, sicut cœlum est locus communis omnium: quæ sub illo sunt: proprius est, qui adæquatur unicuique rei, hujusmodi autem est terminus rei, sed forma est terminus uniuscujusque, quia per formam terminatur materia, ergo locus est forma quæ tamen ratio non concludit, cum assumat utramque affirmativam in secunda figura. Secundam rationem deducit ex Platone ad probandum, quod locus sit materia, quia locus est spatium inter terminos rei continentis, quod non est aliquid sensibile, quia manet idem recedentibus corporibus sensibilibus, et ita illud spatium est per modum dimensionis interminatæ, hoc autem habet rationem materiæ, quia est aliquid terminabile per lineam et superficiem, quæ terminant magnitudinem: ergo locus habet rationem materiæ et receptivi.

Circa secundum, objicit ad probandum, quod locus non sit materia, neque forma. Primo, quia materia et forma non separantur ab eo cujus sunt, locus autem separatur a locato, seu locatum a loco. Secundo, quia locus est aliquid extra locatum, siquidem locatum dicitur esse in loco, materia autem et forma non sunt extra compositum. Denique, si locus est materia et forma, erit intrinsecus locato, et sic movebitur quando movetur locatum, sed quod movetur est in loco: ergo si locus est materia, et forma, locus erit in loco.

Summa capitis III.

Ab hoc capite incipit Philosophus determinare sententiam suam de

loco, et in ipso capite præmittit quædam notabilia. In sequenti tradit resolutionem. Præmittit ergo tria. Primum, quot modis aliquid possit esse in alio. Secundum, an aliquo modo possit esse in se ipso. Tertium, respondent duabus dubitationibus, quæ objectæ sunt.

Circa primum, dicit octo modis aliquid esse in alio. Primo, sicut una pars in toto, ut digitus in manu. Secundo, e converso sicut totum in partibus. Tertio, sicut species in genere, ut homo continetur in animali. Quarto, e contra sicut genus in specie, ut animal in homine. Quinto, sicut forma in materia, sive accidentalis, sive substantialis. Sexto, sicut res sunt in suo efficiente, imperante, aut movente, ut regnum in rege. Septimo, sicut amans in amato, seu in suo fine. Octavo, sicut in vase, aut continente, et vel locatum in loco, ad quem modum reducitur esse in aliquo, ut in tempore mensurante.

Circa secundum, inquirit an aliquid possit esse in se ipso. Et respondet, quod dupliciter potest aliquid esse in se ipso. Uno modo primo et per se, id est, ratione sui immediate. Alio modo secundum alterum, id est, secundum partem, quatenus in aliquo toto sunt partes, quarum una est in alia. Hoc secundo modo dicit, bene posse dici, quod aliquod est in se ipso, sicut si accipiatur hoc totum, scilicet amphora vini dicitur esse in se ipsa, et non in alio vase: sed hoc est ratione partis, quatenus vinum est in amphora: amphora autem non in alio. At vero primo modo nihil dicitur esse in se ipso, neque per se, neque per accidens. Non per se, quia si aliquid immediate sit in se ipso, immediate et per se primo erit continens et contentum.

Non est aliquid in se ipso per accidens, quia esse per accidens, est esse ratione illius quod est per se, sicut anima dicitur esse per accidens in loco ratione corporis, quod est per se. Unde si hoc modo aliquid est in se ipso per accidens, sequitur duo corpora esse in eodem loco, scilicet illud ratione cujus est in se ipso, et ipsummet.

Circa tertium, solvit primo rationem Zenonis inductam, scilicet quod si locus esset aliquid, etiam locus esset in alio loco, et sic in infinitum: respondet non sequi, quia locus non est in alio per modum loci, sed per modum formæ accidentalis informantis: est enim superficies, quæ inhæret in corpore, sed continet locatum. Secundo, solvit dubitationem positam de loco, an sit materia vel forma, et dicit quod locus non potest esse materia vel forma locati, quia locus est quasi vas continens et ambiens locatum, materia vero et forma sunt partes ejus intrinsecæ, in quo sunt.

Summa capitis IV.

In hoc capite resolutive tradit Philosophus suam sententiam circa quiditatem loci. Consistit autem essentia in cognoscendo genus et differentiam, et inde eliciendo integram definitionem, et quia inde sequuntur passiones, quæ notiores sunt quoad nos, ex illisque ascendimus ad cognitionem essentiæ. Primo, præmittit affectiones, seu passiones quasdam loci. Secundo, genus ejus tradit. Tertio, differentiam. Quarto, integram elicit definitionem.

Circa primum, explicat imprimis quatuor affectiones loci. Prima, quod locus contineat locatum, et non sit aliquid locati. Secunda, quod locus proprius sit æqualis locato. Tertia, quod locato nunquam deficiat aliquis locus, unus enim alteri succedit. Quarta, quod in loco invenitur aliqua differentia sursum et deorsum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vel quia in diversis locis unus est superior, alius inferior, vel quia in eodem loco una pars est superior, alia inferior. Denique, colligit ad locum acquiri rationem extremitatis non continuæ, sed contiguæ locato, sicut patet in loco proprio, qui est adæquatus locato, solum autem ei adæquatur ultima extremitate, quæ tangit ipsum. Requiritur vero quod sit contigua, nam si sit continua, erit sicut pars in toto, non ut continens respectu contentu, et locans respectu locati.

Circa secundum, investigat genus loci proponendo, quod locus debet esse unum ex quatuor, vel enim locus est materia vel forma, vel spatium inter extremitates continentis, vel tandem aliqua superficies ipsius corporis continentis. Ex his quatuor locus non potest esse materia, neque forma, neque spatium: ergo superficies ut continens, et hæc est genus loci. Quod non sit forma nec materia probat, quia sunt partes existentes in re quam componunt, nec ab ea separantur: locus autem non componit locatum, sed est in corpore continente. Quod non sit spatium illud inter extremitates continentis probat, quia alias sequeretur locum posse mutari et cum non mutetur nisi ad locum, locus erit in loco. Sequela vero patet, quia si aqua sit in vase, locus aquæ erit illud intervallum, quod est inter extremitates vasis, et aquam, illud autem intervallum non est nisi ubi est vas: ergo mutato vase, mutabitur illud intervallum, atque adeo mutabitur locus.

Circa tertium, statuitur differentia loci, in eo quod sit immobilis, in hoc enim differt vas a loco, quod vas continens aquam mutatur, cum movetur aqua, locus autem non mutatur: deberet enim mutari ad locum, quare locus est sicut vas immobile, sicut totus fluvius respectu navis, non sicut aqua proxime circumdans navem.

Circa quartum, infert integram definitionem loci: *Quod locus est superficies corporis continentis immobilis prima*. Dicitur *superficies corporis continentis*, quia adæquatur locus locato, et sunt simul contigue, non continue. Dicitur *immobilis* propter rationem jam dictam. Dicitur *prima* ad differentiam loci communis, respectu enim locati prima superficies, quæ occurrit extra, locus proprius est.

Summa capitis V.

Explicata natura loci, duo facit Philosophus in hoc capite. Primo, declarat quomodo diversa corpora sint in loco, et quot modis id contingat. Secundo, solvit dubitationes supra positas capite primo.

Circa primum, constat omnia corpora esse in loco tanquam locata et contenta in illo, solum autem ultimum corpus, seu sphæra est continens alia non contenta. Et de hac est tota difficultas quomodo sit in loco, nam ex una parte movetur localiter, ex alia non est in loco, quia non continetur ab aliquo. Ad quam difficultatem solvendam præmittit, quod quædam sunt in loco in actu, quædam in potentia: in actu, ut quando corpus continens est divisum a contento, et illi est contiguum; in potentia, ut quando non est actu divisum nec contiguum, sed continuum; quia tamen potest dividi et contiguari, dicitur in potentia continere. Dicit ergo quod ultima sphæra est in loco per accidens et in potentia, non per se et in actu, cum enim omnes partes circumvolvantur, non datur ultima quæ sit continens aliam, sed quælibet continuatur alteri, et continetur in potentia ab illa.

Circa secundum, respondet Philosophus ad rationes supra positas, deinde reddit rationem, cur corpora tendant ad loca naturalia, et in illis quiescant. Et primo respondet ad sextam, si locus esset aliquid quod augeretur aucto corpore, et dicit hanc rationem procedere perinde ac si locus esset spatium inter extremitates corporis continentis: cum autem sit superficies continens, non crescit augmentato corpore, sed cedit ipsi, ut occupet majorem locum. Ad primam respondet locum non esse corpus, sed terminum seu superficiem corporis continentis aliud. Denique, ad tertiam quod si locus esset aliquid, etiam esset in loco, respondet quod locus est in alio sicut superficies in corpore cui inhæret, non tanquam locatum in loco. Deinde, assignat ex dictis, quare corpora moveantur naturaliter ad sua loca, et quiescant in illis, quia enim locus se habet, ut continens, et res in universo naturali ordine situantur, ita ut una immediate sit supra aliam juxta suam naturam, et proportionem, consequenter appetere locum proprium est appetere illud, quod suæ naturæ est magis proportionatum, scilicet suum immediatum, et connaturale continens. Similiter ex eodem sumitur ratio, cur res naturales quiescant in loco proprio, scilicet quia perveniunt ad terminum sibi magis connaturalem et proportionatum.

Summa capitis VI.

Ab hoc capite incipit secunda pars hujus libri, quæ est de vacuo, in cujus tractatu tali ordine procedit Philosophus, quod primo disputat in utramque partem, an sit vel non sit vacuum juxta diversas veterum opiniones, et hoc in capite sexto. Deinde, capite septimo explicato quid significet vacuum juxta opiniones antiquorum, solvit eorum rationes, qui ponebant vacuum, et tandem capite VIII et IX, ostendit vacuum non esse in natura.

Igitur in hoc capite sexto duo facit Philosophus. Primo, ostendit pertinere ad Naturalem tractare de vacuo. Secundo, disputat in utramque partem, an detur vacuum.

Circa primum, constat pertinere ad Naturalem tractare de vacuo, quia pertinet tractare de loco: locus autem carens omni locato vacuum est.

Circa secundum, refert imprimis opinionem Anaxagoræ, qui contendebat non dari vacuum, sed tamen ejus rationes solum probabant aerem non esse vacuum, sed verum corpus exemplo utrium inflatorum, qui compressioni resistunt, nisi aer emittatur. Antiqui autem qui vacuum ponebant, non dicebant illud esse aerem, sed spatium omni corpore carens, quale est extra universum, aut quale ponebant Leucippus et Democritus, ut corpora discontinuarentur, quia si omnia esset plenum, putabant omnia corpora continuari et esse unum. Sic ergo rejecta sententia Anaxagoræ, ponit rationes eorum, qui dicebant dari vacuum. Prima, quia si non daretur vacuum, non daretur motus in loco, nam corpus quod movetur, vel excipitur in aliquo spatio pleno vel vacuo. Si hoc secundum, habetur intentum. Si primum, ergo penetrantur duo corpora, quod est impossibile. Secunda ratio est, quia in condensatione partes comprimuntur, et non penetrantur, ergo dabantur aliquæ vacuitates non repletæ partibus, quas partes compressæ subintrant. Tertia, viventia augentur sumpto alimento, et alimentum est corpus, quod non potest penetrari cum corpore viventis, ergo in aliquibus vacuitatibus seu poris intrat, datur ergo vacuum. Quarta, si in vas plenum cinere infun-

datur apud, tantum aquæ cœpit, quantum sine cinere, ergo aliqua vacuitas est inter partes cineris, quibus aqua excipitur, penetrari enim cum cinere non potest.

Summa capitis VII.

In hoc capite duo intendit Philosophus. Primum, declarare quid nomine vacui intelligatur. Secundum, instare rationes præcedentis capitis ostendendo efficaces non esse.

Circa primum, assignat quomodo vacuum accipiatur secundum communem hominum acceptionem, deinde quomodo secundum Platonicos, tandem quomodo secundum sententiam quam sequitur. Communiter ergo dicebatur vacuum, locus in quo est nihil, accipiebant enim veteres pro eodem corpus tangibile, et ens, quia nihil præter corpora dari putabant. Removet autem hanc acceptionem, quia cum apud veteres solum corpus tangibile diceretur esse corpus, si in aliquo spatio poneretur color vel sonus, id est, corpus cum colore vel sono, sed non cum qualitatibus tangibilibus, illud esset vacuum, quia careret corpore tangibili, et tamen in illo non esset nihil, quia esset aliquod corpus. At vero Platonici dicebant vacuum esse id, in quo non est hoc aliquid, nec substantia ulla corporea. Et cum hoc aliquid sit per formam, dicebant aliqui vacuum esse materiam corporum. Quod reprobat, quia materia non separatur a corpore quod componit : locus autem et vacuum separatur a corpore locato, neque componunt illud. Ex propria vero sententia dicit, quod vacuum est locus privatus corpore, et consequenter aptus repleri : unde nec est spatium separatum a corpore, neque illi intrinsecum.

Circa secundum, instant rationes supra factas, quæ non concludunt. Non prima, quia motus localis neque est in vacuo, neque in pleno penetrando illud, sed quia plenum cedit corpori intrante aere ipso vel aqua impellente alias partes, aut etiam addensante se. Non secunda, quia condensatio fit per compressionem partium, quæ recipiunt se, non in aliquas vacuitates, sed in poros plenos aere vel alio tenui corpore, quod per compressionem excluditur. Non tertia, quia augmentum in viventibus non requirit vacuitates, in quibus intret alimentum, sed sufficit quod intret in poros, qui sunt pleni aere vel alio corpore tenui, quod excluditur per alimentum. Non quarta, quia in cinere non oportet ponere vacuitates, sed partes plenas aere, qui excluditur per aquam.

Summa capitis VIII.

In hoc capite et in sequenti probat Philosophus non dari vacuum. In isto quidem capite rationibus a motu petitis ostendit non dari vacuum separatum a corporibus, tanquam in quo fiat motus. In sequenti vero etiam abstrahendo a motu, et similiter non dari aliquod vacuum intra ipsa corpora propter condensationem.

Igitur in hoc capite procedit duplici via ad negandum vacuum. Prima est, ex ipsa ratione motus naturalis. Secunda, ex ratione velocitatis et tarditatis.

Circa primum, ostendit non debere poni vacuum propter motum, ut dicebant antiqui, imo vacuum obstare motui, quia motus naturalis fit in aliquid determinatum, ut ibi melius res conservetur, vacuum autem non conducit ad conservationem : nec est ratio cur moveatur magis corpus in hanc partem quam illam, cum nullæ tunc essent differentiæ partium. Si autem non est motus naturalis posito vacuo, quia non est differentia locorum, in quam

fiat inclinatio, nec etiam erit motus violentus, quia hic est declinatio quædam a motu naturali : nec etiam dabitur motus projectionis, quia projecta feruntur extra projicientem propter repercussionem aeris, qui ipso impulsu impedit ne lapis, verbi gratia, descendat deorsum ferendo illum, quod totum tollitur posito vacuo.

Circa secundum, probat non dari motum ex ipsa ratione velocitatis in vacuo : velocitas enim vel tarditas provenit, aut quia medium est rarius, aut quia mobile est ponderosius. Et ex utraque parte sequitur, quod in vacuo motus ita erit velox, quod fiat in instanti. Ex parte quidem medii, quia eadem est proportio motus facti per medium crassius ad eum, qui fit per medium rarius, quæ est inter ipsam crassitudinem et tenuitatem medii, ut si, verbi gratia, medium sit duplo rarius, mobile duplo celerius feretur : ergo ubi nulla est proportio raritatis medii ad crassitudinem, nulla erit proportio celeritatis : vacui autem ad plenum nulla est proportio in tenuitate, ergo nulla erit proportio in celeritate motus, et consequenter si in medio plene consumitur tempus, in vacuo nullum consumetur. Ex parte autem ipsius mobilis idem ostenditur, quia ideo mobile quanto ponderosius est, et figura magis accommodata, celerius movetur, quia vehementius scindit aerem, seu corpus medium, ergo ubi nullum est medium, quod scindatur ut in vacuo, nihil obstabit ut summa velocitate feratur, imo tantum descendet minus grave, quantum magis grave, quod est absurdum.

Summa capitis IX.

In hoc capite duo probat Philosophus. Primum est, non dari vacuum etiam præscindendo a motu. Secundum, non dari vacuum intra ipsa corpora, ratione condensationis vel raritatis.

Quantum ad primum, ostendit quod in vacuo non est corpus quod cedat corpori si in eo ponatur; ergo si vacuum constituitur per dimensiones quasdam interminatas, ut dicebant antiqui, corpus quod ponitur in illo vacuo, penetrabitur cum illis dimensionibus, cum tamen non minus illa dimensiones repugnant penetrationi ratione quantitatis, quam si esset corpus sensibile.

Quoad secundum, dicebant antiqui, non addensari corpora, nisi quia partes se comprimunt, et aliquas vacuitates replent, ne penetrentur, et sic datur vacuum. Quem modum ponendi vacuum ratione densitatis et raritatis ex eo improbat, quia vel intelligitur illas vacuitates seu poros carere omni corpore, vel non esse aliquid distinctum ab ipso corpore, sed subintrare ipsas corporis partes, et causare raritatem. Si primum ponitur idem vacuum, quod hucusque impugnatum est, siquidem ut dicitur, caret omni corpore. Si secundum, in primis hoc vacuum non se haberet tanquam spatium, in quo res moveretur, sed annexum esset ipsi corpori et moveretur cum illo, vacuum autem non potest moveri. Deinde, tale vacuum cum sit vacuum raritatis, non esset causa omnis motus, sed solum motus sursum, motus vero deorsum non assignaretur causa ratione vacui. Ratione autem antiquorum respondet ostendendo, quod rarum et densum nulla additione et subtractione materiæ fiunt, sed per hoc, quod eadem materia recipiat nunc majores, nunc minores dimensiones, sicut enim eadem materia subest modo uni formæ, modo alteri, et eadem est in potentia ad diversa contraria, ita sub di-

mensione magna et parva, est eadem materia, quia magnum et parvum quædam contraria sunt. Et sicut calidum sit magis calidum, non per hoc quod aliqua pars, quæ non erat calida, reddatur calida, sed quia tota materia magis reducitur in actum calidi, ita est in raro et denso, non enim adduntur, vel subtrahuntur partes, sed eadem materia suscipit majores vel minores dimensiones, et transmutatur de imperfecto ad imperfectum, vel e contra in dimensionibus habendi.

Summa capitis X.

In hoc capite incipit tertia pars hujus libri, in qua agitur de tempore. Et procedit Aristoteles tali ordine, quod primo disputat in utramque partem an sit tempus et refert opiniones antiquorum circa illud. Secundo, tradit resolutionem suam. Tertio, affectiones temporis, et dubia quædam circa ejus existentiam et unitatem resolvit.

In hoc ergo capite tria facit. Primo, proponit duas rationes ad probandum non dari tempus. Secundo, ad inquirendum, an detur unum nunc in toto tempore. Tertio, refert et impugnat tres opiniones circa quidditatem temporis.

Circa primum, probat non dari tempus duplici ratione. Primo, quia tempus componitur ex his, quæ non sunt, scilicet præterito, et futuro; ergo ipsum nihil reale est. Secundo, cujuslibet rei divisibilis existentis, oportet aliquam partem existere, sed temporis nulla pars existit: nam quædam pars est præterita, alia futura, instans vero non est pars, sed unio partium, ergo tempus nihil est.

Circa secundum, objicit in utramque partem, an sit idem nunc in toto tempore, an diversum. Nam quod non sit aliud, et aliud probat, quia vel essent simul illa duo nunc, vel successive. Non simul, quia duæ partes temporis non sunt simul, nisi una contineat aliam, et sit major alia, ut annus continet mensem, mensis diem; unum autem nunc non est majus altero, cum utrumque sit indivisibile. Nec successive, quia sic corrumperetur unum nunc in alio succedente, et hoc non datur, cum immediate post, non sit aliud nunc. Quod vero non sit idem nunc ostendit, quia nullius rei divisibilis finitæ est dare tantum unum terminum, sed ad minus duos; tempus autem est quid finitum, ergo debet habere plura nunc, saltem ut extremitates.

Circa tertium, refert tres opiniones. Prima, quod tempus est circulatio cœli. Secunda, quod tempus est ipsum cœlum. Tertia, quod tempus est motus. Primam refutat, quia pars temporis etiam est tempus, pars autem circulationis non est circulatio. Secundam impugnat, quia auctores ejus dicunt tempus esse cœlum, quia omnia sunt sub cœlo, et omnia subsunt tempori, ergo tempus est cœlum. Ubi est duplex defectus, quia et arguitur ex puris affirmativis in secunda figura, et cum æquivocatione existendi in cœlo ut in loco, vel in tempore ut in durationc. Tertiam ex eo arguit, quia motus est in re mota, tempus autem ubique dicitur esse, et apud omnia.

Summa capitis XI.

In hoc capite accedit Philosophia ad explicandam naturam temporis. Et tria facit. Primo, præmittit quandam suppositionem. Secundo, tradit et explicat definitionem temporis. Tertio, ostendit quid sit instans seu nunc, quod etiam spectat ad notitiam temporis.

Circa primum, supponit quod licet tempus non sit quicunque motus, non tamen invenitur sine motu, cujus signum est quia qui motum non recipiunt, ut qui diu dormiunt, non percipiunt tempus, quia conjungunt ultimum tempus quo dormire cœperunt cum eo in quo excitantur.

Circa secundum, colligit definitionem temporis quod sit numerus motus secundum prius et posterius. Constat enim quod quia tempus sine aliquo motu non percipimus, et cum percipimus tempus, motum aliquem intelligimus, quod tempus est aliquid motus. Tempus autem non consequitur, nec est aliquid motus, nisi ratione prioris et posterioris, quia tunc cognoscimus tempus, cum cognoscimus in motu rationem prioris et posterioris, si enim accipiamus idem nunc sine aliquo, quod sit prius et posterius, non facimus tempus, distinguere autem prius et posterius in motu non est nisi per numerationem, igitur tempus erit numeratio, seu numerus motus secundum prius et posterius, et hoc est ejus definitio.

Circa tertium, declarat quid sit instans seu nunc; est enim illud quod est idem in tempore, partes enim transeunt, sed illud quod simul existit de toto tempore est nunc. Hoc autem est partim idem, partim diversum in tempore. Est idem, quatenus res mota cum qua identificatur mutatum esse et tempus, manet eadem: est diversum, quatenus subjicitur alii et alii successioni. Ex quo infert verificari tria, quæ attribuuntur instanti. Primum, quod non datur tempus, nisi instans et e contra. Secundum, quod instans distinguit et continuat partes temporis. Tertium, quod nunc non sit pars temporis. Ratio primi est, quia instans est sicut unitas, tempus autem est numerus, non invenitur autem numerus sine unitate. Ratio secundi est, quia instans comparatur ad tempus sicut mobile ad motum, et sicut punctum ad lineam. Ab unitate autem, et continuitate mobilis dependet unitas motus. A puncto autem continuantur partes lineæ, ergo et ab instanti partes temporis. Ratio tertii est, quia sicut punctum non est pars lineæ, ita instans cum sit indivisibile, non est pars motus, sed continuans vel terminans illum.

Summa capitis XII.

Explicata natura temporis, explicat in hoc capite quædam ejus attributa seu proprietates. Et primo, numerat quinque proprietates temporis. Secundo, comparat tempus ad ea, quæ tempore mensurantur.

Circa primum, prima proprietas temporis est, quod detur in eo minimum pro ea parte, qua est numerus, non quatenus continuum sicut numero convenit minimum, scilicet binarius, qui in alium numerum non est partibilis. Secunda proprietas est, quod tempus dicitur longum et breve, multum vel paucum propter continuitatem motus, sed non velox vel tardum, hoc enim dicitur per ordinem ad mensuram temporis, tempus autem non mensuratur tempore. Tertia, quod tempus sit quodammodo idem, quodammodo diversum. Idem quia est unus motus mensurans alios, diversum propter diversas partes priores et posteriores. Quarta, quod idem tempus redit, non numero, sed specie, sicut idem ver et eadem æstas. Quinta, quod sicut motum designamus tempore, ita tempus motu, sicut rem numeratam designamus numero, et iterum numerum re numerata.

Circa secundum, comparat motum ad tria, scilicet ad motum seu moveri, ad res, quæ motui subji-

ciuntur, ad quietem, quæ est opposita motui. Ad motum comparatur, quatenus motus est id, quod primo et per se mensuratur tempore. Ad res quæ sunt in tempore, quatenus in sua duratione subjiciuntur motui. Et sicut in numero quædam continentur ut partes numeri, quædam ut numerata per ipsum : ita in tempore quod est numerus, quædam continentur ut partes, sicut dies est pars mensis, et mensis anni : quædam ut mensurata per tempus, sicut res quæ subduntur tempori. Denique, quietem docet mensurari tempore sicut motum, eo quod quies non est pura negatio motus, sed privatio in subjecto apto moveri, et sic pertinet ad eamdem mensuram.

Summa capitis XIII.

In hoc capite explicat Philosophus duo. Primum,quædam adverbia significantia, vel connotantia tempus. Secundum, quomodo tempus magis dicatur causa corruptionis, quam generationis.

Circa primum, explicat quid significet nunc seu instans, jam, modo, subito, et similia. Nunc sumitur dupliciter. Uno modo pro indivisibili copulante partes temporis, sicut punctum lineæ. Alio modo pro eo quod est vicinum tempori præsenti, et instat ut fiat, et idem significat jam. Modo significat præteritum vicinum tempori præsenti. Olim præteritum remotum. Subito cum tempus in quo fit, est fere insensibile.

Circa secundum, tempus dicitur causa corruptionis, quia est numerus motus, mutatio autem seu motus directe removet aliquid a sui dispositione, et ideo magis innotescit per corruptionem, qua aliquid a suo statu removetur, quam per generationem, qua in esse inducitur.

Summa capitis XIV.

Duo facit Aristoteles in hoc ultimo capite Primo, explicat ulterius quod dixerat capite XII,omnem motum esse in tempore. Secundo, solvit tres dubitationes, quæ ad perfectiorem explicationem temporis conducunt.

Circa primum, ostendit omnem motum esse in tempore duplici signo; tum quia in omni motu invenitur velox vel tardum, quod utique sumitur per ordinem ad multum, vel paucum tempus in motu ; tum quia in omni motu invenitur prius et posterius, quod designatur secundum distantiam ad aliquod nunc respectu præteriti et futuri, et hoc pertinet ad tempus.

Circa secundum, movet tres dubitationes. Prima, quomodo tempus se habeat ad animam, id est, utrum dependeat a cognitione. Secunda, quomodo tempus dicatur esse ubique, in terra, mari, etc. Tertia, de unitate temporis, videlicet an sit unum, et in quo motu sit.

Respondet Philosophus primo ad secundam quæstionem quæ facilior est, quod tempus dicitur esse ubique, quia ubique aliquis motus est,sive actu sive in potentia, nam etiam cum aliquid quiescit, tempori subditur.

Ad primam ponit rationem dubitandi,quod videtur tempus pendere ab anima, eo quod est numerus : numerus autem dependet a numerante, numerans autem est anima, ergo dependet tempus ab ejus cognitione. Solvit autem dicendo, quod tempus utcunque est ens extra animam quatenus in motu invenitur prius et posterius, quod ab anima numerabile est. Sed quia non habet esse fixum in re,sed transiens, ideo totalitas, seu perfecta ratio temporis, non invenitur nisi in

anima, in re autem solum est imperfecte.

Ad tertiam dubitationem respondet, quod cum tempus sit mensura, debet esse in motu magis regulari et perfecto. Primus autem motus inter cæteros est motus localis, et inter locales circularis, et inter circulares motus diurnus, qui est primi mobilis, in illo ergo est tempus. Et huic concordant, quæ dicuntur de tempore, scilicet quod omnia sunt in tempore, et subsunt illi, et consumuntur a tempore, et quod tempus revolvitur, et similia quæ motui cœli conveniunt, et tale tempus unum est.

SUMMA LIBRI V.

Postquam Philosophus egit de natura motus libro tertio et de ejus mensuris, quæ sunt locus et tempus in libro quarto, hic incipit agere de distinctione motus. Primo quidem per suas species in hoc libro. Deinde, penes quantitativas in sequenti. Et dividitur liber iste in tres partes. In prima agit de speciebus motus in communi, duobus primis capitibus. In secunda agit de unitate et diversitate ejus aliis duobus capitibus, usque ad quartum. In ultima de contrarietate motus usque ad caput sextum.

Summa capitis I.

In hoc primo capite, ut incipiat Philos tradere species motus, duo præmittit. Primo, distinguit motum per se a motu per accidens. Secundo, distinguit omnes modos mutationis ex parte termini a quo in terminum ad quem, quæ quatuor modis variari possunt.

Circa primum, distinguit motum ex parte termini ad quem in motum per accidens, et simpliciter ex parte, et simpliciter per se primo : per accidens sicut si dicatur de eo quod fit album, quod mutatur in id quod cognoscitur, cognosci enim accidit albo : si vero dicatur quod albefactio est motus in colorem, erit motus simpliciter ratione termini in partem, si vero dicatur de eo quod albefit, quod mutatur in album, erit prædicatio simpliciter primo et per se, quia albefactio per se tendit in albedinem. Ex quibus colligit, quod mutatio per accidens omittenda est, quia non consideratur ab arte, quia determinatam rationem non habet : mutatio autem quæ non est per accidens, invenitur inter contraria, quantum ad motum ad qualitatem, quantitatem, et ubi, et inter contradictoria quantum ad generationem et corruptionem.

Circa secundum, ad investigandum species motus docet, quod cum mutatio sit de quodam in quiddam, quatuor modis contingit aliquid mutari : aut de subjecto in subjectum, aut de non subjecto in subjectum, aut de subjecto in non subjectum, aut de non subjecto in non subjectum. Et exclusa ista quarta, quæ non constituit speciem mutationis, cum non sit inter extrema opposita : nec enim duæ negationes oppositæ sunt, in reliquis tribus dantur species mutationis, et invenitur motus. Et quidem mutatio ex non subjecto in subjectum, quæ versatur inter contradictionem, est generatio vel simpliciter si sit substantiæ, vel secundum quid si sit accidentis, ut ex non albo in album, in quo manet subjectum simpliciter ens actu, et mutatur ex non esse se-

ciuntur, ad quietem, quæ est opposita motui. Ad motum comparatur, quatenus motus est id, quod primo et per se mensuratur tempore. Ad res quæ sunt in tempore, quatenus in sua duratione subjiciuntur motui. Et sicut in numero quædam continentur ut partes numeri, quædam ut numerata per ipsum : ita in tempore quod est numerus, quædam continentur ut partes, sicut dies est pars mensis, et mensis anni : quædam ut mensurata per tempus, sicut res quæ subduntur tempori. Denique, quietem docet mensurari tempore sicut motum, eo quod quies non est pura negatio motus, sed privatio in subjecto apto moveri, et sic pertinet ad eamdem mensuram.

Summa capitis XIII.

In hoc capite explicat Philosophus duo. Primum,quædam adverbia significantia, vel connotantia tempus. Secundum, quomodo tempus magis dicatur causa corruptionis, quam generationis.

Circa primum, explicat quid significet nunc seu instans, jam, modo, subito, et similia. Nunc sumitur dupliciter. Uno modo pro indivisibili copulante partes temporis, sicut punctum lineæ. Alio modo pro eo quod est vicinum tempori præsenti, et instat ut fiat, et idem significat jam. Modo significat præteritum vicinum tempori præsenti. Olim præteritum remotum. Subito cum tempus in quo fit, est fere insensibile.

Circa secundum, tempus dicitur causa corruptionis, quia est numerus motus, mutatio autem seu motus directe removet aliquid a sui dispositione, et ideo magis innotescit per corruptionem, qua aliquid a suo statu removetur, quam per generationem, qua in esse inducitur.

Summa capitis XIV.

Duo facit Aristoteles in hoc ultimo capite Primo, explicat ulterius quod dixerat capite XII,omnem motum esse in tempore. Secundo, solvit tres dubitationes, quæ ad perfectiorem explicationem temporis conducunt.

Circa primum, ostendit omnem motum esse in tempore duplici signo; tum quia in omni motu invenitur velox vel tardum, quod utique sumitur per ordinem ad multum, vel paucum tempus in motu ; tum quia in omni motu invenitur prius et posterius, quod designatur secundum distantiam ad aliquod nunc respectu præteriti et futuri, et hoc pertinet ad tempus.

Circa secundum, movet tres dubitationes. Prima, quomodo tempus se habeat ad animam, id est, utrum dependeat a cognitione. Secunda, quomodo tempus dicatur esse ubique, in terra, mari, etc. Tertia, de unitate temporis, videlicet an sit unum, et in quo motu sit.

Respondet Philosophus primo ad secundam quæstionem quæ facilior est, quod tempus dicitur esse ubique, quia ubique aliquis motus est,sive actu sive in potentia, nam etiam cum aliquid quiescit, tempori subditur.

Ad primam ponit rationem dubitandi,quod videtur tempus pendere ab anima, eo quod est numerus : numerus autem dependet a numerante, numerans autem est anima, ergo dependet tempus ab ejus cognitione. Solvit autem dicendo, quod tempus utcunque est ens extra animam quatenus in motu invenitur prius et posterius, quod ab anima numerabile est. Sed quia non habet esse fixum in re,sed transiens, ideo totalitas, seu perfecta ratio temporis, non invenitur nisi in

anima, in re autem solum est imperfecte.

Ad tertiam dubitationem respondet, quod cum tempus sit mensura, debet esse in motu magis regulari et perfecto. Primus autem motus inter cæteros est motus localis, et inter locales circularis, et inter circulares motus diurnus, qui est primi mobilis, in illo ergo est tempus. Et huic concordant, quæ dicuntur de tempore, scilicet quod omnia sunt in tempore, et subsunt illi, et consumuntur a tempore, et quod tempus revolvitur, et similia quæ motui cœli conveniunt, et tale tempus unum est.

SUMMA LIBRI V.

Postquam Philosophus egit de natura motus libro tertio et de ejus mensuris, quæ sunt locus et tempus in libro quarto, hic incipit agere de distinctione motus. Primo quidem per suas species in hoc libro. Deinde, penes quantitativas in sequenti. Et dividitur liber iste in tres partes. In prima agit de speciebus motus in communi, duobus primis capitibus. In secunda agit de unitate et diversitate ejus aliis duobus capitibus, usque ad quartum. In ultima de contrarietate motus usque ad caput sextum.

Summa capitis I.

In hoc primo capite, ut incipiat Philos tradere species motus, duo præmittit. Primo, distinguit motum per se a motu per accidens. Secundo, distinguit omnes modos mutationis ex parte termini a quo in terminum ad quem, quæ quatuor modis variari possunt.

Circa primum, distinguit motum ex parte termini ad quem in motum per accidens, et simpliciter ex parte, et simpliciter per se primo : per accidens sicut si dicatur de eo quod fit album, quod mutatur in id quod cognoscitur, cognosci enim accidit albo : si vero dicatur quod albefactio est motus in colorem, erit motus simpliciter ratione termini in partem, si vero dicatur de eo quod albefit, quod mutatur in album, erit prædicatio simpliciter primo et per se, quia albefactio per se tendit in albedinem. Ex quibus colligit, quod mutatio per accidens omittenda est, quia non consideratur ab arte, quia determinatam rationem non habet : mutatio autem quæ non est per accidens, invenitur inter contraria, quantum ad motum ad qualitatem, quantitatem, et ubi, et inter contradictoria quantum ad generationem et corruptionem.

Circa secundum, ad investigandum species motus docet, quod cum mutatio sit de quodam in quiddam, quatuor modis contingit aliquid mutari : aut de subjecto in subjectum, aut de non subjecto in subjectum, aut de subjecto in non subjectum, aut de non subjecto in non subjectum. Et exclusa ista quarta, quæ non constituit speciem mutationis, cum non sit inter extrema opposita : nec enim duæ negationes oppositæ sunt, in reliquis tribus dantur species mutationis, et invenitur motus. Et quidem mutatio ex non subjecto in subjectum, quæ versatur inter contradictionem, est generatio vel simpliciter si sit substantiæ, vel secundum quid si sit accidentis, ut ex non albo in album, in quo manet subjectum simpliciter ens actu, et mutatur ex non esse se-

cundum quid in esse secundum quid : si autem subjectum non sit ens actu, sed ex non esse simpliciter fiat, est generatio substantialis. Mutatio autem de esse est corruptio. Et istæ duæ mutationes non sunt motus. Generatio enim substantialis fit ex materia prima, quæ est subjectum generationis, quæ secundum se et sine forma non existit simpliciter, ergo non movetur, quia quod movetur, existit. Quod similiter corruptio non sit motus patet, quia corruptio opponitur generationi, sed motui non opponitur nisi alter motus, vel quies : ergo si generatio non est motus neque quies, corruptio ei opposita motus non erit. Ex quo infert, quod motus per se sumptus solum invenitur in uno modo mutationis, scilicet ex subjecto in subjectum, seu de contrario in contrarium, intelligendo per contraria non solum extrema, ut album, et nigrum, sed etiam media, ut viride et rubrum, imo et privativa. Denique, in calce capitis dividit motum sic per se sumptum in tres species, quia in tribus tantum prædicamentis invenitur, scilicet ad qualitatem, quantitatem, ubi.

Summa capitis II.

Quod in calce præcedentis capitis in sinuaverat Aristoteles in tribus prædicamentis dari motum, in præsenti id probat latius; et circa hoc facit tria. Primo, excludit omnia alia prædicamenta a motu. Secundo, concludit ad quæ prædicamenta de facto sit motus. Tertio, solvit dubitationem quamdam, scilicet ad quam speciem motus reducatur mutatio, quæ procedit secundum magis et minus in eadem specie. Et tandem docet, quomodo aliquid dicatur non moveri, seu quiescere, quia oppositorum eadem est ratio.

Circa primum, excludit Philosophus motum a prædicamento substantiæ, et a prædicamento ad aliquid, et a prædicamento actionis et passionis, quæ nomine motus comprehendit. Quod ergo ad substantiam non sit motus proprie dictus, probat ex supradictis, quia substantiæ nihil est contrarium positive : motus autem est inter contraria, cum sit de subjecto in subjectum. Quod vero ad aliquid non sit motus directe, et propter se, ex eo probat, quia contingit relationem nasci non mutato eo in quo est relatio, sed termino relationis, ut cum ego reddor æqualis alteri solum ex eo, quod ille alter de novo fit : ergo ad relationem non est per se motus, sed solum relatio consequitur aliquam mutationem, sicut ex mutatione circa quantitatem consequitur æqualitas.

Quod vero ad actionem et passionem non sit per se motus, probat, quia actio et passio entitative motus sunt, sed ad motum non datur per se motus : ergo minorem probat, quia ad mutationem non est mutatio tanquam subjecti, neque enim mutatio est subjectum mutabile, verbi gratia, motus non albescit aut refrigescit, etc. Neque una mutatio est ad aliam, ut ad terminum ad quem, quia sic deberet esse ad mutationem oppositam, cum termini a quo, et ad quem sint oppositi, et sic ægrotatio esset ad sanationem, et e contra, ergo moveretur simul subjectum contrariis motibus. Secundo, quia sequeretur processus in infinitum : nam si una mutatio terminatur ad aliam, etiam ad priorem terminabitur alia mutatio, et ad illam alia, quia eadem est ratio de omnibus : processus autem in infinitum est impossibilis, nam etsi per accidens posset dari processus in infinitum in motibus, ut si res essent ab æterno, generationes essent ab æterno : tamen per se non potest in eis

dari processus in infinitum, quia non potest dari ultima generatio, nisi detur prima, si enim non datur prima, sed quæcunque data est alia prior, nulla generatio est completa, quia ista generatio quamdiu fit, nondum est, sed fit, et similiter illa alia generatio nondum est, sed fit, siquidem ad illam datur generatio, et de quocunque alia retrocedendo in infinitum est verum dicere, quod fit, et non est, quamdiu ad illam datur generatio ; ergo nulla generatio est completa, et consequenter neque genitum, verbi gratia, ignis, quem tamen generari videmus.

Circa secundum, ostendit ex dictis dari motum ad tria prædicamenta, scilicet ad quantitatem, qualitatem, et ubi, reliqua enim, ut vidimus, non terminant motum, et vocatur motus ad qualitatem communi vocabulo *alteratio*. Motus autem ad quantitatem non habet commune nomen, sed per species suas vocatur augmentum, et decrementum : motus autem ad ubi, vocari potest latio.

Circa tertium, ponit illam dubitationem, ad quam speciem motus pertinet illa mutatio a minus ad magis in eadem specie, ut a minus albo ad magis album, et dicit pertinere ad alterationem, quia magis et minus in eadem specie, etiam quandoque contrarietas est : minus album accedit ad nigrum, et magis album recedit.

Denique, in calce capitis tangit de quiete, quæ opponitur motui, et dicit tripliciter dici aliquid immobile, vel quietum. Primo, negative, quod non est aptum moveri ut Deus. Secundo, quod difficile moveri potest. Tertio, quod aptum est moveri, et de facili potest moveri, sed actu non movetur, quod est privative quiescere, et hoc solum proprie dicitur quiescere.

Summa capitis III.

In hoc capite incipit secunda pars hujus libri, in qua agit Philosophus de unitate et diversitate motus, et in hoc tertio capite præmittit quædam necessaria ad determinandum de unitate, et diversitate ejus. In sequenti autem capite determinat, et resolvit. Præmittit ergo in hoc capite definitiones quasdam de iis quæ requiruntur ad agendum de unitate et diversitate motus, id est, quæ dicantur esse simul, vel separatim, quid sit tangere, quid sit esse medium, quid consequenter se habere, quid sit habitum, et quid continuum : et primo definit hæc omnia. Secundo, comparat inter se.

Circa primum, simul secundum locum dicuntur *quæ sunt in uno loco*, scilicet proximo et immediato, seu proprio. Dicuntur se tangere *quorum ultima sunt simul* ; ultima autem sunt superficies, vel lineæ. Definit medium quod est illud *id quod primo pertingit in quod movetur continue quam in ultimum*. Continue moveri dicitur, quod nihil vel minimum intermittit in motu. Definit ea quæ consequenter se habent, scilicet *inter quæ nihil eorum quæ in eodem genere sunt, medium cadit, et unum post aliud* ; quod potest esse vel secundum situm, vel secundum numerum, vel secundum dignitatem, aut perfectionem, vel secundum tempus. Definit contiguum *id quod consequenter ad aliud se habet, et ipsum tangit*. Definit denique continuum *cujus scilicet partes unico modo, seu indivisibili copulantur*.

Circa secundum, comparat ista tria, scilicet consequenter se habere, tangere, et continuum, et dicit, quod consequenter se habere latius patet, quam se tangere : nam ut aliqua consequenter se habeant, sufficit or-

do in positione, vel modo etiam si non tangant, ut quæ separata sunt a materia. Tangere autem latius patet, quam continuum, quia omne continuum tangit partem sibi continuam, non tamen omne quod tangit, est continuum, cum etiam se tangant quæ contigua sunt. Ultimo, ponit discrimen inter puncta et unitates. Primo, quia punctum tangit aliquid, scilicet partes lineæ, unitates autem possunt consequenter se habere, sed non necessario tangunt. Secundo, quia inter duo puncta debet reperiri aliquod medium, non enim duo indivisibilia sunt immedinta; non vero inter duas unitates necesse est dari medium.

Summa capitis IV.

In isto capite agit Philosophus de unitate, et diversitate motus, et tria præstat in hoc capite. Primo, ostendit unde sumatur, et quomodo, unitas et diversitas motus. Secundo, quomodo continuitas. Tertio, quomodo regularitas et irregularitas.

Circa primum, distinguit triplicem modum unitatis et diversitatis in motu, scilicet quod sit unus genere, unus specie, unus numero. Dicitur motus unus genere, qui pertinet ad unum prædicamentum, sicut omnes lationes sunt unius generis. Specie dicitur unus, qui ad unam speciem terminatur, ut dealbatio ad albedinem. Quia vero instari poterat in motu recto et obliquo, qui possunt terminari ad idem punctum, respondet lationes non solum respicere terminos materialiter, sed lineas, seu media per quæ fiunt, est autem specie diversa linea circularis et recta. Denique, dicitur motus unus numero, seu unus simpliciter, in quo tria concurrunt a quibus ejus unitas numerica pendet, scilicet unitas subjecti, termini et temporis; quorum si aliquid discontinuatur, non erit motus unus numero.

Circa secundum, ostendit quid sit necessarium ut motus sit continuus. Ad quod respondet tria esse necessaria sicut ad unitatem, eo quod motus continuus est unus. Primum, quod habeat unitatem speciei, quæ enim differunt speciei, non continuantur. Secundo, requiritur unitas subjecti, diversorum enim subjectorum non potest esse idem motus. Tertio, requiritur unitas temporis, quia si tempus non est unum interrumpitur quiete, quod est discontinuari.

Circa tertium, duas causas ponit irregularitatis motus. Prima, ex parte medii, si via ipsa sit obliqua et non recta. Secunda, ex parte moventis, scilicet quia non eodem modo movet sed modo velocius aut acrius, modo tardius aut remissius. Denique, ostendit motum irregularem, licet uniformis non sit, posse esse unum continuitate, minus tamen unum est quam regularis, quia plus diversitatis habet, sicut linea habens angulum, minus una dicitur, quam recta.

Summa capitis V.

Hoc capite et sequenti tangit Philosophus ultimam partem hujus libri, scilicet de contrarietate motus, et in hoc quinto capite agit de contrarietate motuum, in sequenti de contrarietate quietum. Circa contrarietatem motuum tria facit. Primo, proponit quinque modos quibus motus contrariari possunt. Secundo, removet ex illis eos, qui veram contrarietatem non faciunt. Tertio, assignat verum modum contrarietatis.

Circa primum, numerat quinque modos, seu combinationes, quibus motus possunt esse contrarii. Primus, secundum accessum, et recessum ab eodem termino, sicut generatio, et corruptio, ex esse, et non esse alicujus. Secundus, ratione contrarietatis terminorum a quibus ut si unus motus sit ex sanitate, alius ex agritudine. Tertius, secundum contrarietatem terminorum ad quos, ut motus in sanitatem et ægritudinem. Quartus, secundum contrarietatem termini a quo ad terminum ad quem, ut ex sanitate in ægritudinem. Quintus, secundum contrarietatem utrumque terminorum, ut motus ab ægritudine in sanitatem, contrariatur motui e converso a sanitate in ægritudinem.

Circa secundum, excludit a contrarietate motuum, tam quartum, quam secundum modum: nam quartus modus invenitur in uno tantum motu, idem enim motus est a sanitate ad agritudinem, ut a termino a quo ad quem. Secundus autem, quia contrarietas motuum non accipitur a contrarietate terminorum a quibus: tum quia possunt motus a diversis terminis a quibus terminari in unum et idem, ut si ex albo tendatur ad viride, et similiter ex nigro: tum quia termini a quibus relinquuntur, et consequenter contrarietas eorum, contrarietas autem quæ relinquitur non constituit contrarietatem, sed quæ assumitur, et ad quam tenditur.

Circa tertium, concludit quod contrarietas sumitur in motibus secundum tertium et quintum modum; in mutationibus autem secundum primum. Hi enim restant exclusis illis duobus. In motibus enim contrarietas accipitur secundum speciem, et rationem ipsorum, proprie autem ratio motus est a quodam in quiddam, ergo secundum contrarietatem istorum sumitur contrarietas motus, sic agrotare est contrarium ei quod est sanari, et addiscere ei quod est decipi propter contrarietatem terminorum. Secundo, in mutationibus non habentibus contrarium, ut generatio et corruptio, sumitur contrarietas penes accessum et recessum ab eodem termino penes contrarietatem extremorum, quia carent illo, et sic generatio ignis est accessus ad ignem, corruptio vero ignis recessus ab illo.

Summa capitis VI.

In hoc ultimo capite facit duo. Primo, determinat Philosophus de contrarietate quietum, tam in motibus, quam in mutationibus. Et secundo solvit quasdam dubitationes ex præmissis relictas.

Circa primum, distinguit de oppositione motus ad quietem, et de oppositione quietum inter se: et quidem motus et quies opponuntur non contrarie, sed privative, nec tamen opponitur omnis motus omni quieti, sed unumquodque in suo genere, sicut motui locali quies in loco. Et loquendo secundum veritatem quies in termino a quo est, qui contrariatur motui, sicut motui ab albo in nigrum contrariatur quies in albo, non autem contrariatur quies in termino ad quem, quia potius motus est causa talis quietis, et ad eam tendit, non autem unum oppositum est causa sui oppositi. At vero quies et quies opponuntur sicut ipsi motus penes contrarietatem terminorum, in quibus est quies, sicut quies in sanitate contrariatur quieti in agritudine. In mutationibus autem quæ non sunt motus stricte dicti, non datur proprie quies contraria mutationi, sed dici potest quod non mutatio contrariatur mutationi.

Circa secundum, proponit tres dubitationes ad exactiorem contrarietatis motuum explicationem. Prima, circa alium modum contrarietatis, quæ est penes naturale, et

violentum in motibus. Primo, inquirit an sicut datur naturale et violentum in motibus localibus, ita inveniantur in aliis generibus motuum, puta alterationis et augmentationis. Et respondet etiam in aliis generibus dari violentum et naturale, sicut generationes, et corruptiones violentæ sunt præter naturam, et similiter alterationes aliquæ non secundum naturalem cursum proveniunt, ut cum quis dimittitur a febri diebus non criticis, et hoc modo non inconvenit, quod generatio contrarietur generationi secundum violentiam, et naturam.

Secunda quæstio est, an detur generatio quietis, ita quod generatio ejus dicatur via ad statum. Quam controversiam disputat in utramque partem, nec solvit eam expresse, sed implicite, dum dicit non generari quietem, dum res detinetur violenter in aliquo loco, sed cum naturaliter et tranquille.

Tertia dubitatio est, quia ex dictis sequitur duo contraria eidem convenire, dum enim quis tendit ab albo in nigrum, non statim habet totam albedinem, nec statim exuit totam nigredinem, sed partim habet unam, partim alteram, quod est habere aliquid de utroque contrario. Respondet : Habet duo contraria non simpliciter et in esse perfecto, et quieto, quod repugnat, sed unum in abjectione, et aliud in acquisitione, et sic contraria aliquando permiscentur in esse imperfecto.

SUMMA LIBRI VI.

In hoc libro explicata divisione motus per species et contrarietates, intendit tractare de divisione motus penes partes ex quibus integratur. Et totus liber habet decem capita, et tractat quatuor. Primum est, quod motus sicut et omne continuum est divisibile, et non constat ex solis indivisibilibus. Secundo, ostendit quot modis dividatur motus, et quis sit ordo partium, quæ finitas ejus aut infinitas. Tertio, ostendit quomodo quies habeat divisionem. Quarto, expedit rationis Zenonis in contrarium circa indivisibilia, ex quibus dicebat constare motum et continuum.

Summa capitis I.

In hoc capite duo facit Philosophus. Primo, ostendit continuum in genere loquendo non componi ex indivisibilibus. Secundo, ostendit motum et tempus in speciali indivisibilibus non constare. Primum probat duabus rationibus principalibus. Et ad primam supponit definitiones supra traditas continui, contigui et consequenter. Continuum dicitur *quorum ultima sunt unum;* contigua *quorum ultima sunt simul;* consequenter *quorum nihil est medium sui generis*. Ex quibus formal rationem, quia non potest continuum componi ex indivisibilibus, neque per modum continuationis, neque per modum contactus, seu contiguationis, neque per modum consequenter; ergo. Non per modum continuationis, neque contiguationis, quia continua sunt, quorum ultima sunt unum, et contigua quorum ultima sunt simul, in indivisibilibus autem non est accipere aliquid ultimum, quia carent partibus respectu quorum sit ultimum; ergo. Non etiam se habent consequenter, quia unum punctum non est immediatum alteri, sed inter quælibet duo puncta est

linea media. Quod ostendit, quia duo puncta debent distare situ, et non possunt se contingere, ergo debet aliquid intercedere, quod indivisibile non sit, sed divisibile. Denique, partes in quas dividitur continuum, sunt sibi cohærentes et continuæ, ergo si dividerentur in sola indivisibilia, illa semutuo tangerent et continuarentur, quod reprobatum est.

Circa secundum, loquendo de motu in speciali præsupponit eamdem esse rationem de constitutione ex indivisibilibus in magnitudine, motu et tempore. Quare si magnitudo componitur ex indivisibilibus etiam motus, qui super eum fit, componetur ex indivisibilibus. Igitur cum impossibile sit aliquid simul moveri, et mutatum esse, aut quando movetur nondum mutatum est, aut simul movetur et mutatum est, hoc posterius stare non potest, ergo primum : et consequenter motus non constat ex indivisibilibus, quæ sunt mutata esse, sed ex partibus motus. Denique, idem ostendit dicendum esse de tempore, scilicet quod non constat ex indivisibilibus, nam si sit magnitudo divisibilis in quinque palmos, et detur mobile unius palmi, prius tempore decurret partem unius palmi, quam omnes simul, ergo constat partibus divisibilibus.

Summa capitis II.

In hoc capite ulterius prosequitur Philosophus id quod in fine capitis præcedentis attigerat, scilicet tempus componi partibus divisibilibus, et non ex solis indivisibilibus. Et ad hoc ostendit duo. Primum, quod magnitudo et tempus eodem modo dividuntur. Secundo, quod eodem modo se habent penes finitum et infinitum.

Primum ostendit, tum quia illa dicuntur æque velocia, quæ eamdem magnitudinem percurrunt eodem tempore, et minorem magnitudinem in minori, si ergo detur aliqua magnitudo divisibilis, quam pertranseat mobile in tempore determinato, mobile æque velox pertransibit partem illius in minori tempore, ergo et tempus ita est divisibile sicut magnitudo, tum quia idem mobile, quod toto tempore decurrit spatium decem palmorum, in medietate temporis decurrit medietatem spatii, et in minori minus, et sic de reliquis partibus in infinitum, ergo dividitur tempus sicut magnitudo.

Circa secundum, ostendit quod infinitas vel finitas temporis se habet sicut infinitas aut finitas magnitudinis, sive sit infinitum in extremis, quod omni extremitate caret, sive infinitum divisione, quod scilicet in infinitum dividi potest, quale est quodlibet continuum, utrique vero temporis finitas aut infinitas proportionatur. Ex quibus colligit aliqua corollaria. Colligit primo, solutionem argumenti Zenonis, quo probabat nihil moveri, quia sunt infinita indivisibilia in quolibet spatio, quorum unumquodque a mobili debet attingi, et sic infinita transiret, quod in tempore finito esse non potest. Respondet tamen ad hominem, hoc non sequi, quia sicut spatium est infinitum divisione, non vero per carentiam terminorum, ita et tempus eamdem habet infinitatem. Colligit secundo, nec finito tempore infinitam magnitudinem, nec infinito tempore finitam magnitudinem percurri. Colligit tertio, nullum continuum generaliter loquendo solis indivisibilibus constare, nam si sit magnitudo tribus indivisibilibus constans, et similiter tempus tribus instantibus, et sit unum mobile velocius, quod totam illam magnitudinem tribus illis instantibus percurrat, aliud vero

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

violentum in motibus. Primo, inquirit an sicut datur naturale et violentum in motibus localibus, ita inveniantur in aliis generibus motuum, puta alterationis et augmentationis. Et respondet etiam in aliis generibus dari violentum et naturale, sicut generationes, et corruptiones violentæ sunt præter naturam, et similiter alterationes aliquæ non secundum naturalem cursum proveniunt, ut cum quis dimittitur a febri diebus non criticis, et hoc modo non inconvenit, quod generatio contrarietur generationi secundum violentiam, et naturam.

Secunda quæstio est, an detur generatio quietis, ita quod generatio ejus dicatur via ad statum. Quam controversiam disputat in utramque partem, nec solvit eam expresse, sed implicite, dum dicit non generari quietem, dum res detinetur violenter in aliquo loco, sed cum naturaliter et tranquille.

Tertia dubitatio est, quia ex dictis sequitur duo contraria eidem convenire, dum enim quis tendit ab albo in nigrum, non statim habet totam albedinem, nec statim exuit totam nigredinem, sed partim habet unam, partim alteram, quod est habere aliquid de utroque contrario. Respondet : Habet duo contraria non simpliciter et in esse perfecto, et quieto, quod repugnat, sed unum in abjectione, et aliud in acquisitione, et sic contraria aliquando permiscentur in esse imperfecto.

SUMMA LIBRI VI.

In hoc libro explicata divisione motus per species et contrarietates, intendit tractare de divisione motus penes partes ex quibus integratur. Et totus liber habet decem capita, et tractat quatuor. Primum est, quod motus sicut et omne continuum est divisibile, et non constat ex solis indivisibilibus. Secundo, ostendit quot modis dividatur motus, et quis sit ordo partium, quæ finitas ejus aut infinitas. Tertio, ostendit quomodo quies habeat divisionem. Quarto, expedit rationis Zenonis in contrarium circa indivisibilia, ex quibus dicebat constare motum et continuum.

Summa capitis I.

In hoc capite duo facit Philosophus. Primo, ostendit continuum in genere loquendo non componi ex indivisibilibus. Secundo, ostendit motum et tempus in speciali indivisibilibus non constare. Primum probat duabus rationibus principalibus. Et ad primam supponit definitiones supra traditas continui, contigui et consequenter. Continuum dicitur *quorum ultima sunt unum;* contigua *quorum ultima sunt simul;* consequenter *quorum nihil est medium sui generis*. Ex quibus formal rationem, quia non potest continuum componi ex indivisibilibus, neque per modum continuationis, neque per modum contactus, seu contiguationis, neque per modum consequenter; ergo. Non per modum continuationis, neque contiguationis, quia continua sunt, quorum ultima sunt unum, et contigua quorum ultima sunt simul, in indivisibilibus autem non est accipere aliquid ultimum, quia carent partibus respectu quorum sit ultimum; ergo. Non etiam se habent consequenter, quia unum punctum non est immediatum alteri, sed inter quælibet duo puncta est

linea media. Quod ostendit, quia duo puncta debent distare situ, et non possunt se contingere, ergo debet aliquid intercedere, quod indivisibile non sit, sed divisibile. Denique, partes in quas dividitur continuum, sunt sibi cohærentes et continuæ, ergo si dividerentur in sola indivisibilia, illa semutuo tangerent et continuarentur, quod reprobatum est.

Circa secundum, loquendo de motu in speciali præsupponit eamdem esse rationem de constitutione ex indivisibilibus in magnitudine, motu et tempore. Quare si magnitudo componitur ex indivisibilibus etiam motus, qui super eum fit, componetur ex indivisibilibus. Igitur cum impossibile sit aliquid simul moveri, et mutatum esse, aut quando movetur nondum mutatum est, aut simul movetur et mutatum est, hoc posterius stare non potest, ergo primum : et consequenter motus non constat ex indivisibilibus, quæ sunt mutata esse, sed ex partibus motus. Denique, idem ostendit dicendum esse de tempore, scilicet quod non constat ex indivisibilibus, nam si sit magnitudo divisibilis in quinque palmos, et detur mobile unius palmi, prius tempore decurret partem unius palmi, quam omnes simul, ergo constat partibus divisibilibus.

Summa capitis II.

In hoc capite ulterius prosequitur Philosophus id quod in fine capitis præcedentis attigerat, scilicet tempus componi partibus divisibilibus, et non ex solis indivisibilibus. Et ad hoc ostendit duo. Primum, quod magnitudo et tempus eodem modo dividuntur. Secundo, quod eodem modo se habent penes finitum et infinitum.

Primum ostendit, tum quia illa dicuntur æque velocia, quæ eamdem magnitudinem percurrunt eodem tempore, et minorem magnitudinem in minori, si ergo detur aliqua magnitudo divisibilis, quam pertranseat mobile in tempore determinato, mobile æque velox pertransibit partem illius in minori tempore, ergo et tempus ita est divisibile sicut magnitudo, tum quia idem mobile, quod toto tempore decurrit spatium decem palmorum, in medietate temporis decurrit medietatem spatii, et in minori minus, et sic de reliquis partibus in infinitum, ergo dividitur tempus sicut magnitudo.

Circa secundum, ostendit quod infinitas vel finitas temporis se habet sicut infinitas aut finitas magnitudinis, sive sit infinitum in extremis, quod omni extremitate caret, sive infinitum divisione, quod scilicet in infinitum dividi potest, quale est quodlibet continuum, utrique vero temporis finitas aut infinitas proportionatur. Ex quibus colligit aliqua corollaria. Colligit primo, solutionem argumenti Zenonis, quo probabat nihil moveri, quia sunt infinita indivisibilia in quolibet spatio, quorum unumquodque a mobili debet attingi, et sic infinita transiret, quod in tempore finito esse non potest. Respondet tamen ad hominem, hoc non sequi, quia sicut spatium est infinitum divisione, non vero per carentiam terminorum, ita et tempus eamdem habet infinitatem. Colligit secundo, nec finito tempore infinitam magnitudinem, nec infinito tempore finitam magnitudinem percurri. Colligit tertio, nullum continuum generaliter loquendo solis indivisibilibus constare, nam si sit magnitudo tribus indivisibilibus constans, et similiter tempus tribus instantibus, et sit unum mobile velocius, quod totam illam magnitudinem tribus illis instantibus percurrat, aliud vero

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tardius, quod tantum duo indivisibilia ejusdem mobilis eodem tempore consumat, tunc ergo tale tempus respectu mobilis velocioris dividetur in tria indivisibilia, quibus transit illam magnitudinem, et rursus idem tempus dividetur in duo indivisibilia, quibus mobile tardum duas illas partes percurrit, ergo aut fatendum erit indivisibile posse dividi, aut continuum indivisibilibus tantum non constare.

Summa capitis III.

Ab hoc capite incipit Philosophus agere de divisione motus usque ad caput quintum in quo incipit agere de ordine partium motus. Et in hoc capite tertio præmittit tria theoremata seu præsuppositiones. In sequenti ponit duas assertiones circa divisionem motus. Præsuppositiones quas præmittit in hoc capite sunt tres. Prima, nunc seu instans est quoddam indivisibile. Sumitur autem nunc dupliciter. Primo, pro eo quod per se primo tale est. Secundo, pro eo quod est tale per accidens, seu secundum alterum. Dicitur nunc per se illud extremum, quo pars succedens alteri unitur: dicitur nunc secundum aliud ipsum tempus præsens, verbi gratia, hic dies, hæc hora, quod tamen secundum se totum non est præsens. In præsenti loquitur de instanti primo modo, et probat esse indivisibile, quia si esset divisibile, sequeretur quod idem esset præteritum et futurum, scilicet idem nunc quod dividitur in partem præteritam et futuram, et sic idem nunc partim esset præteritum, partim futurum, aut non esset omnino idem sibi ipsi quasi totum simul existens, quod est contra rationem instantis, in quo non invenimus successionem sicut in tempore. Est ergo indivisibile, et consequenter idem est nunc copulans partes præteritas et futuras.

Secunda propositio, quam supponit, est quod in instanti nihil potest moveri aut quiescere. Patet, quia si mobile tantum decurrat spatium digitale unico momento, mobile velocius minori tempore idem spatium decurret, ergo aliquid erit minus instanti, eritque instans divisibile. Similiter non quiescit in momento loquendo de quiete privativa, quia tunc dicitur quiescere cum non movetur, quod est aptum moveri, in instanti autem non potest moveri, ergo ibi proprie non quiescit, sed in instanti copulantur partes motus.

Tertia propositio: Omne quod movetur est divisibile. Probat, quia omne quod movetur transit a quodam in quiddam, et sic partim est in termino a quo, partim in termino ad quem, siquidem si unum mobile esset in termino ad quem, jam cessaret motus, si autem totum esset in termino a quo, nondum moveretur, ergo necesse est quod dum movetur, utrumque participet. Hoc autem est esse divisibile, quia quod indivisibile est, totum est in termino a quo, vel in termino ad quem, ubi non loquitur de generationibus momentaneis. Videatur de hac ratione D. Thomas hic lectione quinta.

Summa capitis IV.

In hoc capite ponit Aristoteles duas assertiones circa divisionem motus. Prima est, motus dupliciter dividi potest, scilicet divisione mobilis, vel divisione temporis. Primum probat, quia quando movetur Socrates dividitur motus ejus secundum partes quæ moventur, nam alius est motus capitis, alius pedis, vel manus, ergo motus dividitur secundum divisionem mobilis. Secundum probat, quia omnis motus in tempore fit, et

omne tempus dividitur secundum partes successivas et fluentes, ergo secundum divisionem temporis dividitur motus.

Secunda assertio: Quinque sunt quæ eadem divisione, qua motus, dividi possunt; scilicet magnitudo super quam fit motus, tempus, moveri, mobile, forma ad quam est motus, sive sit locus, sive qualitas, sive quantitas. Hæc omnia simul cum motu divisionem habent, et eamdem rationem finiti, vel infiniti, licet non omnes formæ per se dividantur, sed quædam per accidens ut qualitates in motu alterationis, quæ per quantitatem sunt divisibiles. Probat hoc sigillatim, nam moveri seu motus in tempore fit, et in minori tempore minor pars, ergo dividitur motus sicut tempus. Item forma vel locus si acquiritur certo tempore, ejus dimidium tempore acquiritur, et similiter si mobile transit aliquod spatium tanto tempore, in medietate temporis dimidium mobilis transibit dimidiam partem spatii. Ergo omnia ista eodem tenore dividuntur sicut motus.

Summa capitis V.

In hoc capite et sequenti, postquam egit de divisione motus, agit de ordine partium ejusdem, et quia in motu inveniuntur et partes motus divisibilis, et mutata esse quasi indivisibilia, prius in hoc capite agit de ordine inter ipsa mutata esse, in sequenti de ordine inter ipsas partes.

Proponit ergo in hoc capite tria theoremata, seu propositiones. Prima: quod mutatum est necessario est in eo ad quod est mutatum facta mutatione. Probat per omnia genera mutationum: id enim quod mutatur, deserit terminum a quo, et accipit terminum ad quem, ergo tunc habet mutatum esse cum habet terminum ad quem, vel saltem aliquid de illo assequitur.

Secunda propositio: Mutatum esse primo et per se consistit in aliquo indivisibili. Dicitur autem primo mutatum esse, quod non ratione alterius, seu ratione partis, sed per se primo ratione sui mutatum est, v. g. ratione partis dicitur aliquid mutatum in die, quia in aliquo instanti, vel hora diei mutatum est, et sic constat quod tale est indivisibile, quia si haberet partes, non esset per se primo mutatum, sed ratione partis, aut nullo modo esset mutatum.

Tertia propositio: In fine motus datur mutatum esse per modum termini in quo totus motus finiatur: in principio autem motus non datur primum mutatum esse. Primam partem ex eo ostendit, quia necessario datur non esse motus, quo finiatur successio ejus, hoc autem est mutatum esse ex parte finis, ergo. Secundam partem probat. Primo, ex parte temporis, quia non datur prima pars temporis, ergo nec primum mutatum esse, quia mutatum esse sequitur ex motu, deinde ex parte mobilis. Quia omne mobile divisibile est, si igitur datur prima pars motus et primum mutatum esse, illa prima pars motu facta est tempore divisibili, ergo medio tempore confecta est medietas illius partis motus, et rursum in minori tempore minor pars, et sic in infinitum: ergo nunquam est dare primam partem motus, et consequenter neque primum mutatum esse ratione divisibilitatis mobilis. Et simile argumentum fit ex parte spatii, seu termini qui acquiritur, quia est divisibile: ergo in prius acquiritur aliqua pars media, et priusquam media, alia minor, et minor, quia quælibet divisibilis est: ergo non est dare primum mutatum esse, sicut nec primum, quod acquiritur per primam partem motus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Summa capitis VI.

Explicatis in superiori capite his propositionibus, quæ pertinent ad mutata esse, hic declarat ipsum ordinem, quem habent partes motus, et constat tribus præcipuis propositionibus. Prima : Id quod in aliquo tempore mutatur primo, in qualibet parte illius temporis mutatur. Dicitur primo et per se ad differentiam ejus, quod mutatur per accidens, et ad motum partis, ut qui movetur hac die, dicitur moveri in mense : quod ergo ratione sui primo movetur, vel in omni parte temporis movetur, vel in nulla, vel in altera tantum. Si in omni parte, habetur intentum ; si in nulla, ergo semper quiescit, et sic non est ad rem, loquimur enim de eo quod movetur. Si in altera tantum, movetur per accidens, seu per aliud, non primo.

Secunda propositio : Ante quamlibet partem motus præcedit mutatum esse versus principium. Patet, quia si toto tempore movetur in dimidio temporis mutatum est, et in dimidio illius dimidii, et sic in quacunque divisione sine termino. Item quia ante quamlibet partem temporis datur instans, ergo et ante quamlibet partem motus mutatum esse, dum durat motus ; in instanti enim non movetur, ergo mutatum est.

Tertia propositio : Ante quodlibet mutatum esse, datur moveri. Patet, quia mutatum esse est indivisibile ipsius motus, sicut instans indivisibile temporis, sed inter motum nullum datur indivisibile, quod non præcedat aliqua pars, sicut nec inter tempus aliquod instans, quod non præcedat pars temporis : ergo ante quodlibet mutatum esse datur pars motus. Illud autem a quo extrinsece incipit motus, non est mutatum esse, quia non est inter motum.

Summa capitis VII.

In hoc capite postquam egit de divisione et partibus motus, agit de finitate, et infinitate ejus, et comparat illam cum finitate et infinitate temporis, et ponit quatuor præcipuas propositiones.

Prima : Impossibile est tempore infinito pertransire magnitudinem finitam, et eadem ratio est de quiete, quod intelligitur nisi reiteretur eadem magnitudo finita, ut in circulationibus cœli : et probat, quia si sit magnitudo finita, et hæc percurrit infinito tempore, utique medietas ejus non infinito percurretur, sed finito, cum sit minor, minusque consumat quam tota, transitur ergo medietas spatii finito tempore, similiter ergo aliqua medietas tempore finito transitur, ergo utraque finito tempore, quia ex duobus finitis non componitur infinitum.

Secunda propositio : Non potest magnitudo infinita pertransiri tempore finito, sive motu uniformi et æquali, sive non. Patet, quia si ex illa infinita magnitudine sumatur pars quædam finita, illa pertransitur tempore finito, ergo similiter sumendo aliam atque aliam finitam, similiter tempore finito percurretur, ergo cum tempus sit finitum, consumitur numeratione partium finitarum magnitudinis, et tamen adhuc non est consumptum totum spatium, quia infinitum est, et finitis partibus non consumitur, ergo.

Tertia propositio : Eadem ratio est ex parte mobilis quoad finitum et infinitum, scilicet quod neque mobile finitum magnitudinem infinitam, neque mobile infinitum magnitudinem finitam, neque infinitum mobile infinitam magnitudinem tempore finito pertranseat, sed oportet adæquari omnia finita et infinita, etiam ex parte mobilis, quia eadem

proportio requiritur in mobili, et in magnitudine, et tempore.

Quarta propositio : Non potest dari motus infinitus finito tempore. Constat ex dictis, quia quantitas motus accipitur secundum quantitatem spatii, unde idem est dicere motum infinitum finito tempore, ac dicere magnitudinem infinitam finito tempore pertransiri.

Summa capitis VIII.

Postquam Philosophus determinavit de divisione motus, et ordine partium ejus, hic determinat de devisione et partibus quietis, seu stationis : distinguitur autem statio a quieto, quia statio dicitur generatio quietis, et sic de statione dicit tria. Primum, quod omne quod stat, seu ad statum tendit, movetur, quia nondum quiescit, sed generat quietem. Secundum, quod omne quod stat, in tempore stat, quia non movetur nisi in tempore. Tertium, quod sicut omne quod per se primo movetur, in qualibet parte temporis movetur, ita quod stat, in omni tempore stationis movetur, et sicut non datur primum in motu, ita neque in statione, seu statu, quia sicut non est accipere primam partem temporis, ita nec primam partem stationis et motus.

De quiete autem dicit, quod non est assignare primam partem quietis, sicut nec primam partem motus. Ratio est, quia omnis quies est in tempore, non in instanti, sicut supra probatum est, quiescit enim aliquid privative in eo, in quo aptum est moveri, solum autem potest moveri in tempore.

In calce capitis ponit et probat unam propositionem, scilicet mobile quod primo et per se movetur, et non ratione alicujus partis tantum, impossibile est quod in aliquo tempore sit in aliquo, in quo primo movetur, verbi gratia, in eodem loco, vel in eadem dispositione qualitatis. Quod ostendit, quia alias quiesceret et moveretur simul, quod repugnat ; moveretur, quia ita supponitur, quiesceret autem, quia cum illo primo tempore ibi sit, et illud tempus sit divisibile, in quacunque parte illius temporis verificatur quod ibi sit, unde in una parte temporis se habet sicut antea, quod est quiescere. Unde colligit, quod in instanti temporis in aliquo quidem loco est, tamen ibi non quiescit, quia quies non est in instanti, sed in tempore.

Summa capitis IX.

In capite nono solvit rationes Zenonis et aliorum, qui tollebant motum divisibilem et successivum. Sunt autem quatuor præcipuæ rationes Zenonis, tamen prima et tertia in idem coincidunt. Prima ratio est, quia si daretur motus, sequeretur idem simul moveri et stare, consequens est absurdum, ergo sequela probatur, quod movetur singulis instantibus, moveri non potest, et tunc stat in loco sibi æquali, ergo quiescit, ergo simul movetur et quiescit. Respondet Philosophus tempus non componi ex solis instantibus, et ideo bene stat, quod in instantibus non moveatur : moveatur vere in tempore divisibili, nec tamen in instantibus quiescit, licet tunc non moveatur, quia non se habet tunc sicut prius.

Secunda ratio, quæ apud ipsum erat præcipua eamque Achillem vocabat. Sequeretur enim quod res celerrima non possit tradissimam assequi, quod est ridiculum : sequela patet, nam si res celerrima, ut Achilles distet uno stadio a re tardissima, v. g. testitudine, et moveatur decuplo velocius illa, nunquam poterit illam assequi, nam dum Achilles illud stadium percurrit, testitudo

decimam partem progredietur, et dum ille decimam partem transivit, testitudo aliam decimam illius decimæ ambulavit, et sic in infinitum : ergo si motus in infinitum divisibilis est, nunquam Achilles testitudinem currendo superabit.

Respondet hoc argumentum procedere est fallacia eadem, qua a divisione continui in infinitum secundum partes proportionales, probare vellemus non posse dividi per partes designatas et finitas totum continuum, in parte enim finita et designata consumuntur illæ infinitæ partes proportionales, quæ solum sunt infinitæ in potentia. Unde cum finitam magnitudinem mobile velox conficiat breviori tempore, quam tardum, consequenter omnes illas partes proportionales secundum quas habet infinitatem mobile velox consumet breviori tempore.

Tertia ratio erat, quia alias sagitta quæ velociter movetur, simul ferretur et staret, quod jam prima ratione solutum est.

Quarta ratio Zenonis : Sint duo mobilia æqualia, quæ per idem stadium moveantur motibus contrariis, et unum incipiat a medietate stadii, aliud a fine æquali velocitate, ita quod unum conficiat medium spatii, et aliud integrum spatium, consequenter medietate temporis unum alterum superabit, et ex alia parte transiit unum mobile ex illis totum aliud mobile, quod est ejusdem magnitudinis, ergo eodem tempore pertransiit totum mobile, et mediam partem spatii et sic tempus integrum erit æquale dimidio.

Respondet Aritoteles esse fallaciam in eo quod comparat eodem modo transitum per spatium quiescens, et transitum per mobile quod movetur, quando enim mobilia sunt paris velocitatis æquali tempore transeunt idem spatium quiescens, et medietate temporis medietatem spatii, sed si spatium etiam moveretur, bene posset transire unum totam longitudinem alterius minori, tempore, eo quod utrumque se movet.

Alias rationes affert contra motum quæ minus urgent, v. g. quia dum aliquid est in motu, neque est in termino a quo, v. g. in non albo neque in termino ad quem, v. g. in albo, ergo nec album, nec non album, quæ sunt contradictoria. Respondet semper alteram contradictoriam esse veram, scilicet quod nondum sit simpliciter et ex toto album, est tamen secundum quid, scilicet in fieri et tendentia.

Summa capitis X.

In ultimo capite post destructam opinionem Zenonis duo facit. Primo, agit contra opinionem Democriti, qui dicebat atomos per se esse mobiles, et sic ostendit indivisibile per se mobile non esse. Et secundo, ostendit contra Heraclitum non dari mutationem infinitam, sicut ipse dicebat, quod omnia jugi motu movebantur.

Circa primum, præmittit Philosophus partes dupliciter moveri in aliquo continuo, scilicet proprie et per se vel per accidens et beneficio totius. Indivisibile ergo inquit non posse moveri nisi motu per accidens, sicut qui est in navigio, scilicet motu totius, non motu proprio et per se ; tum quia indivisibile si movetur vel est in termino a quo vel ad quem, vel partim in uno partim in altero ; si primum nondum movetur ; si secundum, jam non est motus sed cessavit ; si tertium erit divisibile, non indivisibile ; tum, quia si punctum movetur in linea, et attingit spatium æquale sibi, et deinde aliud æquale sibi, constat linea solis punctis, si aliquod spatium minus, dabitur minus aliquid indivisibili, quod repugnat.

Circa secundum, ostendit nullam mutationem esse infinitam, quia omnis mutatio extremis clauditur, ergo nulla est infinita. Antecedens probatur inductive in omni mutatione, generatio enim est inter ens et non ens, corruptio e contra, alteratio inter qualitates contrarias, augmentatio et diminutio inter quantitatem majorem et minorem, latio inter loca diversa, ergo omnis mutatio terminis clauditur. In calce corporis dubitat duo. Primum, quomodo motus localis inter extrema claudatur, præsertim in motu circulari. Respondet id tantum mutari, quod potest mutatum esse, sicut id albescit quod potest esse album ; cum ergo mutetur corpus per lationem etiam circularem, habet mutatum esse, et consequenter terminis clauditur. Secundum est, an re vera motus possit in infinitum aliquo modo esse. Et respondet quod si sumantur motus specie diversi, potest unus succedere alteri in infinitum ut lationi alteratio, alterationi accretio, et sic de aliis, sicut esset si mundus duraret in æternum. In una autem specie motus existimavit Aristoteles aliquem motum posse esse perpetuum, scilicet motus cœli quem posuit ab æterno, de quo libro octavo dicitur.

SUMMA LIBRI VII.

In hoc libro incipit Aristoteles ex motu quem huc usque explicavit assurgere ad ipsa moventia, usque ad primum movens et primum motorem, quod uberius præstat in libro octavo. In hoc autem libro duo præcipue intendit. Primum est, tractare de principio motus usque ad primum motorem, et hoc capite I, II et III. Secundum est, comparare ipsa mobilia et moventia inter se quoad velocitatem, tarditatem et proportionem quam habent, et hoc capite IV et V.

Summa capitis I.

Ut ostendat Philosophus quod in motibus deveniendum est ad unum primum motorem, duplicem propositionem ponit et explicat in isto capite. Prima est, omne quod movetur ab alio moveri. Secunda, non dari processum in infinitum in motoribus, sed sistendum esse in uno primo, qui moveat et non moveatur.

Prima ergo propositio, quæ in fronte libri ponitur, procedit de eo quod primo et per se movetur, non de eo cujus tantum pars movetur, et alia movet, ibi enim etiam distinguitur movens et motum. Supponit ergo, quod id quod per se primo movetur vel movetur ab extrinseco movente, ut si impellatur ab aliquo, vel movetur ab intrinseco : si primo modo, constat ab alio moveri, si movetur ab intrinseco, etiam debet distingui movens et motum, quia in eo quod movetur a se, semper est una pars movens, et altera mota ; ex eo enim quod totum movetur, non sumitur sufficiens ratio quod non sit pars movens, et pars mota, neque hoc est primo et per se moveri, sed mediantibus partibus.

Secunda propositio est : In moventibus non est abire in infinitum, sed est devenire ad unum, qui sit princeps motionis. Ratio est, quia si esset processus in infinitum, daretur infinitus motus finito tempore, quia licet quodlibet mobile finito et determinato motu moveatur, ista.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

decimam partem progredietur, et dum ille decimam partem transivit, testitudo aliam decimam illius decimæ ambulavit, et sic in infinitum : ergo si motus in infinitum divisibilis est, nunquam Achilles testitudinem currendo superabit.

Respondet hoc argumentum procedere est fallacia eadem, qua a divisione continui in infinitum secundum partes proportionales, probare vellemus non posse dividi per partes designatas et finitas totum continuum, in parte enim finita et designata consumuntur illæ infinitæ partes proportionales, quæ solum sunt infinitæ in potentia. Unde cum finitam magnitudinem mobile velox conficiat breviori tempore, quam tardum, consequenter omnes illas partes proportionales secundum quas habet infinitatem mobile velox consumet breviori tempore.

Tertia ratio erat, quia alias sagitta quæ velociter movetur, simul ferretur et staret, quod jam prima ratione solutum est.

Quarta ratio Zenonis : Sint duo mobilia æqualia, quæ per idem stadium moveantur motibus contrariis, et unum incipiat a medietate stadii, aliud a fine æquali velocitate, ita quod unum conficiat medium spatii, et aliud integrum spatium, consequenter medietate temporis unum alterum superabit, et ex alia parte transiit unum mobile ex illis totum aliud mobile, quod est ejusdem magnitudinis, ergo eodem tempore pertransiit totum mobile, et mediam partem spatii et sic tempus integrum erit æquale dimidio.

Respondet Aritoteles esse fallaciam in eo quod comparat eodem modo transitum per spatium quiescens, et transitum per mobile quod movetur, quando enim mobilia sunt paris velocitatis æquali tempore transeunt idem spatium quiescens, et medietate temporis medietatem spatii, sed si spatium etiam moveretur, bene posset transire unum totam longitudinem alterius minori, tempore, eo quod utrumque se movet.

Alias rationes affert contra motum quæ minus urgent, v. g. quia dum aliquid est in motu, neque est in termino a quo, v. g. in non albo neque in termino ad quem, v. g. in albo, ergo nec album, nec non album, quæ sunt contradictoria. Respondet semper alteram contradictoriam esse veram, scilicet quod nondum sit simpliciter et ex toto album, est tamen secundum quid, scilicet in fieri et tendentia.

Summa capitis X.

In ultimo capite post destructam opinionem Zenonis duo facit. Primo, agit contra opinionem Democriti, qui dicebat atomos per se esse mobiles, et sic ostendit indivisibile per se mobile non esse. Et secundo, ostendit contra Heraclitum non dari mutationem infinitam, sicut ipse dicebat, quod omnia jugi motu movebantur.

Circa primum, præmittit Philosophus partes dupliciter moveri in aliquo continuo, scilicet proprie et per se vel per accidens et beneficio totius. Indivisibile ergo inquit non posse moveri nisi motu per accidens, sicut qui est in navigio, scilicet motu totius, non motu proprio et per se ; tum quia indivisibile si movetur vel est in termino a quo vel ad quem, vel partim in uno partim in altero ; si primum nondum movetur ; si secundum, jam non est motus sed cessavit ; si tertium erit divisibile, non indivisibile ; tum, quia si punctum movetur in linea, et attingit spatium æquale sibi, et deinde aliud æquale sibi, constat linea solis punctis, si aliquod spatium minus, dabitur minus aliquid indivisibili, quod repugnat.

Circa secundum, ostendit nullam mutationem esse infinitam, quia omnis mutatio extremis clauditur, ergo nulla est infinita. Antecedens probatur inductive in omni mutatione, generatio enim est inter ens et non ens, corruptio e contra, alteratio inter qualitates contrarias, augmentatio et diminutio inter quantitatem majorem et minorem, latio inter loca diversa, ergo omnis mutatio terminis clauditur. In calce corporis dubitat duo. Primum, quomodo motus localis inter extrema claudatur, præsertim in motu circulari. Respondet id tantum mutari, quod potest mutatum esse, sicut id albescit quod potest esse album ; cum ergo mutetur corpus per lationem etiam circularem, habet mutatum esse, et consequenter terminis clauditur. Secundum est, an re vera motus possit in infinitum aliquo modo esse. Et respondet quod si sumantur motus specie diversi, potest unus succedere alteri in infinitum ut lationi alteratio, alterationi accretio, et sic de aliis, sicut esset si mundus duraret in æternum. In una autem specie motus existimavit Aristoteles aliquem motum posse esse perpetuum, scilicet motus cœli quem posuit ab æterno, de quo libro octavo dicitur.

SUMMA LIBRI VII.

In hoc libro incipit Aristoteles ex motu quem huc usque explicavit assurgere ad ipsa moventia, usque ad primum movens et primum motorem, quod uberius præstat in libro octavo. In hoc autem libro duo præcipue intendit. Primum est, tractare de principio motus usque ad primum motorem, et hoc capite I, II et III. Secundum est, comparare ipsa mobilia et moventia inter se quoad velocitatem, tarditatem et proportionem quam habent, et hoc capite IV et V.

Summa capitis I.

Ut ostendat Philosophus quod in motibus deveniendum est ad unum primum motorem, duplicem propositionem ponit et explicat in isto capite. Prima est, omne quod movetur ab alio moveri. Secunda, non dari processum in infinitum in motoribus, sed sistendum esse in uno primo, qui moveat et non moveatur.

Prima ergo propositio, quæ in fronte libri ponitur, procedit de eo quod primo et per se movetur, non de eo cujus tantum pars movetur, et alia movet, ibi enim etiam distinguitur movens et motum. Supponit ergo, quod id quod per se primo movetur vel movetur ab extrinseco movente, ut si impellatur ab aliquo, vel movetur ab intrinseco : si primo modo, constat ab alio moveri, si movetur ab intrinseco, etiam debet distingui movens et motum, quia in eo quod movetur a se, semper est una pars movens, et altera mota ; ex eo enim quod totum movetur, non sumitur sufficiens ratio quod non sit pars movens, et pars mota, neque hoc est primo et per se moveri, sed mediantibus partibus.

Secunda propositio est : In moventibus non est abire in infinitum, sed est devenire ad unum, qui sit princeps motionis. Ratio est, quia si esset processus in infinitum, daretur infinitus motus finito tempore, quia licet quodlibet mobile finito et determinato motu moveatur, ista.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tamen collectio motuum infinita est, et tamen omnia finito tempore movebuntur, quia motus, qui fit ab ultimo mobili finito tempore absolvitur, ergo, etc. Denique, ut aperte videatur inconveniens quod sequitur, si infinita moventia finito tempore moveantur, etiam si plura sint, urget inde rationem, quia si omnia illa mobilia in unum continuarentur, fieret ex illis unum infinitum mobile, quod finito tempore conficeret infinitam motionem, cum corpus infinitum etiam si circulariter moveatur, infinitum spatium, conficiat, quamvis brevi tempore, ut libro tertio ostensum est.

Summa capitis II.

In hoc capite proponit Philosophus unicam propositionem, scilicet id quod primo movet, id est, non interventu alterius, conjunctum debet esse ei quod movetur ab illo. Hanc propositionem probat discurrendo per omnia genera motus, scilicet localem, alterationis augmentationis. Et de motu locali id ostendit, quia omnis motus localis vel fit a principio intrinseco, vel extrinseco; si ab intrinseco, manifestum est id quod movetur, esse conjunctum ei quod movet; si ab extrinseco, solum potest quatuor modis moveri, scilicet tractu, pulsu, vectione, et volutione, seu vertigine, quos sigillatim explanat, et omnes reducit ad tractum, et pulsum; constat autem quod impellens et trahens proximum est ei quod movet, ut constat ex definitione pulsus, et tractus: nam pulsus est motus aut a se, aut ab alio ad aliud; tractus autem est ab alio ad se, aut ad aliud motio; ergo quidquid loco movet, proximum est rei motæ, quæ primo movetur.

In motu alterationis idem probat, supponendo quod qualitas ad quam est alteratio, est qualitas tertiæ speciei, ut calor et frigus, humor, siccitas, etc. Id ergo quod primo alterat, conjunctum est ei, quod primo alteratur, ut patet in sensibus, manus enim calefit ab igne distante, quia primo aer ei conjunctus alteratur, et ab aere, manus, et in visu species coloris primo accipitur in aere, inde movet visum, et similiter se habet in reliquis rebus.

Ultimo, in motu augmentationis auctio non fit nisi opponendo, et diminutio detrahendo ei, quod augetur vel minuitur, ergo illi debet esse proximum id quod movet tali motu, et sic in omni motu movens primo est proximus rei primo motæ.

Summa capitis III.

In hoc capite occasione ejus, quod in præcedenti dictum fuit, quod alteratio ad qualitates tertiæ speciei solum terminatur, id latius demonstrat discurrendo per alias species, et ostendendo solum ad illas posse terminari alterationem. Præsertim autem probat non versari alterationem immediate circa figuram, et circa habitus, verbi gratia, vitia aut virtutes et scientias, quæ omnia in textu clara sunt, nec multum interest ea specialiter exponere.

Summa capitis IV.

In hoc capite et sequenti disserit Philosophus de comparatione motuum inter se. Et in præsenti quidem tradit quasi in communi, quæ mobilia aut motus comparari possint inter se. In capite vero ultimo tradit in particulari quomodo proportiones istorum motuum sint faciendæ. Igitur quantum ad primum in hoc capite proponit duas dubitationes. Prima, utrum quilibet motus comparari possit cum quolibet motu quantum ad velocitatem, et tarditatem, quam quæstionem postquam disputat in utramque partem.

Respondet quod ut motus comparari possint, debent esse univoci, id est, ejusdem generis, sicut non bene comparantur vinum, et sonum, ut dicamus vinum esse acutiorem sono; imo et ejusdem speciei esse debent, sicut non bene comparantur albedo et nigredo, sed duæ albedines, vel duæ nigredines, unde motus circularis et rectus, et multo minus alteratio, et latio non bene comparantur, sunt enim diversæ rationis. Nec obstat quod aliqua univoca videmus non posse comparari, ut multum et parum in aqua et aere, vel saltem duplum et dimidium, nec tamen comparamus aquam cum aere in multitudine, aut in duplo; non enim hæc obtinent eamdem rationem in aqua et aere, sed diversam, dicitur enim aer multus respectu aquæ, quia magis diffunditur et extenditur; aqua vero respectu aeris, quia plus materiæ habet, quæ sunt rationes diversæ comparationis, et solum secundum quid comparari possunt, non eo modo, quo aqua, et aer cum aere.

Secunda dubitatio est, specialiter circa alterationes, et generationes, quomodo comparari possint secundum velocitatem, et tarditatem, cum eis non æqualitas, sed similitudo conveniat.

Respondet alterationes posse comparari quoad velocitatem, si circa eamdem qualitatem versentur, et fiant æquali tempore, sumitur enim ibi æqualitas ratione continuitatis in motu, similitudo vero ratione qualitatum. In generationibus autem fit comparatio penes velocitatem, et tarditatem, quando res ejusdem speciei æquali tempore gignitur, vel corrumpitur, velociores autem quando æquali tempore diversum quid generatur, vel corrumpitur, id est, magis perfectum et absolutum, ut si eodem tempore membra fœtus in utero ad majorem perfectionem evadant.

Summa capitis V.

In hoc capite quasdam regulas tradit ad declarandum in particulari comparationes, seu proportiones motuum, et tradit septem regulas circa motum localem, tres circa alterationem et augmentationem. Supponit autem in motu locali inveniri quatuor, scilicet id quod movet, id quod movetur, tempus et spatium. Prima regula est: Virtus movens aliquod mobile tanto tempore, verbi gratia, horæ, movebit dimidium mobile per duplum spatium eodem tempore. Secunda: Virtus æqualis movet dimidium mobilis per totum spatium, quo movebat integrum mobile dimidiato tempore, quo integrum movebat. Tertia: Si aliqua virtus tantum pondus movet quodam certo tempore per tantum spatium, movebit dimidium pondus, dimidio illius temporis per dimidium spatium. Quarta: dimidium talis virtutis movebit dimidium ejusdem ponderis æquali tempori per idem spatium. Quinta: Si aliqua virtus tantum pondus per tantum spatium tanto tempore movet, non est necesse quod duplum ponderis dimidio tempore moveat, sed potest esse quod nullo modo movere illud possit. Sexta: Si dimidium virtutis movet dimidium ponderis per aliquod spatium, non sequitur quod totum et integrum pondus per aliquod spatium moveat, sicut si multi trahunt navim per aliquod spatium, non poterit unus trahere aliquo spatio. Septima: Cum duæ virtutes ita se habent, quod unaquæque per se aliquod pondus

certo tempore per aliquod spatium defert, si conjungantur, poterunt utrumque pondus per æquale spatium eodem tempore movere.

Circa alterationem et augmentationem ponit tres regulas. Prima: Virtus quæ auget vel alterat tanto tempore, duplo longiori tempore duplum alterabit, scilicet si perseveret eadem. Secunda: Eadem virtus dimidio temporis augebit, alterabitque dimidium. Tertia: Si aliqua virtus certo tempore tantum augeat, vel alteret, non sequitur quod dimidium virtutis eodem tempore dimidium alteret vel augeat, potest enim nullo modo vinci resistentia passi. Plura de proportionibus videri possunt apud Magistrum Soto super VII Physicorum.

SUMMA LIBRI VIII.

Intentum Aristotelis est in hoc ultimo libro ex motu præserlim circulari, quem æternum putat, sicut et ipsum mundum, ad unum primum supremumque omnium motorem ascendere, qui sit magnitudinis et mutationis expers, æternus quoque et infinitus in virtute.

Summa capitis I.

In hoc primo capite Aristoteles tria facit. Primo, supponit motum ab omnibus admitti, qui admittunt naturam; tum quia mundum genitum fecere et consequenter per motum; tum quia disputatio de natura est, etiam contemplatio de motu. Secundo, refert antiquorum opiniones negantes motus perpetuitatem, duplici enim via processerunt. Quidam ut Anaxagoras dixerunt omnes res quievisse per infinitum tempus, deinde a mente per motum fuisse excitatæ et segregatæ. Alii ut Empedocles vicissitudinem posuerunt motus et quietis, quiescendo per aliquod temporis spatium, et movendo per aliud, nunc amicitia congregante, nunc distrahente lite. Tertio, eas refutans ostendit non dari initium motus, sed ab æterno esse. Primo, ex ipsa natura motus, quia si motus habet principium, vel etiam incœpit ipsum movens et mobile, vel non cœpit; si cœpit utique per motum, et sic jam ille non fuit primus motus; si non cœpit, ergo movens et mobile per infinita sæcula fuerunt sine motu, quod est absurdum, nec enim dabitur ratio, cur modo quam ante, cœpit se movere.

Secundo, quia si motus initium habuit, cum prius non esset, ergo dabatur aliquid prius quam ipse motus, ergo et tempus, quia prius et posterius in durationc tempus est, et tempus sine motu non datur, ergo ante primum motum dabatur motus.

Tertio, nullum fuit initium temporis, ergo neque motus. Antecedens patet, quia in quolibet tempore est sumere instans præsens, sed instans est finis præcedentis, et initium futuri, ergo respectu cujuscunque temporis designati dabatur ante tempus, et dabitur post. Auctoritate etiam id probat, quia omnes præter Platonem dixerunt mundum esse æternum.

Summa capitis II.

In hoc capite refellit Philosophus rationes Anaxagoræ, et Empedoclis contra æternitatem motus, et facit duo. Primo, eos arguit, quia non reddiderunt causam negandi æternitatem motus, aut non sufficientem, deinde solvit rationes eorum. Circa primum, ostendit insufficientem causam suæ positionis habuisse Empedoclem, et Anaxagoram, qui dicebant motum non esse æternum, sed incœpisse, quia ita natura ipsa comparatum est. Hoc autem dicitur frustra, quia natura maxime ordinate procedit, in hoc autem quod moventia et mobilia quiescant infinito tempore, aut modo quiescant, modo moveantur, nullus ordo aut ratio invenitur, quia natura aut semper et necessario operatur, aut si habet variationem, est ex certa causa et ratione, infiniti autem ad finitum nulla est proportio.

Circa secundum, ponit tres rationes ad probandum motum non semper fuisse, eisque respondet. Primo, quia nulla mutatio clausa terminis est perpetua, omnis mutatio est clausa terminis, cum inter duo extrema versetur, ergo non est perpetua. Secundo, in motibus particularibus motus incipit et desinit, ut cum lapis de novo movetur, ergo similiter tota collectio motuum in toto universo potuit incipere et poterit desinere. Tertio, quia animalia et præsertim homines incipiunt habere motum nullo facto motu ab exteriori, ergo idem poterit contingere in toto universo, cum homo sit parvus mundus.

Ad primam respondet, concludere mutationem quæ est inter contraria ratione suorum terminorum esse finitam, potest tamen per iterationem perpetuari motus, qui contrario caret, sicut circularis.

Ad secundam respondet, nullum esse inconveniens, quod aliquid de novo incipiat moveri quod ante non movebatur, sed tamen talem motum in singulari antecedit alius, et illum alius in infinitum versus principium.

Ad tertiam respondet, falsum esse quod motum animalium alius motus ab extra non præcedat; tum quia alterationes multæ fiunt ab extrinseco principio in ipsis animalibus; tum quia in ipso motu locali, in quo se movent, apprehensio a causa extrinseca excitatur et movetur.

Summa capitis III.

Præmittit in hoc capite Aristoteles quamdam divisionem eorum quæ moventur. Deinde, reprobatis duabus opinionibus antiquorum excludit ex præfata divisione ea membra, quæ inconvenientiam habent.

Circa primum, divisio talis est, dispositio rerum quantum ad motum vel quietem, solum potest esse triplex, aut enim omnia quiescunt et nihil movetur, aut omnia et nihil quiescit, aut aliqua moventur, aliqua quiescunt. Et hoc ultimum adhuc potest sumi tripliciter, vel enim ea quæ moventur, perpetuo moventur, et quæ quiescunt perpetuo quiescunt, aut e contra nihil est, quod semper movetur aut quiescat, aut tandem aliqua quandoque quiescunt, quandoque moventur, alia vero perpetuo moventur, et alia perpetuo quiescunt.

Circa secundum, explodit duas sententias extremas. Quidam dicebant nihil moveri, ut Zeno, et Parmenides, contra quos disputare ad Physicum non spectat, quia tollunt motum, qui ad omnes scientias et artes pertinet, probare autem id quod ad omnem scientiam et artem pertinet, non est Physici, sed Metaphysici. Alii e contra dicebant omnia esse in perpetuo fluxu et motu, ut Heraclitus et Gratilus. Quod Aristoteles refutat discurrendo inductive per omnes species motuum, nullus enim est qui aliquam intermissionem non recipiat, cum ad sensum constet, nec semper aliquid crescere, aut decrescere, nec semper ali-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

certo tempore per aliquod spatium defert, si conjungantur, poterunt utrumque pondus per æquale spatium eodem tempore movere.

Circa alterationem et augmentationem ponit tres regulas. Prima: Virtus quæ auget vel alterat tanto tempore, duplo longiori tempore duplum alterabit, scilicet si perseveret eadem. Secunda: Eadem virtus dimidio temporis augebit, alterabitque dimidium. Tertia: Si aliqua virtus certo tempore tantum augeat, vel alteret, non sequitur quod dimidium virtutis eodem tempore dimidium alteret vel augeat, potest enim nullo modo vinci resistentia passi. Plura de proportionibus videri possunt apud Magistrum Soto super VII Physicorum.

SUMMA LIBRI VIII.

Intentum Aristotelis est in hoc ultimo libro ex motu præserlim circulari, quem æternum putat, sicut et ipsum mundum, ad unum primum supremumque omnium motorem ascendere, qui sit magnitudinis et mutationis expers, æternus quoque et infinitus in virtute.

Summa capitis I.

In hoc primo capite Aristoteles tria facit. Primo, supponit motum ab omnibus admitti, qui admittunt naturam; tum quia mundum genitum fecere et consequenter per motum; tum quia disputatio de natura est, etiam contemplatio de motu. Secundo, refert antiquorum opiniones negantes motus perpetuitatem, duplici enim via processerunt. Quidam ut Anaxagoras dixerunt omnes res quievisse per infinitum tempus, deinde a mente per motum fuisse excitatæ et segregatæ. Alii ut Empedocles vicissitudinem posuerunt motus et quietis, quiescendo per aliquod temporis spatium, et movendo per aliud, nunc amicitia congregante, nunc distrahente lite. Tertio, eas refutans ostendit non dari initium motus, sed ab æterno esse. Primo, ex ipsa natura motus, quia si motus habet principium, vel etiam incœpit ipsum movens et mobile, vel non cœpit; si cœpit utique per motum, et sic jam ille non fuit primus motus; si non cœpit, ergo movens et mobile per infinita sæcula fuerunt sine motu, quod est absurdum, nec enim dabitur ratio, cur modo quam ante, cœpit se movere.

Secundo, quia si motus initium habuit, cum prius non esset, ergo dabatur aliquid prius quam ipse motus, ergo et tempus, quia prius et posterius in durationc tempus est, et tempus sine motu non datur, ergo ante primum motum dabatur motus.

Tertio, nullum fuit initium temporis, ergo neque motus. Antecedens patet, quia in quolibet tempore est sumere instans præsens, sed instans est finis præcedentis, et initium futuri, ergo respectu cujuscunque temporis designati dabatur ante tempus, et dabitur post. Auctoritate etiam id probat, quia omnes præter Platonem dixerunt mundum esse æternum.

Summa capitis II.

In hoc capite refellit Philosophus rationes Anaxagoræ, et Empedoclis contra æternitatem motus, et facit duo. Primo, eos arguit, quia non reddiderunt causam negandi æternitatem motus, aut non sufficientem, deinde solvit rationes eorum. Circa primum, ostendit insufficientem causam suæ positionis habuisse Empedoclem, et Anaxagoram, qui dicebant motum non esse æternum, sed incœpisse, quia ita natura ipsa comparatum est. Hoc autem dicitur frustra, quia natura maxime ordinate procedit, in hoc autem quod moventia et mobilia quiescant infinito tempore, aut modo quiescant, modo moveantur, nullus ordo aut ratio invenitur, quia natura aut semper et necessario operatur, aut si habet variationem, est ex certa causa et ratione, infiniti autem ad finitum nulla est proportio.

Circa secundum, ponit tres rationes ad probandum motum non semper fuisse, eisque respondet. Primo, quia nulla mutatio clausa terminis est perpetua, omnis mutatio est clausa terminis, cum inter duo extrema versetur, ergo non est perpetua. Secundo, in motibus particularibus motus incipit et desinit, ut cum lapis de novo movetur, ergo similiter tota collectio motuum in toto universo potuit incipere et poterit desinere. Tertio, quia animalia et præsertim homines incipiunt habere motum nullo facto motu ab exteriori, ergo idem poterit contingere in toto universo, cum homo sit parvus mundus.

Ad primam respondet, concludere mutationem quæ est inter contraria ratione suorum terminorum esse finitam, potest tamen per iterationem perpetuari motus, qui contrario caret, sicut circularis.

Ad secundam respondet, nullum esse inconveniens, quod aliquid de novo incipiat moveri quod ante non movebatur, sed tamen talem motum in singulari antecedit alius, et illum alius in infinitum versus principium.

Ad tertiam respondet, falsum esse quod motum animalium alius motus ab extra non præcedat; tum quia alterationes multæ fiunt ab extrinseco principio in ipsis animalibus; tum quia in ipso motu locali, in quo se movent, apprehensio a causa extrinseca excitatur et movetur.

Summa capitis III.

Præmittit in hoc capite Aristoteles quamdam divisionem eorum quæ moventur. Deinde, reprobatis duabus opinionibus antiquorum excludit ex præfata divisione ea membra, quæ inconvenientiam habent.

Circa primum, divisio talis est, dispositio rerum quantum ad motum vel quietem, solum potest esse triplex, aut enim omnia quiescunt et nihil movetur, aut omnia et nihil quiescit, aut aliqua moventur, aliqua quiescunt. Et hoc ultimum adhuc potest sumi tripliciter, vel enim ea quæ moventur, perpetuo moventur, et quæ quiescunt perpetuo quiescunt, aut e contra nihil est, quod semper movetur aut quiescat, aut tandem aliqua quandoque quiescunt, quandoque moventur, alia vero perpetuo moventur, et alia perpetuo quiescunt.

Circa secundum, explodit duas sententias extremas. Quidam dicebant nihil moveri, ut Zeno, et Parmenides, contra quos disputare ad Physicum non spectat, quia tollunt motum, qui ad omnes scientias et artes pertinet, probare autem id quod ad omnem scientiam et artem pertinet, non est Physici, sed Metaphysici. Alii e contra dicebant omnia esse in perpetuo fluxu et motu, ut Heraclitus et Gratilus. Quod Aristoteles refutat discurrendo inductive per omnes species motuum, nullus enim est qui aliquam intermissionem non recipiat, cum ad sensum constet, nec semper aliquid crescere, aut decrescere, nec semper ali-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quid alterari, etc. Ex quo constat falsum esse, quod omnia quæ moventur semper moventur, et quæ quiescunt semper quiescunt, quia constat aliqua ex motu ad quietem, et ex quiete ad motum transire. Similiter manet exclusum alterum membrum divisionis, quod omnia interdum quiescunt, interdum moventur, ut contra Empedoclem capite præcedenti ostendit.

Summa capitis IV.

Cum ad primum motum, et primum motorem inveniendum solum duobus principiis innitatur Philosophia, scilicet omne quod movetur ab alio movetur, et quod non datur in motibus per se processus in infinitum, licet hæc principia posuerit in initio septimi libri, nunc explicat illa uberius, et in hoc quidem capite intendit ostendere illud primum, in sequenti secundum. Et tandem in sexto capite colligit dari unum primum motorem. In hoc ergo capite quarto facit tria. Primo, ponit tres divisiones seu diversitates eorum quæ moventur. Secundo, incipit probare per inductionem omne quod movetur ab alio moveri : et tandem tertio colligit ipsam propositionem esse veram, quod omne quod movetur, ab alio movetur.

Circa primum. Prima divisio est : Eorum, quæ moventur aut movent, quædam per accidens, quædam per se id habent, dicuntur autem per accidens movere, aut moveri, quæ insunt eis quæ per se movent aut moventur, sive ut pars, sive ut accidens, sicut Socrates per se loco movetur, album vero per accidens. Secunda divisio : Eorum quæ per se moventur alia per se, alia ab alio, alia secundum naturam, alia præter naturam. Et dicuntur moveri secundum naturam, quia habent in se principium motus ut animalia. Tertia divisio : Quæ ab alio moventur, quædam etiam naturaliter moventur, ut inferiora deorsum, quædam præter naturam, ut inferiora sursum.

Circa secundum, incipit inductione ostendere, quod omne quod movetur, ab alio movetur. Primo enim id perspicuum est in omni motu præter naturam seu violento, hoc enim est a principio extrinseco. Secundo, in motu viventium, in quibus datur pars movens et mota, et moventur ab anima, sicut navis a nauta. Tertio, dubitationem habet in motu naturali inanimatorum, scilicet in gravibus et levibus : constat enim non moveri a se ipsis, quia hoc est proprium viventium, et eorum, quæ possunt sistere motum suum, et quiescere cum voluerint, quod non habent gravia et levia. Similiter habent partes omnino similes, et ita una non se habet ut movens, et alia ut mota, quod requiritur in his, quæ moventur a se. Ut ergo videatur a quo principio moveantur naturaliter, dicit quod gravia et levia possunt esse in potentia ad formam, qua gravia sunt, antequam sint genita sicut aqua est potestate aer, et aer est in potentia aqua : vel possunt esse in potentia ad motum, etiam postquam gravitatem habent, et hæc est potentia ad actum secundum quem habent sublato impedimento, similiterque ad locum ad quem moventur, tanquam ad naturalem sedem ubi quiescant, et in qua conserventur. Igitur gravia et levia per accidens moventur a tollente impedimentum, a quo tamen non moventur per se, per se autem moventur ab eo quod generavit, seu fecit leve et grave, ex quo colligit, omne quod movetur ab alio moveri, quod est ultimum intentum in hoc capite.

Summa capitis V.

In hoc capite secundum principium Aristoteles proponit et explicat, scilicet non posse procedi in infinitum, sed deveniendum esse ad unum primum, quod moveat et non moveatur, et principaliter tria facit. Primo, ostendit non dari processum in infinitum in causis moventibus. Secundo, non esse necesse quod quidquid movet, ab alio moveatur, sed posse aliquid movere, et non moveri. Tertio, explicat quomodo id quod se movet, sibi ipsi possit esse causa motus.

Circa primum, ostendit non esse processum in infinitum, sed deveniendum esse ad unum primum movens immobile, quia quidquid movetur, necesse est moveri ab alio, vel ergo id a quo movetur, movet se, vel rursus ab alio. Si a se tantum, in eo sistitur, et est primum movens, quod non movetur ut moveat. Si movetur ab alio et illud rursus ab alio in infinitum : ergo in talibus moventibus non datur primum, et consequenter neque ultimum, cum hoc ab illo pendeat, remoto autem primo et ultimo movente nullus est motus.

Circa secundum, probat non omne quod movet necessario moveri, quia vel omne quod movet, debet moveri eadem specie motus vel alia, non eadem, alioquin qui doceret geometriam, deberet eam addiscere, et qui saxum volvit, etiam deberet volvi. Si diversa cum non sint infinitæ species motuum, sed finitæ, necessario est standum in aliquo, quod nulla specie motus movetur. Quod si dicatur esse recursum et circulum inter ista moventia, contra est, quia tunc sequeretur moveri aliquid a movente secundum motum ejusdem speciei, quia si movens motu locali, movetur ab alteratione, et hoc ab augmentatione, et illud a motu locali : ergo de primo ad ultimum movens motu locali, movetur a motu locali : ex quo colligit non esse dandum processum in infinitum, sed deveniendum ad unum, qui sit primum movens, et princeps omnium motuum, quia per se movens est.

Circa tertium, probat quod non potest aliquo modo dici, quod totum movet se totum, ita quod primo et per se sit movens, et motum, quia si se totum moveret, esset idem alterans et alteratum, sanans et sanatum, in actu et potentia respectu ejusdem : deinde nec potest dici, quod totum sic se movet, quod utraque pars utramque partem movet, quia sic non daretur unum primum movens in quo sisteretur, sed utrumque esset primum et neutrum, quia utrumque movet, et similiter utrumque movetur ad invicem, imo hoc perinde erit, ac si totum moveret se ipsum primo et per se : quare in movente se necesse est, quod una pars sit movens, et alia mota : et istæ partes ita se habere debent in toto, quod se tangant mutuo, an una ab alia, et sic movens et motum debent esse simul secundum contactum. Et hac ratione dicitur illud totum movere se ipsum, quia cum sint ibi tria, scilicet movere, moveri, et se movere, hoc ultimum convenit toti, non quod moveat totum, vel a toto moveatur, sed quod in se habendo partem moventem et motam, per aliquid sui movet aliquid sui, et sic movet se ipsum. Colligit ergo ex dictis dari aliquod primum movens immobile, aut cujus pars moveat, et ab alio non moveatur, cum non procedatur in infinitum in moventibus, et mobilibus.

Summa capitis VI.

Tria in hoc capite demonstrat

Philosophus. Primum, quod primus motor sit sempiternus. Secundum, quod sit unus. Tertium, quod primum illud, quod a primo motore movetur, est sempiternum.

Primum ostendit, ex eo quia semper fuit motus, ergo semper fuit movens, et primum movens.

Secundum ostendit, quia omnes motus reducuntur ad unum, scilicet ad motum cœli, qui æternus est, et maxime uniformis; ergo ad unum motorem debent reduci, si enim ad duos reduceretur, non esset unus, et continuus. Quod si dicatur, motores orbium sub primo mobili per accidens moveri, et sic primus motor poterit moveri per accidens, et tamen esse principium motus perpetui et continui, respondet motores orbium non moveri per accidens motu accepto in se sicut anima moto corpore, sed motu recepto in ipsis orbibus, quatenus orbis inferior rapitur ad motum superioris orbis, et ideo stat motores orbium esse causas motus æterni.

Tertium ostendit, tum quia primum movens est perpetuum et immobile, ita quod nec per se, nec per accidens movetur: ergo id quod immediate ab ipso est motum, æternum est. Tum, quia nisi daretur primum mobile, quod sempiterno motu et indefectibili moveretur, non essent perpetuæ generationes et mutationes horum inferiorum: si enim non daretur corpus mobile, et variabile, et medium inter primum motorem, et ea quæ corruptioni sunt subjecta, cum primus motor eodem modo semper se habeat, hæc inferiora semper eodem modo se haberent, nec variationi essent subjecta.

Summa capitis VII, VIII et IX.

Tria ista capita consumit Philosophus in probando, quisnam motus sit primus et dignior inter cæteros, et ex tribus generibus motuum ostendit localem esse primum inter cæteros. Inter locales autem rectum et reflexum non posse esse continuum et perpetuum, atque adeo nec primum, circularem vero esse primum, quia est continuus, et perpetuus. In capite ergo septimo docet lationem esse priorem aliis motibus natura, tempore, et dignitate. Natura, quia potest esse sine illis: siquidem continua est, alii vero motus non, illi vero sine latione esse non possunt saltem sine latione cœli. Tempore, quia latio est æterna, et ab æterno, alii motus variantur tempore. Dignitate, quia convenit nobilioribus entibus ut pote animalibus perfectioribus, et cœlis, et his quæ per se moventur.

In octavo autem capite ostendit inter motus locales, neque rectum, neque mixtum, seu reflexum posse esse continuos, et perpetuos, et de recto probat, quia non potest continuari per infinitam magnitudinem, cum illa non detur, et sic non potest esse perpetuum, nisi fiat per recursum et reflexionem a puncto opposito ad oppositum. Motus autem reflexus continuus, et perpetuus esse non potest, quia motus reflexus discontinuatur a directo, cum detur aliqua quies in puncto reflexionis, et quia reflexus, et directus sunt motus contrarii, quoniam ad contraria loca tendunt, ergo non sunt idem motus, et continuus. Hinc rursus respondet ad argumentum Zenonis in sexto libro propositum, quod mobile decurrit infinita indivisibilia, et partes finito tempore; responderat enim etiam tempus habere similiter infinita indivisibilia, quæ responsio fuit ad hominem. Nunc secundum veritatem respondet, partes illas actu non esse infinitas, sed finitas: solum vero in potentia infinitas, infinitum autem in potentia, finito tempore pertransiri potest.

In capite nono ostendit, nullam esse repugnantiam in motu circulari, ut continuus, et æternus sit, et redit ad probandum, quomodo id repugnet aliis motibus: in circulari enim motu redditur ab eodem puncto ad idem punctum, et principium conjungit fini, unde nec debet in reflexione quiescere, neque contrariis motibus agitari.

Summa capitis X.

Intentum hujus capitis est ostendere, quod primus motor est indivisibilis, id est, incorporeus, carens magnitudine, et infinitæ virtutis; ad quod probandum præsupponit tres propositiones, deinde interponit dubitationem quamdam de motu projectorum. Tertio, concludit intentum. Primo ergo præsupponit tres propositiones, quarum prima est: Nulla virtus finita potest movere tempore infinito.

Secunda propositio: In magnitudine finita non potest dari infinita virtus, quod intelligitur de magnitudine materiali quantum est ex vi et proportione formæ materialis.

Tertia propositio: In magnitudine infinita non potest esse virtus finita, quia virtus magnitudinis infinitæ vincit quamcunque virtutem finitam, ergo est infinita.

Circa secundum, interponit dubitationem, quomodo projecta, verbi gratia, sagitta moveatur, cum recedat a projiciente, nec moveri possit ab aere, cum sit eadem difficultas, a quo iste aer moveatur.

Respondet, moveri ab impellente quatenus tangit partem aeris propinquam, et illa aliam, et aliam et eam quæ lapidi adhæret ipsum deferre, cessat autem moveri cum virtus impressa minor est in consequenti, quam in primo; unde talis motus non est continuus, quia licet propter unitatem mobilis videatur continuus, est tamen discontinuus propter diversa moventia, scilicet varias partes corporis intermedii moventes.

Circa tertium, colligit imprimis motorem primum esse unum, quia est principium unius, et sempiterni motus; esse immobilem, quia non est processus in infinitum in moventibus motis ab alio, et sic non movetur nec etiam per accidens, quia non habet necessitatem movendi, quia ab alio movetur, sed a se movet. Similiter non fatigatur in movendo, quia non patitur motum aliquem, et sic virtus ejus non fatigatur, neque laborat. Existit autem in principaliori parte mundi, quæ est vel suprema circumferentia, vel centrum; potius autem est in suprema circumferentia, quia illa velocissime rapitur, et sic ibi majorem vim suam exercet primum movens. Et dicitur esse ibi non per determinationem suæ substantiæ, ad illum locum, sed per efficaciam motus, quia inde motus incipit. Et tandem concludit non habere magnitudinem seu corporeitatem, quia hæc vel esset finita vel infinita magnitudo non datur, ut in tertio probatum est: finita autem non potest esse, quia primus motor movet tempore infinito, ergo habet virtutem infinitam, quæ in magnitudine finitæ esse non potest, ergo caret omni magnitudine. Et sic finitur textus Aristotelis in libris Physicorum.

REVERENTISSIMI P. JOANNIS

A SANCTO THOMA,

ORDINIS PRÆDICATORUM CURSUS

PHILOSOPHICI

SECUNDÆ PARTIS

PARS II ET III.

Quæ de Ente mobili corruptibili ad libros Aristotelis de Ortu et Interitu, et de Ente mobili animato ad libros Aristotelis de Anima.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

SECONDA PARS

PHILOSOPHIÆ NATURALIS.

PROŒMIUM.

Post explicatum ens mobile in communi in octo libris Physicorum, et ens mobile incorruptibile, quod est cœlum, de quo in secunda parte Philosophiæ tractari solet, nos autem aliqua de hac materia in prima parte insinuavimus. Sequebatur nunc secundum ordinem pars tertia, quia tamen ab hujus scientia tyronibus posset aliquid intermissum censeri, ideoque cursus noster mancus judicari. Titulum secundæ partis huic tractatui apposuimus juxta ordinem nostrum, etiamsi secundum ordinem Philosophiæ tertiæ partis titulus apponi deberet. Sequitur igitur in hac tertia parte Philosophiæ et juxta nostrum ordinem secunda agere de ente mobili corruptibili, et generabili, secundum omnes illos motus, quiad generationem pertinent, vel ad illam ordinantur, nam secundum quod res generabiles ordinari possunt per motum localem ad acquirendum locum naturalem, et situationem in universo, pertinet de illis agere ad libros de Cœlo, et mundo, ubi licet agatur principaliter de cœlo, adæquate tamen agitur de toto universo quod componitur etiam ex elementis, secundum quod disponuntur per situationem corporum in ipso.

Totum autem, quod pertinet ad ens generabile, et corruptibile comprehendit Aristoteles duobus libris. In primo explicat omnes mutationes ad generationem et corruptionem pertinentes. In secundo descendit ad explicandum corpora, quibus conveniunt istæ mutationes, scilicet elementa, et corpora mixta, quatenus videlicet sunt principia qualitatum activarum, et passivarum secundum quas fiunt istæ mutationes, ipsaque generatio et corruptio.

Mutationes autem, quæ principaliter ad ipsam generationem consequuntur, vel ordinari possunt ad illam, sunt septem. Prima et principalis, est ipsa generatio substantialis, et ejus oppositum scilicet corruptio. Secunda et quæ propinquius ad ipsam ordinantur ad alterationem quæ generice est una, dividitur vero in tres species, simplicem alterationem, intensionem, et remissionem. Tertia est nutritio, vel loquendo communis aggeneratio. Quarta augmentatio. Quinta reactio, et repassio. Sexta addensatio et rarefactio.

Septima mixtio. Quæ omnia in primo libro tractantur a Philosopho. Circa corpora vero generabilia tria præcipue considerat in secundo libro. Primo, circa elementa quibus qualitatibus prædita sint, et quomodo inter se contrarientur. Secundo, circa mixta quomodo temperata sint. Tertio, circa omnia corpora quæ corrumpuntur, an videlicet possint iterum reproduci hoc ipso, quod semel desinunt esse, quod etiam de quacunque alia re, quæ corrumpitur potest inquiri.

De materia, et subjecto horum librorum.

Constat ex his quæ diximus in quæstione prima Physicorum, subjectum adæquatum Philosophiæ esse ens mobile. Licet autem objectum formale sit unicum, et impartibile, hoc ipso, quod scientia una est secundum speciem atomam, tamen subjectum, seu materia multiplex est, quia una, eademque scientia de diversis rebus agit, licet sub unica ratione formali. Et ita inquirimus in præsenti, quæ pars entis mobilis pertineat ad propriam materiam et subjectum istius tractatus de generatione, quæ pars quædam est unius scientiæ naturalis. Et fere omnes conveniunt, pertinere ad istos libros illud ens mobile, quod est generabile, et corruptibile, cum in nulla alia parte Philosophiæ agatur de illo, nisi hic in libris enim de Anima agitur de ente mobili animato, quod licet corruptibile sit, non tamen agitur de illo, secundum quod corruptibile, sed secundum rationem viventis seu animati, et secundum motus vitales. In libris autem de Cœlo, ut diximus, solum agitur de motu incorruptibili, vel de toto universo, ut componitur ex corporibus simplicibus.

Solum potest esse difficultas, an subjectum istorum librorum sit ens mobile ad formam substantialem, et sic solum generatio ipsa substantialis consideretur per se, de alteratione vero aliisque mutationibus ad generationem ordinatis, solum tractetur quasi de subjecto secundario, et quasi reductive, an vero adæquatum subjectum sit ens generabile ut abstrahit a generabili substantialiter, vel accidentaliter, licet principale subjectum sit generabile substantialiter, seu ipsa substantialis generatio.

Respondetur in sententia D. Thomæ in proœmio librorum de Generat. verius videri subjectum istorum librorum esse ens generabile in secundo sensu allato, scilicet ut abstrahit a generabili substantialiter, vel accidentaliter, licet præcipuum subjectum sit generabile secundum substantiam, seu generatio ipsa substantialis. Dicit enim: « Quod pertinet ad istos libros tractare de motibus, qui non sunt communes omnibus corporibus, sed inveniuntur in solis inferioribus qui utique sunt omnes præter ubi, qui etiam in superioribus coporibus invenitur. » Inter quos principatum obtinet generatio, et corruptio, alteratio enim ordinatur ad generationem, sicut ad finem, augmentatio etiam consequenter se habet ad generationem, ubi illa causalis D. Thomæ: Alteratio enim, etc. Non reddit causam cur in istis libris agatur de alteratione, sed cur alteratio sit motus minus principalis, quam generatio, et ita non agitur hic de alteratione solum reductive, sed tanquam de subjecto minus principali, sicut Metaphysica agit de accidente, subjectum autem principale est generatio substantialis, sicut in Metaphysica substantia, vel Deus, in Logica demonstratio, id enim significat D. Thomas dicens, quod in his motibus princi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

patum obtinet generatio. Ratio etiam id constat, quia alteratio, et augmentatio et reliqui alii sunt vere species motus, et per se: ergo de illis agit Philosophia tanquam de aliquo pertinente ad illam per se, et non reductive, sicut etiam agit de motu locali in libris de Cœlo, et de augmentatione hic: ergo assignanda est aliqua pars Philosophiæ, quæ per se agat de illis, sicut agit de motu locali, non est autem alia pars, in qua tractetur de alteratione, et augmentatione nisi in ista.

Unde colligitur, quod subjectum istorum librorum est mobile ad formam intrinsecam, secundum quam fit generatio, vel corruptio, vel quæ ad illam ordinatur. Nec propterea agit de aliquo conflato ex substantia, et accidenti, ita quod subjectum ejus sit aliquod analogum, tum quia subjectum ejus non est accidens, et substantia, sed mobile ad formam substantialem, vel accidentalem, quod in se quidem substantia est subjective, licet terminative ad aliquid accidentale terminari possit: tum etiam, quia de accidenti, et substantia potest tractari in aliqua scientia, tanquam de objecto univoco in ratione scibilis, licet sit analogum in ratione entis sicut patet in Metaphysica, quæ est unica scientia, et tractat de accidenti, et substantia, eo quod bene possunt res analogice convenientes manifestari eodem lumine, et ex eisdem principiis, et sic in ratione manifestabilis, et scibilis convenire univoce.

Objicies: Si pertinet ad istos libros per se agere de augmentatione, et nutritione, ergo non pertinebit per se agere de illa ad libros de Anima, cujus oppositum diximus ex D. Thoma in initio Physicorum distribuentes partes Philosophiæ, juxta species motus, in quibus augmentatio, quia vitalis est, pertinet ad libros de Anima, vel agetur de augmentatione in eadem scientia bis. Secundo, sequitur quod tractatus iste de generatione præcedat tractatum de Cœlo, siquidem in tractatu de Cœlo agitur de motu locali, qui imperfectior est motu generationis, cum terminetur ad ubi, quod est imperfectius quantitate, qualitate, et substantia, ad quæ motus isti terminantur.

A primum respondetur, id his libris agi de augmentatione, et nutritione, non ut sunt motus vitales, et ab anima vivente, sed ut sunt mutationes quædam corruptivæ, vel generativæ partialiter. Non est autem inconveniens, quod de eodem his tractetur in eadem scientia secundum diversas considerationes, sicut in libris de Cœlo agitur de elementis, quatenus in hoc universo determinatam situationem ad locum postulant, in his autem libris quatenus sunt generabilia, et corruptibilia. In initio autem Physicorum diximus de motu augmentationis agi in libris de Anima quatenus vitalis motus est, et ab anima procedit, non sub ratione motus corruptivi.

Ad secundum respondetur, ad summum probare, quod libri de Generatione sunt priores dignitate, quam libri de Cœlo, non tamen ordine doctrinæ cum potius ab imperfectioribus procedatur. Addo quod licet motus localis ex præciso conceptu ad suum terminum, qui est ubi, sit imperfectior alteratione et generatione, tamen motus localis, qui convenit cœlo prius tractari debet in Philosophia, quam alii motus, tum quia subjectum talis motus est aliquid dignius, et superius, scilicet ipsum cœlum; tum quia habet causalitatem motus ejus in reliqua inferiora, et sic dato, quod incipiendum sit ab eo quod est dignius et perfectius etiam a motu locali

isto, qui cœlo convenit incipiendum est, quia prout sic causans, est dignior. Denique, motus localis universalior est et pluribus conveniens, quam alteratio, et augmentatio, invenitur enim in omni corpore; a communioribus autem incipiendum est.

Ordo quæstionum.

Totum tractatum duodecim quæstionibus absolvemus, novem circa primum librum; et tribus circa secundum. Prima erit de generatione substantiali. Secunda, de corruptione ei opposita. Tertia de alteratione in communi. Quarta, de alteratione in speciali, ut de intensione, et remissione, etc. Quinta, de reactione, et repassione. Sexta, de mixtione. Septima, de condensatione et rarefactione. Octava, de augmentatione, et nutritione. Nona, de subjecto accidentium, et principio individuationis.

Circa secundum librum, quæstio decima erit de elementis: undecima, de mixtis: duodecima, de reproductione rei præteritæ.

QUÆSTIO I.

DE GENERATIONE SUBSTANTIALI.

Tria sunt a quibus differt generatio, scilicet ab alteratione, a corruptione, et a creatione, et consequenter a transubstantiatione, quæ substantiam rei totaliter attingit. Et ideo declaranda est generatio substantialis secundum quod distinguitur ab istis tribus. Prius tamen præmittendum est de quæstione an est generationis, an detur, et quibus principiis a Philosophia inventa sit, et quomodo definiatur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit generatio communiter dicta, et generatio propria viventium?

Generatio communiter dicta potest sumi pro generatione, ut abstrahit a substantiali, et accidentali, nam etiam accidens aliquando generari potest, scilicet si accipiat esse per transmutationem ex non esse, ut mutatio, et non solum per transmutationem ex contrario, ut motus. Hoc modo sumpta generatione definitur communissime: Quod est *transitus seu mutatio de non esse ad esse, in subjecto*, sive sit esse substantiale, sive accidentale, sive secundum quid, sive simpliciter.

At vero generatio substantialis communiter dicta accipi potest pro generatione communiter inventa in viventibus, et non viventibus, et sic definitur generatio: Quod est *acquisitio, seu mutatio formæ substantialis a privatione illius in materia*. Sumiturque ista diffinitio ex variis locis Aristotelis, quibus illam explicavit. Nam in octava Physic. text. LXII, dixit: « Quod generatio est mutatio de non ente in ens. » Et I de Generat. c. IV: Quod est: « Mutatio totius in totum nullo subjecto sensibili manente, » id est, in materia nuda ab accidentibus sensibilibus. Denique, cap. V ejusdem libri dicit: « Quod generatio substantialis est mutatio a substantia in potentia ad substantiam in actu. »

Denique, generatio viventium specialem definitionem habet, quia specialiori modo procedit. Et definiri solet dupliciter, uno modo communiter, quod est *processio viventis ab aliquo*: ubi comprehenditur tam generatio viventium univoca, quam æquivoca, tam quæ est ab alio vivente, quam quæ est a non vivente,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

patum obtinet generatio. Ratio etiam id constat, quia alteratio, et augmentatio et reliqui alii sunt vere species motus, et per se: ergo de illis agit Philosophia tanquam de aliquo pertinente ad illam per se, et non reductive, sicut etiam agit de motu locali in libris de Cœlo, et de augmentatione hic: ergo assignanda est aliqua pars Philosophiæ, quæ per se agat de illis, sicut agit de motu locali, non est autem alia pars, in qua tractetur de alteratione, et augmentatione nisi in ista.

Unde colligitur, quod subjectum istorum librorum est mobile ad formam intrinsecam, secundum quam fit generatio, vel corruptio, vel quæ ad illam ordinatur. Nec propterea agit de aliquo conflato ex substantia, et accidenti, ita quod subjectum ejus sit aliquod analogum, tum quia subjectum ejus non est accidens, et substantia, sed mobile ad formam substantialem, vel accidentalem, quod in se quidem substantia est subjective, licet terminative ad aliquid accidentale terminari possit: tum etiam, quia de accidenti, et substantia potest tractari in aliqua scientia, tanquam de objecto univoco in ratione scibilis, licet sit analogum in ratione entis sicut patet in Metaphysica, quæ est unica scientia, et tractat de accidenti, et substantia, eo quod bene possunt res analogice convenientes manifestari eodem lumine, et ex eisdem principiis, et sic in ratione manifestabilis, et scibilis convenire univoce.

Objicies: Si pertinet ad istos libros per se agere de augmentatione, et nutritione, ergo non pertinebit per se agere de illa ad libros de Anima, cujus oppositum diximus ex D. Thoma in initio Physicorum distribuentes partes Philosophiæ, juxta species motus, in quibus augmentatio, quia vitalis est, pertinet ad libros de Anima, vel agetur de augmentatione in eadem scientia bis. Secundo, sequitur quod tractatus iste de generatione præcedat tractatum de Cœlo, siquidem in tractatu de Cœlo agitur de motu locali, qui imperfectior est motu generationis, cum terminetur ad ubi, quod est imperfectius quantitate, qualitate, et substantia, ad quæ motus isti terminantur.

A primum respondetur, id his libris agi de augmentatione, et nutritione, non ut sunt motus vitales, et ab anima vivente, sed ut sunt mutationes quædam corruptivæ, vel generativæ partialiter. Non est autem inconveniens, quod de eodem his tractetur in eadem scientia secundum diversas considerationes, sicut in libris de Cœlo agitur de elementis, quatenus in hoc universo determinatam situationem ad locum postulant, in his autem libris quatenus sunt generabilia, et corruptibilia. In initio autem Physicorum diximus de motu augmentationis agi in libris de Anima quatenus vitalis motus est, et ab anima procedit, non sub ratione motus corruptivi.

Ad secundum respondetur, ad summum probare, quod libri de Generatione sunt priores dignitate, quam libri de Cœlo, non tamen ordine doctrinæ cum potius ab imperfectioribus procedatur. Addo quod licet motus localis ex præciso conceptu ad suum terminum, qui est ubi, sit imperfectior alteratione et generatione, tamen motus localis, qui convenit cœlo prius tractari debet in Philosophia, quam alii motus, tum quia subjectum talis motus est aliquid dignius, et superius, scilicet ipsum cœlum; tum quia habet causalitatem motus ejus in reliqua inferiora, et sic dato, quod incipiendum sit ab eo quod est dignius et perfectius etiam a motu locali

isto, qui cœlo convenit incipiendum est, quia prout sic causans, est dignior. Denique, motus localis universalior est et pluribus conveniens, quam alteratio, et augmentatio, invenitur enim in omni corpore; a communioribus autem incipiendum est.

Ordo quæstionum.

Totum tractatum duodecim quæstionibus absolvemus, novem circa primum librum; et tribus circa secundum. Prima erit de generatione substantiali. Secunda, de corruptione ei opposita. Tertia de alteratione in communi. Quarta, de alteratione in speciali, ut de intensione, et remissione, etc. Quinta, de reactione, et repassione. Sexta, de mixtione. Septima, de condensatione et rarefactione. Octava, de augmentatione, et nutritione. Nona, de subjecto accidentium, et principio individuationis.

Circa secundum librum, quæstio decima erit de elementis: undecima, de mixtis: duodecima, de reproductione rei præteritæ.

QUÆSTIO I.

DE GENERATIONE SUBSTANTIALI.

Tria sunt a quibus differt generatio, scilicet ab alteratione, a corruptione, et a creatione, et consequenter a transubstantiatione, quæ substantiam rei totaliter attingit. Et ideo declaranda est generatio substantialis secundum quod distinguitur ab istis tribus. Prius tamen præmittendum est de quæstione an est generationis, an detur, et quibus principiis a Philosophia inventa sit, et quomodo definiatur.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit generatio communiter dicta, et generatio propria viventium?

Generatio communiter dicta potest sumi pro generatione, ut abstrahit a substantiali, et accidentali, nam etiam accidens aliquando generari potest, scilicet si accipiat esse per transmutationem ex non esse, ut mutatio, et non solum per transmutationem ex contrario, ut motus. Hoc modo sumpta generatione definitur communissime: Quod est *transitus seu mutatio de non esse ad esse, in subjecto*, sive sit esse substantiale, sive accidentale, sive secundum quid, sive simpliciter.

At vero generatio substantialis communiter dicta accipi potest pro generatione communiter inventa in viventibus, et non viventibus, et sic definitur generatio: Quod est *acquisitio, seu mutatio formæ substantialis a privatione illius in materia*. Sumiturque ista diffinitio ex variis locis Aristotelis, quibus illam explicavit. Nam in octava Physic. text. LXII, dixit: « Quod generatio est mutatio de non ente in ens. » Et I de Generat. c. IV: Quod est: « Mutatio totius in totum nullo subjecto sensibili manente, » id est, in materia nuda ab accidentibus sensibilibus. Denique, cap. V ejusdem libri dicit: « Quod generatio substantialis est mutatio a substantia in potentia ad substantiam in actu. »

Denique, generatio viventium specialem definitionem habet, quia specialiori modo procedit. Et definiri solet dupliciter, uno modo communiter, quod est *processio viventis ab aliquo*: ubi comprehenditur tam generatio viventium univoca, quam æquivoca, tam quæ est ab alio vivente, quam quæ est a non vivente,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sicut cum animal generatur a cœlo. Proprie autem definitur generatio viventium, quando etiam fit per actionem vitalem generativam, et sic diffinitur, quod est *processio viventis a vivente a principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ, saltem in specie infima*, et sic comprehendit omnem generationem vitalem, et rei viventis substantialis etiam in Deo, ut postea explicabimus.

Est tamen advertendum, latius patere generationem substantialem, quam generationem simpliciter. Generatio enim substantialis dicitur per contrapositionem ad accidentalem, sive id, quod generatur sit pars, sive totum, sive formæ ultimo complentis, et terminantis totam generationem, sive formæ non ultimæ, sed tendentis ad perfectam, et ultimam. At vero generatio simpliciter, licet nunquam dicatur de generatione accidentis, quæ semper est secundum quid, tamen nec etiam dicitur de omni substantiali, sed de illa tantum, per quam habetur esse simpliciter, et ultimate completam. Unde generatio partis non dicitur generatio simpliciter, sed potius aggeneratio; et de forma embryonis, quæ est imperfecta et quasi in via, et tendentia ad formam hominis, vel equi, non dicitur generatio simpliciter, quia in illo non consummatur generatio, sed ulterius tendit. De quo videatur D. Thomas 1 de Generat. lect. VIII et IX.

Circa definitionem generationis substantialis communiter dictæ illa solum se offert difficultas, an sit de essentiali ejus ratione quod sit mutatio, an vero hoc accidentaliter illi conveniat, ita quod possit salvari generatio creata sine mutatione, nam de increata id certum est, cum in ea non sit transitus de potentia ad actum, in quo fundatur ratio mutationis, sed solum est communicatio actus puri assimilativa termini generati principio generanti.

Circa hoc ergo, aliqui existimant generationem non esse essentialiter mutationem, sed posse esse, hoc tamen sibi accidere. Fundamentum est, quia non est de essentia generationis, quod præcesserit duratione privatio formæ generandæ, licet enim connaturali modo loquendo generatio non fiat, nisi præcedat alteratio, quasi disponens materiam, et inchoans generationem, atque adeo supponens privationem formæ generandæ duratione præcedere, tamen potest non præcedere duratione privatio, si in ipso instanti generationis producatur a Deo materia, quæ toto tempore antecedenti non fuerit, et in illo instanti introducatur forma, ut quando ex speciebus Eucharistiæ generatur aliquid, tunc enim in instanti generationis subrogatur a Deo materia, quæ maneat in ipso generato, et posset etiam talis materia subrogari, etiamsi antecedenter nihil aliud præcessisset, quod generet vices materiæ, et consequenter haberet vices rei privatæ forma, ut si a Deo crearetur materia de novo, et applicaretur illi agens educens formam, tunc illa generatio non posset esse mutatio, quia non procedit de privatione ad forma quod requiritur essentialiter ad rationem mutationis, quæ est de non esse ad esse, tunc autem non datur privatio in toto tempore antecedenti, cum materia non fuerit, neque in ipso instanti generationis, quia sic esset simul privatio et forma.

Nec sufficit dicere quod præcedit privatio in instanti naturæ, licet non in instanti temporis. Nam contra est, quia instans, seu prioritas naturæ non designat id quod est prius in existendo, et a parte rei, sed solum signat formalitatem, secundum quam aliquid dicitur convenire, vel non convenire alicui, non autem quod de facto conveniat, vel non conveniat, et sic præcedere privationem in instanti naturæ nihil aliud est, quam quod materiæ secundum suam essentiam non conveniat forma, seu ex se careat tali forma, non vero quod de facto in re careat, quia in illo instanti non potest carere, siquidem in illo instanti habet formam, ergo non salvatur, quod de facto et in re sit mutatio, quia in re non transit de privatione ad formam, quia in re non datur talis privatio. Item etiam quia de ratione mutationis est ut subjectum aliter se habeat nunc, et prius, ut dicit D. Thomas, 1 p. qu. XLV, art. II ad 2, sed materia in illo casu non se habet nunc aliter quam prius, siquidem prius non fuit in rerum natura, ergo non dabitur vera mutatio.

Nihilominus dicendum est: Omnem generationem creatam, quæ habet causam materialem ex qua fiat, essentialiter, et intrinsece esse mutationem. Constat hoc in primis quia Philosophus perpetuo diffinit generationem per mutationem, et ita sentit quod est de ejus essentia, et definitione. Patet hoc in isto libro de Generat. text. XXIII, ubi definit generationem, quod sit *transmutatio totius non manente subjecto sensibili*, et text. XXV: *Quod generatio est mutatio a substantia in potentia ad substantiam in actu*. Et VIII Physicor. text. LXII: *Generatio est mutatio de non ente in ens*, et V Physicor. textu VII: *Quod generatio est mutatio de non subjecto in subjectum*. Ubi perpetuo assignat Aristoteles pro ratione generica generationis mutationem, quod est esse ipsi essentialem. Unde D. Thomas q. II de Potentia, artic. I ad 15, expresse dicit: « Quod generatio est species mutationis, ex illa parte, qua natura per generationem recipitur in aliqua materia, quæ est mutationis subjectum: » ergo supponit quod mutatio est prædicatum genericum mutationis, et consequenter est illi essentiale. Et idem sumitur ex illis locis, in quibus docet generationem, et corruptionem esse duas mutationes, licet non sint duo motus, ut in q. XXVIII de Veritate, art. I et VI, et I-II, q. CXIII, art. VI, ut in sequenti articulo ponderabimus. Denique, definito motus tradita a Philosopho III Physic. etiam convenit mutationi instantaneæ, et generationi, ut ex Thoma et Aristotele probavimus III Phys. q. XIV, art. I.

Ratio est, quia generatio essentialiter versatur inter duos terminos *a quo*, et *ad quem*, educit enim, vel introducit aliquam formam quam respicit, ut terminum *ad quem*, siquidem est tendentia in talem terminum, ab eoque specificatur, si autem essentialiter habet terminum *ad quem*, essentialiter etiam respicit terminum *a quo*, quia est impossibile, quod intelligatur aliquis terminus *ad quem* fieri de novo, nisi ex aliquo termino *a quo*, sive negativo, sive privativo, sive positivo, sed omnis transitus, seu tendentia de termino *a quo* ad terminum *ad quem* in subjecto essentialiter est mutatio, cum desetatur unum, et acquiratur aliud; non enim utrumque acquiritur, vel utrumque deseritur, sed unum accipitur, et aliud relinquitur: idque fit in aliquo subjecto; ergo essentialiter generatio est mutatio. Et confirmatur, quia per introductionem formæ in instanti generationis, etiamsi privatio non præcedat tempore, materia formaliter reducitur de potentia ad actum, et ipsa forma vere, et proprie educitur ex illa potentialitate materiæ, ergo vere et proprie materia transmutatur. Consequentia patet, quia invenitur ibi potentiali-

tas materiæ, et indifferentia reducta in actum per formam, et ipsa forma educta in actu de potentialitate illa materiæ : ergo invenitur materia mutata de potentia ad actum, et informata per formam, quæ informatio in genere causæ formalis tollit potentialitatem materiæ, et excludit privationem in facto esse, ergo datur mutatum esse de facto : ergo etiam generatio, quæ totum hoc efficit est mutatio in fieri, sicut per ipsam formam datur mutatio formalis, et in facto esse.

Ad fundamentum oppositum respondetur quod in casu generationis ex speciebus Eucharistiæ, jam diximus in q. II Physic. art. III ad ultimum, quod ibi non variatur naturalis ordo generationis, quia quantitas conservata sine subjecto gerit in omnibus vicem substantiæ, et sic recipit dispositiones antecedentes, quibus determinatur materia ad generationem, et consequenter gerit vices materiæ privatæ forma, et hac ratione præcedit in illa generatione privatio : non quidem in materia, sed in substituto materiæ, scilicet in quantitate prout gerit vices illius. In instanti autem generationis subrogatur materia a Deo, ut componens rem generatam, cum eadem determinatione ad formam, quæ ex vi dispositionum præcedebat in quantitate perinde ac si toto tempore ante præcessisset materia, quia producitur ut continuata ad id quod gerebat vices materiæ antecedenter; et sic generatio illa fit ex privatione, quæ in illo instanti expellitur in facto esse a materia, in toto autem tempore antecedenti præcessit non formaliter in ipsa materia, sed virtualiter, scilicet in eo, quod loco materiæ habebatur. In casu autem quo, quod nihil præcessisset ante de materia neque de aliquo, gerat vices materiæ, et dispositiones recipiat ad generationem, respondetur quod tunc sufficit ad rationem mutationis, qualis tunc invenitur, quod præcedat privatio prioritate naturæ, non temporis.

Et quando urgetur, quod si privatio non præcessit duratione, non dabitur in re mutatio de tali privatione ad esse, respondetur in primis quod si tunc tollitur mutatio, etiam tolletur generatio, et quod sufficit ut generatio maneat, sufficit ut maneat mutatio. Unde addo quod sufficit privatio non duratione præcedens, sed in re exclusa et expulsa in illo instanti per formam introductam ab agente extrinseco vel eductam e materia, ut detur in illo instanti mutatio, quæ non petit privationis existentiam ut in re detur, sed exclusionem privationis in re, excluditur autem privatio, etiamsi non præcesserit duratione per hoc solum, quod potentialitas materiæ ab extrinseco agente immutatur educendo formam, et sic formæ carentia excluditur, non per propriam emanationem, sed per extrinseci agentis actionem, atque adeo immutationem. Et licet prioritas naturæ non dicat existentiam, seu durationem rei, sed solum quod ex vi naturæ aliquid conveniat, vel non conveniat, tamen hoc sufficit ut dicatur subjectum mutari, quando per actionem extrinseci agentis excluditur privatio, non quæ inerat formaliter sed quæ debebat inesse, si per actionem illam non tolleretur educendo formam, vel uniendo.

Ad ultimam autem instantiam, quod mutatio dicit aliter se habere nunc quam prius, respondetur quod in mutationibus instantaneis, si illas præcedit aliquis motus per modum dispositionis requisitæ, sicut communiter accidit secundum ordinem naturæ, tunc necesse est, quod aliter se habeat nunc, quam prius prioritate temporis, in quo dispositiones illæ et motus illi præcedunt, et similiter privatio formæ generandæ. Cæterum si mutatio instantanea sumatur secundum præcisum conceptum suum, et remoto eo quod antecedit naturaliter, mutatio dicit aliter esse nunc quam prius prioritate naturæ, dummodo in subjecto impediatur privatio, ne detur, per actionem agentis extrinseci introducentis formam, inde enim regulari debet quod sit mutatio, non ex præexistentia privationis. Et ita in alio reali instanti est privatio non afficiendo subjectum, sed in expelli ab illo per actionem extrinsecam, quia illa prioritas naturæ non est existentiæ, sed expulsionis, et consequenter mutationis pro illo instanti, in quo est introductio formæ.

Et si dicas : Nam ad quietem non sufficit, quod eodem modo se habeat aliquid nunc, et prius secundum prioritatem naturæ, alias posset aliquid quiescere in uno tantum instanti, sed requiritur, quod se habeat sicut prius prioritate temporis, ergo similiter requiretur ad mutationem, quæ opponitur quieti, respondetur quietem privativam requirere quod aliquid se habeat nunc, sicut prius prioritate temporis, non autem quietem negativam, et similiter id requirere motum, qui constat ex duabus mutationibus, scilicet generatione, et corruptione, non autem mutationem instantaneam ex suo præciso conceptu, ut quando non habeat adjunctum motum præcedentem, nec corruptionem formæ oppositæ. Motus autem qui proprie opponitur quieti, est ille, qui includit duas mutationes, corruptionis, et generationis, seu qui est motus successivus, in quo invenitur esse alter nunc, quam prius prioritate temporis, non vero requiritur ad mutationem instantaneam, sicut neque ad quietem negativam.

De generatione viventium.

Circa definitionem generationis viventium duas particulas oportet explicare. Altera est quomodo sit *processio a principio vitæ conjuncto*. Altera est *in similitudinem naturæ*. Ut prima particula explicetur est advertendum, quod ad generationem rei non viventis non requiritur, quod res genita vel materia ex quam generatur sint conjuncta generanti, et intra ipsum, sed sufficit quod materia sit juxta posita, et extrinsece applicata, ut ex illa aliquid generetur, sicut ignis generat ignem ex ligno juxta se posito, et applicato non intra se unito. At vero viventia intra se formant id quod generant, et ex sua substantia præbent materiam ex qua generetur, imo quanto perfectior est natura viventis, tanto res genita conjunctior est principio generanti, ita quod in natura intellectuali res, quæ procedit ab intellectu, non solum quando fit, et formatur, sed etiam quamdiu existit intra intellectum manet, nec ad aliam potentiam, vel subjectum emittitur. Et ex hoc distinguit D. Thomas IV cont. Gent. cap. XI, et in III, distinct. VIII, quæst. I, art. I, diversos gradus emanationis in viventibus penes hoc, quod res genita sit magis, vel minus conjuncta suo principio generanti, sicut videmus in plantis, et animalibus, quod procedit et deciditur semen ex ipsis, in quo est virtus formativa rei genitæ, et materia ex qua formatur. Unde ipse fœtus in principio colligatur suo generanti, vel fructus arbori, fœtus matrici animalium, sed tamen inde postea separatur, quando nascitur, ideoque dicitur procedere a principio vitæ conjuncto, tum quia materia ex qua formatur, et virtus seminis formativa a generante deci-

ditur, tum quia primo illi colligatur, et intra ipsum formatur antequam nascatur. In vita autem sensitiva per ipsas potentias sentientes producitur cognitio, quæ magis intima est suo principio, quia fit per actionem immanentem, sed tamen non est totaliter intima, tum quia postulat principium ab extra, scilicet speciem impressam, et producit aliquem terminum, scilicet idolum seu speciem in aliis potentiis, scilicet a sensu externo in sensum communem, et a sensu communi in phantasiam, et ab illa in memoriam, ut in tertio de Anima dicetur. In vita autem intellectiva adhuc emanatio cognitionis est magis intima suo principio, quia licet in nobis requirat species impressas ab extra provenientes, tamen species expressa, seu verbum quod formatur per ipsas, non transit ad aliam potentiam, sed in ipso intellectu manet. Est tamen altior vita intellectiva in Angelis, qui ab extra non accipiunt species cum careant sensibus, sed intus intellectu nascuntur, vel infunduntur a Deo, ipsa etiam species expressa intra intellectum manet, sed tamen, quia est accidens, et non substantia, ad perfectam generationem non pervenit. Quare perfectissima generatio ex omni parte est in Deo, in quo, et id quod procedit, est substantia, et ita conjuncta suo principio, ut sit unum, et consubstantiale, cum ipso juxta illud Joannis x: *Ego et Pater unum sumus*. Totus hic discursus est D. Thomæ.

Secunda particula est *in similitudinem naturæ*, in qua designatur qualis debeat esse res procedens in generatione, et qualis modus procedendi. Requiritur enim ad generationem viventis, ut id quod procedit non solum sit genitum, sed etiam filius, generantur enim ex vivente pili, ungues, vermes, et alia similia quæ procedunt active a vivente, et ipso ministrante materiam, ex qua formentur, nec tamen procedunt, ut filii, quia non in similitudinem naturæ. Secundo, requiritur ut ipsa generatio sit essentialiter assimilativa, non solum concomitanter, vel in primo modo per se, sed etiam in quarto modo per se, ita quod eo modo sit per se ista: *Generans assimilat*, atque ista: *Calidum calefacit; Medicus jurat*, eo quod generatia est actio propagativa naturæ, et ita debet esse productiva ad imaginem, et similitudinem generantis quasi expressiva illius, quod est esse in quarto modo assimilativam, et non solum in primo modo per se.

Qua ratione intelligitur, quomodo in Divinis processio Verbi sit generatio, et non processio Spiritus Sancti, quia processio Spiritus Sancti est quidem processio rei similis identice, et concomitanter, imo et essentialiter in primo modo per se, quia est processio intra Deum et generali notione, quidquid est intra Deum est Deus; formaliter autem, et in quarto modo solum procedit ut impulsus Divinus, cui ex eo quod est Divinus, non tam convenit similitudo, quam identitas essentialiter in primo modo per se cum eo a quo procedit et sic ejus processio non est assimilativa. At vero Verbum ex ipsa formali ratione quam procedit, intra intellectum procedit, ut imago, et ut simile in quarto modo per se cum principio generante, et non solum ratione identitatis, quia est intra Deum, et ideo propriissime est generatio, et processio assimilativa in substantia, et natura, scilicet in ipso intelligi, et intelligere Divino, sicut si homo posset producere alterum hominem ex limo terræ, et artificio manus, et similiter per seminalem propagationem, ille qui procederet pro propagationem esset filius, qui autem artificiose non esset filius, licet uterque essentialiter esset verus homo. Sic ergo requiritur ad generationem quod aliquid procedat in similitudinem, tum ex parte ipsius rei generatæ, tum ex parte modi procedendi assimilativo modo, et hoc quantum est ex vi generationis, nam per accidens ex aliquo impedimento potest aliquid degenerare a perfecta similitudine, sicut monstrum, et tunc erit vera generatio, sed deficiens, et proprie degeneratio.

ARTICULUS II.

Quibus principiis Philosophia assequatur dari generationem substantialem?

Tota difficultas apud veteres Philosophos circa investigationem generationis substantialis consistebat in eo, quod non poterant intelligere materiam primam, quæ esset in potentia ad esse simpliciter, et tamen in se esset ens in re, et consequenter non poterant intelligere formam substantialem, quæ daret esse simpliciter materiæ, scilicet ipsum primum esse, sic enim materia de se careret omni esse, et consequenter non esset ens; ex non ente autem non fit ens, quia ex nihilo nihil fit, ut late tractat Philosophus I Phys. et in hoc libro I de Generatione et I Metaph. c. II. Et ita diximus in q. III Physicorum, quod nisi ponatur materia ita esse ens in potentia, quod caret omni esse entitativo ex se, hoc ipso caremus omni principio ad ostendendum dari formam substantialem, quæ det primum esse quod est esse simpliciter, et substantiale.

Quare vel ex hoc manifestum fit apud Aristotelem et D. Thomam qui illum sequitur, omnino ignotum fuisse, quod materia prima haberet ex se actum entitativum, et existentiam incompletam, eo quod antiqui existimabant materiam esse non ens, et omnino nihil hoc ipso quod esset ens in potentia, ut constat ex Philosopho in hoc primo libro de Generatione, text. XII, ubi inquit: « Hoc maxime timuisse Philosophos antiquos in assignanda generatione substantiali, ne ex nihilo præexistenti aliquid generaretur. » Quod explicans D. Thomas ibi lect. VI, circa finem inquit: « Quod maxime timuerunt exprimi Philosophi, quod aliquid generaretur ex nullo præexistente, quod enim non est ens actu, nihil est. Sic igitur videtur, quod non posset esse generatio simpliciter hoc modo, quod substantia generetur ex non ente actu, ente autem in potentia. » Existimabant ergo antiqui, materiam hoc ipso, quod esset ens in potentia esse nihil, et consequenter carere actu entitativo seu existentia partiali, si enim haberet illam, bene staret, quod materia esset ens in potentia respectu formarum, et tamen non esset nihil, quia ut sit nihil, omni existentia debet carere etiam partiali. Philosophi vero antiqui inferebant, quod si esset ens in potentia, et non in actu, erat nihil, ergo existimabant carere omni esse etiam partiali, si esset in potentia ens. Aristoteles autem rejiciens hanc sententiam antiquorum non dicit materiam habere actum entitativum seu existentiam, licet sit in potentia ad formas, sed dicit materiam non esse nihil, sed existere quatenus est sub diversis formis; ratione cujus generatio unius est corruptio alterius, et sic generationem fieri per se ex ente in potentia, per accidens autem ex ente in actu, quia ad generationem per accidens est quod extiterit materia sub ista, vel illa forma, quæ corrumpitur, per quam habet esse in actu, ut docet I Physicor. tex. LXVI, et I de Generatione, text. XVII, ut explicat ibi D. Thomas lect. VII, circa fi-

nem. Si autem materia, ut concurrit ad generationem per accidens est ens actu, id est, per formam quæ corrumpitur, manifeste supponit Aristoteles materiam ex se non habere actum entitativum, vel existentiam partialem, alioquin fieret generatio ex ente in actu per se, quia non per formam, sed per suam entitatem esset existens, seu ens in actu.

Quare principium ad ostendendum contra antiquos Philosophos, quod detur generatio substantialis, et quod introducatur forma substantialis in materia solum ex duplici capite sumitur. Primo, ex esse, quod discernit substantiam ab accidente, scilicet esse per se, quod est primum et substans aliis, quia si datur generatio substantialis debet dare esse per se, et introducere formam quæ det tale esse. Secundo, sumitur principium ex corruptione substantiali quæ generationi opponitur. Si enim hæc datur, etiam et generatio substantialis. Primo ergo modo procedendo necessario sumendum est pro principio, quod materia sit ens in potentia sine ullo actu entitativo, quia generatio substantialis supponitur est illa per quam acquiritur esse substantiale seu sit ens simpliciter, et quia antiqui dicebant, quod quidquid est ens, debet esse ens in actu, consequenter inferebant, quod si generatio supponit aliquod ens pro subjecto, debet supponere ens actu, et sic nulla generatio datur, quæ possit facere ipsum esse substantiale, id est, primum, et fundamentale esse, quod est substantiale. Cum ergo juxta principia Aristotelis admittamus, quod ex nihilo nihil fit, et rursus, quod generatio substantialis faciat ens simpliciter dando ipsum esse primum, et substantiale, oportet dicere, quod subjectum ex quo fit generatio substantialis, scilicet materia prima, neque sit nihil neque sit ens actu de se, sed in potentia per se, et in actu per aliud, scilicet per formam. Si autem semel ponatur materia de se ens actu, et existens per actum entitativum non potest probari contra antiquos, quod forma ei adveniens sit substantialis, et quod generatio sit substantialis dans primum, et integrum esse, nisi probetur contra ipsos, quod etiamsi supponatur esse partiale in materia, potest per formam advenientem illi, resultare esse substantiale, et partes ipsas substantialiter conjungi. Ad hoc autem non datur principium apud Aristotelem, nec potest dari, nisi petatur principium. Nec enim nobis potest constare contra negantes generationem substantialem, et formam substantialem, ut negabant antiqui, dicentes materiam esse totam substantiam rei, non inquam potest constare, quod forma aliqua, et ratio sint substantiales, nisi ratione ipsius esse substantialis (id est, primi et substantis omnibus) quod præbent. Si autem præsupponunt aliquod esse partiale in materia, occluditur ista via, et enervatur istud principium. Unde enim probabitur, quod illud esse, quod dat formam sit primum, et substantiale, si supponit aliud in materia cui advenit? Et si dicatur illud esse partialiter. Hoc restabat probandum, et est petere principium, negabant enim antiqui dari formam substantialem, sed materiam esse totam substantiam rei. Unde ergo probatur illa partialia esse materiæ primæ et formæ, ita facere unum, quod constituant generationem simpliciter? Sicut si producitur aliqua pars integralis, et conjungitur alteri habenti jam esse, mutatio illa erit aggeneratio: et non prima generatio, quia supponit primum aliquod esse, ita si in materia supponitur esse, et forma producta addit ei aliud esse, etiamsi sit partiale, non potest probari, quod sit

generatio simpliciter: quia ex ipso primo esse, unde probari debet substantialitas ista non probatur, siquidem supponitur aliquod esse in materia, et sic dicerent antiqui, quod forma non dat primum esse, et simpliciter esse, sed additionem seu aggenerationem ad esse præsuppositum, in nostra autem sententia, cum sit tantum unum esse, quod per formam tanquam per principium convenit composito et actuat materiam, idem est dare esse composito per formam, et dare primum esse, et simpliciter esse. Aliunde vero non probatur contra antiquos, istas duas partes esse substantiales, scilicet materiam et formam, nisi vel supponatur dari tales partes quod negabant ipsi, et sic esset petere principium, vel probetur esse substantiales, ex eo quod necessariæ sunt ad generationem et corruptionem, et hoc iterum est, quod ipsi negabant dari scilicet generationem, et corruptionem substantialem, sed solum alterationem, quæ latentes formas apparere faceret, vel occultaret. Quare nisi dicatur formam dare ipsum primum esse, et consequenter materiam ita esse in potentia ad formam, quod nullum in se supponat esse, sed totum habeat per formam, non probatur generatio substantialis contra antiquos.

Ex secundo principio probatur, dari generationem substantialem, videlicet ex ipsa corruptione. Constat enim dari corruptionem substantialem, ergo debet dari generatio. Consequentia est bona, quia si formæ quando desinunt substantialiter corrumpuntur, ergo quando incipiunt, substantialiter generantur, et non solum apparent de novo, alias quando desinunt, solum occultarentur. Antecedens autem probatur, tum quia si non esset corruptio substantialis omnis substantia esset incorruptibilis in esse substantiali: tum quia si forma non corrumpitur, sed manet in materia vel non distinguitur a materia: ergo etiam manebunt ejus propriæ passiones, nec enim est cur proprias passiones separemus manente forma, et natura, cujus sunt; constat autem, quod quando animal moritur non manent potentiæ sensitivæ in terra, vel igne, in quem convertitur. Nec dici potest quod manent ibi istæ potentiæ, sed impeditæ, et latentes, sic enim si in igne, v. g. est potentia videndi, et audiendi, sed tamen impedita, ignis esset cæcus, et surdus, quia habet istas potentias cum impedimento. Tum denique constat dari corruptionem substantialem in homine, quia ipso mortuo anima manet separata a corpore, alias non moreretur homo, si maneret anima unita materiæ, et homo esset incorruptibilis substantialiter; nec enim anima latet in materia, nec educitur, sed deforis venit. Recedente ergo anima oportet, quod in materia incipiat esse nova forma per veram generationem, siquidem forma, quam habebat, substantialiter separata est ab illo.

Aliæ probationes solent afferri ab aliis auctoribus quæ contra antiquos parum habent efficaciæ, verbi gratia, quod materia prima est in potentia passiva ad omnes formas, quod dantur diversæ formæ substantiales, quod diversa accidentia, et operationes sequi debent ad diversas formas, eo quod materia de se est indifferens ad omnia. Hæc enim petunt principium, quia hoc erat, quod ipsi negabant, scilicet dari formas substantiales, aut accidentia sequi ad formam de novo advenientem, sed de novo apparentem in materia, in qua secundum se latitabat, eo quod dicebant materiam esse ens actu, et non indigere forma substantiali dante illi primum, et substantiale esse, sed supponente mate-

riæ existentia, et sic omnis forma de novo adveniens erit accidentalis, quia non conveniet ei propria ratio substantiæ, quæ importat primum esse, quod est substans aliis. Quare nisi affirmetur, quod materia est ens in potentia taliter, quod etiam primum esse habet per formam, istæ probationes evacuantur.

Contra generationem substantialem sic explicatam pauca sunt, quæ difficultatem faciant. Argumentum enim antiquorum quo movebantur, non habet vim. Dicebant enim non posse dari formam, quæ det primum esse quale debet esse substantiale, sic enim illa forma adveniret subjecto nullum habenti esse, siquidem forma subjecto dat primum esse, ergo illud subjectum est nihil, et ita simpliciter aliquid fieret ex nihilo, quod est non generari sed creari. Ad hoc respondetur ex doctrina Aristotelis et D. Thomæ, quod materia prima, nec est nihil, neque est ens in actu seu existens per se, et ratione propriæ entitatis, sed est existens per aliud, scilicet per formam, et ita de se est ens capax existentiæ, sicut et formæ, licet non sit ipsa forma, nec ipsa existentia. Quod autem est capax existentiæ vel vere est ens, et non est nihil, ut contradictorie opponitur enti, quia nihil neque per se, neque per aliud est capax existentiæ, materia autem, ut subjecta formæ, vere existit, non vero sine forma, imo etiam ipsum compositum substantiale, sine modo subsistentiæ, et sine accidentibus non existit, neque operatur.

Secundo objicies: Quia in ipsa substantia quæ generatur, solum invenitur essentia, et existentia, essentia fieri non potest, cum remota essentia non maneant, nisi prædicata essentialia, quæ sunt perpetuæ veritatis, et independentia a tempore. Existentia autem non est substantia, sed est aliquid accidentaliter conveniens substantiæ, supposito quod ab ea distinguitur, imo et ipsa actio generativa accidens est de prædicamento actionis: ergo terminus ejus est accidens.

Respondetur, essentiam non fieri, nec produci ex parte connexionis essentialis prædicatorum objective sumptam, sic enim objective est æternæ veritatis, sed subjective, ut in se existens producitur ipsa essentia, et substantia, ut subjecta existentiæ, ita quod essentia se habet ut res existens, existentia vero, ut id quo existit, tanquam terminus actualis productionis, et essendi extra causas. Et licet existentia dicatur accidentaliter convenire, non tamen tanquam accidens prædicamentale, sed accidentaliter prædicabiliter, tanquam modus, vel terminus substantiæ, quæ reducitur ad ejus prædicamentum. Revera tamen essentia ipsa producitur, ut subjecta existentiæ, non seorsum ab illa, sicut neque seorsum a productione, sed per illam, et natura non producitur seorsum a composito, vel supposito, sed in illo. Essentia autem ut subjicitur existentiæ aliquid temporale est, et non æternum, neque æternæ veritatis, quia per temporalem actionem datur existentia, et subjectio essentiæ ad existentiam. Generatio autem est accidens de prædicamento actionis formaliter, sed terminative respicit substantiam, eo quod exit a potentia generativa in virtute substantiæ, et ideo est accidens, et tamen ad substantiam producendam tendit.

Denique arguitur: Quia si una generatio succedit alteri, sequitur quod plures res specie diversæ participant eamdem materiam, atque adeo non erunt substantialiter, et ex omni parte diversæ. Similiter etiam materia pertinebit ad diversas species, modo ad unum, modo ad aliam prout fuerint diversæ formæ; quibus

unitur, et sic non manebit simpliciter eadem, siquidem actualitatem, et speciem sumit a forma.

Respondetur, non esse inconveniens, quod res specie diversæ habeant materiam communem, sicut habent, non tamen simul informando, sed successive, quia materia sic est capax omnium formarum, et in potentia ad illas. Et ita non communicant in eadem materia numero, sed eadem materia secundum potentialitatem servit ad diversas formas in diversis compositis, successive una forma excludente aliam, et diversum compositum constituente, quod non est inconveniens. Nec inconvenit, quod materia participet per informationem diversas species formarum et constituat diversa composita successive, quia est in potentia ad illas, de se autem non habet nisi entitatem potentialem, quam utique a forma non accipit, sed recipiendo in se formas, actuatur ab illis, et reducitur in actu ad illam speciem a qua informatur, cum enim materia sit pars speciei et compositi, quod constituit, ad multas species potest reduci in actu, eo quod ad omnes est in potentia.

ARTICULUS III.

In qua actione, et mutatione consistit generatio substantialis?

Ut cognoscamus, et discernamus substantialem generationem inter multas actiones quæ ad illam concurrunt, oportet duo investigare. Primum, an sit generatio substantialis actio et mutatio distincta a tota actione dispositiva, quæ per alterationem operatur in materia, an vero posita alteratione usque ad ultimam dispositionem, sine nova actione resultet generatio. Secundum est in ipsamet generativa actione, qua debeamus assignare formalitatem, in qua consistat ipsa ratio generationis substantialis, invenitur enim in actione generativa ratio eductionis vel productionis formæ, similiter ratio unionis formæ ad materiam, ratio etiam conversionis, et alia similia, inter quæ oportet discernere, quomodo formaliter pertineat ad rationem generationis. Quod vero attinet ad actiones subsequentes generationem, non oportet investigare, quomodo discernatur ab illis generatio, quia consummata, et transacta generatione, actiones quæ restant, manifestum est quomodo ab illa distinguantur, et ad generationem constituendam non pertineant, sed illam supponant, ut nutritio, augmentatio, et aliæ similes. A quo vero principio immediate procedat generatio substantialis in illo instanti, in quo perficitur, et in quo forma introducitur dicemus art. VII.

Circa primum sentiunt aliqui, generationem non esse actionem distinctam ab alteratione, sed posita alteratione, quasi resultare et consequi ad ipsam, et hæc vocatur generatio, et se habet, ut terminus alterationis, non quidem ab alteratione productus, illamque specificans, hic enim est qualitas, sed consecutus et resultans sine nova efficientia propter connexionem naturalem cum illis dispositionibus sicut resultant passiones posita essentia, sine nova efficientia. Fundamentum sumitur, primo ex quibusdam auctoritatibus D. Thomæ in quibus frequenter repetit, generationem esse terminum alterationis. Et specialiter in tract. de Natura materiæ, id est, opus. XLII, inquit: « Quod alteratio, per quam spoliatur materia a forma priori in se requirit subjectum actu existens, quia ipsa est motus, in suo vero termino non requirit subjectum actu existens, terminus autem ejus generatio est. » Et loquens de generatione hominis 1 p.

q. CXVIII, art. II ad 4, inquit: « Quod homo generat sibi simile in quantum per virtutem seminis ejus disponitur materia ad susceptionem talis formæ. » Ubi generationem etiam reduplicative, ut est generatio rei similis constituit D. Thomas in actione seminis dispositiva.

Deinde, sumitur fundamentum ex ratione, quia non possunt accidentia se solis producere substantiam actione substantiali distincta ab accidentalie accidens enim per se producunt, neque similiter substantia per se immediate potest talem distinctam actionem producere, cum non sit immediate operativa. Neque similiter accidens, ut motum a substantia potest illam distinctam actionem producere, quia est eadem difficultas de illa motione quomodo procedat a substantia, et non medio alio accidenti. Si autem accidens non recipit novam, et excellentiorem motionem, ut producat substantiam, ergo eademmet actio, qua producit accidens, non excellentior facta neque elevatior producit substantiam, et hoc est quod intenditur, quod eadem actio, quæ attingit calorem transeat ad substantiam ignis mediante positione caloris resultantem ex connexione ad illum.

Nihilominus oppositum dicendum est : Generationem esse actionem distinctam ab alteratione, nec substantiam resultare ex alteratione, vel ex qualitate per illam producta sicut propriæ passiones resultant ex essentia, sed per veram efficientiam produci distinctam ab efficientia qua ipsa qualitas per alterationem producitur, nec D. Thomas unquam dixit substantiam ipsam resultare ex alteratione, vel ex qualitate per illam producta, sed quod generatio (id est, actio ipsa) est terminus alterationis, si autem substantia resultaret exipsa, non diceretur generatio esse terminus alterationis, sed res ipsa genita, si ergo generatio ipsa est terminus alterationis, ergo est distincta actio ab ea.

Quod autem D. Thomas ponat ipsam generationem tanquam distinctam actionem ab alteratione constat in primis, quia in III cont. Gent. C. LXVII, inquit : « Quod si forma accidentales, quæ sunt in rebus corporalibus habent proprias actiones, multo magis forma substantialis habet aliquam propriam actionem, non est autem hujusmodi actio disponere materiam, quia hæc fit per alterationem ad quam sufficiunt formæ accidentales, ergo forma generantis est principium actionis, ut forma substantiali introducatur in generatum. » Ita D. Thomas ubi condistinguit actionem introducentem formam substantialem ab actione disponente materiam, quæ est alteratio, ad quam dicit sufficere formam accidentalem, ad illam vero requirit formam substantialem generantis, licet non ut principium proximum. Item generatio et corruptio, ita dicuntur terminus alterationis, quod etiam habent ulterius suos terminos, et pro ea parte qua ulterius habent terminos, non sunt ipsa substantia genita vel corrupta, sed actio seu tendentia ad ipsam. Antecedens probatur ex D. Thoma II-II, q. CLXIV, art. I ad 7, ubi inquit : « Quod mors potest sumi uno modo pro ipsa privatione vitæ, alio modo secundum quod nominat ipsam corruptionem, quæ terminatur ad privationem prædictam. De corruptione autem, sicut et de generatione dupliciter loqui possumus ; uno modo secundum quod est terminus alterationis ; alio modo corruptio potest accipi cum alteratione præcedenti, prout dicitur aliquis mori, dum movetur in mortem. » Ecce quomodo D. Thomas et fatetur corruptionem esse terminum alterationis, sicut et generationem ipsam, et tamen

corruptionem dicit ad privationem terminari, atque adeo similiter generatio terminabitur ad oppositum privationis, quod est forma, ergo sentit generationem et corruptionem non solum esse quid distinctum ab alteratione, tanquam terminum productum, seu resultantem, sed tanquam actionem utpote qui respiciat terminum.

Fundamentum autem assertionis positæ est, quia alteratio quæ toto tempore antecedente instans generationis procedit, existit in subjecto desinente, et corrupto : ergo non potest ex tali alteratione resultare ipsa substantia genita, nisi intercedat nova, et distincta actio producens ipsam substantiam. Antecedens constabit infra art. VI et VII, conceditur-que ab Auctoribus oppositæ sententiæ, eo quod alteratio non subjectatur in nuda materia, cum sit motus, sed in composito, ante instans autem generationis non datur compositum generatum, sed corrumpendum in instanti generationis : ergo in illo subjectatur alteratio. Consequentia autem probatur, quia non potest resultare generatio ex alteratione in eo subjecto, in quo existit alteratio, siquidem illud corrumpitur per generationem, et sic in eo non resultat generatio, cum sint incompatibilia, res quæ generatur et subjectum in quo est alteratio illa antecedens ad instans generationis. Si autem resultat generatio in alio subjecto, in quo alteratio non existit, quia corrumpitur ad corruptionem subjecti : ergo non potest resultare ex ipsa talis generatio, alioquin resultaret ex ipsa, id quod destruit ipsam, hoc autem est impossibile cum resultantia fundetur in connexione necessaria, et per se unius cum alio, non autem potest habere connexionem necessariam per modum resultantiæ cum eo, cum quo est incompatibile.

Unde non potest dici, quod ad istam resultantiam non requiritur quod alteratio existat in eodem instanti in quo generatio resultat, sed sufficit immediate antea extitisse, et virtualiter manere in instanti generationis. In hoc enim fundamus totam vim rationis factæ, quia repugnat fieri aliquid per resultantiam, et non per novam actionem hoc ipso, quod non existit, sed habet incompossibilitatem aliquid cum illo, quia resultantia, ut distinguitur ab actione fundatur in connexione necessario, et per se unius cum alio, ita ut existente illa, existat alia resultans, quia eadem actione fiunt, et cessat prima, cessat secunda, sicut ipsa passio resultat ex essentia, et existit cum illa, sed alteratio ut est actio et motus, in ipso subjecto, quod corrumpitur desinit, et non existit in instanti generationis : ergo ex illa non resultat res genita, nec per resultantiam habet esse ex illa, cum potius sit incompatibilis cum illa in eodem instanti. Quod si dicas, intercedere hanc connexionem, quia dispositio illa necessitat ad generationem, respondetur intercedere connexionem, et necessitatem unius actionis cum altera actione, id est, actionis alterativæ cum generativa, et sic necessitatur agens ad illam secundam actionem ex suppositione primæ, sicut posito assensu præmissarum necessitatur intellectus ad assensum conclusionis, et tamen assensus conclusionis est distinctus actus ab assensu præmissarum, hæc tamen connexio actionum supponit generationem esse actionem distinctam, alioquin non sequeretur ex vi connexionis ut distincta a prima, non autem quod eadem actione, qua fit unus terminus sine nova actione, resultet alius in vi solius connexionis, sicut passiones propriæ.

Ad primum fundamentum oppositum desumptum ex auctoritatibus

D. Thomæ respondetur, quod quando dicit generationem esse terminum alterationis, sensus est, quod est finis illius tanquam actio principalior, ad quam ordinatur alteratio, non tanquam ad rem productam per resultantiam, sed tanquam ad actionem distinctam, quæ præsupposita alteratione ut disponente, oritur necessario a generante, sicut si diceretur quod assensus conclusionis est terminus assensus præmissarum. Quod ex ipsa doctrina D. Thomæ manifestum fit, dicit enim quodl. XI, art. IV: « Quod per alterationem materia disponitur ad formam et per motum localem corpus luminosum accedit ad situm, in quo illuminat, et secundum hoc dicitur quod generatio et corruptio sunt terminus alterationis, et illuminatio motus localis. » Et similia dicit I p. q. LIII, art. III, ubi parificat motum localem respectu illuminationis cum motu generationis respectu alterationis, sed constat, quod illuminatio est actio distincta a motu locali, ergo etiam generatio substantialis est actio distincta ab alteratione, et sic explicatur quod dicit D. Thomas quodl. VII, ar. IX, quod alteratio habet duos terminos, scilicet qualitatem, et formam substantialem, intelligitur enim habere duos terminos non per modum resultantiæ unius termini ad alium, sed per modum ordinationis hujus actionis ad aliam. Et sic etiam exponitur quod dicit in opusc. II, quod terminus alterationis generatio est, intelligitur enim quod est terminus per modum finis tanquam actio distincta et principalior, non quod ipsa substantia genita per resultantiam oriatur ex alteratione sine nova actione.

Ad id vero quod adducitur ex D. Thoma de generatione hominis, respondetur quod homo dicitur generare sibi simile in quantum per ejus virtutem disponitur materia, non producendo, vel educendo formam ex materia, sicut aliæ generationes, sed quia disponendo materiam unit illi formam et sic illam attingit ut unitam, quæ expositio sumitur ex ipso D. Thoma q. III de potent. art. IX ad 6, ubi inquit: « Quod in aliis generationibus generans est causa ipsius formæ, in anima autem rationali est causa unionis talis formæ ad materiam per hoc quod disponit materiam ad eam, nec oportet quod sit causa ipsius formæ. » An vero sicut cum producitur forma in aliis generationibus, et datur distincta actio producens formam ab alteratione disponente, ita quando attingitur forma hominis unitive attingatur distincta actione D. Thomas non dicit. Et in hoc sunt diversæ opiniones, nam Ferrariensis contra Gent. c. LXXXIX, solum videtur admittere, quod homo virtute seminis non producit nisi dispositiones, quibus corpus disponitur, ut sit particeps animæ rationalis, ad quas dispositiones necessario sequitur unio animæ in corpore, ratione cujus virtus seminis est causa prædictæ unionis. Et hoc ideo, quia actio hominis non potest terminari intrinsece ad animam rationalem, quæ spiritualis est, solum ergo terminatur ad id quod ex parte materiæ se tenet, id est, ad dispositiones.

At vero Cajetanus I p. q. CXVIII, art. II, amplius concedit quam dispositivam attingentiam, scilicet actionem quæ per se terminetur ad unionem animæ ad corpus, non quidem tenentem se ex parte animæ, sic enim infunditur a Deo dum creatur in corpore, sed ex parte materiæ quatenus facit non solum dispositiones; sed etiam quod materia subdit formæ, non quidem attingendo ipsum esse formæ, sed ejus inesse, seu communicari ad materiam, quatenus corporeo et materiali modo materia subest, et unitur formæ ter

minaturque ad animam quatenus eminenter est forma corporea, licet in se sit spiritualis, sic enim salvatur proprius et formalius quod homo generat hominem, et quod forma humana est formalis terminus generationis, ut informans, et communicata materiæ.

Ad fundamentum ex ratione petitum respondetur generationem, ut est actio distincta ab alteratione procedere a substantia mediis accidentibus, ut habent rationem instrumenti substantiæ, ut diximus in q. XII Physic. et sumitur ex D. Thoma III contra . gent. c. LXIX et I p. q. CXV, art. I ad 5, ubi inquit: « Quod corpus agit et ad formam accidentalem, et ad formam substantialem, qualitas enim activa ut calor, et si sit accidens, agit tamen in virtute formæ substantialis, sicut ejus instrumentum, et ideo potest agere ad formam substantialem sicut et calor naturalis in quantum est instrumentum animæ, agit ad generationem carnis, ad accidens vero agit propria virtute. Nec est contra rationem accidentis, ut excedat suum subjectum in agendo, sed quod excedat in essendo. » Ita D. Thomas qui etiam videri potest de hoc I p. q. XLV, art. VIII ad 2. Fatetur ergo D. Thomas accidens habere sufficientem motionem, ut attingat substantiam hoc ipso, quod est virtus substantiæ quæ in ipsa radicatur, et tanquam aliquid illius, et ut instrumentum ejus producit, alias solum produceret virtute propria, si præcise secundum quod qualitas est operaretur, et non ut aliquid substantiæ. Quid autem addat ista motio supra ipsam virtutem, ut sit instrumentum substantiæ diximus quæst. XII citata, art. III, et videri potest D. Thomas I p. q. CXVIII, ar. I ad 2, ubi inquit: « Quod virtus illa activa quæ est in semine ex anima generantis derivata, est quasi quædam motio ipsius animæ generantis, nec est anima, aut pars animæ nisi in virtute sicut in serra, vel securi non est forma lecti, sed motio quædam ad talem formam, et ideo non oportet quod ista vis activa habeat aliquod organum in actu, sed fundatur in ipso spiritu incluso in semine. » Et idem docet in quæst. de Anima, art. XI ad 2. Fatetur ergo D. Thomas hanc virtutem non habere aliam vim præter motionem generantis, quæ non est aliud quam egressio talis virtutis ab ipso, postquam enim egressa est virtus a generante, non recipit aliam motionem in ipso.

Quod si dicas: Nam in instrumentis eadem actio, quæ attingit terminum proprium, eadem ut elevata attingit terminum principalis agentis, ergo similiter virtus instrumentalis generantis per eamdem actionem, quæ est alteratio attingit terminum proprium alterationis qui est qualitas, et eadem ut elevata attinget ipsam formam substantialem ut generatio, respondetur hoc jam non pertinere ad sententiam quam impugnamus, quæ dicit resultare ipsam rem genitam posita alteratione, objectio autem procedit de vera efficientia attingente per alterationem instrumentaliter rem genitam. Veritas tamen est, quod alteratio non est ipsa actio instrumentalis, quæ elevatione superioris agentis attingit effectum principalem, sed est actio antecedentis habens suum terminum qui est positio, subjectaturque in re corrupta, et ordinatur ad actionem generativam, tanquam ad principalem, quæ consequitur, et inhæret in ipsa regenerata. Unde virtus generantis movet ordine quodam duplici actione ordinata; prima per alterationem ad dispositionem, quæ est proprius terminus ejus; secunda per generationem substantialem, in quo agit ex motione quadam substantiæ generantis. Et in hoc illa virtus habet rationem

instrumenti, licet enim prius operetur ut causa principalis effectum proprium, qui est ipsa dispositio, tamen postmodum instrumentaliter, ut virtus substantiæ generantis ipsam substantiam genitam attingit. Nec oportet quod in instrumentis semper sit eadem actio illa quæ præcise operatur dispositionem, et quæ introducit formam principalem, sed potest esse diversa actio, præsertim quando necesse est corrumpi dispositionem præviam per productionem formæ principalis.

Secunda difficultas.

Circa secundam difficultatem notandum est, quod generatio habet plures formalitates seu respectus, habet enim rationem mutationis, conversionis, eductionis, sive unitionis, productionis, et tandem corruptionis, quæ ex illa sequitur. Habet rationem mutationis respectu subjecti ejus, quod est materia prout præcise reducit potentialitatem ejus in actum. Rationem conversionis habet etiam respectu materiæ cum respectu ad formas, quarum unam deserit, et aliam accipit, et sic unam vertit in aliam. Habet rationem eductionis respectu formæ prout dependenter a materia, et per ejus transmutationem fit, et existit. Habet rationem unitionis quatenus tam materiam, quam formam applicat, et immutat ad communicationem ejusdem unitatis in composito. Habet rationem productionis respectu totius compositi, quod de novo ponit in esse, vel etiam respectu formæ quam educit. Habet denique rationem corruptionis respectu compositi præcedentis quod destruit, nec oportet quod destruat formam, ut patet in corruptione hominis, sed sufficit quod eam amoveat a materia, corrumpatque compositum.

Omnes istæ formalitates pertinent ad unam et eamdem actionem, quod patet, quia ab unica virtute, et in ordine ad unum terminum singularem tendit illa actio. Quæcunque autem actio, quæ est in individuo, respicit terminum a quo, et ad quem et subjectum, ergo fundat istas omnes formalitates seu respectus, qui in materia, et in forma et in termino a quo et ad quem, et in comparatione eorum ad invicem inveniuntur.

In qua autem ex his formalitatibus essentialius, et proprius consistat generatio, articulo sequenti dicemus agendo de termino formali generationis, inde enim dependet hæc resolutio, tractando quis sit formalis terminus generationis: constat enim quod cum generatio sit actio, et mutatio, formalius debet sumi per ordinem ad terminum ad quem quam secundum formalitatem, et respectum ad terminum a quo.

Solum oportet advertere in præsenti, quomodo generatio dicatur conversio, quod constabit explicando, quid requiratur ad conversionem. Requiruntur enim ad illam quinque: primo, quod terminus conversus, qui est terminus a quo, desinat esse, quia si manet non vertitur in alium. Secundo, quod incipiat de novo terminus ad quem, seu convertens, vel absolute in suo esse, vel saltem secundum aliquem novum modum essendi, sicut alio modo est Christus in Eucharistia, quam in cœlo. Tertio, quod inter terminum conversum et convertentem sit aliqua connexio, aut dependentia quatenus unus succedit alteri, et sic saltem in ipsa successione connectuntur. Quarto, quod sit inter terminos positivos, quorum unus corrumpatur et alius generetur, et quod non corrumpatur absolute quasi per annihilationem, sed definiendo in aliud in

quod convertitur. Quinto, quod maneat aliquid commune utrique termino converso, et convertenti, sive per modum subjecti, ut in generatione, sive per modum accidentis extrinseci, ut in transubstantiatione; licet videatur probabile quod absolute potest fieri a Deo conversio sine hac conditione, ut si converteret totam substantiam panis, et ejus accidentia in substantiam et accidentia Christi, aut Angeli; sed tamen tunc non haberet ita proprie rationem conversionis. Unde constat esse diversam formalitatem conversionis et motus, licet uterque versetur inter terminos positivos ad constituendam latitudinem et distantiam vincendam per motum, conversio autem non respicit terminos positivos, ut constituunt latitudinem, et distantiam pertranseundam per motum, cum possit salvari conversio sine motu; ut in transubstantiatione, sed ut non fiat aliquid ex nihilo, sed supponatur aliquid transferendum, et transponendum in aliud.

Conversio alia est substantialis, alia accidentalis. Accidentalis est, quando fit transitus de uno accidenti in aliud, ut quando album fit nigrum, et hæc semper est conjuncta cum motu: substantialis est, cum fit transitus ab una forma substantiali ad aliam, et hæc semper habet conjunctam duplicem mutationem, alteram generativam, alteram corruptivam. Item alia conversio est formalis, alia totalis; formalis est, quando manente aliquo subjecto de una forma fit transitus ad aliam: totalis est, quando tota entitas sive substantia, nullo subjecto communi manente transit in aliam, sicut transubstantiatio in Eucharistia, et hæc non potest fieri naturaliter, quia nulla actio naturalis operatur, nisi præsupposito subjecto, seu materia non destruendo illam. De quo vide D. Thomam III p. q. LXXV, a. VIII ubi designat modos loquendi in istis conversionibus.

Ex his autem colligitur, generationem esse conversionem, quia licet generatio pro termino formali a quo habeat privationem, tamen quia hæc privatio antecedens, naturali modo est conjuncta alicui formæ positivæ ratione cujus generatio unius semper est corruptio alterius, et forma ista quæ corrumpitur non annihilatur, sed desinit in aliam, ideo vere, et proprie intercedit conversio in generatione substantiali. Et formalitas conversionis differt a formalitate generationis, quia generatio habet pro termino a quo privationem, conversio formam ut mutandam in aliam succedentem. Et sic est unica actio, sed duplex mutatio, ut dictum est, eo quod duplex forma mutatur, una de non esse ad esse, quæ fit de novo, altera de esse ad non esse, quæ corrumpitur, actio tamen est una, quia ab unico agente dimanat una causalitas, quæ respicit duplicem terminum, unum a quo, alterum ad quem, inter quos constituitur distantia unica percurrenda per motum, et actionem. In generatione autem et corruptione hominis non fit conversio in substantiam formæ rationalis, aut ex ipsa, quia non desinit, sed in ipsam, ut informantem, vel desinentem informare.

ARTICULUS IV.

Quis sit terminus formalis, et quis adæquatus generationis substantialis?

Distinguimus in generatione terminum adæquatum, seu totalem, et terminum formalem, seu specificativum. Primus solet vocari terminus ut *quod*, seu *qui* producitur. Secundus terminus ut *quo*. In termino adæquato, seu *quod* consideramus omnes partes, ipsamque naturam integram constituentem, et

subsistentiam, qua talis natura subsistit, et existentiam, qua existit, dicitur enim naturam subsistere in supposito subsistente, sicut partes in ipso toto, non quia natura, vel partes reddantur supposita, seu personæ in seipsis, sed quia redduntur terminatæ, et affectæ ipsa subsistentia, et personalitate in qua sunt, sicut partes lineæ terminantur puncto, non quia in se fiant punctum, sive per se, sive per accidens, sed quia unico puncto afficiuntur, et terminantur, sicut corpus afficitur albedine, non fit albedo, sic partes reducuntur illo puncto terminatæ, et partes naturæ, et natura ipsa per subsistentiam, et suppositum non redditur in se aliud suppositum, seu persona, sed unica eademque subsistentia redditur supposita, et terminata, seu subsistens. Unde non valet illud sophisma : Natura subsistit per aliud, id est, per personam, suppositum vero subsistit per se, ergo natura, et suppositum sunt aliud, et aliud subsistens. Respondetur enim ad antecedens, quod natura subsistit per aliud, quod est ratio subsistendi, et sibi communicatur, ut subsistat, concedo; per aliud quod in se sit res subsistens, ut quod, nego. Ad consequens ergo est aliud, et aliud subsistens ut *quo*, nego consequens ergo est aliud, et aliud subsistens ut *quod*, nego consequens, unum ut *quo* et alterum ut *quod*, transeat ; sed hoc est esse distinctum in ratione entitatis, non diversi subsistentis, sicut album et albedo non faciunt duo alba ut *quod*, sed unum ut *quo*, et aliud ut *quod*, albedo enim dicitur alba ut quo, id est, ratio et forma albi licet sint duæ entitates corpus et albedo. Formalis terminus est id, quo constituitur aliquid tanquam actualitate, et specificatione. Illud autem quo constituitur in sua specie substantia generata, vel est forma partialis, vel forma totalis. Forma totalis est integra natura, seu constans ex forma, et materia unitis ut condistinguitur contra suppositum, vel personam, et significatur per modum formæ, quia significatur ut principium, quo aliquid est tale, sicut humanitas est id quo homo est homo. Forma partialis est illud principium, quod distinguitur contra materiam, et illi unitum componit naturam, resultatque suppositum, seu terminus naturæ, nisi per assumptionem Divinam impediatur. Inquirimus ergo in præsenti, in primis de termino totali, an sit ipsum compositum ut natura, an etiam suppositum quod est terminus ejus. Secundo, de termino formali, an sit ipsa forma, vel unio ejus in materia.

In hac re variæ sunt sententiæ Auctorum, de quibus videri possunt Conimbricenses 1 de Generation. capite quarto, quæstione decima quinta, et cursus Carmelitanus disputatione secunda, quæstione tertia. Circa terminum enim totalem aliqui dixerunt actionem aliquam terminari ad compositum, distinctam ab ea quæ terminatur ad formam, quia sunt res distinctæ. Alii vero dicunt, generationem intrinsece terminari ad formam, extrinsece vero, et secundario ad totum compositum, et quasi per resultantiam, non ut terminem essentialem. Denique, alii ponunt pro termino adæquato ipsum compositum, quod est natura, excludunt autem ipsum suppositum, vel subsistentiam.

Circa terminum vero formalem etiam divisi sunt Auctores, nam quidam dicunt, solam formam esse terminum formalem, etiamsi ipsa non producatur, sed sola unio. Alii vero dicunt, solam unionem esse per se terminum formalem generationis, non vero formam, eo quod in

omni generatione producitur de novo unio, non vero semper producitur forma, ut quando generatur homo, oportet autem assignare pro termino formali, et specificativo actionis aliquid de novo factum, eo quod actio si nihil facit de novo, non est actio. Alii denique dicunt, formalem esse terminum formalem, quando per generationem educitur, vel producitur, quando vero non producitur sed unitur, unionem esse terminum formalem ; de quo Conimbricenses ubi supra. Denique, quidam dicunt, generationem convenire cum creatione, in eo quod est producere totum, differre autem in eo præcise, quod sit eductiva unionis.

Dico primo : Totalis et adæquatus terminus generationis substantialis est ipsum compositum, seu totum non solum prout dicit naturam, sed etiam prout dicit suppositum, ita tamen quod subsistentia non se habeat in hoc toto, ut constituens, sed ut terminans naturam constitutam, vere tamen intrinsece attingitur a generatione, et non extrinsece. Hæc conclusio est expressa S. Thomæ, qui perpetuo docet ipsum fieri sicut et ipsum esse solum convenire rei subsistenti, seu hypostasi ut patet III p. q. XXXV, a. I, ubi inquit : « Nativitas potest attribui alicui dupliciter, uno modo sicut subjecto, alio modo sicut termino : sicut subjecto attribuitur ei quod nascitur, hoc autem proprie est hypostasis non natura, cum nasci sit quoddam generari, sicut generatur aliquid ad hoc quod sit, ita nascitur aliquid ad hoc ut sit, esse autem proprie est rei subsistentis, nam forma quæ non subsistit, dicitur esse solum quia ea aliquid est, persona autem, et hypostasis significatur per modum subsistentis. » Idem docet de creatione, et de quocunque alio fieri, quod sit ad rem subsistentem I p. q. XLV, a. IV. Idem videri potest Philosophus VII Metaph. text. XXVII, ubi inquit : « Quod neque species fit, nec quodcumque; nominari oportet formam, quæ in sensibili est, nec est ejus generatio, nec quod quid erat esse, » ubi S. Thomas lect. VII, inquit : « Quia generatio est ejus quod fit, palam est quod generatio non est formæ, sed compositi, nec iterum quod quid erat esse rei generatæ generatur nisi per accidens, sed forma, et quod quid erat esse est, quod fit in alio, id est, in materia non per se. » Ita D. Thomas. Ex quibus verbis colligitur, quod si id quod generatur tanquam terminus totalis, et tanquam *quod* non forma sola, neque quidditas, seu quod quid, hoc enim est ipsa forma totalis, seu natura, quia sola forma partialis non est quidditas et natura, sed principium ejus, restat ut terminus totalis sit ipsum suppositum. Unde etiam patet, non legisse, aut non advertisse verba Aristotelis eos, qui dicunt, eum non agnovisse suppositum, seu personam in substantiis, sic enim dicit : « Quod id quod sit et generatur non est forma neque quidditas sed compositum, » et nomine formæ intelligitur forma partialis, nomine autem quidditatis, seu naturæ intelligitur forma totalis, restat ut nomine compositi intelligatur ipsum suppositum, hoc enim solum est quod condistinguitur a natura, seu forma totali. Et hunc locum Philosophi sæpe observat D. Thomas ad probandum formas non fieri, sed ipsum compositum, seu subsistens, ut in I p. q. LXV, a. IV, et aliis locis.

Fundamentum autem conclusionis sumitur ex ipsa doctrina D. Thomæ, quia generatio per se primo tendit ad constituendam rem in esse integre et perfecte, sed natura rei non habet totum esse nisi habeat illud subsistens, et per se, quia hoc est proprium substantiæ, ut habeat

esse terminatum et subsistens ; imo repugnat, quod habeat esse, nisi vel in se subsistens, vel alteri subsistenti unitum, sicut humana natura est in Christo, ergo generatio quamdiu non dat tale esse sic subsistens in se, vel in alio manca est, et non integra, nec censetur dare totum suum effectum, ergo tunc est adæquatus terminus in quo sistit generatio, ubi ipsum esse generatum terminatur et sistit : sistit autem in subsistente, ergo subsistens in tali natura est terminus totalis, et ut *quod* generationis. Et confirtur, quia ad generans pertinet non solum dare formam, sed consequentia ad formam, sicut sunt propriæ passiones, sed intimior est subsistentia, quam passiones, quia istæ sunt accidentia pertinentque ad ornatum vel operationem substantiæ, substantia vero est terminus intrinsecus, et substantialis ejus ; unde unio ad subsistentiam Christi fuit substantialis in natura humana, ergo magis pertinet ad generans illam dare, quam proprias passiones. Omitto, quod apud D. Thomam existentia est propria hypostasis seu suppositi ut *quod*, naturæ autem ut *quo*, ut docet III p. q. XVII, a. I, et nos ostendimus q. VII Physicorum, ergo si generatio tendit ad dandum esse, terminus ejus totalis, et ut *quod* erit id, cui convenit esse ut *quod*, scilicet ipsum suppositum subsistens.

Et ex hoc deducitur ultima pars conclusionis, scilicet ipsam subsistentiam seu suppositum pertinere ad intrinsecum terminum generationis, et non solum extrinsecum, et resultantem, ut videntur sentire Conimbricenses quæstione supra, citata, art. IV, conclus. II et alii, quia ille dicitur terminus intrinsecus, qui directe, et per se attingitur ab actione non secundario et mediate, ac præsupponendo alium primarium ; sed subsistens non potest esse terminus mediatus ac secundarius, supponens alium primarium productum, quia completum, et integrum esse primo et per se invenitur in ipso subsistente, non ante subsistentiam, ergo res ut subsistens, et ipsa etiam subsistentia ingreditur terminum intrinsecum generationis tanquam pertinens ad integrandam, et complendam rem generatam, non ut prædicatum constitutivum, sed ut terminus intrinsecus rei generatæ respectu esse illius.

DICO SECUNDO : Terminus formalis generationis non est unio, sed forma constitutiva rei generatæ. Unio autem prout dicit applicationem et conjunctionem extremorum non est terminus, sed applicatio, id vero quod resultat ex tali unione, si sumatur per modum suppositi, est terminus formalis tanquam forma totalis. Hæc conclusio quæ inter Thomistas communis est, constat ex ipso D. Thoma III part. q. XXXV, supra citata, ubi postquam dixit, quod nativitas, et generatio attribuitur tanquam subjecto ipsi personæ, et non naturæ, addit : « Quod tanquam termino attribuitur nativitas naturæ, terminus enim generationis, cujuslibet nativitatis est forma, natura autem per modum formæ significatur. » Ubi loquitur D. Thomas de termino formali, non de totali, quod est subjectum, de quo jam dixerat, quod est persona. Et similiter videri poterit, in III, distin. VIII, q. I, art. II, et optime in I, dist. V, q. III, art. I, ubi inquit : « Terminus generationis in creaturis potest accipi dupliciter, sicut etiam et principium, dicitur enim principium generationis ipsum generans, et huic principio respondet sicut terminus ipsum genitum. Dicitur etiam principium generationis a quo incipit generatio, et hoc modo principium vel initium generationis est

privatio formæ inducendæ, et huic principio terminus oppositus est forma per generationem inducta. » Ita D. Thomas.

Et fundamentum colligitur, quia termino adæquato et totali alicujus actionis illud est terminus formalis quod ipso termino se habet ut forma quæ per se specificat actionem, et assimilat genitum ipsi generanti, hæc enim sunt munera termini formalis, scilicet formalizare ipsum terminum totalem, quod utique fit specificando, seu constituendo, et assimilando ipsum genitum rei generanti. Constat autem, quod forma termini generati non est ipsa unio, sed aliquid unitum, unio enim se habet, ut communicatio et applicatio, qua communicantur extrema, ergo forma constituens debet esse extremum communicatum, et unitum, hoc enim est ultimum, quod intendit generans, intendit enim assimilare sibi genitum in forma, et posita assimilatione cessat ; non cessat autem in unione, quia unio est applicatio ut forma reddatur unita, ergo magis se habet, ut terminus formalis forma unita quam unio conjungens. Et confirmatur, quia si ista unio, qua unitur ista forma, adhiberetur alteri eodem modo illam uniret materiæ, ergo proprium distinctivum et constitutivum formale hujus generationis non est uni propter unionem, sed propter formam unitam. Unde etiam quando forma non producitur per generationem, sed introducitur, et unitur, et si sola unio producitur, adhuc non producitur, ut constituens formaliter, sed ut communicans, et applicans formaliter id, quod constituit ut forma.

Ex quo colligitur, quod cum assignatur formalis terminus, et ratione alicujus formalitatis designetur, si sumatur ly *formalis* pro communicante, et uniente, sic unio est terminus formalis, si sumatur pro formalitate terminante et constituente, et assimilante genitum generanti, sic terminus formalis non est unio, sed forma unita ; constat autem quod præcipue judicandum est de termino formali, secundum quod terminat potius, quam secundum quod mediat. Verum quidem est, quod non potest forma constituere formaliter, nisi connotando, et supponendo unionem tanquam conditionem, et applicationem, ipsa autem forma unita se habet, ut constituens. Et sic etiam, ut supra diximus, art. III ex Cajetano I p. q. CXVIII, art. I, in generatione humana, licet forma non producatur, sed uniatur, tamen non sola unio, sed etiam ipsa forma unita attingitur a generatione non secundum esse formæ in se, sed secundum inesse, ita tamen, quod unio se habeat ut conditio, et forma unita ut constituens formaliter, et terminans.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur contra primam conclusionem : Quia salvatur vera generatio sine hoc, quod producatur, vel attingatur suppositum, et similiter sine hoc, quod producatur natura, ergo neque suppositum est totalis terminus generationis, neque natura formalis. Antecedens patet, tum in generatione, quia B. Virgo genuit Christum, quæ fuit vera generatio, cum fuerit vera mater ejus, et tamen non attingit suppositum, neque producendo, quia in Christo non fuit suppositum creatum, neque uniendo illud naturæ, quia hæc unio non est facta per actionem Virginis, sed per immediatam assumptionem Dei ; tum etiam quia suppositum resultat posita natura tanquam modus, seu terminus illi adjunctus. Unde si nunc humanitas

dimitteretur a Verbo, resultaret de novo subsistentia creata, ergo supponit terminum generationis omnino productum per actionem, siquidem quod restat solum fit per resultantiam : ergo suppositum non pertinet ad intrinsecum terminum generationis, ut actio est, sed posito termino actionis resultat; tum denique, quia D. Thomas nullo modo attribuit ipsi supposito rationem termini, sed subjecti generationis, rationem vero termini ipsi naturæ, ut patet III p. q. III, art. I, eo quod natura, quæ constat ex unione materiæ, et formæ est integra, et totalis substantia, ergo de se terminat totalem actionem, et sic ut sit terminus totalis producibilis a generatione, non indiget aliquo alio, sed tamen quia illa natura est terminata supposito, et in illo tanquam in subjecto, ideo dicitur suppositum subjectum generationis non terminus, quia non terminat actionem, sed subjicitur seu supponitur naturæ terminanti.

Quoad secundam vero partem probatur antecedens in generatione Divina, in qua totalis terminus est Persona procedens,natura vero non habet rationem termini etiam formalis, alias distingueretur a principio a quo procedit, et sic non esset una tantum natura in tribus Personis.

Respondetur negando antecedens. Ad primam probationem respondetur aliquos existimare actionem B. Virginis in ipsa productione humanitatis,et existentia ejus, ita sistere, quod non dicitur Mater Dei, id est, persona subsistentia in ipsa humanitate, nisi materialiter, et secundario, et per accidens, sicut si modo Deus assumeret meam humanitatem destructa ejus subsistentia, mater quæ me genuit materialiter et per accidens diceretur mater Dei, quia esset mater hominis, cujus natura assumpta est a Deo, sic producendo humanitatem in se existentem, et terminantem generationem Virginis dicitur Mater Dei, quia est mater humanitatis, quæ alia actione non pertinente ad Virginem assumpta est a Deo. Si enim actio generantis non tangit suppositum, sed sistit in esse naturæ quodcumque suppositum illi applicetur materialiter se habebit : et ita B. Virgo formaliter, et per se non dicetur Mater Dei.

Nihilominus in sententia S. Thomæ B. Virgo propriissime, et formaliter est vera Mater Dei, non minus, quam mater Petri est formaliter mater illius hominis. Etenim in generatione hominum, generans non producit formam, neque ejus existentiam, vel subsistentiam, sed forma rationalis in se subsistens creatur a Deo, et infunditur, generans autem unit materiam illi formæ, et sic illud esse animæ, quod fit a Deo communicatur a generante ipsi corpori, et non est aliud esse in ipso corpore, et in toto composito, quam ipsum esse, animæ sic communicatum, quia in ipso composito secundum D. Thomam non datur nisi unum esse quod quidem provenit a forma ut a principio *quo*, convenit vero composito, seu supposito ut *quod*. Unde cum anima rationalis habeat esse per se existens, seu subsistens, licet communicabile materiæ, ideo generatio hominis formalissime dicitur attingere personam, quatenus hoc ipsum esse animæ, quod communicatur toti composito, seu personæ, a generante communicatur corpori, et facit integrum hominem. Et ita dicit D. Thomas I-II, q. IV, art. V ad 2 : « Quod animæ humanæ remanetesse compositi post corporis destructionem, et hoc ideo, quia idem est esse formæ, et materiæ, et hoc idem est esse compositi. » Similiter ergo

in Christo est unicum tantum esse, quod est personæ seu suppositi et communicatur naturæ, ut docet idem D. Thomas III p. q. XVII, art. II. Sed tamen hoc esse Verbi, seu subsistentia, ordine quodam communicata, fuit prius animæ prioritate naturæ, deinde corpori, quia prius natura assumpsit animam quam corpus, et mediante anima corpus, ut docet D. Thomas III p. q. VI,art. I, ita quod in ipsa creatione animæ simul se immiscuit assumptio Verbi impediens propriam subsistentiam, et existentiam animæ,et suam subrogans per assumptionem. Cum ergo in illo puncto actio B. Virginis generativa attigit unionem corporis formati ad animam, quam Deus infundebat, assumebat illudmet esse, et subsistentiam, quam inveniebat in anima communicabat corpori. Et ita sicut actio generativa ordinaria illud esse proprium, et naturale animæ communicat corpori, et hac ratione dicitur formalissime mater hominis, et personæ subsistentis in humanitate, ita generatio Virginis, esse et subsistentiam Verbi, quam invenit in anima assumpta, communicavit corpori, et ita formalissime dicitur mater illius hominis, seu Personæ Divinæ, ut subsistentis in illa humanitate constante corpore et anima. Nec tamen B. Virgo assumptionem ipsam efficienter attigit etiam instrumentaliter, quia hæc cum ipsa creatione animæ immediate a Deo facta est, sed B. Virgo, animam prioritate naturæ assumptam a Deo, ipsa generatione communicavit corpori, sicut postea in resurrectione uniendo animam corpori sine nova assumptione iterum resultavit Deus homo, assumptio enim animæ virtualiter est assumptio corporis eo quod anima est de se communicabilis corpori.

Quod si dicas : Si tota subsistentia Verbi, et ejus esse fuit collatum animæ, et mediante anima ad carnem,ergo separata anima in morte, caro mansit sine subsistentia Verbi, sicut caro hominis mortui manet sine subsistentia animæ quæ separatur. Hoc autem est erroneum, alias Filius Dei non esset sepultus, quando ejus corpus sepultum fuit, respondetur ex D. Thoma III p. q. L, art. II ad 2,ubi hoc argumentum solvit : « Quod Verbum Dei dicitur unitum carni mediante anima,quatenus caro per animam pertinet ad humanam naturam,quam Filius Dei assumere intendebat, non autem ita quod sit medium quasi ligans unita. Habet autem caro ab anima, quod pertineat ad humanam naturam etiam postquam anima separatur ab ea, in quantum, scilicet in carne mortua remanet ex ordinatione Divina quidam ordo resurrectionis, et ideo non tollitur unio Divinitatis ad carnem. » Ita S. Thomas ex cujus verbis constat carnem in Christo mansisse unitam Verbo, non quia habeant distinctam subsistentiam, quæ sibi suppleatur seorsum a forma, nec quia subsistentia animæ communicaretur corpori post mortem, sed quia caro mortua etiam pertinet ad humanam naturam propter ordinem ad resurrectionem, et quidquid pertinet ad naturam humanam non fuit dimissum a Verbo, ideo corpus illud mansit assumptum non sub forma animæ, nec separatum ab omni forma, sed sub forma cadaveris, quæ ad tempus assumpta fuit, in quantum requirebatur ad constitutionem corporis humani mortui, quod adhuc ordinabatur ad humanam naturam, ratione resurrectionis.

Ad secundam probationem respondetur,quod suppositum non resultat ut passio, sed ut terminus naturæ omnino prærequisitus ad ejus existentiam, unde sicut existentia

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DE BIBLIOTECA

non resultat, sed attingitur ab actione, ita et subsistentia, quæ ipsam antecedit, et licet existentia antecederet, adhuc ab ipsa actione attingeretur intrinsece, quia ante subsistentiam existentia ipsa non est terminata, et completa, et sic neque actio constituens rem productam in ratione status totius, ipsum autem totum attingitur ab actione. Quæ vero resultant, sunt accidentia, quæ nec pertinent ad ipsum totum, ut partes, neque ut modi seu termini totales sicut subsistentia.

Ad tertiam instantiam dicitur, quod D. Thomas attribuit rationem termini naturæ, et rationem subjecti hypostasi, seu supposito, quia sustentat, et subjicitur naturæ, et sic nomine termini absolute dicti intelligit terminum formalem tanquam specificatum, in quod tenditur, nomine vero subjecti intelligit terminum totalem, eo quod suppositum non est subjectum ex quo fit generatio (id enim est materia prima) sed quod nascitur per generationem.

Ad secundam partem argumenti respondetur, quod Divinitas non est terminus productus, seu procedens, sed communicatus, et sic est terminus formalis generationis Verbi, est enim id, in quo assimilatur suo principio, et generatio illa, in quantum assimilativa est communicativa naturæ Patris, atque adeo natura, ut natura, est ejus terminus formalis communicatus, non productus; in processione vero Spiritus Sancti natura ut natura non est terminus formalis etiam communicatus, sed identicus, amor vero infinitus est terminus formalis, terminus autem productus est persona subsistens, quæ etiam amor notionalis dicitur.

Secundo arguitur : Ad probandum unionem non formam esse terminum formalem, quia semper est id, quod producitur de novo, forma autem non semper, ut in generatione hominum, terminus autem formalis debet produci de novo, quia quod non producitur non terminat actionem, quia non accipit esse, actio autem nova debet dare novum esse, imo quando educitur forma non producitur, nisi ut educta, et consequenter ut unita subjecto, et per hoc distinguitur a productione creativa : ergo formalis ratio specifica generationis est terminus ut unitus, siquidem per hoc formaliter, et ultimate distinguatur a creatione. Denique, ex sola variatione unionis videmus variari species actionis, ut cum anima rationalis unitur per generationem, vel reunitur per resurrectionem, non est variatio penes formam, sed penes diversæ formæ unionem : ergo diversa unio erit ratio diversa specificans, et terminus formalis, iste enim est qui specificat.

Ad primam partem argumenti respondetur, quod non est necesse formalem terminum produci de novo in sua entitate, sufficit quod in sui participatione, qua mediante specificat, proprium enim termini formalis est specificare, et formalizare id quod producitur, ad hoc autem non conducit per se, quod entitas formæ specificantis de novo fiat, sed sufficit, quod ipsa de novo communicetur specificato, et ita communicatio seu unio de novo fiat, non tamen illa unio est terminus formalis, id est, formalizans, et specificans, sed applicans, et uniens, unde aliud est ratio formalis termini, aliud ratio noviter producti in re quæ generatur; producitur enim de novo terminus totalis cui convenit esse, et produci ut *quod*, forma autem cui convenit esse ut *quo*, non est necesse, quod producatur, sed sufficit, quod communicetur, et sic specificet, et formalizet; ipsa autem unio non est terminus formalis, id est, forma dans specificationem, sed applicatio termini formalis. Quæ doctrina ex D. Thoma quæst. III de Potent. art. IX ad 6, ad 20 et 21 et notatur a Cajetano 1 part. quæst. CXVIII, art. I.

Ad secundam partem argumenti respondetur, non distingui specificative generationem a creatione, quia forma producitur ut unita, quando educitur, nam etiam in creatione cum producatur ipsum totum producuntur partes ut unitæ, sed quia ad creationem pertinet producere totum nihil præsupponendo de partibus, sed omnes faciendo de novo, et ex nihilo tam materiam, quam formam, ideo distinguitur ab eductione quæ producit totum præsupponendo unam partem, scilicet materiam, ex cujus transmutatione educitur forma; quæ applicata materiæ totum constituit, et sic per eductionem totum non tam fit, quam componitur, in creationem vero absolute fit. Unde non ratione unionis formaliter distinguuntur, sed ratione termini formalis, qui in creatione est totum ens ex nihilo, in generatione forma constituens tale ens ex præsupposito subjecto, et sic etiam in creatione materia pertinet ad formalem ejus terminum, quia pertinet ad rationem totius entis.

Ad ultimam partem argumenti respondetur negando, quod diversa unio præcise sit diversus terminus formalis in actione substantiali, qualis est resurrectio, et generatio; utriusque enim producitur unio, et sic non potest ex ipsa solum sumi diversitas formalis istarum actionum, sed ex ipsa forma sumitur, ut stat sub diversa ratione, et modo communicandi se materiæ, diversam enim transmutationem exigit generatio omnis, ut communicans animam corpori, quam resurrectio, quæ sine tali formatione, et dispositionibus, sed præsupponendo priorem unionem fuisse corruptam, unit animam corpori, et sic respicit formam, ut reunitam, non ut præcise unitam; similiter etiam formatio hominis ex terra, sicut in Adam, fuit actio distincta a generatione, non propter diversam unionem, tanquam terminum formalem, cum utrobique fuerit producta unio, sed propter ipsammet formam sub diverso modo transmutationis communicatam, et sic fundantem diversam formalitatem seu respectum terminandi actionem, quatenus diversas mutationes producit in materia, ut generet, vel ut resuscitet, vel ut formet ex terra; formalis autem terminus sumitur ex forma cum respectu ad viam, et ad transmutationes, quibus fit; istæ enim etiam per actionem producuntur, ut ducentes ad terminum. An vero in actione accidentali, v. g. in intensione, sola unio producatur de novo, an vero formalis aliqua perfectio quæ addatur qualitati infra q. V inquiretur.

ARTICULUS V.

Quod sit subjectum generationis, et de ejus distinctione a creatione?

Triplex subjectum, seu triplex ratio subjecti distingui potest in generatione. Est enim subjectum mutationis, quod magis objectum dici potest, quia est id ad quem tendit generatio; est denique subjectum denominationis, scilicet res quæ denominatur generata. In generatione ergo mutatur materia de privatione ad formam, sed non denominatur producta, neque generata. Dicitur autem producta forma quæ educitur, vel compositum quod de novo accipit esse. Denominatur autem generatum ipsum sup-

positum, quod tanquam genitum respicit ipsum generans. Inter hæc subjecta, inquirimus quodnam ex illis sit subjectum inhæsionis cui inhæserat generatio. Est autem difficultas ex differentia inter alterationem et generationem, quia alteratio tam ex parte sui, quam ex parte sui termini, qui est qualitas, supponit pro subjecto substantiam completam, et in actu, quæ est capax accidentium, actio autem generativa non supponit, nisi materiam primam, quæ non est capax accidentis antequam habeat formam substantialem, hæc autem producitur per ipsam generationem, ergo non supponitur illi tanquam subjectum. Ex alia vero parte materia prima est subjectum mutationis, quia ipsa sola et non totum compositum est, quæ transmutatur de una forma ad aliam, et in ipsa recipitur forma substantialis, eique immediate unitur, ergo in ipsa debet esse generatio, quia actio in eo subjecto est, in quo terminus ejus, non enim secorsum a termino recipitur actio, vel mutatio. Et ad idem faciunt auctoritates D. Thomæ et Philosophi postea adducendæ.

Dico ergo primo : Subjectum mutationis in generationi substantiali est sola materia prima, inhæsionis autem non est sola materia prima, neque materia prima ut subjecta formæ corporeitatis, sed totum compositum, quod generatur per illam. De prima parte conclusionis non potest esse dubium, et in eo sensu loquitur S. Thomas cum pro subjecto generationis assignat materiam primam, et non substantiam in actu, expresse enim loquitur de generatione prout mutatio, et de subjecto mutationis, ut patet 1 de Gener. lect. x, in fine, ubi inquit: « Comparat prædictas transmutationes, secundum subjectum, quod est tantum potentia, et dicit quod prima materia est maxime proprium subjectum susceptibile generationis et corruptionis. » Eodem modo loquitur 1 p. q. XLV, a. 1 ad 2, loquens solum de mutatione, et apertius q. III de Potentia a. III ad 4, ubi inquit: « Quod in generatione, et est mutatio et relatio, qua refertur genitum ad generans. Ratione ergo mutationis non habet pro subjecto ipsum generatum, sed ejus materiam, sed ratione relationis habet subjectum ipsum generatum. In creatione autem est relatio, sed non mutatio, et ideo non est simile. » Dixerat autem in solutione ad tertium immediate antea, quod relatio illa creationis ut est accidens inhæret subjecto et est posterior illo, quod generaliter de omni accidente probabitur infra q. IX, scilicet subjectum inhæsionis ut *quod* esse compositum.

Ratio autem hujus primæ partis est, quia illud est subjectum mutationis, seu motus, quod est subjectum termini motus, seu terminorum, inter quos motus versatur, constat autem quod termini, inter quos versatur generatio, ut mutatio est, sunt forma, et privatio, utrumque autem habet pro subjecto materiam primam, nam ipsa est privata forma substantiali, et ipsa etiam immediate informatur substantiali forma, ergo ipsa est subjectum hujus mutationis, quæ est generatio; unde in 1 Physic. assignatur triplex principium, scilicet materia, forma, et privatio pro ipsa re naturali in fieri, seu pro generatione, materia autem non est principium generationis, nisi ut subjectum talis mutationis, quia subjectum mutationis debet esse principium rei mobilis, non solum in facto esse, sed etiam in fieri; et in ipsa generatione, cum in hoc distinguatur a creatione, quod procedit ex transmutatione alicujus subjecti, ergo oportet quod materia sit principium generationis

tanquam subjectum, non vero ipsum compositum, quia hoc est principiatum et non principium.

Secunda pars conclusionis, scilicet quod materia prima, ut subest formæ corporeitatis, non est subjectum inhæsionis ipsius generationis, constat manifeste supponendo id quod in libris de Anima latius expendetur, quod in quocunque composito substantiali tantum est unica forma substantialis, quæ dat omnes gradus specificos, et genericos, non autem una forma dat gradum corporeitatis, alia viventis, alia sensibilis, ut optime prosequitur D. Thomas 1 de Gen. lect. x, in fine, et nos in q. 1 de Anima probabimus. Quo supposito recte sequitur, quod subjectum generationis non sit materia prima, ut subest formæ corporeitatis. Quia nulla forma substantialis ista concomitatur materiam, quod nunquam exuatur illa, sed hoc ipso quod corrumpitur una forma substantialis omnes gradus corrumpuntur, quia omnes illi sunt eadem et unica entitas formæ, ergo corrupta forma, materia non manet sub aliqua forma, vel gradu corporeitatis ad recipiendam formam et de novo genitam, sed sola et nuda materia recipit illam, et forma præbet materiæ omnem gradum non solum primum et remotum, sicut est gradus corporeitatis, sed etiam ultimum et specificum, et sic tollit omnem gradum, quem forma corrupta præbebat.

Certa tertiam partem conclusionis, scilicet quod subjectum inhæsionis sit ipsum totum compositum sumendo generationem, non pro ipsa alteratione præcedente, quam constat recipi in composito antecedente, quod corrumpitur: sed sumendo generationem pro actione illa substantiali distincta ab alteratione ut modo supponimus distingui ex dictis supra articulo tertio. De hoc major est difficultas etiam inter Thomistas, plures enim existimant subjectum inhæsionis ejus esse ipsam materiam primam, ut videtur sentire Cajetanus III p. q. XXXV, art. 1, et alii quos citat, et sequitur Cursus Carmelitanus hic disput. II, quæst. v. Alii vero cum Magistro Bannez 1 de Generatione, c. IV, quæst. XI, dicunt totum compositum esse subjectum inhæsionis respectu ipsius generationis.

Dicimus ergo, quod supositis duobus principiis, altero a nobis supra admisso, et probato quod generatio est actio distincta ab alteratione, nec est pura et nuda resultantia, altero infra probando et admittendo, scilicet quod materia prima immediate et per se non est capax inhærentiæ accidentis, ita ut per materiam sustentetur in esse ipsum accidens, necesse est dicere, quod generatio in quantum est actio de prædicamento actionis non potest habere pro subjecto inhæsionis solam materiam primam. Unde Cursus Carmelitanus ubi supra, numero LXI, fatetur generationem substantialem sumptam pro instantanea mutatione secorsum ab alteratione non esse accidens, sed aliquid substantiale tanquam modus. Rubio autem et alii admittunt, quod aliquod accidens si sit incompletum, et quasi vitale possit esse in materia, et non in toto. Cæterum nostra sententia, quam infra ostendemus, affirmat nullum accidens posse per inhærentiam subjectari in materia tanquam in subjecto *quod*, sed debet esse in toto composito, hoc autem vel est ipsum generans, vel id quod corrumpitur, vel id quod de novo generatur. Et quidem generans non est subjectum generationis, cum non fit actio immanens, nisi forte dicatur subjectum actionis transeuntis esse ipsum agens, sed tunc restat inquirere subjectum

generationis, ut passio est, nam in omni sententia passio non est in agente, et sic restat explicandum an materia sit subjectum istius generationis sic acceptæ passive, vel potius ipsum compositum. Et deinderestat difficultas in opinione, quod actio sit subjective in passo, et non in agente, quomodo generatio inhæreat in agente, siquidem generatio est in passo in hac sententia. Oportet ergo assignare aliud subjectum. Hoc autem non potest esse res quæ corrumpitur, quia in instanti in quo est verum dicere nunc est generatio, est verum dicere nunc non est res corrupta, quia desinit, per primum non esse, ergo non potest illa generatio, quæ tunc primo existit, inhærere in ipsa substantia corrupta, ergo non solum restat, quod inhæreat in substantia genita.

Quomodo autem terminus generationis possit esse subjectum, in quo inhæreat explicatur ex eo, quod subjectum mutatum per ipsam generationem est materia prima, quæ est pars componens ipsum terminum, qui est totum. Quare cum actio non inhæreat nisi mediante termino producto, seu ab actione attacto, cum eo enim identificatur actio, et ipse terminus totalis componatur ex materia et forma, seu habeat materiam partem sui in idem coincidit subjectum et terminus, quia terminus substantia est, et sic non habet aliud subjectum, cui inhæreat actio nisi in eo, qui est terminus totalis cum quo ipsa identificatur. Cæterum subjectum accidentium semper debet distingui ab ipso termino, quando producitur accidens, eo quod per talem actionem non producitur subjectum actuale, sed supponitur; per generationem autem substantialem subjectum actuale producitur quod est compositum. Et licet supponatur materia prima, quæ est principium recipiendi etiam ipsa accidentia, tamen nec est principium *quod* recipiens ea, sed principium *quo*, id est, ratio qua ipsum compositum, tanquam subjectum *quod* habere recipere accidentia, nec etiam est principium sustentandi in esse ipsa accidentia, quia principium sustentans in esse, supponitur habere existentiam, quam præbeat accidentibus; materia autem prima non habet illam nisi per formam, ut in q. III Phys. ostendimus, et supra art. I, habet tamen materia esse subjectum respectu formæ substantialis, quia forma non sustentatur in materia præsupponendo esse, sed recipitur ut ex ipsa et materia constituatur compositum, quod est habens esse; et sic distinguit D. Thomas inter subjectum et materiam opus. XXXI, in principio. Cum ergo generatio, in quantum actio, sit accidens, oportet quod pro subjecto inhæsionis, et sustentationis habeat compositum, et non solum materiam primam, licet illa sit principium *quo* recipiendi, et subjectum etiam mutationis, ut dictum est.

DICO SECUNDO: Generatio et creatio tam completa et adæquata, quæ simpliciter dicitur creatio, quam inadæquata et incompleta, quæ dicitur concreatio, qualis est productio materiæ primæ, aut productio formæ dependentis a materia quando fit per creationem, differunt, tum ex parte termini formalis, tum ex parte modi producendi, licet in termino totali materialiter sumpto tam generatio, quam creatio completa conveniant. Hæc conclusio sumitur ex doctrina S. Thomæ I part. quæst. XLV, artic. II et III et IV, et quæst. III de Potentia, articul. I et II.

Pro cujus explicatione duo advertere. Primum, quod licet creatio sit

unica, et indivisibilis actio attingens ipsum totum, et producens partes, tamen non æque denominantur omnia creari, sed ipsi toti convenit creari tanquam rei subsistenti, et habenti esse ut *quod*, partibus vero convenit creari, tanquam principiis constituentibus illud totum, et habentibus esse non ut *quod* sed ut *quo*. Hinc nascitur illa distinctio creationis, quod alia est adæquata et incompleta, prima enim dicitur respectu totius, quod attingitur a creatione, ut absolute, et subsistenter habentis esse. Secunda vero respectu partium quæ attinguntur, ut habentes esse in alio et cum alio a quo dependent et cui subsunt ut sint, et ideo dicuntur creari. Quæ doctrina est D. Thomæ qui pluribus locis docet solum creari proprie res subsistentes seu ipsum totum et compositum, materiam vero et formam non proprie creari, aut fieri, sed concreari, ut patet I p. q. XLV, art. IV et q. XLIV, art. II et q. VII, art. II ad 3, et quæst. III de Potentia, art. I ad I.

Secundum quod supponimus est, quod tam creatio quam generatio substantialis conveniunt in hoc, quod est producere totum compositum, seu facere rem subsistentem, et completum cui per se convenit esse, sed differunt quod generatio supponit ea, ex quibus constare debet hoc totum, vel omnia, vel saltem materiam primam, generatio enim hominis neque materiam facit, neque formam, sed utraque conjungit, aliæ vero generationes saltem supponunt materiam primam, licet formam educant, et producant. At vero creatio ita producit totum compositum, quod nihil supponit eorum, ex quibus coalescit, sive partes, sive totum, sed quidquid entitatis est in re facit, et ita creatio est talis virtutis, quod ex vi suæ rationis formalis habet attingere in re creata omnem rationem entis, sive sit materia, sive forma, sive potentia, sive actus. Quare generatio necessario supponere debet creationem, nec potuerunt res primo incipere per motum; in quo hallucinati sunt aliqui antiqui Philosophi, et Aristoteles ipse, qui existimantes non dari alium modum producendi res, quam per motum et generationem, inciderunt in illud inconveniens de æternitate mundi, non invenientes initium, quo res primum fuerunt productæ, si omnes per motum productæ sunt, nam hoc modo semper supponebatur aliquid, ex quo mutatio, seu motus fieret, si enim produceretur aliquid non supponendo aliud ex quo fieret, sive mutatione produceretur, quia ex nihilo et non ex subjecto fieret. Ut ergo non ponamus infinitum processum, et æternitatem generationum in motibus, oportet devenire ad productionem materiæ non ex alio subjecto, sed ex nihilo, et consequenter per creationem. Et quia materia non sit sola, et sine forma, sed sub illa et dependens ab illa, sicut de facto fuit cum in principio creavit Deus cœlum et terram, ideo creatio semper est subsistentium, et compositorum, partis autem est concreatio.

Ex quibus conclusio posita constare potest, et declarari differentia inter creationem et generationem, tam ex parte termini formalis, quam ex parte modi procedendi. Ex parte quidem termini formalis, quia generatio solum habet pro termino formali formam specificantem, sive ut eductam, sive ut unitam, creatio autem habet pro termino formali totam rationem entis, quæ reperitur in composito sive ex parte formæ, sive ex parte materiæ, et sic coincidit ibi terminus adæquatus et formalis. Und eS. Thomas I p. q. XLV, art. IV ad I, explicans illud axioma ex li

bro de causis prima rerum creatarum est esse, dicit quod ly *esse* non importat substantiam creatam, sed importat propriam rationem objecti creationis, nam ex eo dicitur aliquid creatum, quia est ens non ex eo, quod est hoc ens, cum creatio sit emanatio totius esse ab ente universali. Igitur formalis ratio, seu terminus creationis non est forma, quæ informat et speciem dat naturæ, sed tota ratio entis, quæ invenitur in tali re, et sic ex parte termini formalis valde differunt generatio, et creatio, cum id quod est totale in generatione sit formale in creatione.

Ex parte autem diversi modi procedendi differunt generatio et creatio, tum ex parte termini *ad quem*, tum ex parte termini *a quo* ; ex parte quidem termini *ad quem*, quia creatio facit ipsum totum simpliciter producendum omnia quæ in eo sunt, generatio autem facit totum uniendo partes, non producendo, vel saltem non omnes, quia materiam præsupponit. Ex parte termini *a quo*, quia creatio est ex pura negatione, seu ex nihilo, quia nullum subjectum supponit, generatio vero ex privatione, quia supponit subjectum carens forma.

An creatio sit ejusdem rationis in simplicibus, et in compositis?

Ex quibus deducitur, creationem ejusdem rationis esse, sive cum producit entitatem simplicem, ut Angelum, sive cum producit compositam ut cœlum, vel terram. Cujus oppositum sentit P. Vazquez II tom. I p. disp. CLXIV, c. IV, n. XVII, et alii qui eum sequuntur, qui dicit primo creationem non solum esse subsistentiam simpliciter, et totaliter, sed sufficit quod sit productio alicujus quod suapte natura subsistere potest, et non esse alteri, seu dependere sicut anima rationalis. Secundo, addit quod in qualibet re composita sunt singulæ productiones singularium partium, et altera totius, quia ex compositione constatur, tale autem compositum secundum eam rationem, qua a partibus distinguitur creari non potest ejus esse, quia est ex aliquo nempe ex partibus, quæ prioritate naturæ præcedunt, ergo non est ex nihilo, sicut requiritur ad creationem, quod enim nihil præcedat tempore, nequaquam requiritur, ut patet si res ab æterno crearentur, vera enim creatione fierent, et tamen non præcessisset tempore nihil. Addit tertio materiam creari vera, et propria creatione, quia de nihilo fit, et licet dependeat a forma, non tamen secundum entitatem suam, alias mutata forma mutaretur in esse, et entitate ; imo quodcunque agens introducens formam in materiam faceret illam existere, quia producens formam non solum facit illam esse, sed etiam quod per illam habeatesse, idem enim est producere formam, et effectum formalem illius. Et deinde si Deus conservat materiam media forma tanquam principio, et materia est ex illa, non creabitur a Deo, quoties producitur ut conjuncta formæ, et ita nullum compositum fieret per creationem præter hominem, quia omne aliud secundum formam non educitur e materia, secundum rationem compositi est ex partibus, non ex nihilo, secundum materiam est ex forma, siquidem fit dependens ab illa. Denique, creationem materiæ assimilat creationi animæ rationalis, quia illa naturaliter fit cum conjunctione ad formam, hæc naturaliter cum infusione ad materiam, licet de potentia absoluta unumquodque seorsum fieri possit.

NIHILOMINUS DICENDUM EST : In creatione qua creantur res compositæ, non importari plures actiones quibus partialiter creantur singulæ partes, et aliam quæ ex partibus producat totum, sed unica actione produci totum et partes, et sic ejusdem rationis esse creationem rei simplicis totalis, et rei compositæ, quia in utrisque intenditur ens in quantum ens, materialiter vero se habet, quod componatur ex partibus, vel non. Unde S. Thomas perpetuo excludit a proprietate creationis materiam et formam et partes, quas solum dicit concreari, ipsum vero totum subsistens proprie creari, ut videri potest in q. III de Pot. art. I ad 12, et I p. q. VII, art. II ad 3, ubi expresse affirmat materiam, et formam proprie non fieri, neque creari, sed concreari ; specialiter autem loquens de materia, quam Vazquez dicit creari, compositum vero non e diametro opponitur illi D. Thomæ qui I p. q. XLIV, art. II, ponens illud argumentum quod materia non creatur, quia non habet esse actu, per creationem autem solum fit ens actu, respondet : « Quod probat argumentum materiam non creari solam sed sub forma, eo quod etiam id, quod tenet se ex parte potentiæ in creatura a Deo est. » Cursus vero q. XLV, art. IV, ponens oppositum argumentum, scilicet quod illud proprie producitur per primam emanationem, quod supponitur in secunda, sed quod supponitur in generatione est materia, ergo materia proprie creatur, et non compositum, quod certe est fundamentum Vazquez, respondet S. Thomas eadem solutione, qua argumento antea posito : « Scilicet rationem illam non probare, quod sola materia creatur, sed quod materia non sit nisi ex creatione, nam creatio est productio totius esse, et non solum materiæ. » Sentit ergo S. Thomas quod illud esse totius, ut distinguitur a ratione materiæ partialiter sumptæ terminat creationem, et sic falsum est dicere, quod compositum creari non potest, sed solum pars illa, quæ non est ex alio, sicut est materia.

Fundamentum autem hujus, ex quo etiam aperitur deceptio oppositæ sententiæ, in eo est, quia ad creationem concurrunt duo, alterum ex parte modi producendi, scilicet quod non fiat ex alio præsupposito, sed ex nihilo ; alterum ex parte termini producti, scilicet quod producatur tota ratio entis, seu totum et integrum esse alicujus rei ; unde necessario exigit, quod non fiat esse rei ex transmutatione partis, et conjunctione earum in unum, id enim proprie pertinet ad generationem, non tamen excludit creatio, quod faciat aliquid ex suis partibus, ita quod præbeat ipsi toti omnia ejus constitutiva, et partes licet non præsupponat aliquam ut ex transmutatione illius perveniat ad ipsum totum. Et in hoc valde æquivocat, et claudicat fundamentum Vazquez, dum confundit fieri ex aliquo, ut ex parte constituente tantum, vel fieri ex aliquo, ut ex principio transmutationis, quod est principium ipsius fieri. Quod enim fiat aliquid, ut constans ex aliquo tanquam ex parte vel prædicato constituente se, non tollit quod fiat simpliciter ex nihilo, si alias nullum principium præsupponit, per cujus transmutationem fiat, hoc enim est, quod solum opponitur ipsi creationi, ut est ex nihilo. Cujus ratio manifesta est, quia in creatione fieri ex nihilo tenet se ex parte termini a quo, in composito autem constare ex partibus, et esse ex illis tanquam ex constituentibus, tenet se solum ex parte termini ad quem, cum pertineant ad constitutivum talis termini, ergo hoc, quod est esse ex aliquo tanquam ex parte constituente, non opponitur huic, quod

est esse ex nihilo simpliciter tanquam ex termino a quo, ergo neque opponitur ipsi creationi, quia creatio salvatur in hoc præcise, quod sit ex nihilo tanquam ex termino a quo, et consequenter non quod præsupponat aliquid tanquam subjectum transmutatum; si autem subjectum ipsum fiat, ut est pars constitutiva totius, magis fit ipsum totum, quam pars, siquidem non ex præsuppositione partis, ut transmutandæ ad hoc ut fiat totum, sed sine tali transmutatione ipsum totum fit. Si autem non præsupponit partem, ut ex ejus transmutatione fiat totum, utique propter ipsum totum facit partem, et tanquam aliquid minus ipso toto facit eam, ergo principaliter respicit totum, et minus principaliter partem, ergo directe per creationem fit ipsum compositum, sed solum facit partem, ut constituentem totum, non vero pars, quæ est materia, sed ista concreatur tanquam minus principalis ad creationem totius, cui directe convenit esse tanquam rei subsistenti ut *quod*, et consequenter creari ut *quod*, quia creatio directe respicit esse. Itaque fieri ex aliquo ut ex parte constituente et pertinente ad esse rei, non tollit creationem, neque constituit generationem, sed fieri ex aliquo tanquam ex principio præsupposito, per cujus transmutationem fiat ipsa res, hoc constituit generationem, quia generatio transmutatio est.

Dices: S. Thomam in II, dist. 1, q. 1, art. III inquit: « Quod esse est per creationem, et aliæ perfectiones superadditæ per informationem et incompositis præcipue illud esse primæ partis, scilicet materiæ, » ergo præsupponit S. Thomas creationem primo, et directe terminari ad materiam, et illi convenire esse. Respondetur quod illud esse primæ partis, scilicet materiæ est esse potentiæ, et dicitur præcipue esse per creationem ex ea parte, qua non præsupponit aliquod subjectum ex quo fiat, non ex ea parte, qua habeat esse absolute, et simpliciter, hoc enim non habet nisi dependenter a forma, et hac ratione dicitur concreari, ut ex D. Thomæ locis constat, scilicet ratione esse per formam habiti, non absolute in se.

Ad instantias adductas a P. Vazquez respondetur ad id quod dicit compositum fieri ex aliquo, scilicet ex partibus, et sic non fieri ex nihilo jam respondimus non fieri ex aliquo ut principio transmutationis, sed ex aliquo, ut intrinsece constituente, quod non tollit creationem, neque compositum fieri ex nihilo ut ex termino a quo cum pars constituens solum teneat se ex parte termini ad quem.

Ad instantias, quas affert ad probandum materiam creari primo et per se, respondetur materiam fieri ex nihilo non ut habens esse, sed ut pars in potentia ad formam rei habentis esse, non est autem inconveniens, quod materia mutetur in esse actuali, sicut mutatur in informatione transeundo de privatione ad actum et de una forma ad aliam, et consequenter de uno esse aliud, quod non est corrumpi, nisi per accidens, et quantum ad successionem in esse non quantum ad totalem definitionem, quia ipsa entitas materiæ est capax existendi per quamcunque formam ex his, quas potest recipere, unde esse modo sub una forma modo sub alia, non est totaliter desinere, et amittere esse, sed transmutare illud relinquendo unum modum inadæquatum essendi, et acquirendo alium intra sphæram suarum formarum, a quibus habet esse, sicut si humanitas mea modo assumeretur a Persona Divina acciperet aliud esse, et subsidere non tamen corrumperetur, quia ita exueret proprium esse, quod subrogatur aliud loco illius. Et uno verbo, amittere esse adæquate, et totaliter est corrumpi, amittere esse inadæquate, et cum subrogatione, et successione alterius, non est desinere, nec corrumpi. Nec similiter generans, quod inducit formam in materiam dicitur producere, aut generare materiam, licet faciat illam existere, non enim facit materiam quantum ad potentialem suam entitatem, quæ est propria entitas materiæ, neque ex aliquo subjecto educit, sicut requiritur ad generationem, sed educendo formam ex illa, transmutat ejus esse, et ita non facit illam absolute existere, eo quod entitas materiæ non est limitata ad esse unius formæ, sed est capax habendi esse sub quacunque forma et ideo transmutans formas in materia non dat materiæ esse absolute, sed transmutative de una forma ad aliam, sicut existens in illo quantumcunque mutentur superficies, dicitur manere in eodem loco, quia habet eumdem effectum existendiin loco, provenientem a diversis superficiebus successive, quarum una subrogatur alteri in locando; et animal dicitur habere idem corpus, licet diversæ partes succedant, quia sub eadem forma, et dispositione, et ordine succedunt. Sic licet materiæ succedant diversa esse inadæquate ex diversis formis, quia tamen succedunt in ordine ad conservandum eamdem entitatem potentialem materiæ, quæ est capax omnium formarum, ideo permanet eadem entitas materiæ sub diversa successione existentiæ, et esse formarum, et ideo generans tales formas, licet communicet materiæ effectum formalem, et esse formæ non tamen dicitur materiam corrumpere aut generare, quia non primo, et adæquate dat esse, sed conservat entitatem ejus in successione diversi esse: sicut e contra qui diversas partes materiæ successive aggenerat animali, licet diversum corpus materialiter tribuat, non tamen dicitur generare illud, sed sub eodem corpore conservare. Nec tamen, quia materia fit a Deo sub forma, dicitur fieri ex illa, ut ex subjecto, sed dependenter ab illa ut ab actu. Quare nullo modo potest creatio materiæ assimilari creationi animæ rationalis, quia anima fit ut habens in se esse, et subsistens independenter a materia licet communicabiliter materiæ et quia communicabiliter non suppositaliter, materia autem non fit, ut habens esse indepenter a forma, sed ut recipiens a forma.

Ad rationem dubitandi, a principio ad probandum, quod subjectum generationis, quantum ad inhæsionem non sit res generata, respondetur ex dictis, quod subjectum mutationis non est subjectum inhæsionis sub eadem formalitate, et ratione; est enim subjectum mutationis, quatenus est in potentia ad aliquam formam, est vero inhæsionis non solum ut recipit, sed ut est in actu dans esse, et sustentans in esse formam inhærentem. Unde cum ratione materiæ substantia sit in potentia ad formas substantiales, ratione totius habeat existentiam, ita quod ipsa materia secundum se eam non habet sed prout in toto, inde fit quod ratione sui sit subjectum mutationis, non vero sit subjectum inhæsionis nisi mediante toto, in quo solum habetur existentia et ratio sustentandi in esse, ut dicemus infra quæstione nona, hoc autem non est res quæ corrumpitur, quia desinit esse, ergo res quæ generatur.

Sed instabis: Nam subjectum formæ eductæ, vel unitæ non solum quoad mutationem, sed etiam quoad informationem est materia, et non compositum, ergo et subjectum eductionis, seu generationis. Antecedens

est certum, quia id quod est informabile a forma substantiali non est nisi materia prima, illud autem dicitur subjectum formæ, quod est informabile ab ea. Consequentia tenetur, quia actio identificatur cum termino, ergo quod est subjectum termini seu formæ erit subjectum actionis ad illam. Confirmatur, quia in aliis motibus in eo subjecto est actio ubi est terminus, quia subjectum in quo inhæret mutatio debet esse commune utrique termino mutationis, ergo cum subjectum utriusque termini seu formæ quæ generatur, sit materia prima, illa enim recipit utramque formam, illa etiam debet esse subjectum generationis, quantum ad inhæsionem. Denique, faciunt ad hoc auctoritates S. Thomæ ut in I de Gen. lect. x, et VIII Met. lect. I et I part. quæst. XLV, articul. II ad 2, et q. III de Pot. articul. III ad 4, in II, dist. XII, quæst. I ad 2. Ubi perpetuo assignat pro subjecto proprio susceptibili generationis, et corruptionis materiam primam.

Respondetur negando consequentiam, quantum ad subjectum inhæsionis, et ad probationem respondetur, quod actio identificatur cum forma, distinguo : inadæquate tanquam cum termino formali, concedo ; adæquate et tanquam cum termino totali, nego. Itaque retorqueri potest argumentum, nam generatio identificatur cum termino totali, terminus totalis est compositum, ergo generatio est incomposito, et non in sola materia, et sic subjectum inhæsionis non erit subjectum formæ, cum qua identificatur generatio, tanquam cum termino formali tantum, sed subjectum generationis quantum ad sustentationem in esse erit ipsum totum, qui directe convenit esse sustentativum, materia autem prima erit subjectum *quo* recipiendi, non subjectum *quod* sustentandi. Ad confirmationem respondetur, quod in aliis mutationibus subjectum quod mutatur est ipsum compositum, seu ens completum, in actu, eo quod mutationes illæ sunt ad accidentia, et ideo idem est subjectum inhæsionis, et mutationis. Quod secus accidit in generatione substantiali, quæ est ad formam substantialem, ubi non potest assignari subjectum inhæsionis, et mutationis sub eadem formalitate, sed subjectum inhæsionis est ipsum totum, secundum quod induit esse subsistens et sustentans, est autem subjectum mutationis ratione materiæ, cujus potentialitas mutatur ad formam. Nec oportet manere utrique formæ seu termino commune subjectum inhæsionis ; sufficit quod maneat subjectum commune mutationis, licet actio inhæreat in composito in quo est tale subjectum mutationis, quia materia prima non est sufficiens sustentare accidentia, nisi dependenter a toto ut subjecto *quod* ; hoc enim est inhærere illi, ut latius dicemus quæstion. IX.

Ad auctoritates D. Thomæ respondetur, loqui de subjecto generationis ut mutatio est non de subjecto inhæsionis excludendo compositum, imo expresse in citato loco q. III de Potent. a. III ad 4, docet generationem secundum rationem mutationis esse in materia prima, secundum vero relationem esse in composito, ut supra retulimus.

ARTICULUS VI.

Utrum in generatione substantiali fiat resolutio omnis formæ usque ad materiam primam ?

Resolvi usque ad materiam primam, idem est quod spoliari materiam primam omni forma tam substantiali, quam accidentali, quando fit generatio. Et inquirimus an tollatur a materia omnis forma tam substantialis, quam accidentalis, quando aliqua de novo introducitur, quod aliis verbis etiam inquiri solet, videlicet eadem accidentia, quæ erant in corrupto, maneant in genito. Et quidem de resolutione omnis formæ substantialis in præsenti non tractamus, sed supponimus totaliter spoliari materiam forma substantiali, quando fit generatio, eo quod in composito non sunt plures formæ substantiales, ut ostendemus in quæstion. I de Anima, unde exclusa una forma substantiali, ut altera introducatur, omni forma substantiali præcedente spoliatur.

De resolutione ergo omnis formæ accidentalis difficultas est. Nam ex una parte videtur non posse omnia accidentia corrumpi, sed in instanti generationis debere permanere, tum quia in illo instanti debent esse dispositiones, ut reddant materiam dispositam et determinatam ad hanc formam potius quam ad aliam, alias maneret materia indifferens, et indeterminata ad talem formam. Similiter debent manere in illo instanti accidentia, quæ se habeant tanquam virtus ipsius generantis, si generans non sit illi conjunctum, oportet enim in illo instanti procedere generationem ab aliquo effective, non a generante, quia ut supponimus non est ibi non a virtute generantis, vel cœli, aut alterius agentis ibi relicta, quia virtus hæc subjectabatur in re quæ corrumpitur : ergo si desinunt omnia accidentia in illo instanti, perit etiam illa virtus ; tum etiam quia est specialis ratio de aliquibus accidentibus quæ omnino a materia avelli non possunt, verbi gratia, quantitas, quæ sequitur ipsam materiam, sicut qualitas formam, et mediante quantitate redditur materia divisa, et individuata ; constat autem in instanti generationis supponi materiam individuam, et ab aliis materiis separatam : ergo habentem quantitatem, per quam fit ista divisio ; quod specialiter urget in homine, in quo quantitas non potest subjectari nisi in sola materia, quia forma est spiritualis : ergo quantitas materiæ non evacuatur quando producitur homo, et consequenter, neque videntur tolli alia accidentia quæ mediante quantitate subjectantur in substantia ; tum denique est difficultas de aliquibus accidentibus, quæ non videntur competere rei genitæ, nisi maneant in ipsa materia, sicut videmus in cadavere manere eamdem cicatricem, eumdem colorem nigrum, eadem signa, etc. Aliquando etiam manet calor intra viscera animalis mortui, qui non potest generari a suo corrumpente, præsertim quando suffocatur aqua, neque enim aqua potest generare calorem. Similiter si animal sursum impulsu, non potest in cadavere generari ille novus impulsus, quia non potest produci a generante ipsum cadaver, cum tale generans non habeat vim impulsivam, cum non sit vivens, ergo ista accidentia non extrahuntur ab ipsa materia, nec alia ei similia producuntur, quia non est causa a qua producantur.

Ex alia vero parte obstant duo principia satis nota apud D. Thomam, scilicet quo accidentia subjectantur in toto, quo pereunte pereunt accidentia ; et secundo, quod materia recipit formam substantialem, prius quam accidentalem, ergo exuta forma substantiali, exuuntur omnia accidentia ante recepta, alias manerent aliqua recepta immediate in ipsa materia ante formam substantialem.

Hinc est, quod ista difficultas maxime pendet ex alia infra tractanda, quæstione nona, an videlicet subjectum accidentium sit sola materia, vel ipsum compositum. Qui enim

tenent materiam esse immediatum subjectum accidentium, consequenter dicunt non oportere in introductione formæ substantialis resolvi omnia accidentia, et ita tenet hanc sententiam P. Suarez, disp. XIV Metaph. sect. III, ubi plures citat ex antiquis, et plures etiam referuntur pro hac sententia a Conimbricensibus I de Generat. cap. IV, quæst. XVIII, art. I, præsertim ex Nominalibus, ut Gabriel, ahcOm, Gregorius. Videri etiam potest Murcia, disp. I de Gener. quæst. V, et alii ex recentioribus.

Nihilominus sententia S. Thomæ est: In generatione substantiali fieri resolutionem accidentium, ita ut nullum, quod erat in corrupto relinquatur in genito, sed de novo producatur. Constat hoc ex ipso D. Thoma I p. quæst. LXXVI, ubi inquit: « Impossibile est, quod aliqua dispositio accidentalis cadat media inter corpus et animam, vel inter quamcunque formam substantialem et materiam suam. » Et hoc ibi probat ratione statim adducenda. Idem docet libr. I de Gener. lect. X, ubi inquit: « Non manere idem numero accidens, sed id quod prius erat corrumpi per accidens corruptione subjecti, et advenire simile accidens consequens formam de novo advenientem. » Et videri etiam potest, quæstione de spiritualibus creaturis, articul. III ad 19, et quæst. de Anima, artic. IX ad 5. Eamdem sententiam communiter sequuntur Thomistæ, Cajetanus, Soncinas, Capreolus, Bannez, et alii, quos citant, et sequuntur Conimbricenses I de Gener. capit. IV, quæstion. XVIII, articul. II; Carmelitani, libr. I de Gener. disputation. III, quæstion. VI, Fonseca V Met. c. XXVIII, q. XX, sect. II.

Fundamentum est illud duplex principium supra insinuatum. Et quidem primum, scilicet quod ipsum totum, et non sola materia est subjectum accidentium infra quæstion. IX, probandum a nobis est; ibi videatur.

Secundum principium, quod ponitur a D. Thoma ubi supra est quia materia, licet sit susceptiva formæ substantialis, et accidentalis, tamen ordine quodam recipit illas, eo quod ipsæ formæ inter se ordinatæ sunt, et una essentialiter supponit alteram, sicut gradus vegetativus supponit sensitivum, et actus intellectus supponit potentiam, sic esse accidentale supponit substantiale, tanquam naturaliter illi coordinatum, et ab eo dependens, esse autem substantiale datur per formam substantialem.

Quod ut radicitus percipiatur, distinguendum est de accidentibus quæ sunt propriæ passiones et quæ sunt communia. Si sunt accidentia propria certum est, quod non inhærent materiæ, neque illi uniuntur, nisi mediante forma, eo quod non conveniunt materiæ, nisi ut dimanantia a forma, non dimanant autem a forma, nisi ut unita materiæ, quia non dimanant ab ea, nisi ut habente esse, habet autem esse forma, quando est in materia, vel quia dependet ab illa, vel quia creatur in illa; ergo prius est formam inesse materiæ, et illi dare esse, quam materiam recipere accidentia dimanantia ab illa, et ita calor in igne producto non potest esse idem numero qui erat in ligno, quando disponebatur ad ignem, quia iste dimanat a forma ignis introducta. Si vero accidentia sint communia, vel possunt dici communia, quia licet dimanent a forma, dimanant tamen secundum gradum communem, non secundum ultimam differentiam, sicut quantitas dimanat a gradu corporis, qui est communis omnibus, tam elementis, quam mixtis, et de his accidentibus eadem ratio est, atque de

propriis, quia ut advertit D. Thomas I part. quæst. LXXVI, art. VI ad 1, sicut dantur diversi gradus unius, et ejusdem formæ, ita consecuntur unumquodque genus, seu gradum sua propria accidentia. Quare ista accidentia prout sic dimanantia, et consecuta, necessario supponunt formam in materia, ut ab ea consequantur, non vero ipsa prius ponuntur in materia, quam forma a qua consequuntur.

Si vero sint accidentia communia, et nullo modo dimanent a forma, sed fortuito conveniant alicui, et tanquam non per se connexa, adhuc talia accidentia non remanent in illa materia, nec illi conveniunt ante formam. Primo quidem, quia illa accidentia non determinant materiam ultimo, neque disponunt ad introductionem formæ, cum non habeant connexionem per se cum forma, ergo non est ratio cur ponantur in materia antequam forma substantialis ad quam est immediatus ordo materiæ, quia materia est potentia substantialis, et ideo immediate respicit actum substantialem. Unde si dispositiones per se requisitæ, et determinantes materiam, non prius recipiuntur in illa quam forma, multo minus accidentia non per se connexa. Deinde, quia habitudo materiæ ad formam substantialem est immediata, et essentialis, antequam respiciat accidentalem, quia materia est potentia substantialis, cujus immediatum, et per se correspondens debet esse actus substantialis, ex ordine enim ad actum denominatur, et constituitur potentia. Unde non solum materia respicit formam substantialem, tanquam principalem ordine intentionis, accidentalem autem ordine executionis, ut P. Suarez dicit, ubi supra numero LVI, sed formam substantialem respicit quasi immediatum specificativum, et ita debet respicere illam ut prius attactam non solum prius intentione, sed etiam executione, quia quod essentialiter, et primario terminat habitudinem prius attingitur in executione, quam secundarium, quia prius essentia constituitur in executione, et non solum in intentione, quam id quod secundarium. Et præsertim, quia accidens dependet a substantia in existendo, quia substantia per se existit, accidens autem inexistit, et inhæret, quod autem est prius in ordine existendi, est prius ordine executionis, et non solum intentionis, executio enim respicit esse existentis, et ita cum forma substantialis det materiæ esse substantiale, consequenter dat esse in ordine, et linea existendi, quod est prius ordine inhærendi, et consequenter, sic ordo executionis est ordo existendi, etiam in hoc ordine debet esse prior fama substantialis quam accidentalis. Et hinc est quod quia accidens dependet a substantia secundum ordinem existentiæ, valde assimilatur dependentiæ a causa efficienti, quatenus causa efficiens præsupponit esse, ut ab ea dependeat effectus, et ideo Deus media efficientia sua supplere potest dependentiam actualem accidentis a substantia sustentante, quia in hoc idem potest facere efficiens, quod sustentans. Quare materia remota forma substantiali non potest retinere accidentia, et ideo non transeunt eadem numero de corrupto ad genitum existendo immediate in materia.

Dices: Sufficere ad sustentanda accidentia esse partiale, quod habet materia, atque adeo licet dicat ordinem primo, et per se ad formam substantialem, adhuc sufficiens esse manet in materia ad sustentanda accidentia præsertim quæ dimanant ab illa, ut quantitas, vel accidentia communia.

Secundo, non sequitur corrumpi

accidentia, licet mutetur forma, et esse substantiale, quia subrogatur loco ejus aliud æque bene sustentans tale accidens in esse, qua ratione diximus supra materiam primam non perire adveniente nova forma, licet mutetur ejus esse, quia subrogatur aliud æque bene præbens esse materiæ.

Ad primum respondetur, non sufficere illud esse partiale materiæ ad sustentanda accidentia, tum quia materia non habet esse partiale, sed tantum esse accipit a forma, eo quod forma dat esse substantiale, atque adeo primum esse, quod substat aliis, alias non esset substantiale, non ergo supponit aliud prius in materia; tum quia dato, quod haberet esse partiale, adhuc non potest sustentare accidentia, nisi dependenter a toto, seu composito tanquam existente ut *quod*, unde ipsa materia solum est principium sustentandi accidentia ut *quo*, remoto autem vel destructo principio *quod*, et non subrogato alio supplente in omnibus vices ejus, principium *quo* neque agit neque recipit. Falsum est autem, quod quantitas dimanat a sola materia, siquidem dimanat a gradu corporeitatis, quem præbet forma, et sic juxta diversas formas videmus variari quantitates alias, si eadem quantitas semper inesset materiæ, fortius et intimius uniretur accidens materiæ, quam forma substantialis, quæ variatur, cum tamen materia prius essentialiter respiciat formam substantialem.

Ad secundum dicitur, non subrogari accidenti aliud æquivalens, quia subjectum diversum non potest continere idem numero accidens, quod aliud subjectum, quia una causa naturalis non continet effectus alterius totaliter etiam quoad omnem individuationem; sola causa prima potest id totaliter continere, et supplere propter omnimodam subordinationem causæ secundæ ad primam in omni ratione entis, de quo diximus quæstion. XII Physicor. et dicemus infra quæstion. XII. Et hac ratione Deus sustentans accidens extra subjectum conservat illud idem numero. At vera materia subrogatis diversis formis conservatur eadem numero, quia quælibet forma inadæquate respicitur a materia, et omnium illarum est capax, ut a qualibet conservetur, accidens vero non respicit plura subjecta, sed adæquate ab uno sustentatur, et individuatur.

Ad primum, a principio de dispositionibus determinantibus materiam, et efficientibus generationem in ultimo instanti dicemus sequenti articulo, quia de hoc est specialis difficultas.

Ad secundum respondetur, quod quantitas non sequitur materiam inhæsive, et dimanative, sed solum sequitur materiam, ut est sub forma, et ut accipit ab illa gradum corporeitatis, cujus proprium accidens est quantitas, ut S. Thomas docet supra primum, quæst. LXXVI. Dicitur autem quantitas sequi materiam, sicut qualitas formam, tum propter similitudinem, tum propter generalitatem; propter similitudinem quidem, quia materia est pure passiva, similiter quantitas nullo modo est activa; propter generalitatem autem, quia tam generalis est quantitas materiæ, sicut gradus corporeitatis, nulla autem materia reperitur sine corporeitate, et nulla sine quantitate.

Quod vero dicitur, materiam individuari per quantitatem, et debere supponi individuam in instanti generationis, respondetur materiam non individuari per quantitatem substantialiter, sed per propriam incommunicabilitatem, quantitas autem solum concurrit non tam ad rationem individuationis, quam ad ejus multiplicationem, et divisionem, hæc enim fit per quantitatem, et se habet ut conditio dividens et requisita necessario, ut ejus divisione posita, non ab ipsa sed a substantia seu materia sub quantitate divisa resultet diversa individualitas substantialis, ut dicemus infra quæstione nona agendo de principio individuationis. Hinc autem quantitatem, qua individuatur, et individuat materia, sufficit quod in instanti generationis habeat, prioritate causæ formalis a forma, prioritatem dispositivæ causæ, et materialis a materia, non vero requiritur, quod ipsi materiæ sit cœna, eique perpetuo inhæreat, quod ibi latius explicabitur. Nec hoc habet specialem difficultatem in homine, quia licet forma ejus entitative sit spiritualis, informitative tamen, et virtualiter est corporea et ut *quo*, quatenus præbet gradum corporeitatis, a quo sequitur quantitas, sicut et alia accidentia corporea. Et sic ipsum totum quod resultat, simpliciter est corporeum, scilicet homo atque adeo capax quantitatis ut *quod*, principium autem recipiendi quantitatem ut *quo* est ipsa materia ut subest formæ, quatenus dat gradum corporeitatis.

Ad secundum respondetur illa accidentia quæ remanent in genito non esse eadem numero quæ in corrupto, sed similia, ut expresse docet S. Thomas I de Gener. lect. X, eo quod aliquæ formæ habent talem symbolizationem, et affinitatem, ut petant similia accidentia præsertim in principio suæ generationis quando nondum omnem suam perfectionem obtinent, et inter istas est facilis transmutatio, sicut embryonis in animal, animalis in cadaver, et sic cum sint formæ vitales et tendentes ad ulteriorem formam petunt similitudinem in accidentibus. Aliquando autem generans producit accidens simile ei quod erat in corrupto propter necessitatem materiæ, ex qua fit generatio. Pro quo notandum est, quod formæ quæ generantur, aut quando de novo fit augmentatio, vel nutritio, licet accidentia propria sive proprias passiones non habeant ex materia, multa tamen accidentia communia sortiuntur ex determinatione materiæ in quam introducitur forma, quia accidentia communia non emanant a forma, sed a generante præbente illa juxta occurrentem materiam, et circumstantias, sicut patet quod a generante præbetur ubi, et situs, etiam cum aliquid generatur extra proprium locum tanquam accidens commune, et mutabile: cum autem generans ita agat in passum quod etiam repatitur ab illo ut infra dicemus quæstione quinto, nec perfecte vincit passum in omnibus, oportet quod in ipso genito producantur accidentia aliqua a generante non absolute ut est in se, sed ut modificatio, et temperato per reactionem passi, ab illo enim determinatur generans ad producendum aliquas qualitates, quas ex se solum non produceret, unde quando aqua vel ignis, aut ferrum interficit animal, et generatur forma cadaveris sive ab ipsis, sive a cœlo, ut a principali agente, tunc illa accidentia communia producuntur, quæ juxta passi resistentiam, aut exigentiam, generans potest producere, et ita aliquando producitur calor in visceribus animalis, licet ab agente frigido introducatur forma cadaveris, eo quod illud agens frigidum licet per se et directe solum producat frigus, tamen ut repatitur a calido quando interficit animal, imbuitur qualitatibus calidi, et sic etiam aliquid caloris producit cum forma cadaveris: aliquando vero talis calor producitur per antiperistasim, seu circumobsistentiam contrarii, et a cœlo introducente formam cadaveris, tanquam a causa per se. Quid sit anti-

peristasis dicemus quæstione quinta. Et eadem ratione videmus nutritivam generare aliquando alimentum cum alienis qualitatibus, et nocivis propter repassionem a materia, quæ suis qualitatibus imbuit nutritionem, et similiter generari animal cum aliis qualitatibus, licet semen sit bonum propter infectionem sanguinis, qui est materia. Sic ergo agens, seu generans non solum considerandum est quid possit juxta modificationem quam habet ex resistentia passi, seu reactione, et secundum virtutem, quam inde participat, et similiter secundum virtutem, quam habet a cœlo, et ab aliis circumstantibus a quibus omnibus determinatur, vel accipit vim producendi aliqua accidentia communia, juxta exigentiam materiæ in qua operatur, atque adeo potest generare similem colorem, cicatricem, et similiter impulsum, et alia similia non vi sua de novo impellendo, sed continuando impulsum quatenus ex corpore impulso generatur cadaver, et ita virtus impressa ab impellente ipsi animali quod corrumpitur, cum in corrumpente non inveniat dispositionem contrariam a qua extinguatur determinat ipsum corrumpens, et communicat illi vim continuandi similem impulsum in cadavere. Nec obstat, quod sensus nullam in hoc sentit mutationem, nec enim ad sensum pertinet judicare de mutatione individuali, quæ sit ex sola corruptione subjecti, quando subrogatur illi accidens ejusdem speciei, sed tunc quando alteratur, et mutatur accidens sine alterius similis subrogatione.

Sed adhuc objicies D. Thomam IV contra Gent. c. LXXXI, dicentem: « Quod materia hominis post ejus mortem quæ tali formæ fuit subjecta manet sub eisdem dimensionibus ex quibus habebat, ut esset materia individualis, » ergo non denudatur materia omni accidente saltem quantitate, per quam sigillatur, et determinatur, ut sit hæc individua materia. Et confirmatur, quia dispositiones antecedentes non habent contrarium a quo corrumpantur subsequentes, siquidem sunt ejusdem rationis cum illis, ergo manent. Nec dici potest quod per definitionem subjecti desinunt; nam contra est, quia dispositio ultima cum annexa sit ipsi formæ genitæ, non corrumpitur per ejus destructionem, cum potius tunc generetur, dispositio autem infra ultimam est compatibilis cum subjecto corrumpendo, ergo non desinit ex sola defitione subjecti, sed a contrario; hoc autem non datur, quia ultima dispositio non est contraria illi antecedenti, quæ est infra ultimam, sed est ejusdem speciei, verbi gratia, calor ut octo cum calore ut septem.

Respondetur D. Thomam intelligi, quod manet materia cum eisdem dimensionibus radicaliter, quatenus materia est radix earumdem dimensionum non formaliter, quia non manet eadem quantitas, nec sub eadem forma, manet tamen in materia ordo ad eamdem formam, id est, animam ut recuperandam per resurrectionem divinitus, et sic manet eadem dimensio radicaliter. Quod confirmat ibidem S. Thomas dicens quod corporeitas est duplex, alia substantialis, scilicet ratio corporis de genere substantiæ, quæ non est aliud quam ipsa forma, alia accidentalis, quæ est species quantitatis quæ est corpus. Et de hac subdit S. Thomas: « Quod licet cedat in nihilum corpore humano corrupto, tamen non impedit, quod idem homo numero resurgat, quia manet eadem corporeitas, eadem manente forma hominis. » Sentit ergo D. Thomas quod non manet eadem dimensio quantitativa in materia hominis, sed idem ordo ad formam humanam, unde habebit easdem dimensiones, quia habebit eamdem corporeitatem. Alia loca D. Thomæ ex q. VII et IX tertiæ partis explicabimus articulo sequenti.

Ad confirmationem respondetur dispositiones antecedentes non corrumpi ab ultima dispositione directe tanquam a contrario, sed indirecte, et per accidens, quia introducunt formam incompossibilem præcedenti, et consequenter destruitur subjectum talium dispositionum antecedentium, et sic ipsæ desinunt ad definitionem subjecti in quo erant: non est autem inconveniens quod per accidens, et indirecte aliquid corrumpatur a suo simili, destructo fundamento ejus, cui innitebatur.

ARTICULUS VII.

Quomodo ultima dispositio causetur, vel causet generationem substantialem?

Supposita sententia, in articulo præcedenti explicata, quod forma introducitur in materiam denudatam omni forma, tam substantiali, quam accidentali duplex urget difficultas in præsenti articulo pertractanda. Primo, quomodo ultima dispositio possit causari ad modum, quo cæteræ antecedentes causatæ sunt, aliæ enim in ipso subjecto, quod corrumpitur introducuntur, ultima autem dispositio si in ipso subjecto causaretur, cum ipso corrumperetur, et sic non conjungeretur formæ substantiali, quæ de novo generatur. Si autem producitur ultima dispositio in subjecto, quod de novo generatur, tunc non produceretur per alterationem sicut cæteræ antecedentes, et sic non continuabitur illis, et consequenter non erit causa corrumpendi formam, et disponendi materiam ultimate ad introductionem formæ, siquidem non existit in subjecto ante generationem formæ substantialis, et consequenter non expellit formam corruptam, neque materiam ipsam disponit, ut recipiat formam de novo, siquidem post ipsam formam talis dispositio convenit subjecto, quidquid autem infra talem dispositionem est, compatitur cum forma corrupta, et sic non expellit illam.

Secunda difficultas est, quomodo ultima dispositio possit causare formam quæ de novo generatur, sive effective, sive materialiter, siquidem dispositio illa transit cum subjecto quod corrumpitur, siquidem in sola materia nuda non remanet, supposita sententia explicata articulo præcedenti, et infra quæstione IX explicanda, quod accidentia non subjectantur immediate in materia prima, et sic non transeunt de corrupto ad genitum, ex quo fit quod ultima dispositio non potest materialiter determinare materiam, siquidem non inhæret, nec afficit illam. Similiter etiam non potest effective attingere ipsam formam, quia consequitur post ipsam in subjecto, ergo non potest effective illam generare, et sic generabitur forma a dispositione remota effective, quæ est minor ipsa ultima, quod stare non potest, quia compatitur cum forma corrupta nec habet perfectam, et ultimam virtutem quæ ultimo ordinetur, et connectatur cum forma genita, ergo non potest in illam influere effective.

Et urgetur amplius, quia si ultima dispositio non efficitur a generante in subjecto corrumpendo, sed in ipsa re genita, ergo in instanti generationis prius efficietur ipsa forma substantialis, et mediante ipsa emanabit ultima dispositio tanquam accidens illius, ergo non est virtus efficiens ipsius generantis respectu formæ substantialis, cum

potius ab ipsa forma emanet. Similiter in instanti generationis debet præsupponi materia præparata, et disposita ut introducatur forma, sed tunc materia denudatur omni accidenti, et dispositione, ergo omni effectu formali accidentis disponentis et determinantis materiam, ergo non remanet materia determinata, et disposita neque formaliter, neque virtualiter; non formaliter, quia nulla forma disponens tunc est; non virtualiter, quia nulla alia forma remanet, in cujus virtute contineatur illa dispositio, nisi solum quædam connotatio extrinseca quod immediate antea fuerit dispositio non ultima, quia ultima non fuit in tali subjecto; hoc autem non sufficit ut materia dicatur intrinsece, et realiter determinata et disposita.

Denique, est generalis difficultas, quomodo in illo instanti dispositiones possint operari effective, quia præcedentes tunc non sunt, sed desinunt esse, subsequentes autem efficiuntur tunc, ergo non efficiunt ipsam generationem. Et dato quod tunc existant, non possunt agere effective in subjectum in quo sunt, ut docet S. Thomas I-II, quæstion. LXXXV, articul. 1 ad 4. Nec ipsum subjectum agit per illas, quia alias eadem pars ageret et pateretur, esset movens et mota.

Difficultates istæ parum urgent eos qui tenent accidentia subjectari in materia immediate, et consequenter ea quæ sunt in corrupto posse manere in genito, et sic facile concedunt dispositionem ultimam immitti a generante in ipsam materiam, quando est sub forma corrupta, et sic præparare materiam per dispositionem ultimam, quam habet ante formam, et consequenter ab ipsa forma non dimanare ultimam dispositionem, pro qua sententia plures citantur a P. Suarez disp. XIV Metaphys. sect. III. Cæterumuia multi alii existimant subjectari quidem accidentia in materia sola, præsupponendo tamen prius unionem ad formam substantialem, ut Conimbricenses I de Generatione, cap. IV, q. IV et probabile reputat Suarez loco citato n. XXXVII et XL et LX, ideo adhuc locus est in hac sententia, ut dicatur dispositionem ultimam non dari in materia ante formam substantialem, sed ab ipsa forma dimanare. Unde ipse Suarez tom. III de Gratia, lib. VIII, c. XIII, n. X, licet dicat esse probabilius dispositionem antecedentem non perire in instanti generationis, sed manere in genito, ibique consummari in ratione dispositionis ultimæ, oppositum tamen admittit ut probabile, sed dicit quod in ea sententia oportet respondere quod vel ultima dispositio non præparat materiam, sed forma recipitur in materia immediate, hoc ipso quod denudatur omni forma, vel si præparat materiam, ipsa prout præparans non est a forma, sed a generante.

Reducitur ergo difficultas ad hoc, an ultima dispositio procedat a forma genita quasi effective, et dimanative, et tamen præparet, et disponat ipsam materiam; an vero, si præparat materiam non procedat ab ipsa forma, sed ab ipso generante; vel denique an ultima dispositio nullo modo præparet materiam ad formam sed introducatur in nuda materia, dispositio autem ultima sequatur formam tanquam dispositio ornans non præparans, et determinans materiam ad talem formam. Quod si ultima dispositio utrumque habet, scilicet determinare materiam, et consequi ad formam, restat videre quomodo id faciat in instanti generationis, et præsertim, an dispositio ultima habeat esse virtus effectiva generantis in illo instanti.

DICO ERGO PRIMO: Sive accidentia

subjectentur in soli materia, sive in toto composito, dispositio ultima nunquam est simul cum forma quæ corrumpitur, sed cum illa quæ generatur. Hæc conclusio tanquam certa in hac difficultate statuenda est. Et probatur, quia dispositio ultima expellit formam oppositam a materia, quia ut dicit D. Thomas quæstion. XXVIII de Verit. articul. VIII ad ultimum per calorem in summo expellitur forma aquæ, et ita non sunt simul. Et patet, quia hæc expulsio fit per incompossibilitatem dispositionis ultimæ cum forma corrupta, omnes enim dispositiones antecedentes tendunt ad expulsionem et corruptionem formæ, et ideo opponuntur, et contrariantur illi, ergo ultima dispositio est illa, quæ ultimo opponitur, et sic incompossibilis est cum tali forma, siquidem non restat alia ulterior, quæ ad expulsionem ejus faciat, ergo non est simul cum tali forma, quia incompossibilitatem habet cum illa. Unde etiamsi accidentia recipiantur in sola materia, tamen quia non potest habere simul oppositas, et incompossibiles formas, non potest simul habere dispositionem ultimam, et formam corruptam. Et sicut forma genita, ut formaliter expellat corruptam, non requiritur, quod simul cum illa sit in materia, alias duæ formæ essent in illa, sed sufficit quod conjungatur illi per successionem et expulsionem non per simultatem, ita ut dispositio ultima expellat dispositive formam corruptam, non requiritur, quod simul existat cum ea, sed quod succedat illi expellendo non simul existendo. Quod autem dispositio ultima sit simul cum forma genita affirmat D. Thomas quæstione citata de Verit. articul. VII ad II, dicens: « Quod calor consummatus simul introducitur cum forma ignis. » Et sumitur ex dictis, quia illa ultima dispositio, sicut est incompossibilis cum forma corrupta, ita est compossibilis et connexa cum forma genita, ergo simul est cum illa, nec enim materia datur aliquando sine aliqua forma substantiali, cum qua sit illa accidentalis.

DICO SECUNDO: Dispositio ultima bene compatitur hæc duo, scilicet quod præparet materiam ad formam terminative, quod est non solum dari ad ornatum, sed ad præparationem materiæ erga formam, et similiter quod talis dispositio causetur a forma in ordine causæ formalis, et secundum dependentiam in esse. Utrumque affirmat D. Thomas q. XXVIII de Verit. art. VIII, in fine corporis, et in IV, dist. XVII, q. I, a. IV, q. I et II et a. V, q. III, ubi affirmat: « Dispositionem ultimam esse effectum formæ in genere causæ formalis, et tamen præcedere ipsam in genere causæ materialis. » Sed præsertim videri potest D. Thomas in III, d. XIII, q. III, art. I, ubi distinguit triplex genus dispositionis: « Uno modo ita quod cadat medium inter subjectum, et perfectionem illam, quasi instrumentum perfectionis illius, sicut diaphaneitas disponit ad lucem. Alio modo disponit aliquid ad formam si ut præparando materiam ad receptionem formæ, ita quod præexistat in materia ante formam ordine fiendi non ordine essendi, sicut calor disponit ad formam ignis, non quia medium cadit inter formam et materiam, sed materia approprietatur ad formam ignis per adventum caloris. Tertio modo aliquid disponit ad perfectionem aliquam, sicut quod facit ad bonitatem, et decentiam perfectionis, sicut decor personæ facit ad dignitatem regiam. » Ecce S. Thomas distinguit dispositionem præparantem materiam ad formam a dispositione ornante, et conducente ad decentiam, et in primo ordine ponit

dispositionem ultimam, ut calor ad formam ignis, quæ ordine fiendi tantum præcedit, non ordine existendi seu ut medium existens inter materiam et formam, et consequenter non prius existens in materia, quam forma.

Explicatur autem conclusio, ostendendo illa duo non esse incompossibilia, scilicet dependere, seu causari a forma, et præparare, seu determinare materiam ad talem formam consummative, et terminative, sicut dispositio antecedens et alteratio ad illam præparat, et disponit materiam inchoative. Quod patet, quia dispositio ultima, v. g. calor ut octo, est accidens connexum cum forma ignis ab illaque dependens in esse tanquam propria passio in ejus radice contenta, sicut clare videmus, quod ignis genitus habet calorem ut octo tanquam proprietatem: et secundo habet calor ut octo esse ejusdem rationis, et speciei cum calore ut sex, vel septem qui ante instans generationis disponebat lignum ad formam ignis, et sic dispositio ultima habet esse terminus et consummatio caloris antecedenter disponentis. Quod S. Thomas aperte fatetur in quæst. XXVIII de Verit. articul. IX ad 10, ubi inquit: « Quod ea, quæ in instanti fiunt dicuntur fieri, et factum esse, quia quatenus illud instans est terminus prioris temporis in quo fiebat, usurpat sibi id quod priori tempori debetur. » Ergo sentit D. Thomas quod dispositioni ultimæ in facto esse etiam convenit esse terminum antecedentis dispositionis, et prioris temporis, et sic ejus denominationem usurpat sibi. Igitur dispositio ultima secundum istos duos respectus, seu formalitates potest consequi ad formam, et disponere materiam in diverso genere causæ, quia enim est accidens incompossibile cum forma præcedente, connexum autem, et subordinatum formæ genitæ tanquam proprium accidens illius, necesse est quod ab ea dependeat, et ad eam sequatur. Quia vero est terminus, et consummatio præcedentis alterationis, per quam materia disponebatur ad formam generandam, ideo per illam ultimam dispositionem terminative, et consummative materia disponitur, et præparatur. Et sic illa ultima dispositio terminat duplicem actionem generantis secundum diversam formalitatem, scilicet alterationem, et generationem; alterationem quidem, in quantum est consummatio, et terminus præcedentis alterationis; generationem autem in quantum est propria passio connexa formæ substantiali, et sic formam substantialem consequitur. Nec est novum, ad unum effectum concurrere duas actiones secundum diversas formalitates, sicut sol et homo ad generandum hominem, vel si datur una tantum actio, scilicet generatio, illa virtualiter continebit vim alterationis præcedentis cujus loco subrogatur complendo ipsam.

Dico tertio: Dispositio ultima non est virtus efficienter influens in generationem substantialem neque in corruptionem formæ oppositæ. Est D. Thomæ q. XXVIII de Verit. art. VIII ad 5, ex his quæ secundo loco ponuntur, ubi inquit: « Quod dispositio non facit aliquid ad formam effective, sed materialiter tantum in quantum materia per dispositionem efficitur congrua ad receptionem formæ. » Et loquitur de dispositione ultima. Ratione autem conclusionis manifesta est ex dictis, quia dispositio ultima cum sit accidens non potest operari effective, nisi ut virtus recepta in aliquo subjecto, et ut inhærens illi, neque enim calor dicitur calefacere, sed calidum, quia non potest operari

forma, seu principium *quo* qualis est calor, seu dispositio ultima nisi operante aliquo principio *quod*, siquidem principium *quo* essentialiter est alicujus operantis per illud, est enim id *quo* aliquid operatur, ergo essentialiter supponit principium *quo*. Si ergo dispositio ultima operatur efficienter generationem, necessario id facit ut recepta in aliquo subjecto, sed non recipitur in corrupto, quia desinit esse neque in aliquo corpore circumstanti, quia illud non disponitur, neque ex illo generatur res, ergo in ipso genito, ut ostensum est, quia ad ejus formam consequitur, ergo non potest effective attingere ipsam generationem, quia non potest effective agere in subjectum, in quo recipitur, ut dicit D. Thomas, I-II, q. LXXXV, a. 1 ad 4, et si posset efficere, non tamen generare, qui si recipitur in illo, ut efficiat, jam supponit esse generatum, et existens.

Si dicatur influere saltem effective in corruptionem formæ oppositæ, contra hoc instat D. Thomas quæst. XXVIII de Verit. articul. VIII, in corpore, ubi ostendit gratiam non posse per actus a se elicitos effective operari ad remissionem culpæ quod est corruptio formæ oppositæ, sed per informationem subjecti, informando enim expellit formam oppositam non efficiendo, et ratio est, quia efficientia non est directe ad corruptionem, alias terminaretur per se primo ad non ens, quod est nihil efficere, sed primo et per se terminatur ad ipsam aliquam generationem, seu ad formam, secundario ad corruptionem alterius, ergo si dispositio ultima non potest effective concurrere ad generationem, neque effective influet in corruptionem.

Sed ex hac conclusione insurgit grandis difficultas, qua virtute generans, quando est absens effective attingat ipsum genitum, nam dispositio ultima ut diximus, non concurrit effective ad generationem, dispositio autem infra ultimam non est sufficiens ad producendam formam genitam, v. g. calor ut septem ad producendam formam ignis; tum quia non potest producere calorem ut octo cum sit illo inferior, ergo neque formam ignis; tum quia illa dispositio antecedens subjectatur in ipso corrupto, quia compatitur cum ejus forma, ergo in ipso instanti generationis non existit, ergo neque effective operatur. Nec potest dici quod manet virtualiter, aut quod illa dispositio antecedens continuatur cum forma genita, ut significat D. Thomas III p. q. VIII, a. XIII ad 2, dicens: « Quod dispositio quæ vi generationis præcedit, naturaliter perfectionem sequitur; quam aliquis jam consecutus est, sicut calor qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens a forma ignis, » et q. IX art. III ad 1 dicit: « Quod per calorem disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, qua tamen adveniente calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formæ. » Contra hoc instatur, quia si ita est, non fiet in generatione substantiali resolutio usque ad materiam, quia illa dispositio præcedens continuatur cum forma genita, et sic manet in materia, vel saltem manet aliqua virtus, in qua virtualiter continetur illa dispositio, et hæc virtus aliquod accidens est. Ad hoc ergo.

Dico quarto: Virtus generantis, quæ effective operatur ut decisa, et diffusa ab ipso generante tanquam instrumentum illius, non est dispositio ultima, sed cum dispositionibus antecedentibus invenitur, et in instanti generationis non operatur effective, ut existens in subjecto corrupto, neque in subjecto genito, sed in parte propinquiori ipsi rei geni-

tæ. Supponit hæc conclusio, quod generans dupliciter potest se habere erga materiam ex qua generat, vel enim est illi indistans et immediatum immediatione suppositi, virtutis, sicut ignis est proximus ligno quod comburit, et tunc virtus effectiva generantis non est nisi in ipsomet supposito generante, scilicet calor qui est in igne. Aliquando vero generans est distans a materia ex qua generat, et solum est immediatum illi per suam virtutem, sicut sol cum generat herbam, et animal quod mediante semine generat aliud, et tunc etiam datur virtus effectiva diffusa, et decisa ab ipso agente, tanquam instrumentum ipsius, ut dicit S. Thomas quæstion. III de Pot. art. XI ad 9 et aliis pluribus locis, et nos probavimus quæstion. XII Physic. De hac ergo virtute diffusa in absentia, vel distantia generantis procedit conclusio. Et prima pars dicit, quod non est dispositio ultima, sed cum antecedentibus ponitur. Et hoc manifestum est, quia dispositio ultima est effectus conjunctus, et annexus ipsi formæ genitæ, ita quod non existit nisi ubi existit forma genita, sicut calor ut octo non existit nisi ubi forma ignis, ergo non operatur nisi existente forma ignis, ergo non ipsam formam, seu generationem ejus effective attingit. Secunda vero pars, quod illa virtus effectiva non sit in subjecto corrupto, quando operatur in instanti generationis, constat, quia in illo instanti non est illud subjectum, siquidem corrumpitur, ergo neque est illa virtus, quæ inhærebat illi, quod autem non est, non operatur effective per se ipsum, per aliquam autem virtutem non operatur, quia de hac erit eadem difficultas in quo subjecto sit. Tertia pars, quod non existat in re genita tanquam in subjecto, neque in ejus materia, constat ex doctrina S. Thomæ I-II, q. LXXXV, art. I ad 4, et q. CX, art. II ad 1, et quodlib. X, art. III ad 2, ubi statuit dispositionem, seu accidens non agere effective in suum subjectum, sed formaliter actuando illud, ergo dispositio existens in re genita, non potest illam generare ut de se constat, quia sic supponet existens ante subjectum, et consequenter deberet esse in alio subjecto: nec potest supponi ut existens in materia, et agere effective in ipsam et ex ipsa, quia cum accidens non possit operari nisi ut *quo*, et consequenter ipsum subjectum, cui inhæret debet operari ut *quod*, idem esset dicere quod accidens operatur effective in subjectum, ac dicere quod subjectum operatur effective in se ipsum. Nihil autem se ipsum movet effective, et multo minus materia prima, quæ nullo modo est activa, sed passiva, ergo non potest accidens existens in materia prima operari in illa, effective. Quarta pars conclusionis, scilicet quod in casu quo generans est distans a materia quam disponit, et ex qua generat, debet assignari aliqua pars proxima quæ per virtutem a generante decisam cum dispositionibus antecedentibus effective agat in partem proximiorem et sic fiat generatio, inde constat, quia nihil effective agit in se ipsum, sed oportet distinguere agens et passum, partem moventem et partem motam, ergo oportet quod generatio fiat agente una parte in aliam, quando ipsum generans non est ibi præsens, ut per se ipsum agat. Et hoc etiam bene notarunt Conimbricenses in c. V, quæst. IX, art. II, §. Quare nostra.

Et si instes: Quia pars proximior non habet in se dispositionem ultimam, v. g. calorem ut octo, sed aliquid infra illam, alias esset in ea ignis genitus, et non solum virtus ad ignem generandum, ergo non potest talis virtus inferior producere

dispositionem ultimam effective, respondetur quod illa virtus licet entitative, et formaliter sit infra calorem ut octo, et infra dispositionem ultimam, virtualiter tamen in quantum instrumentum generantis a quo est decisa talis virtus, habet vim adattingendum effective formam substantialem rei genitæ, et ipsam dispositionem ultimam illius. Et hoc sumitur ex D. Thoma I p. q. LXXIX, art. IV ad 4, dicente: « Quod in mixto manent qualitates propriæ elementorum licet remissæ, in quibus est virtus formarum elementalium; » censet ergo, quod etiam infra calorem ut octo potest virtualiter manere vis formæ generantis. Itaque calor qui est infra gradum caloris ut octo, non potest per modum causæ principalis producere nisi calorem similem sibi; et non calorem ut octo, si tamen consideretur non solum ut calor, sed ut calor virtuosus, id est, ut derivatus ab igne tanquam instrumentum ejus ad producendum substantiam similem sibi, et consequenter calorem ut octo, sic operatur illum instrumentaliter non principaliter. Quod si absente, vel destructo generante virtus illa debilior et imperfectior facta sit, aut egressa fuerit, quam ut possit producere substantiam, si eam produxit, id fiet virtute causæ superioris, scilicet cœli, vel causæ primæ supplentis, quod deest de virtute generantis, et sic plures formæ inanimatæ quandoque producuntur a cœlo, ut quando cadaver generatur ex jugulatione, vel ex suffocatione, ferrum enim non est productivum directe formæ cadaveris, sed ferri; tamen tollendo dispositiones vitales, v. g. calorem, qui est in sanguine relinquit locum cœlo, ut introducat formam cadaveris. Quid autem sit in virtute illa, quæ est quædam qualitas, esse virtutem substantiæ explicavimus q. XII Phys. quod non est aliquid superadditum qualitati, sed tantum ab ipsa substantia esse derivatam, et aliquid illius in ordine ad producendam similem substantiam.

Cæterum in generatione viventium specialis difficultas est, quomodo distinguatur pars efficiens, et pars effecta, eo quod vivens non generatur successive a parte in partem sicut inanimata, sed organizato corpore et integre disposito tota generatio in instanti perficitur, et ideo non apparet quomodo a parte vicina procedat ipsa forma viventis et ultima ejus dispositio.

Sed respondetur ex doctrina D. Thomæ I p. quæst. CXVIII, art. I ad 3 et IV de Potent. art. XI, præsertim ad 8, ubi docet, quod virtus activa seminis non est in toto semine, sed in spiritibus qui in ipso semine includuntur, in quo etiam spiritu est aliquis calor ex virtute corporum cœlestium, quorum virtute agunt ista inferiora, et istæ partes spirituosæ seminis agunt in alias, quæ se habent ut materia, et formant illas, et licet materia illa corpulenta, ex qua fit generatio animalium, varietur per diversas formas quas vocamus formas embryonis usque ad perfectæ formæ introductionem, non tamen destruitur illa pars spirituosa in qua est virtus activa seminalis, nec mutatur, ut dicit S. Thomas solutione illa ad 8, et sic semper manet distinctio inter partes, quæ effective agunt, et partes in quibus introducitur forma animalis; in illis enim partibus spirituosis, quæ spumosiores sunt non introducitur forma genita, quia ex illis non formatur fœtus, sed ex corpulentiori crassiorique materia seminis, et sanguinis; alioquin, ut ibi argumentatur D. Thomas, si partes illæ spirituosæ mutarentur, et formaretur ex illis fœtus, ut ex materia, destrueretur illa virtus semina-

lis, et sic non posset virtute seminis usque ad completum perfici generatio. Quid autem fiat de illis partibus habentibus virtutem seminis postquam forma animalis jam est introducta, respondet D. Thomas quæst. illa CXVIII citata ad 1, quod evanescente spiritu, et dissoluto semine, desinit esse illa virtus activa, quæ erat in semine, eo quod erat vis instrumentalis quæ cessat producto jam effectu. Itaque resolvitur pars illa spiritnosa; et evaporatur in aliquod corpus; et sic semper distinguitur forma. Et illa qualitas activa seminis licet formaliter sit inferior ad dispositionem ultimam, non tamen virtualiter, in quantum est virtus substantiæ derivata ab ea ad agendum.

Ex quo manifestum est quomodo dispositio influat effective ad introductionem formæ, vel corruptionem; constat enim ex dictis, quod virtus effectiva influens debet esse in alia parte, vel subjecto ab illo quod disponitur, et sic semper distinguitur pars movens et pars mota, evitaturque illud inconveniens, quod dispositio non existens in ultimo instanti operari possit, existit enim tunc virtus operans in parte proximiori. Similiter etiam constat quomodo materia dicatur disposita sive a dispositione ultima, sive ab antecedenti; non per extrinsecam denominationem, sed per realem informationem, quia ante instans generationis disponitur materia quasi in fieri, et tendentia ad formam per dispositiones antecedentes, quæ subjectantur in ipso toto, quod est corrumpendum, et ipsam materiam determinant ad formam introducendam. In instanti autem generationis determinatur materia in facto esse, et consummative per ipsam ultimam dispositionem, quæ non recipitur in sola materia, sed in ipso toto, quia semper est connexa cum ipsa forma, sed tamen illa dispositio habet duplicem respectum, seu officium secundum quod correspondet duplici principio, scilicet formæ genitæ ad quam consequitur, ut propria passio, et alterationi quam terminat et consummat; et non est necesse, quod secundum utrumque respectum præparet, et disponat materiam, sed sufficit quod ut terminus alterationis est, illam disponat, non ut proprietas formæ, sed quia de facto inhæret, et existit in ipso toto, et in ejus materia, ut in principio *quo* recipiendi, hoc sufficit ut per realem, et intrinsecam denominationem dicatur disponere illam.

Ad illa loca D. Thomæ in quibus videtur dicere, quod calor qui erat in corrupto, manet in genito, respondetur, non loqui de eodem numero calore, sed de simili, qui ideo dicitur non cessare, quia per calorem similem continuatur, non tamen idem numero manet, ut expresse dicit D. Thomas 1 de Gener. lect. x, et aliis locis præcedenti articulo citatis, et cum calor adveniens per introductionem formæ profluat ab ipsa forma ut eisdem locis, quæ in contrarium citantur affirmat doctor sanctus non potest loqui de eodem numero calore, quia hic non potest profluere a forma introducta, qui antea præcesserat in subjecto.

Ad difficultates a principio positas respondetur ex dictis. Ad primam dicimus solam alterationem, quæ præcedebat in subjecto corrupto non producere ultimam dispositionem, nisi interveniente, et adjuvante generatione, quæ producit formam substantialem, et dispositionem ultimam ut illi annexam, et ut terminum alterationis præcedentis; et secundum respectum ad formam ad quam sequitur, est posterior illa; secundum vero quod terminat alterationem præcedentem, et consummat illam in eodem ordine accidentis, sic fungitur officio dispositionis tanquam terminus, et consummatio ejus quæ præcedebat, et quatenus consummat et virtualiter continet præcedentem dispositionem, virtualiter dicitur præcedere.

Ad secundam difficultatem respondetur, ultimam dispositionem non causare effective formam ad quam disponit, neque se habere ut virtutem generantis, sed solum ut dispositionem cum duplici respectu, primus ad formam genitam, ut illi annexam per modum propriæ passionis, secundum ad dispositiones antecedentes, quarum est consummatio et terminus, et secundum primum respectum subsequitur formam, secundum posteriorem antecedit non duratione, sed natura, et causalitate, ut dictum est.

Ad probationes contra hoc. Ad primum de efficientia respondetur, quod virtus effectiva generantis non convenit dispositioni ultimæ formali, sed dispositioni antecedenti, ut est virtus substantiæ generantis respiciens formam substantialem producendam, et ordinata ad illam, et consequenter ad dispositionem ultimam, quæ ipsam concomitatur, et ita ultima dispositio formalis est terminus seu effectus virtutis generantis, non virtus efficiens rei genitæ. Nisi dicamus quod dispositio antecedens, et infra ultimam, in quantum est virtus substantiæ generantis, est etiam dispositio ultima non formaliter, sed virtualiter, quatenus virtute illam continet, sicut et formam substantialem.

Ad aliam probationem ex parte præparationis materiæ respondetur, quod ultima dispositio præparat materiam consummative, et terminative, seu in facto esse, ita quod usque ad instans generationis exclusive supponit materiam præparatam in fieri, et tendentia per dispositiones antecedentes, in illo autem instanti introducitur forma in materiam concomitanter præparatam per illam dispositionem ultimam, quatenus terminus est, et consummatio dispositionum antecedentium, et illis coordinatur, et sic habet vim illarum tanquam terminus in quo consummantur, et sub hac ratione etiam habet vim causalitatis materialis, et præcedentiæ ad formam sicut habebant dispositiones antecedentes. Ipsa autem forma secundum respectum, et causalitatem formalem, quia informat materiam, intelligitur respicere materiam secundum entitatem nudam materiæ, id est, ut substantialiter informabilis, sic enim materia non est informabilis a forma substantiali mediate accidente, sed per se ipsam immediate, et ita sub hoc respectu informandi solam entitatem materiæ respicit forma, non dispositiones accidentales, solum enim respicit illas, ut determinantes indifferentiam materiæ ad talem formam, et ad hoc sufficit, quod concomitanter sit ibi dispositio in eodem instanti, dicatur autem præcedere sub respectu, et ordine causalitatis materialis, in quantum terminus, et consummatio præcedentium dispositionum, quas virtualiter continet. Et ita cum instatur, quomodo maneat materia præparata virtualiter an formaliter, et in qua forma dicatur virtualiter manere illa præparatio, respondetur in re, et in ipso instanti generationis dari ipsam dispositionem ultimam annexam formæ, quæ tanquam terminus et consummatio præcedentium dispositionum virtualiter illas continet, et continuat præparationem, et determinationem quam illæ faciebant in materia usque ad illud instans exclusive.

Ad ultimam difficultatem respondetur, dispositionem quæ est virtus

generantis effectiva non esse in subjecto, quod corrumpitur, nec in subjecto quod generatur, quia non agit effective in subjectum, in quo est inhæsive, ut ex D. Thoma dicitur in argumento, sed est in parte proximiori, in qua etiam invenitur virtus generantis in ejus absentia, ut satis supra ostensum est.

Cæterum P. Suarez disp. illa Metaphys. sect. III, num. XXVIII, non quiescit cum doctrina tradita existimatque non satisfacere illam distinctionem de mutua prioritate inter dispositionem, et formam; et instat contra illam, quia dispositio si est vere præparans, et non solum ornatus ac perficiens subjectum, oportet quod determinet, et quasi limitet capacitatem ejus ad talem formam, ergo etiam determinat ipsum agens ad talem formam introducendam; ergo fieri non poterit, ut talis forma effective sequatur ex forma introducta. Consequentia patet, quia si dispositio fuit a forma, et forma efficitur ab agente, ergo agens non potest determinari a tali dispositione quæ producat formam, sed potius mediante forma determinatur agens ad talem dispositionem.

Confirmatur, quia illa dispositio non potest exercere causalitatem materialem, et habere prioritatem naturæ, neque respectu actionis qua fit forma, neque respectu materiæ, quam disponit. Non respectu actionis, quia illa dispositio sequitur mediante forma, ergo non potest habere causalitatem, et prioritatem respectu illius actionis, quia fit ipsa forma, siquidem quando fit forma nondum illa dispositio, nec est facta ut possit tunc causare. Respectu vero materiæ non potest habere istam prioritatem, quia non potest disponere materiam nisi informando illam, non autem potest informare illa dispositio materiam in illo priori, siquidem materia ante formam informatur ab accidentibus, illud autem accidens non potest disponere nisi informando, et inhærendo, quia sine inhærentia non est et sic neque disponit; si autem in illo priori non disponit, cui inhæret illa dispositio? Non formæ, quia sequitur ad illam, et sic pro illo priori nondum inhæret formæ. Non composito quia præparat ad illud, non vero disponit illud, sed materiam ad illud, ei autem inhæret quod disponit, ergo inhærebit soli materiæ, atque adeo non est necesse, quod consequatur ad formam, sed inest materiæ ab agente.

Respondetur dispositionem ultimam non determinare ipsum agens ut efficiat, sed determinare tanquam effectus ejus; dicitur autem ultima dispositio determinare agens non ut virtus ejus ad efficiendum, sed ut terminus dispositionis antecedentis, quæ erat virtus determinata ipsius agentis, et ab eo decisa. Deinde addo quod agens, neque per ipsas dispositiones antecedentes quas emittit in materiam, determinatur ad generandum, sed antequam illas emittat, determinatur ad generandum et tanquam medium necessarium, et virtutem agendi emittit illas dispositiones quæ se habent ut effectus ejus, et virtus determinata ad generandum formam, et sic dispositiones istæ procedunt ab agente determinato, siquidem in virtute ejus determinate operantur. Nec obstat quod dispositiones antecedentes non sufficiunt determinare materiam vel agens; non sunt enim sufficientes determinare in facto esse, et consummative, bene tamen in tendentia, et inchoative; et in quantum virtus sunt substantiæ generantis, etiam effective.

Ad confimationem negatur antecedens. Ad probationem ex parte actionis respondetur, dispositionem non suscipere in se actionem qua

fit forma, sed præparare materiam in facto esse, ut recipiatur in ea forma, quæ est terminus actionis, et hac ratione disponere dicitur ad actionem in suo termino. Nec requiritur ad munus causæ materialis, quod existentia præcedat, sicut in causa efficiente, sed sufficit quod in re concomitetur, itaque in nulla duratione detur causa materialis sine existentia, ut in q. XI Phys. probavimus. Ad probationem ex parte materiæ, respondetur illam dispositionem non posse disponere nisi inhærendo et informando inhærentia et existentia concomitante, et in re inventa, non autem inhærentia formalizante, seu constituente formaliter omnem prioritatem, et causalitatem materiæ erga formam, vel formæ erga materiam: et ita pro illa prioritate naturæ, seu formalitate et conceptu, quo materia intelligitur substantialiter recipere formam, non intelliguntur dispositiones informare materiam (licet de facto ibi sint, sed solum materiam substantiale compositum cum forma constituere, ipsa autem præparatio et determinatio materiæ erga talem formam solum præsupponitur ibi concomitanter, vel antecedenter, non autem formaliter intelligitur, sed id pertinet ad aliam prioritatem, vel posterioritatem naturæ, est enim ibi antecedenter ratione dispositionum antecedentium, concomitanter autem ratione ultimæ dispositionis, quæ in facto esse illas terminat. Et sic patet ad illam interrogationem ubinam pro illo priori inhæret dispositio? Dicemus enim, quod pro illo priori formali non inhæret, quia illa prioritas non est formalitas inhærendi, sed substantialiter componendi, concomitanter vero, et in re tunc inhæret in composito ut in subjecto *quod*, et sustentante illam, in materia vero ut subjecto *quo* recipiendi, et determinabili per illas dispositiones, nec est necesse ad hoc ut inhæreat in composito quod partim sit in forma, partim in materia, sed sufficit quod in materia ut in subjecto *quo*, et in toto composito ut in subjecto *quod*, ut latius dicemus infra quæst. IX.

QUÆSTIO II.

DE CORRUPTIONE.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo differat corruptio in ratione mutationis a generatione, et ab annihilatione?

Ut resolvimus in III Phys. q. XIV, et V Phys. q. XIX, art. I ex Aristotele motus ut distinguitur a mutatione communiter dicta, duas exigit conditiones. Prima ex parte subjecti, quod ejus subjectum sit ens in actu, id est, informatum forma substantiali, non ens in potentia, quod est materia prima, quæ tamen sufficit ad mutationem. Secunda ex parte terminorum, ut videlicet motus proprie dictus sit inter terminos positivos et consequenter proprie seu positive contrarios, ad mutationem vero sufficit oppositio privativa de non esse ad esse, vele contra in subjecto capaci utriusque. Ex quo apparet corruptionem non esse motum stricte dictum ut contraponitur mutationi, eo quod non est inter terminos positivos sed versatur ab esse ad non esse. Dubium autem est in duobus. Primum, an ex eo quod terminus ad quem corruptionis sit desitio formæ, amittat rationem mutationis substantialis et solum sit privatio generationis. Secundum, an ex eo quod solum est in subjecto capaci differat ab annihilatione, qua res totaliter desinit in nihilum. Ideoqu

generantis effectiva non esse in subjecto, quod corrumpitur, nec in subjecto quod generatur, quia non agit effective in subjectum, in quo est inhæsive, ut ex D. Thoma dicitur in argumento, sed est in parte proximiori, in qua etiam invenitur virtus generantis in ejus absentia, ut satis supra ostensum est.

Cæterum P. Suarez disp. illa Metaphys. sect. III, num. XXVIII, non quiescit cum doctrina tradita existimatque non satisfacere illam distinctionem de mutua prioritate inter dispositionem, et formam; et instat contra illam, quia dispositio si est vere præparans, et non solum ornatus ac perficiens subjectum, oportet quod determinet, et quasi limitet capacitatem ejus ad talem formam, ergo etiam determinat ipsum agens ad talem formam introducendam; ergo fieri non poterit, ut talis forma effective sequatur ex forma introducta. Consequentia patet, quia si dispositio fuit a forma, et forma efficitur ab agente, ergo agens non potest determinari a tali dispositione quæ producat formam, sed potius mediante forma determinatur agens ad talem dispositionem.

Confirmatur, quia illa dispositio non potest exercere causalitatem materialem, et habere prioritatem naturæ, neque respectu actionis qua fit forma, neque respectu materiæ, quam disponit. Non respectu actionis, quia illa dispositio sequitur mediante forma, ergo non potest habere causalitatem, et prioritatem respectu illius actionis, quia fit ipsa forma, siquidem quando fit forma nondum illa dispositio, nec est facta ut possit tunc causare. Respectu vero materiæ non potest habere istam prioritatem, quia non potest disponere materiam nisi informando illam, non autem potest informare illa dispositio materiam in illo priori, siquidem materia ante formam informatur ab accidentibus, illud autem accidens non potest disponere nisi informando, et inhærendo, quia sine inhærentia non est et sic neque disponit; si autem in illo priori non disponit, cui inhæret illa dispositio? Non formæ, quia sequitur ad illam, et sic pro illo priori nondum inhæret formæ. Non composito quia præparat ad illud, non vero disponit illud, sed materiam ad illud, ei autem inhæret quod disponit, ergo inhærebit soli materiæ, atque adeo non est necesse, quod consequatur ad formam, sed inest materiæ ab agente.

Respondetur dispositionem ultimam non determinare ipsum agens ut efficiat, sed determinare tanquam effectus ejus; dicitur autem ultima dispositio determinare agens non ut virtus ejus ad efficiendum, sed ut terminus dispositionis antecedentis, quæ erat virtus determinata ipsius agentis, et ab eo decisa. Deinde addo quod agens, neque per ipsas dispositiones antecedentes quas emittit in materiam, determinatur ad generandum, sed antequam illas emittat, determinatur ad generandum et tanquam medium necessarium, et virtutem agendi emittit illas dispositiones quæ se habent ut effectus ejus, et virtus determinata ad generandum formam, et sic dispositiones istæ procedunt ab agente determinato, siquidem in virtute ejus determinate operantur. Nec obstat quod dispositiones antecedentes non sufficiunt determinare materiam vel agens; non sunt enim sufficientes determinare in facto esse, et consummative, bene tamen in tendentia, et inchoative; et in quantum virtus sunt substantiæ generantis, etiam effective.

Ad confimationem negatur antecedens. Ad probationem ex parte actionis respondetur, dispositionem non suscipere in se actionem qua

fit forma, sed præparare materiam in facto esse, ut recipiatur in ea forma, quæ est terminus actionis, et hac ratione disponere dicitur ad actionem in suo termino. Nec requiritur ad munus causæ materialis, quod existentia præcedat, sicut in causa efficiente, sed sufficit quod in re concomitetur, itaque in nulla duratione detur causa materialis sine existentia, ut in q. XI Phys. probavimus. Ad probationem ex parte materiæ, respondetur illam dispositionem non posse disponere nisi inhærendo et informando inhærentia et existentia concomitante, et in re inventa, non autem inhærentia formalizante, seu constituente formaliter omnem prioritatem, et causalitatem materiæ erga formam, vel formæ erga materiam: et ita pro illa prioritate naturæ, seu formalitate et conceptu, quo materia intelligitur substantialiter recipere formam, non intelliguntur dispositiones informare materiam (licet de facto ibi sint, sed solum materiam substantiale compositum cum forma constituere, ipsa autem præparatio et determinatio materiæ erga talem formam solum præsupponitur ibi concomitanter, vel antecedenter, non autem formaliter intelligitur, sed id pertinet ad aliam prioritatem, vel posterioritatem naturæ, est enim ibi antecedenter ratione dispositionum antecedentium, concomitanter autem ratione ultimæ dispositionis, quæ in facto esse illas terminat. Et sic patet ad illam interrogationem ubinam pro illo priori inhæret dispositio? Dicemus enim, quod pro illo priori formali non inhæret, quia illa prioritas non est formalitas inhærendi, sed substantialiter componendi, concomitanter vero, et in re tunc inhæret in composito ut in subjecto *quod*, et sustentante illam, in materia vero ut subjecto *quo* recipiendi, et determinabili per illas dispositiones, nec est necesse ad hoc ut inhæreat in composito quod partim sit in forma, partim in materia, sed sufficit quod in materia ut in subjecto *quo*, et in toto composito ut in subjecto *quod*, ut latius dicemus infra quæst. IX.

QUÆSTIO II.

DE CORRUPTIONE.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo differat corruptio in ratione mutationis a generatione, et ab annihilatione?

Ut resolvimus in III Phys. q. XIV, et V Phys. q. XIX, art. I ex Aristotele motus ut distinguitur a mutatione communiter dicta, duas exigit conditiones. Prima ex parte subjecti, quod ejus subjectum sit ens in actu, id est, informatum forma substantiali, non ens in potentia, quod est materia prima, quæ tamen sufficit ad mutationem. Secunda ex parte terminorum, ut videlicet motus proprie dictus sit inter terminos positivos et consequenter proprie seu positive contrarios, ad mutationem vero sufficit oppositio privativa de non esse ad esse, vele contra in subjecto capaci utriusque. Ex quo apparet corruptionem non esse motum stricte dictum ut contraponitur mutationi, eo quod non est inter terminos positivos sed versatur ab esse ad non esse. Dubium autem est in duobus. Primum, an ex eo quod terminus ad quem corruptionis sit desitio formæ, amittat rationem mutationis substantialis et solum sit privatio generationis. Secundum, an ex eo quod solum est in subjecto capaci differat ab annihilatione, qua res totaliter desinit in nihilum. Ideoqu

manebit dubium an utraque tam annihilatio, quam corruptio sit mutatio. Et loquimur hic de corruptione in ratione mutationis, nam in ratione actionis sequenti articulo tractabimus, an generatio, et corruptio sint eadem actio, vel quomodo connectantur inter se.

Ets ergo aliquorum sententia, corruptionem non esse realem mutationem, sed privationem tantum actionis, et concursus quo forma præcedens conservabatur, opponitur enim corruptio generationi, et non quia aliquid producit, sed quia destruit : ergo privative se habet, et sic realem mutationem non importat, imo neque identitatem in actione cum generatione, sed connexionem et nexum, quia sicut introducta una forma sequitur aliam extirpari, ita posita generatione consequitur corruptio, consecutive, ergo se habent non identice. Et hoc non semper, aliquando enim potest dari generatio sine corruptione, ut si non præsupponatur forma positiva in materia, quæ corrumpatur. Ratio hujus est, quia corruptio tendit ad negationem, id est, ad non esse : ergo non est mutatio positiva, sed negativa; ex termino enim ad quem denominatur mutatio.

Alia sententia est per aliud extremum quæ sentit corruptionem, ita esse positivam mutationem, ut etiam annihilatio positiva mutatio sit, eo quod ad annihilationem requiritur virtus infinita, sicut ad creandum : ergo ipsa annihilatio est aliqua mutatio positiva, seu operatio, siquidem fundatur in virtute positiva.

Nihilominus Dico primo : Corruptio essentialiter, et formaliter est mutatio distincta a generatione. Dico essentialiter et formaliter, quia suppono generationem ipsam, cui opponitur corruptio non solum radicaliter, sed etiam formaliter esse mutationem ut probatum est quæstione præcedenti, articulo primo. Corruptio autem, si est mutatio, cum sit formaliter opposita generationi, formaliter etiam erit mutatio sicut ipsa, quod magis verificatur in corruptione, quam in generatione, eo quod ad corruptionem necessario exigitur, quod præcedat tanquam terminus a quo ipsa forma, quæ corrumpenda est, et non potest præcedere solum prioritate naturæ eo quod per corruptionem desinit esse forma, nihil autem desinit, nisi prius existat cum sit transitus de esse ad non esse; nihil autem existit, nisi in aliqua duratione non autem in sola prioritate naturæ, quæ non est prioritas existentiæ, sed significationis, et formalitatis, et causalitatis, quatenus per illam significatur hoc dependere ab illo, et secundum hanc formalitatem, et non secundum aliam coordinari cum illo. At vero in generatione, cum procedat de non esse ad esse, non supponit aliquam durationem sui termini a quo, et ita sufficit ad generationem mutationis in generatione, quod privatio præcedat prioritate naturæ, sufficit enim, ut aliquod subjectum, quantum est ex natura sua, careat aliqua forma cum capacitate illius ut indigeat actione acquisitiva talis formæ, et consequenter quæ respiciat illam tanquam terminum ad quem talis acquisitionis, et consequenter aliquem terminum a quo respiciat, qui utique est privatio, non quæ in illo instanti existat seu afficiat subjectum, sed quæ in illo instanti expellatur, et non permittatur sequi ad naturam. Sufficit autem ad rationem termini a quo, ut in ipso instanti sit in expelli a subjecto non ut existens, et consequenter verificatur mutatio, quod [aliter se habeat in isto tunc temporis, quam ante in prioritate naturæ.

Quod ergo corruptio sit distincta

mutatio a generatione manifeste asseritur a D. Thoma quæst. xxvm de Verit. art. I et VI et sumitur ex Philosopho V Physic. cap. II, lectio. II apud D. Thomam, ubi distinguit tanquam duas mutationes eam quæ est de subjecto in non subjectum hæc est corruptio, et eam quæ est de non subjecto in subjectum hæc est generatio, quæ autem est de subjecto in subjectum est motus, quia versatur inter contraria, et non inter contradictoria. Dicitur autem mutatio de subjecto in subjectum, vel de non subjecto in subjectum, intelligendo nomine subjecti non ipsum suppositum seu substantiam, sed ipsum esse vel non esse, seu affirmatum, et non affirmatum, ut explicat D. Thomas quæstione xxvm citata, art. I. Ratio autem hujus est, quia non solum aliquid mutatur quando acquirit formam, sed etiam quando amittit, imo tunc maxime apparet mutatio, quando forma aliqua amittitur, ut cum aer amittit lucem, vel corpus albedinem, quia tunc verificatur, quod aliter se habet nunc quam prius. Quod autem sit distincta mutatio a generatione patet, quia respiciunt distinctos terminos tam ad quem, quam a quo, mutatio autem cum consistat in transitu de uno ad aliud, ubi est distinctus terminus a quo et ad quem, est distinctus transitus, et consequenter distincta mutatio, constet autem, quod corruptio transit de esse formæ ad non esse illius, generatio autem e converso, de non esse alicujus formæ ad esse illius, ergo important distinctum transitum, secundum distinctos termino a quo et ad quem.

Quod vero corruptio sit mutatio realis ostenditur distinguendo de eo, quod est reale tanquam quid positivum, vel de eo quod est reale, id est, a parte rei inventum, licet a parte rei non ponat, sed tollat, sicut dicimus tenebras, et cæcitatem dari a parte rei, quia non ficte, sed vere inveniuntur. Hoc secundo modo distinguit D. Thomas realiter corruptionem a generatione quæstione xxvm citata, art. VI. Et ratio est, quia hoc modo a parte rei invenitur et verificatur ipse terminus formalis, seu mutatum esse corruptionis, scilicet desitio formæ, quia de facto corrumpitur forma, ergo et ipsa mutatio seu fieri realiter invenitur. Non tamen dicitur mutatio positiva, quia terminus ejus positivus non est, ergo neque ipsa mutatio positiva esse potest, nec enim positive fit, aut transit id quod in se positivum non est sicut non esse formæ.

Dices : Per corruptionem non solum aliquid negativum resultat, ut terminus, scilicet privatio formæ, sed etiam aliquid positivum, scilicet formam illam manere in potentia materiæ in ordine ad agens supernaturale, quæ antea erat in actu, ergo aliqua positiva mutatio invenitur in materia, scilicet novus modus potentialitatis, et ordo ad diversum agens. Respondetur materiam ipsam nihil positivum recipere per ablationem formæ, quod antea non haberet, quia etiam ante dicebat ordinem ad formam, ut educibilem semel ab agente naturali, et pluries ab agente supernaturali. Quare educta forma, et immutata materia per ipsam, cessat respectus ad agens naturale, ne amplius possit eam educere, non ex mutatione potentiæ in materia, sed ex defectu agentis naturalis extrinseci; quando autem forma corrumpitur, nulla amplius mutatio fit in ipsa potentia materiæ quoad istum respectum continendi formam.

Ex conclusione posita colligitur, quod si in generatione alicujus rei non detur forma aliqua corrumpenda positiva, sed tantum privatio tollenda, ut cum lux destruit tenebras,

tunc corruptio, et generatio non sunt duæ mutationes, quia corruptio non invenit formam, quam destruat, et transire faciat ab esse ad non esse, sed solum invenit privationem ex parte termini a quo, quæ non mutatur de privatione in aliam privationem, transitus enim de non esse in non esse, non est mutatio, ergo solum erit mutatio de privatione ad esse, ergo corruptio privationis non est alia mutatio, quam transitus ad esse, qui utique generatio est. Et ita doceri solet in materia de justificatione, quod si culpa quæ destruitur non est nisi privatio in anima, justificatio est unica mutatio in quantum ponit gratiam, et remittit culpam, si vero culpa quæ destruitur, relinquit aliquid habituale per modum positivi, et conversionis ad creaturam, tunc est duplex mutatio, ablatio illa culpæ, et introductio gratiæ.

Dico SECUNDO : Corruptio, et annihilatio differunt ex parte termini ad quem, quia per annihilationem res totaliter desinit esse tam ex parte subjecti et ita annihilatio non est mutatio proprie dicta sicut neque creatio, licet significetur per medium mutationis. Hæc conclusio manifesta est, quia annihilatio opponitur creationi, et ita sicut creatio nullum concursum habet ex parte causæ materialis, sed solum ex parte causæ materialis, sed solum ex parte causæ efficientis quæ dat totum esse, tam ex parte formæ, quam ex parte materiæ, ita annihilatio non est desitio per concursum alicujus causæ materialis, sed per solam ablationem, et suspensionem concursus Divini perficientis, et dantis totum esse, unde cum non fiat in aliquo subjecto non est mutatio. Ex quo fit, quod terminus annihilationis dicitur esse totaliter ipsum nihil, non solum, quia totaliter desinit ipsa res quæ corrumpitur, sed etiam, quia nullus terminus positivus illi adjungitur, qui de novo fiat, in quem desinat ipsa rei destructio, sed pure ex parte termini ad quem invenitur nihil, et hoc præcipuum est in annihilatione, scilicet quod desinat in nihilum, unde quantum aliquid destruatur, sive totaliter, sive partialiter si tamen non desinat in nihilum, sed adjungatur illi aliquis terminus positivus, in quem desinat non est annihilatio. Et hac ratione in Eucharistia non annihilatur panis licet totus destruatur et desinat esse, non tamen desinit in nihilum, sed in corpus Christi, et ita est destructio panis per conversionem, non per annihilationem. Ratio hujus est, quia annihilatio ut diximus fit per suspensionem concursus totaliter conservantis in esse, ergo non solum pertinet ad ipsam totaliter rem aliquam destruere, sed etiam nullum terminum positivum illi adjungere, et subrogare, in quem destructio rei terminetur, siquidem ad ponendum istum terminum positivum requiritur actio, et positio alicujus influxus producentis, vel attingentis illum terminum, ergo si annihilatio est suspensio totius concursus, omnem terminum positivum sibi adjunctum excludit, alias non desinet aliquid per viam annihilationis, sed ex vi productionis alterius termini incompossibilis cum re quæ destruitur. Itaque ad annihilationem utrumque requiritur, et destructio totius esse, et desitio in nihilum, sine alicujus termini adjuncti positione hoc ipso quod fit per suspensionem Divini concursus.

Sed dices : Bene potest Deus annihilare formam non annihilata materia, et accidens non annihilato subjecto, ergo non est de ratione annihilationis destructio totius esse, tunc enim licet esse formæ in actu destruatur, sed manet in potentia materiæ, sicut quando per corruptionem desinit esse. Respondetur istam annihilationem non esse simpliciter, et omnibus modis annihilationem, sicut e converso productio solius formæ vel accidentis a Deo non est simpliciter creatio, sed concreatio, quando fit simul cum materia, ita suspensio concursus erga solam formam non est annihilatio simpliciter, sed reducitur ad annihilationem, tanquam ratio quædam illius, et quia habet modum annihilationis, in quantum fit per suspensionem concursus sine hoc, quod illi succedat alia forma, sed desinit in nihilum, ille enim concursus conservat rem illam cum totali dependentia et subordinatione ad Deum, et ideo ejus suspensio dicitur annihilatio, licet solum tollat partem entitatis. Quod vero maneat in potentia subjecti, non quidem in ordine ad agens naturale, sed in ordine ad potentiam Divinam non arguit, quod id fiat per actionem positivam, quia hoc quod est manere in potentia materiæ non est terminus, vel effectus talis suspensionis concursus, sed in ipsa materia præbebatur ex propria natura materiæ, et quia hoc non destruitur per suspensionem concursus, ideo non est annihilatio omnibus modis, tam ut est in actu, quam ut in potentia subjecti.

Ex quibus colliges male aliquos affirmare posse per Divinam potentiam aliquam creaturam attingere annihilationem, eo quod non requiritur tanta virtus ad destruendum, quam ad producendum, facilius enim est destruere quam ædificare, atque ita cum per destructionem non ponatur aliqua entitas, sed tollatur non involvit repugnantiam, quod a creatura aliqua fiat. Oppositum tamen sentit D. Thomas III p. q. XIII, a. I, loquendo etiam de causa instrumentali, quam negat dari posse ad annihilationem. Et ratio est manifesta, quia licet destruere aliquid ponendo formam seu dispositionem illi incompossibilem sit facilius, quam ædificare, quia talis forma, vel dispositio destruens facilius ponitur, et producitur, tamen destruere aliquid per sus pensionem concursus alicujus causæ non pertinet nisi ad illam causam, quæ talem concursum exhibet, unde cum concursus qui suspenditur per annihilationem sit concursus exiens ab ipso Deo, ad nullam causam creatam pertinere potest ejus suspensio, nisi ad solum Deum. Quando vero causæ secundæ aliquid corrumpunt, tollitur etiam concursus Dei erga formam corruptam, non quia per ipsas creaturas fiat talis suspensio, sed quia per ipsas fit productio formæ incompossibilis, ad quam etiam Deus concurrit, et concurrendo ad ipsam desinit concurrere ad oppositam, de quo articulo sequenti dicemus.

Ad rationem dubitandi positam pro contraria sententia respondetur ex dictis corruptionem non esse meram privationem, sed mutationem consecutam ex generatione, et terminatam ad privationem formæ, est enim transitus de esse ad non esse, et sic probat argumentum, quod non est mutatio realis positiva, id est, ponens aliquid ex parte termini, sed realis corruptiva, seu privativa, quæ dicitur realis, quia in re invenitur, non quia aliquid positivum ponat in re.

ARTICULUS II.

Utrum corruptio, et generatio sint eadem actio, ratione cujus generatio unius sit corruptio alterius?

Duæ istæ difficultates connexæ sibi sunt, et ex unius resolutione alterius resolutio dependet. Circa primum ergo dubium est, an corruptio aliquo modo sit actio saltem se-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cundario, an vero ad rationem actionis nullo modo pertineat, et quomodo ab actione generativa distinguatur. In quo varie sentiunt Auctores. Quidam negant terminari aliquo modo actionem generativam in ratione actionis ad corruptionem formæ, tactus enim actionis ubicunque tangit, sive primario, sive secundario est actus efficientiæ, omne autem quod efficientia tangit dando esse tangit, ubi autem non dat esse, sed tollit ibi desinit tangere. Quare corruptio fiet ipsa suspensione concursus, seu omissio, non vero secundaria attingentia actionis. Alii existimant efficientiam, seu actionem secundario, et distincta saltem formalitate attingere corruptionem, de quo videri potest Mag. Bannez sup. cap. IV, lib. I de Gen. explicans hoc axioma: quod generatio unius est corruptio alterius, ibique citat Cajetanum. Et ratio est, tum quia generatio, et corruptio sunt unus motus, licet includat duas mutationes, ut ex locis præcedenti articulo citatis constat, ergo est una actio, tunc quia suspensio concursus si sola sit non corrumpit, sed annihilat, adjuncta vero, seu consecuta ex actione, pertinet saltem secundario ad actionem illam, non enim minus pertinet ad actionem terminum producere quam oppositum tollere, et sic ut corrumpi est verum pati, et verum mutari, ita corrumpere, et destruere est verum agere, saltem secundario.

Cæterum utrumque componi videtur dicendo, quod corruptio non est formaliter actio etiam mediate, sed virtualiter. Dupliciter enim potest intelligi, quod aliqua actio mediate attingat aliquem terminum. Uno modo quia principaliter unum terminum attingit, et continuando eamdem influentiam, seu rationem agendi tangit alterum, ut minus principalem, et sub priori contentum, sicut producitur principaliter, et immediate aliqua natura, et mediate propria ejus passio, mediatione tamen influentiæ, et causalitatis in illam. Alio modo quia producto principali termino cessat influentia activa, seu mediante causalitate formali, seu informatione formæ productæ fit expulsio, seu privatio alterius incompatibilis cum tali forma producta, et sic qui facit rem incompatibilem cum altera, dicitur effective illam corrumpere efficientia virtuali non actuali, scilicet mediante termino, cujus informatio expellit, et corrumpit alteram formam per modum effectus formalis secundarii. Dicimus ergo quod corruptio non est actio priori modo, sed secundo, non enim producta forma ulterius actio influit ad corrumpendum, neque enim influxus intelligi potest, quia respectu formæ corrumpendæ nihil influit, sed tollit, ergo influxus positivus non continuatur, quia non datur ulterior terminus positivus, ad negationem autem non est necessarius influxus. At vero posita forma, quæ terminus actionis est, dicitur virtualiter continere actionem, scilicet terminative: hæc autem secum importat incompossibilitatem formæ oppositæ, quia habet adjunctam privationem illius, et sic tangit illam, et expellit non efficientia, sed incompossibilitate orta ex efficientia formæ, id est, ex forma effecta, et terminante efficientiam. Quæ resolutio deducitur ex D. Thoma in II, distinction. XXXIV, quæstion. I, artic. II ad 5, ubi inquit: « Illud quod corrumpit, et generat non ex eodem habet quod generat, et corrumpit, sed ex eo quod formam suam inducit, generat; et sic in quantum ens generat, ex eo autem quod forma sua necessario conjungitur privationi alterius formæ corrumpit. » Ubi D. Thomas non ponit corruptionem in influentia actionis, sed in ipsa appositione formæ habentis privationem adjunctam. Unde non oportet hoc reducere ad meram suspensionem concursus conservantis formam oppositam, sed ad actionem producentem formam illi incompossibilem, qua incompossibilitate posita, et ex vi illius cessat concursus. Et sic etiam salvatur unitas actionis, seu motus propter unitatem termini positivi, duplex autem mutatio in vi illius efficientiæ, quia duplex terminus tangitur alter agendo, alter destruendo, ut explicatum est.

Circa secundam difficultatem, quomodo scilicet ordinentur istæ duæ mutationes generatio, et corruptio, ita ut generatio unius dicatur corruptio alterius, aliqui existimant ordinari tantum istas mutationes consecutive, et successive, non identice in eadem actione, seu motu. Cæterum D. Thomas quæstione vigesima octava de Veritate, articulo sexto ad ultimum evidenter dicit: « Quod generatio unius dicitur a Philosopho corruptio alterius per concomitantiam, quia de necessitate sunt simul, vel propter unitatem motus, qui ad has duas mutationes terminatur. » Ubi nomine motus intelligitur actio habens illam duplicem mutationem. Et in prima secundæ, quæstione CXIII, articulo VI ad secundum, inquit: « Quod infusio gratiæ, et remissio culpæ secundum substantiam actus idem sunt. » Et eodem modo comparat generationem, et corruptionem. Sentit ergo quod identificantur in ratione actionis.

Quare generatio unius, quando habet adjunctam corruptionem alterius dicitur esse corruptio duplici ratione. Primo, propter successionem, et ordinem formarum sibi succedentium eo quod formæ sunt incompatibiles, et sic intrante una, recedit alia; et tunc est sensus, quod generatio unius est corruptio alterius causaliter, quia connectitur, et succedit generationi corruptio. Secundo, strictius dicitur generatio unius esse corruptio alterius, non solum propter successionem formarum, et mutationum, sed propter unitatem actionis, seu motus, eo quod corruptio non est actio distincta a generatione, sed eadem actio formaliter generativa, et virtualiter corruptiva ratione termini generati, ut incompossibilis cum forma opposita in qua compossibilitate virtualiter manet influentia positiva, ut terminatæ ad formam genitam, ut dictum est.

Diximus in conclusione, *quando generatio habet annexam corruptionem* ad denotandum id, quod præcedenti articulo significavimus non dari corruptionem, quæ sit vera, et realis mutatio, nisi quando datur forma positiva corrumpenda, si enim solum præcedit privatio tollenda per formam generatam, ut quando aer tenebrosus illuminetur tunc ablatio illius privationis non fit per mutationem negativam distinctam a generatione lucis, sed per ipsam generationem positivam sine alia mutatione corrumpitur privatio, eo quod privatio non tollitur nisi per positivum esse, ergo per generationem, quæ est transitus, seu mutatio de non esse ad esse, de privatione ad formam, licet verum sit quod per nostros conceptus possumus distinguere in luce conceptum positivum constituendi lucidum, et conceptum remotivum tenebrarum, seu non esse privationis, eo quod privatio accipitur a nobis ut ens rationis, atque adeo ad instar esse quod corrumpitur, in re tamen privatio illa est non esse, et physice non tollitur nisi per esse, quod totum docet S. Thomas q. XXVIII de Verit. artic. VI, in corpore.

Unde objectiones, quæ fieri pos-

sunt, ex eo quod generatio aliquando datur sine corruptione nihil obstant, fatemur enim non omni generationi essentialiter annecti corruptionem, sed tantum illi cui annectitur forma positiva corrumpenda, et si forma corrumpenda fuerit partialis, tunc etiam corruptio partialis erit, et productio aggeneratio. Nec D. Thomas in II. distinction. XXXIV supra citata dixit, quod generatio et corruptio solum ratione differunt, sed dixit, quod forma ignis, et privatio aeris sunt idem subjecto, sed ratione differunt, quod est dicere privationem, et formam non distingui realiter, eo quod privatio extremum reale non est, non tamen est dicere, quod ipsa generatio et corruptio non sint mutationes distinctæ eo modo, quo dictum est.

Solvuntur objectiones.

Primo arguitur : Corruptio est privatio saltem ex parte termini ad quem, generatio autem est positiva actio : ergo nullo modo possunt identificari, vera enim realitas non potest identificari cum eo quod est nihil, et ens rationis.

Secundo : Quia eadem ratione, qua probatur generationem, et corruptionem identificari in ratione motus et actionis, probatur identificari in ratione mutationis, quia sicut eadem dispositiva actio et motus sufficit primario introducere formam, et secundario destruere oppositam, ita simplex, et unica mutatio positiva primario erit transitus ad formam genitam, et secundario transitus formæ oppositæ, nec enim repugnabit mutationem negativam identificari cum positiva, sicut negativa actio, id est, destructio cum positiva generatione.

Tertio : Quia si generatio identificatur cum corruptione erit generatio verus motus, quod tamen negat Philosophus in V Physicor. cap. 1, sequela patet, quia in quantum identificatur cum corruptione, habet pro termino a quo aliquid positivum, et ratione sui ut generatio est, habet terminum ad quem positivum, ergo saltem identice est inter duos terminos positivos a quo et ad quem, quod est esse motum saltem identice.

Quarto : Si generatio et corruptio habent ordinem inter se, oportet quod fundatur in aliqua causalitate seu ordine prioris, et posterioris unius erga alterum, hoc autem non datur, quia vel mutuo se causant, et hoc non quia corruptio non potest habere causalitatem in generationem, cum sit privatio vel non mutuo se causant, sed altera tantum est causa, et altera effectus, et hoc non, quia in primis corruptio non potest causare ut dictum est, et sic non potest ipsa esse causa, et generatio effectus : et quia alias esset per se primo intenta, generatio autem ut consecuta. Si autem generatio est causa et corruptio effectus, prius recipietur forma genita, quam expellatur opposita, et sic non recipietur forma genita in nuda materia, nec supponendo explusam formam.

Denique : Si generatio unius est corruptio alterius, oportet quod in eodem instanti sint, si enim sunt in diversis non identificantur, hoc autem esse non potest, quia corruptio tenet se ex parte dipositionis ultimæ, quæ tollit formam incompossibilem formæ genitæ, dispositio autem ultima præcedit formam in ipso subjecto in quo fit corruptio, ergo corruptio non identificatur cum generatione.

Ad primum respondetur, negationem alterius formæ bene posse identificari cum aliqua positiva forma, privatio enim et negatio diversorum non opponuntur, sed imbibitur, et identificatur talis negatio cum ipsa forma, in qua fundatur, sicut, fides habet obscuritatem, et calor privationem frigoris, et quæcunque res negationem ejus, quod a se distinguitur.

Ad secundum negatur esse eamdem rationem de mutatione, et de motu, secundum quod motus significat actionem per modum influentiæ, non enim repugnat eamdem numero actionem attingere plures terminos ordinate se habentes vel consecutos, sive negativos, sive positivos, eo quod contingit actionem esse virtualiter multiplicem, et ad multa se extendere, sicut et virtus ipsa a qua procedit. At vero mutatio non dicit aliquid efficiens, sed purum transitum inter terminos, et potius dicit aliquid effectum, quam effectivum, unde ubi est distinctus transitus inter terminos, ibi est distincta mutatio, non autem ubi est distinctus effectus etiam materialiter, est distincta actio efficiens, sed tamen id quod materialiter se habet ad rationem actionis, nec multiplicat illam, formaliter se habet ad rationem mutationis eamque multiplicat, quia formalitas mutationis solum constitit in illo transitu effecto, ut dictum est.

Ad tertium negatur sequela, non enim sufficit ad rationem motus stricte dicti, et ut distinguitur a mutatione habere terminum, a quo positivum concomitanter, et propter incompossibilitatem adjunctam, sed formaliter et per se. Generatio autem substantialis formaliter, et per se non est a termino positivo, sed a privatione formæ. Quod autem corrumpat formam substantialem præexistentem non est, quia habeat illam pro formali termino a quo, per accidens enim, et materialiter se habet ad formam ignis quæ generatur, quod fiat ex stuppa, vel papyro, vel ligno : per se autem quod fiat ex non igne ; sed tamen corrumpit formam præcedentem quæcunque illa sit, quia sunt incompossibiles formæ in eodem subjecto propter privationem adjunctam, quia utraque est forma substantialis, et consequenter prima in subjecto. Unde non admittit aliam tanquam secundam. Non tamen se habet tanquam terminus a quo formalis forma præcedens, tunc enim se habet ut formalis terminus a quo quando conducit ad constituendam positivam distantiam, vel latitudinem inter terminum a quo et ad quem, tunc autem constituitur positiva latitudo, et distantia inter terminos, quando sunt positivi, et habent medium, ita quod ipsa extrema conducunt ad talem latitudinem, quatenus ex eorum commensuratione aut conjunctione constituitur medium, et per se postulant transitum ex una forma ad aliam per tale medium. Formæ autem substantiales non se habent ut extrema, per quorum commensurationem, aut conjunctionem constituatur medium, nec per se ex una forma ad aliam fit transitus per aliquod medium, sed quæcunque forma immediate receptibilis est in materia, si dispositio contraria non obstet. Unde solum ratione dispositionis petit transitum per aliquam formam mediam.

Ad quartum respondetur quod inter corruptionem, et generationem datur mutuus ordo prioris, et posterioris, sicut inter formam expulsam et generatam, est enim expulsio formæ corruptæ prior in genere causæ materialis, forma autem generata est prior in genere causæ formalis. Unde D. Thomas quæstion. XXVIII de Verit. articul. VII, inquit : « Quod expulsio formæ præcedentis est prior naturaliter in ratione causæ materialis, omnis enim dispositio ad formam reducitur ad causam materialem, denudatio autem materiæ

a forma contraria est quædam dispositio ad formæ susceptionem. » Quod vero introductio formæ sit prior in genere causæ formalis docet in IV, distinct. XVII, quæst. 1, art. IV, quæst. III : « Quia remotio, inquit, formæ secundum ordinem causæ materialis præcedit naturaliter introductionem formæ, sed secundum ordinem causæ formalis est e converso. » Et idem habet in I-II, quæstion. CXIII, articul. VIII ad 1, quia agens per formam agit ad removendum contrarium, sicut sol per suam lucem agit ad removendum tenebras, et ideo ex parte solis prius est illuminare, quam tenebras removere, ex parte autem aeris prius est purgari a tenebris, quam consequi lumen ordine naturæ, licet utrumque sit simul tempore. Quare philosophandum est de corruptione et generatione, sicut de dispositione ultima, et forma ut supra dictum est, nec requiritur ad istam prioritatem ex parte causæ materialis, quod detur prioritas etiam in existendo, sed sufficit quod concomitetur existentia, in re, in illa autem prioritate solum explicatur formalitas, et officium illius dependentiæ, et causalitatis. Et licet corruptio sit effectus secundarius formæ genitæ, sicut etiam dispositio ultima, in alio tamen genere causæ, et sub alio respectu, scilicet ut tenet se ex parte causæ dispositivæ potest habere modum causæ et prioritatis.

Ad ultimum respondetur generationem, et corruptionem dari in eodem instanti temporis, sed in diversa prioritate naturæ. Dispositio autem ultima non est in aliqua duratione ante ipsam formam genitam, nec in subjecto corrupto, licet secundum diversas prioritates naturæ anteceedat et subsequatur in eodem subjecto genito, sicut supra explicatum est, et idem prorsus dicendum est de corruptione, et generatione.

ARTICULUS III.

Utrum corruptio sit naturalis, et per se intenta a natura ?

Supponimus ex II Physic. cap. 1, quod naturale dicitur aliquid ex eo quod habet in se principium sui motus, sive quod est a principio intrinseco naturæ, principia autem intrinseca sunt materia et forma. Illud autem dicitur secundum naturam quæ se habent ut accidentia et affectiones convenientes naturæ, vel est subjectum cujus esse est a natura. Quæ vero conveniunt a principio extrinseco vel violenter conveniunt vel præternaturaliter. Hoc ergo inquirimus de corruptione an conveniat ratione alicujus principii intrinseci, et ita sit naturalis, an vero ratione principii extrinseci, et ita sit violenta et præternaturalis. Et difficultas esse potest, quia ex una parte corruptio habet aliquod principium repugnans, scilicet ipsam formam, et compositum quod est, destruitur per corruptionem, et ita non potest esse ei naturalis corruptio, sed violenta utpote destructiva ejus. Ex parte vero materiæ non inclinatur per se, et directe in corruptionem, quia corruptio est malum et non esse, ergo non est terminus appetitus, ergo neque materia, quia materia, appetitus quidam est, et illud est ei naturale quod est ei appetibile. Non ergo corruptio est naturalis, ex aliqua parte.

Et ex hoc nascitur secunda difficultas, an corruptio possit esse per se intenta a natura eo quod malum ut malum intendi non potest, corruptio autem malum est cum sit defectus naturæ, ergo est præter ejus intentionem, sicut etiam monstra

non sunt ex intentione naturæ, sed ab ea exorbitant, utpote defectus illius, natura autem semper intendit id quod sibi est debitum, non quod alienum, et exorbitans.

NIHILOMINUS DICO PRIMO : Corruptio simpliciter est naturalis, et non violenta a natura ratione materiæ, quatenus dicit naturam corruptibilem, sumendo naturale, ut opponitur violento. Tenet hanc conclusionem expresse S. Thomas I-II, quæstion. LXXXV, articul. VI, et quæst. V de Malo, articul. V. Reddit autem materia naturam corruptibilem, tum quia in se habet privationem, cum aptitudine, et potentialitate ad plures formas, quarum quælibet non potest plene satiare materiam, hæc enim est dispositio rei corruptibilis, ut docet S. Thomas I part. quæstion. LXVI, articul. II. Tum quia admittit compositionem ex contrariis, ut patet in omnibus corporibus sublunaribus, omne autem corpus ex contrariis compositum, est corruptibile, cum contraria agant in invicem, et sic generant et corrumpunt, siquidem generatio, et corruptio est ex contrariis. Sic ergo fundat D. Thomas quod corruptio sit naturalis, tum loco proxime citato, tum in III, distinct. XVI, quæstion. I, articul. I, siquidem materia talibus conditionibus est prædita, scilicet potentialitate ad plures formas, et privatione aliquarum et susceptione contrariorum, ergo naturale est ei admittere corruptionem formæ, ubi enim principium, et radix naturalis est, id quod convenit ratione talis principii, naturale esse debet, præsertim si hoc ipsum conducat ad bonum commune, quod sine generatione et corruptione rerum stare non potest.

Nec obstat, quod id quod convenit solum ratione principii passivi, non videtur esse naturale, quia oppositum ejus non est violentum, nec enim potest aliquid pati violentiam solum ratione principii passivi, cum non sit principium resistens agenti. Ad hæc non valet illa consequentia, radix seu principium est naturale, ergo et actus, instatur enim in libero arbitrio, quod naturaliter est peccabile cum sit ex nihilo, et tamen peccatum est contra naturam, alioquin peccatum non esset, ergo similiter etiamsi ipsa corruptibilitas sit naturalis, non sequitur quod corruptio non sit naturalis, non sequitur quod corruptio non sit contra naturam. Hæc inquam non obstant. Ad primum enim diximus quæstion. IX Physicor. articul. IV, quod etiam principium passivum est naturale ut opponitur violento, et habet inclinationem in aliquid a quo si removeatur realiter, quod non subrogetur illi aliquid æque naturale, dicetur pati violentiam, habetque resistentiam ad illud non activam sed formalem. Et quod sufficiat ad rationem naturæ principium passivum, docet S. Thomas VIII Physicor. lect. VIII, ubi inquit : « Esse contra intentionem Philosophi ut in materia sit principium activum, quod quidem dicunt esse necessarium ad hoc quod sit motus naturalis, sufficit enim, quod sit passivum, quod est potentia naturalis ad actum. » Quare impedimentum talis inclinationis si ipsa totaliter frustretur, erit violentum principio passivo. Sed aliqui hallucinantur in appetitu seu inclinatione materiæ, quæ est ad plures formas ad quarum totalem collectionem adæquate se habet, ad singulas vero inadæquate, et ideo sublata una forma in particulari, non violentatur in recipiendo aliam, quia utraque æque naturalis est, et ideo ablatio unius non est violenta, cum alia æque naturalis subrogetur, sed si totaliter impediretur corruptio formarum, et accep-

tio aliarum, in hoc esset violentia materiæ, quia impeditur naturalis ejus tendentia ad plures formas successive, et cum corruptione aliarum. Imo ex hoc deducitur argumentum, quia ideo non patitur violentiam materia recipiendo unam formam et amittendo aliam, quia est in potentia naturali ad omnes, ergo ablatio unius non erit violenta, ergo erit naturalis, omnis enim motus, aut fit natura, aut vi, ut Philosophus inquit. Corruptio ergo naturalis est principio passivo, quatenus naturale est illi ex propria inclinatione habere plures formas, et non simul, sed successive, unam amittendo, et aliam acquirendo.

Ad tertium dicitur, quod illa consequentia non tenet in defectibus voluntariis qualia sunt peccata, tum quia voluntarium opponitur naturali, unde licet potentia deficiendi libere naturalis sit, sicut ipsa voluntas naturaliter convenit homini, tamen actus ejus voluntarius est, et liber propter indifferentiam potentiæ; tum etiam quia peccata sunt contra naturam ut rationalem, non ut limitatam et ex nihilo, unde simpliciter dicuntur contra naturam, quia sunt contra præcipuum quod est in natura, seu proprium ipsius naturæ. At vero corruptio fundatur in inclinatione naturali materiæ ad plures formas, et in se naturalis est, et non violenta, nec voluntaria, et rursus licet sit contraria formæ quæ corrumpitur quantum ad esse suum, et similiter composito ex tali forma, tamen ex alia parte ordinatur ad bonum commune, quod perpetuatur, et constat ex pluribus compositis et rebus, quarum una succedit alteri, quod fit per corruptionem ejus, et sic non contrariatur ipsi materiæ, ut pendet a tota collectione formarum, quibus subesse potest, sed solum contrariatur uni formæ particulari quam excludit; non est autem connaturale materiæ solum ab una forma habere esse, sed a multis successive. At vero peccatum voluntatis non ordinatur ad aliquod bonum commune sicut corruptio formæ, sed ab eo deordinatur universaliter et ex omni parte.

Ex quo deducitur id quod in loco citato in quæstione IX Physic. diximus, quod licet corruptio sit contraria formæ, eique violenta, et ex hac parte corruptio non sit dicenda naturalis, tamen quia ex parte materiæ naturalis est, simpliciter sortitur denominationem naturalis, et non violenti, non obstante quod istæ duæ rationes concurrant, eo quod denominatio semper fit ab eo, quod magis præponderat in aliqua natura, magis autem præponderat in hac parte id quod se tenet ex parte materiæ, quia non solum est naturale, et conveniens ipsi materiæ, ut disponitur ad unam formam quod fiat corruptio alterius, sed etiam ad commune bonum rerum corruptibilium conducit, quæ ex successione generationum et corruptionum coordinantur, et ad communem appetitum ipsius materiæ quatenus ad omnes formas extenditur, quod expresse docet D. Thomas q. 1 de Malo, art. III ad 18.

Ad difficultates in principio motas. Ad primam respondetur quod corruptio habet aliquod principium repugnans ex parte formæ solum ratione sui particularis esse, habet autem aliud principium connaturale ex parte materiæ quatenus ex sua natura petit successionem in formis, et hoc ipsum ordinatur in commune bonum totius ordinis rerum corruptibilium, et ideo simpliciter denominatur naturalis.

Ad secundam similiter dicitur quod corruptio est malum particularis formæ, sed bonum materiæ, et communis rerum conservationis. Sed

tamen aliud est inquirere quomodo ista corruptio sit naturalis, aliud quomodo sit bonum et appetibile, hoc enim non hæc directe, et primario, cum sit ut privatio; ut autem naturalis sit sufficit, quod consequatur ex aliquo principio intrinseco, et naturali, sive sit juxta primam inclinationem naturæ, sive juxta secundariam tanquam requisitum, aut annexum illi, et ordinatum ad ipsam: ut autem sit bonum primario, et per se, requiritur positiva entitas, ut statim amplius declarabitur.

DICO SECUNDO: Corruptio non est intenta ab agente particulari, ut agens particulare est, nec immediate, nec mediate, nec ratione sui, nec ratione adjuncti ordinis ad bonum, sed respectu illius ordinis comparatur per accidens. At vero respectu agentis universalis ordinantis, et providentis totum bonum naturæ, tales defectus sunt de ejus intentione non primaria, secundaria, supposito tamen illo ordine ad bonum commune. In prima parte conclusionis non omnes conveniunt sed aliqui sentiunt talia mala, et defectus posse esse de secundaria intentione naturæ particularis, et non omnino per accidens se habere, id enim insinuare videtur S. Thomas in IV, distinct. XXXVI, quæstion. 1, articul. 1 ad 2, ubi tamen loquitur de natura secundum se, et ut universaliter se extendit ad agens particulare vel universale, ut statim explicabimus, et eodem modo etiam loquitur quæstion. XXIII de Verit. art. II.

Pro intelligentia tamen conclusionis est advertendum, quod in aliquo malo, seu privatione possumus tria reperire. Primo, ipsum bonum super quod fundatur malum, vel privatio, tanquam subjectum, vel ex parte subjecti se tenens. Secundo, ipsum malum formaliter, seu privatio secundum se. Tertio, aliquis ordo ad bonum, quod ex tali privatione consequitur, non per se, id est, quatenus malum, et defectus est, sed ut deservit alicui bono, quod non potest stare, nisi interveniat tale malum, sicut non potest esse acquisitio, et generatio termini ad quem, nisi corrupto, et desinente termino a quo, nec potest ostendi fortitudo alicujus, nisi apposita persecutione alterius. Est ergo certum, quod ipsa privatio, seu malum per se, et ratione sui non potest esse aliquid intentum, eo quod caret in se ratione formali, qua intendi potest, scilicet bono, omne enim quod intenditur et appetitur debet intendi ut bonum et ut conveniens, ergo quod caret hac ratione formali, secundum se non intenditur, sed si intenditur, erit per aliud, quod ei adjungitur, et quo vestitur, unde non primario et per se, sed secundario, et per accidens intenditur. Sed tamen hoc ipsum, quod per accidens seu per aliud habent, et ratione cujus intendi possunt non pertinet ad omne agens, nec ad omne intendens, quia non omne agens respicit rationes universaliores, sed agens particulare tantum rationes particulares respicit non communes, et ideo prætermittuntur ab ipso, et solum, quia per accidens sunt illi rei conjunctæ quæ ab eo attinguntur. At vero agens, quod respicit rationes communes et universales, id quod respectu particularis agentis est per accidens attactum, et per se omissum potest respicere ut conducens ad universaliorem finem suum, et sic potest cadere sub ejus intentione saltem secundaria.

Ex hac doctrina componuntur varia loca S. Thomæ quæ loquuntur de hac re, et veritas ipsa elicitur, quomodo corruptio per accidens se habeat et quomodo possit esse intenta. Aliquando sanctus doctor affirmat

corruptionem, etaliosdefectus cadere sub intentione secunda agentis universalis, sicut I p. q. XXII, a. II ad 2: « Corruptiones, inquit, et defectus in naturalibus sunt contra naturam particularem, sed tamen sunt de intentione naturæ universalis in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel totius universi. » Idem docet III contra Gentes, c. XCIV, circa finem, et c. LXXI, et omnino idem vult et non amplius in illa distinctione XXXVI citata, et q. XXIII de Veritat. loquitur enim de natura absolute, non distinguendo de natura universali, vel particulari. Aliquando vero affirmat similes defectus omnino esse volitos per accidens etiam a Deo, scilicet ratione ejus boni cui conjunguntur, ut patet I p. q. XIX, a. IX et in q. XLIX, a. II, ubi dicit: « Quod Deus in rebus causando bonum ordinis universi ex consequenti, et quasi per accidens causat corruptiones rerum. » Et denique in III contra Gentes, c. IV, V et VI videtur intendere, quod malum semper sit præter intentionem.

Hæc autem sic cohærent, quod defectus isti naturales secundum se sumpti sunt privationes quædam et mala, secundum quam considerationem per accidens se habent tam respectu agentis particularis, quam universalis; malum enim sub ratione mali non potest esse volitum, neque intentum, cum non sit appetibile, sed ab appetitu fugiendum, sed per accidens solum potest se habere respectu operantis, quatenus vel permittit illud, non quidem appetendo, sed non impediendo, vel in quantum per aliud appeti potest, id est, ut induit aliquam rationem boni, vel aliquem ordinem ad bonum, sive ad bonum commune, sive ad bonum particulare, et sic potest cadere sub aliqua volitione, vel permissione intenta. Hæc tamen intentio non spectat ad particulare agens, quia ad ipsum non spectat intendere nisi suum terminum ad quem, quidquid autem ex parte termini a quo se tenet, nullo modo intenditur, sed relinquitur, nec etiam secundario, quia ut secundario intendatur, debet secundario se tenere ex parte termini ad quem; corruptio autem præcise se tenet ex parte termini a quo respectu agentis particularis, ergo nullo modo potest cadere sub ejus intentione, sed solum per accidens comparatur ad ipsum. At vero agens universale licet in quantum concurrit cum agente particulari ad suam generationem etiam respiciat corruptionem ut terminum a quo, tamen propter suam universalitatem potest secundum aliam rationem illud quod est terminus a quo attingere ut terminum ad quem, tanquam aliquid requisitum ad bonum commune, etiam quoad sui corruptionem, sicut Deus qui omnem creaturam attingit, ut terminum ad quem, et solum pro termino a quo habet nihil, unde de omni creatura habet disponere, sive quoad existentiam, sive quoad corruptionem, unde corruptio respectu ipsius non se habet per accidens tanquam omissa, sed potest esse intenta saltem secundario, ut induit aliquem ordinem boni, et non pure ut privatio se habet. De aliis vero defectibus, qui ex necessitate materiæ sequuntur dicemus conclusione tertia. Et sic concludit D. Thomas I q. XIX, art. IX, quod Deus malum naturalis defectus, vel malum pœnæ vult volendo aliquod bonum, cui conjungitur tale malum. Hoc est ergo esse de secundaria intentione, scilicet non posse intendi nisi præsupposito aliquo bono, quod in se res illa non habet, sed ex aliquo cui adjungitur

Dices: Ergo nulla est differentia inter malum culpæ, et pœnæ respectu voluntatis, et providentiæ Dei, siquidem etiam ipsum malum culpæ ordinari potest ad aliquod majus bonum, puta ad humilitatem, vel pœnitentiam hujus, et tamen D. Thomas ponit differentiam inter defectus naturales, et mala culpæ, quod malum culpæ Deus nullo modo vult, quia non vult bonum cui conjungitur plus quam ipsam Divinam bonitatem cui contrariatur, malum autem pœnæ potest velle volendo aliquod bonum cui conjungitur.

Respondetur esse latam differentiam inter malum culpæ, et pœnæ, quia licet importet privationem, et defectum, qui non potest ordinari nisi ex conjunctione ad aliquod bonum, tamen quia privatio mali culpæ opponitur ordinationi ad bonum Divinum, non potest alicui bono conjungi, ratione cujus possit esse volitum et ordinatum, quia omne bonum debet esse volitum per subordinationem ad Divinum, Deus enim solum vult omnia sub ratione Divini boni, et ideo solum potest permitti tale malum, id est, non impediri a Deo, et ipsa permissio ordinari potest ad bonum. At vero malum pœnæ seu defectus naturalis non opponitur bono Divino, sed alicui bono particulari, unde potest induere ordinem ad aliquod bonum, quod magis præponderet, et diligatur, quam illud particulare bonum quod destruit, et ita ratione hujus ordinis, seu boni cui conjungitur, non repugnat intendi, et ordinari a Deo, et non solum permitti.

Dico Tertio: Monstra, et defectus alii naturales qui consequuntur dispositionem materiæ, ex qua aliquid generatur respectu agentis particularis, aliquando sunt fortuita, et nullo modo intenta, aliquando secundario volita; respectu autem agentis universalis intenta esse possunt. De hac conclusione videndus est sanctus doctor in III contra Gent. c. V, ubi dicit: « Si sit talis privatio quæ privat id quod est debitum generato, erit casuale et simpliciter malum sicut cum nascuntur partus monstruosi, hoc enim non consequitur de necessitate ad id quod est intentum, sed est ei repugnans, cum agens intendat perfectionem generati, malum autem actionis accidit in naturalibus agentibus ex defectu virtutis activæ. Unde si agens habet virtutem, defectivam, hoc malum consequitur præter intentionem, sed non erit casuale, quia de necessitate est consequens ad talem agentem cum tale agens, vel semper vel frequenter patitur hunc virtutis defectum, erit autem casuale, si hic defectus raro talem comitatur agentem. » Ita D. Thomas. Quapropter agens particulare, quia solum bonum particulare intendit, et secundum formam particularem agit, tantum intendit facere suum effectum meliori modo quo potest, et ita ex intentione sua solum datur perfectio effectus, et assimilatio perfecta. Quod vero virtus ejus sit deficiens, vel materia sit indebite disposita, hoc est præter intentionem ejus primariam, eo quod non pertinet ad formam suam tales indispositiones, vel defectus disponere, et ordinare, sed potius quantum potest removere. Sed tamen si omnes removere non possit, et tamen operatur et sequitur defectus, aliquando sequitur omnino præter intentionem talis agentis particularis, et sic casualiter se habent, sicut sunt illa, quæ ut in paucioribus accidunt, hæc enim casualia sunt, et omnino præter intentionem. Aliquando vero sequuntur defectus non omnino præter intentionem, sed ex intentione secundaria, quæ potius est non recusatio illius defectus, quam intentio positiva ejus; ut quando sunt defectus accidentes materiæ de necessitate vel perpetuo, sicut artifex qui vult facere gladium

eligit materiam duram ut ferrum, et hoc per se, sed quia rubigo sequitur ferrum, et hæc non conducit, sed potius deficit ab ejus fine, non eligit illam ex primaria intentione, sed quia non invenit materiam convenientem sine tali defectu, eligit ex secundaria intentione materiam cum illo propter adjunctam duritiem, quæ convenit suo fini; et similiter natura in corpore humano eligit materiam convenientem operationi sensuum, et sic debet esse composita ex contrariis, sed quia ex illa contrarietate sequuntur morbi et senium, et alii defectus illi sunt præter intentionem generantis, sed ex quo non invenitur materia congrua sine illis defectibus, eligit cum illis saltem ex intentione secundaria, hæc enim quia conveniunt ipsi generato ex parte materiæ, et dispositionum, quæ consequuntur illam respici possunt ex parte termini ad quem utpote convenientes ipsi rei genitæ ex necessitate materiæ, ex qua formatur, ideo possunt pertinere ad intentionem saltem secundariam, quia sunt de necessitate consecuti ad materiam electam, eligitur enim cum talibus conditionibus quia non eliguntur illæ conditiones, sed quia non recusantur, et ita aliquo modo attinguntur secundario. Et hac etiam ratione femina dici solet aliquid occasionatum, quia est præter intentionem particularis agentis, quod intendit meliorem effectum quem potest, scilicet masculum, quod vero sequatur deficientior, scilicet femina, est præter ejus intentionem propter indispositionem materiæ, vel virtutis activæ, ut docet S. Thomas I p. q. XCII, a. I ad 1 et III contra Gent. c. XCIV et q. V de Verit. art. IX ad 9.

At vero respectu agentis universalis, scilicet Dei nihil horum præter intentionem, quia respicit fines universaliores, et ordinem totius boni communis, ad hujus varietatem, et constructuram pertinent etiam ea, quæ respectu particularium videntur imperfecta vel defectuosa, aut monstruosa, sicut quod feminæ sint, est necessarium, propter hominum multiplicationem, et multiplex operatio et virtus naturæ apparet etiam quando erratur in disponenda materia, et eveniunt monstra; sicut multæ species rerum manifestantur ex commixtione monstruosa seminum in piscibus et in animalibus, et aliis similibus, quæ omnia non intenduntur a Deo solum propter necessitatem materiæ ad quam consequuntur illi defectus, sed propter bonum commune, quod manifestatur, et coalescit etiam ex illis rebus quæ solum ex aliquo præsupposito, et per accidens, seu per aliud habent rationem boni.

Ex quibus responderi potest ad quascunque objectiones, quæ fieri solent, ex eo quod peccata, et mala et defectus non intenduntur, id enim jam solutum est ex prædictis, et ostensum est quomodo aliqua possunt cadere sub intentione saltem secundaria, quia ex parte rei genitæ se tenent, licet ab agente particulari solum intendatur propter necessitatem materiæ, ab agente autem universali propter conducentiam ad bonum commune. Ostensum est etiam quomodo aliqua relinquantur per accidens, et permittantur, sicut corruptio respectu agentis particularis, quia tenet se ex parte termini a quo et aversio a bono Divino in peccato, quia nunquam subordinabilis est bono Divino, sub quo Divina voluntas omnia attingit. Denique, constat quomodo materia inclinetur ad corruptionem, scilicet ratione generationis, ut scilicet possit potentialitatem ad omnes formas implere. Unde materia etiam singularis, et individua considerata secundum potentialitatem communem ad omnes

formas, et ut subest agenti universali, qui eam creavit, potest intendere secundario corruptionem, quia ad bonum ejus pertinet secundario, et propter successionem formarum. Eadem vero materia, ut subest tantum uni formæ, et agenti particulari, quod illam tantum formam intendit, non respicit corruptionem nisi per accidens, et ex parte termini a quo.

QUÆSTIO III.

DE ALTERATIONE IN COMMUNI.

Post explicatam rationem generationis, et corruptionis, sequitur agere de alteratione, quæ illi maxime proprinqua est, magisque deservit. Et primo, consideranda est alteratio in communi, prout comprehendit sub se simplicem motum alterationis, intensionem, et remissionem, aliosque alterationis modos, seu actiones, quæ per alterationem fiunt, ut mixtio, et condensatio, et similia. Secundo, in speciali considerabimus de istis speciebus alterationis.

Circa primum tria occurrunt consideranda. Primo, de alteratione quid sit. Secundo, ad quem terminum sit. Tertio, an sit motus continuus. De subjecto autem alterationis communis est quæstio, ac de cæteris accidentibus, et ideo in quæstione nona tractabitur a nobis.

ARTICULUS I.

Quid sit alteratio, et quotuplex?

Alterationis nomen ab altero derivatur, dicitur enim quasi faciens alterum. Sicut autem dicitur in capite de differentia, aliud est esse alterum, aliud esse aliud. Nam ly *alterum* indicat differentiam accidentalem, ly *aliud*, substantialem. Et ita possumus nomen alterationis communissime accipere pro omni mutatione accidentali in quocunque genere accidentis, sed non loquimur in præsenti de alteratione, ita universaliter sumpta. Strictius ergo sumitur pro mutatione in qualitate, nam in quantitate, et loco, peculiares mutationes sunt, scilicet augmentatio, et motus localis: in qualitatibus autem maxime aliquid fit alterum, præsertim quando per illas ordinatur ad aliquam corruptionem, corruptio enim maxime facit alterum. Unde adhuc sumendo totum prædicamentum qualitatis, oportet distinguere, quod quædam sunt spirituales, quædam corporeæ; et quædam naturales, quædam intentionales; quædam contrarietatem habentes, quædam non. Et illæ quæ sunt spirituales, ut intentionales, vel contrarietatem non habentes, ad physicam corruptionem, vel generationem non ordinantur, et ideo licet possint latiori nomine alterationes dici, non tamen dicuntur alterationes physicæ, de quibus præcipue agimus in præsenti, quia ad corruptionem, et generationem non ordinantur.

Circa qualitates autem etiam contrarietatem habentes duplici via procedi potest, vel per modum mutationis, vel per modum motus; per modum mutationis, quando proceditur a privatione ad formam, ut a non albo ad album, quæ est generatio accidentalis, et tunc non est a contrario in contrarium, licet qualitas ipsa habeat contrarium; per modum motus quando proceditur a termino positivo ad terminum positivum secundum latitudinem, et distantiam de uno ad aliud, hanc enim dari in qualitatibus manifestum est, ut ostendimus in quæstione

eligit materiam duram ut ferrum, et hoc per se, sed quia rubigo sequitur ferrum, et hæc non conducit, sed potius deficit ab ejus fine, non eligit illam ex primaria intentione, sed quia non invenit materiam convenientem sine tali defectu, eligit ex secundaria intentione materiam cum illo propter adjunctam duritiem, quæ convenit suo fini; et similiter natura in corpore humano eligit materiam convenientem operationi sensuum, et sic debet esse composita ex contrariis, sed quia ex illa contrarietate sequuntur morbi et senium, et alii defectus illi sunt præter intentionem generantis, sed ex quo non invenitur materia congrua sine illis defectibus, eligit cum illis saltem ex intentione secundaria, hæc enim quia conveniunt ipsi generato ex parte materiæ, et dispositionum, quæ consequuntur illam respici possunt ex parte termini ad quem utpote convenientes ipsi rei genitæ ex necessitate materiæ, ex qua formatur, ideo possunt pertinere ad intentionem saltem secundariam, quia sunt de necessitate consecuti ad materiam electam, eligitur enim cum talibus conditionibus quia non eliguntur illæ conditiones, sed quia non recusantur, et ita aliquo modo attinguntur secundario. Et hac etiam ratione femina dici solet aliquid occasionatum, quia est præter intentionem particularis agentis, quod intendit meliorem effectum quem potest, scilicet masculum, quod vero sequatur deficientior, scilicet femina, est præter ejus intentionem propter indispositionem materiæ, vel virtutis activæ, ut docet S. Thomas I p. q. XCII, a. I ad 1 et III contra Gent. c. XCIV et q. V de Verit. art. IX ad 9.

At vero respectu agentis universalis, scilicet Dei nihil horum præter intentionem, quia respicit fines universaliores, et ordinem totius boni communis, ad hujus varietatem, et constructuram pertinent etiam ea, quæ respectu particularium videntur imperfecta vel defectuosa, aut monstruosa, sicut quod feminæ sint, est necessarium, propter hominum multiplicationem, et multiplex operatio et virtus naturæ apparet etiam quando erratur in disponenda materia, et eveniunt monstra; sicut multæ species rerum manifestantur ex commixtione monstruosa seminum in piscibus et in animalibus, et aliis similibus, quæ omnia non intenduntur a Deo solum propter necessitatem materiæ ad quam consequuntur illi defectus, sed propter bonum commune, quod manifestatur, et coalescit etiam ex illis rebus quæ solum ex aliquo præsupposito, et per accidens, seu per aliud habent rationem boni.

Ex quibus responderi potest ad quascunque objectiones, quæ fieri solent, ex eo quod peccata, et mala et defectus non intenduntur, id enim jam solutum est ex prædictis, et ostensum est quomodo aliqua possunt cadere sub intentione saltem secundaria, quia ex parte rei genitæ se tenent, licet ab agente particulari solum intendatur propter necessitatem materiæ, ab agente autem universali propter conducentiam ad bonum commune. Ostensum est etiam quomodo aliqua relinquantur per accidens, et permittantur, sicut corruptio respectu agentis particularis, quia tenet se ex parte termini a quo et aversio a bono Divino in peccato, quia nunquam subordinabilis est bono Divino, sub quo Divina voluntas omnia attingit. Denique, constat quomodo materia inclinetur ad corruptionem, scilicet ratione generationis, ut scilicet possit potentialitatem ad omnes formas implere. Unde materia etiam singularis, et individua considerata secundum potentialitatem communem ad omnes

formas, et ut subest agenti universali, qui eam creavit, potest intendere secundario corruptionem, quia ad bonum ejus pertinet secundario, et propter successionem formarum. Eadem vero materia, ut subest tantum uni formæ, et agenti particulari, quod illam tantum formam intendit, non respicit corruptionem nisi per accidens, et ex parte termini a quo.

QUÆSTIO III.

DE ALTERATIONE IN COMMUNI.

Post explicatam rationem generationis, et corruptionis, sequitur agere de alteratione, quæ illi maxime proprinqua est, magisque deservit. Et primo, consideranda est alteratio in communi, prout comprehendit sub se simplicem motum alterationis, intensionem, et remissionem, aliosque alterationis modos, seu actiones, quæ per alterationem fiunt, ut mixtio, et condensatio, et similia. Secundo, in speciali considerabimus de istis speciebus alterationis.

Circa primum tria occurrunt consideranda. Primo, de alteratione quid sit. Secundo, ad quem terminum sit. Tertio, an sit motus continuus. De subjecto autem alterationis communis est quæstio, ac de cæteris accidentibus, et ideo in quæstione nona tractabitur a nobis.

ARTICULUS I.

Quid sit alteratio, et quotuplex?

Alterationis nomen ab altero derivatur, dicitur enim quasi faciens alterum. Sicut autem dicitur in capite de differentia, aliud est esse alterum, aliud esse aliud. Nam ly *alterum* indicat differentiam accidentalem, ly *aliud*, substantialem. Et ita possumus nomen alterationis communissime accipere pro omni mutatione accidentali in quocunque genere accidentis, sed non loquimur in præsenti de alteratione, ita universaliter sumpta. Strictius ergo sumitur pro mutatione in qualitate, nam in quantitate, et loco, peculiares mutationes sunt, scilicet augmentatio, et motus localis: in qualitatibus autem maxime aliquid fit alterum, præsertim quando per illas ordinatur ad aliquam corruptionem, corruptio enim maxime facit alterum. Unde adhuc sumendo totum prædicamentum qualitatis, oportet distinguere, quod quædam sunt spirituales, quædam corporeæ; et quædam naturales, quædam intentionales; quædam contrarietatem habentes, quædam non. Et illæ quæ sunt spirituales, ut intentionales, vel contrarietatem non habentes, ad physicam corruptionem, vel generationem non ordinantur, et ideo licet possint latiori nomine alterationes dici, non tamen dicuntur alterationes physicæ, de quibus præcipue agimus in præsenti, quia ad corruptionem, et generationem non ordinantur.

Circa qualitates autem etiam contrarietatem habentes duplici via procedi potest, vel per modum mutationis, vel per modum motus; per modum mutationis, quando proceditur a privatione ad formam, ut a non albo ad album, quæ est generatio accidentalis, et tunc non est a contrario in contrarium, licet qualitas ipsa habeat contrarium; per modum motus quando proceditur a termino positivo ad terminum positivum secundum latitudinem, et distantiam de uno ad aliud, hanc enim dari in qualitatibus manifestum est, ut ostendimus in quæstione

XIX Physicorum, sicut calor et frigus, albedo et nigredo, et alia similia, et tunc est vera contrarietas; et similiter penes magis et minus in eadem qualitate datur positiva distantia, et latitudo a positivo in positivum, et totum hoc fit eodem subjecto sensibili manente, ergo habet omnes conditiones requisitas ad motum stricte dictum, ut distinguitur a mutatione; et de hac præcipue agimus in præsenti.

Hoc supposito, alteratio ista quæ est motus sic diffinitur ab Aristotele in hoc primo libro, textus XIII: « Quod alteratio est quando manente subjecto sensibili transmutatur in ejus passionibus, aut contrariis motibus mediis. » Ex quo aliqui sic eliciunt definitionem alterationis: *Quod alteratio est motus ad qualitatem sensibilem mediam, aut extremam*, seu ad qualitatem habentem latitudinem contrarietatis. Dicitur *motus* ad excludendas mutationes instantaneas, inter quas præcipua est ipsa generatio. Dicitur *ad qualitatem*, ad excludendum alias species motus, quæ versantur circa qualitatem, vel locum. Dicitur *qualitatem sensibilem*, ad excludendum motus, qui fiunt circa qualitates spirituales ut circa habitus, vel actus. Dicitur *mediam vel extremam*, id est, contrarietatem et latitudinem habentem ad excludendum eas qualitates, quæ contrarietatem non habent ut lux, figura et aliæ similes. Quare licet aliæ mutationes ad qualitatem, largo modo dici possint alterationes, et ad eas reducantur, proprie tamen alteratio respicit qualitates contrarias, et corruptivas, eo quod ex natura sua alteratio servit generationi, et corruptioni, ut instrumentum ejus, versaturque circa qualitates deservientes generationi, et corruptioni, quæ sunt qualitates contrariæ; et ita Aristoteles in hoc libro, lect. II, apud D. Thomam facit hanc consequentiam contra antiquos Philosophos, quod si est impossibile ex aqua fieri ignem, et ex uno elemento aliud, etiam erit impossibile ex albo fieri nigrum et similiter ex aliis qualitatibus, et sic destructa generatione destruitur alteratio, ergo alteratio ordinatur per se ad generationem. Quare recte D. Thomas in III, dist. XV, q. II, art. I, q. I, colligens omnes conditiones alterationis inquit: « Quod ad hoc quod alteratio requiritur ex parte alterati, quod sit res per se subsistens, aliter enim subjectum motus esse non potest, et quod sit corpus, quia solum tale movetur, et quod habeat naturam contrarietati subjectam, quia alteratio est motus inter contrarias qualitates. » Ex parte vero terminorum requiritur, quod una qualitate expulsa, alia introducatur, sic enim de qualitate in qualitatem transitur.

Ex his ducitur differentia alterationis a generatione, et a reliquis motibus. Differt enim a reliquis motibus ex parte termini, quia augmentatio est ad quantitatem, motus localis ad ubi. A generatione vero substantiali differt, et ex parte termini, quia est ad substantiam, et ex parte subjecti, quia subjectum generationis est materia prima, alterationis vero subjectum sensibile, seu materia informata, et ex parte mutationis, quia generatio est instantanea, alteratio vero successiva, et ex parte termini a quo, quia generatio est a privatione, alteratio a termino positivo, et contrario. Differt denique a generatione secundum quid, quia ista non fit per motum, neque a termino positivo, sed privativo, sicut cum album fit ex non albo.

Sed objicies: Ad probandum quod alteratio non ordinatur per se ad generationem, nam productio albedinis, et aliorum colorum est vera alteratio, et non ordinatur per se ad generationem substantialem. Similiter acquisitio figuræ, et illuminatio, et obscuratio sunt alterationes, nec tamen ordinantur per se ad generationem substantialem. Confirmatur, quia alias si non esset possibilis generatio substantialis, non esset possibilis alteratio, siquidem essentialiter ordinatur ad illam, consequens est falsum, ergo. Minor probatur, quia alteratio non pendet per se a mutatione substantiæ, licet pendeat a substantia ut a subjecto, ut patet in rebus incorruptibilibus, ut in cœlo, in corporibus beatis, et in damnatis post diem judicii, in quibus non est possibilis generatio, et corruptio, et tamen dabitur alteratio ut in cœlo illuminatio, et obscuratio, addensatio, et rarefactio, quædam enim partes cœli sunt densiores, aliæ rariores, imo et confractio dari poterit, cum locutio a beatis in cœlo fieri non possit nisi per confractionem ipsius corporis cœlestis, ut D. Thomas admittit in II, dist. II, q. II art. II, neque enim ibi est aer, qui confringatur, quando formatur vox, neque illa formari poterit sine aliqua addensatione corporis confracti, quia pars divisa non penetratur cum alia, sed condensatur. In corporibus beatis erit respiratio, locutio, tactus, et gustus, quæ sine alteratione non fiunt. In damnatis erit calefactio, et frigefactio, quibus cruciabuntur, ergo dabitur alteratio sine ordine ad generationem. Denique, si homines essent ab æterno, non posset in eis esse generatio, ut probavimus in VIII Physicor. et tamen in eis datur alteratio, quia nutrirentur, et respirarent, et loquerentur, etc. ergo non omnis alteratio per se ordinatur ad generationem.

Respondetur alterationem quæ est motus, et versatur inter contraria, per se ordinari ad generationem, ut dictum. Et ad probationem in contrarium, quod attinet ad albedinem, et alios colores dicimus, quod licet immediate non deserviant ad generationem tanquam dispositiones activæ illius, ordinari tamen possunt mediate, et in sua causa, eo quod isti calores causantur ex temperie primariarum qualitatum, quæ ad generationem, et corruptionem immediatius conducunt, et ideo colores ut ex talibus qualitatibus consecuti, etiam ordinantur mediate ad generationem, et in sua causa. Acquisitio autem figuræ aliquando fit mediante alteratione, ut cum ex rarefactione, vel condensatione, vel ex alia qualitate partes ita mutantur, ut figuram amittant et mutent, et tunc talis acquisitio figuræ mediate pertinebit ad alterationem, et eo modo etiam ordinabitur ad generationem. Aliquando vero contingit mutatio figuræ per solum motum localem, ut cum per divisionem, vel conjunctionem partium per motum localem fit nova terminatio quantitatis, et resultat nova figura, et tunc cum non sequatur ad alterationem, nec ordinabitur per se ad generationem. De illuminatione autem, et obscuratione jam diximus, non esse alterationem stricte dictam, sed largo modo, et sic non ordinatur per se ad generationem sicut alteratio, quæ est per se inter contraria physica.

Ad confirmationem negatur minor, nec enim alteratio solum requirit substantiam tanquam subjectum, sed etiam requirit mutationem substantiæ, quia est initium quoddam substantialis mutationis, eo quod substantia dependet in sui conservatione ab accidentibus ut a dispositionibus, unde remotio dispositionum est inchoatio corruptionis. Ad probationem respondetur, quod in cœlo non datur alteratio stricte dicta, quæ est inter contraria, illuminatio enim et obscuratio non est de se alteratio corruptiva, licet per acci-

dens in rebus inferioribus, quatenus dependet ab influentiis cœli, quæ agunt mediante luce, consequatur ex illis alteratio qualitatum corruptivarum in istis corporibus. Addensatio autem, et rarefactio in cœlis non datur, licet enim quædam partes inveniantur densiores, scilicet stellatæ, aliæ rariores, scilicet diaphaneæ, tamen hoc habent ab initio suæ creationis, sicut alia accidentia propria, non autem modo acquirunt illam per alterationem.

Ad id quod adducitur de corporibus beatorum, respondetur omnia illa fieri sine motu alterationis, nam respiratio, et locutio fit per motum localem emittentis aerem, et ferientis; nec respiratio beatis necessaria erit propter cordis refrigerationem ut temperetur calor, sicut in nobis, quia corpora illa cum sint incorruptibilia, per alterationem caloris non immutantur. Ad locutionem autem sufficit aerem ferire et motu locali dividere. Quomodo autem hoc fiat in cœlo, valde difficile est apud Theologos, supposita cœli incorruptibilitate, de qua in libris de Cœlo. Quod enim ex D. Thoma affertur, de confractione cœlestis corporis in locutione beatorum, non dicit id doctor sanctus ex propria sententia, sed supposita opinione aliorum, quod in cœlo potest esse addensatio, et rarefactio, quam tamen dicit æquivoce convenire cœlo. Probabilius tamen videtur formandas esse voces in aere existente in faucibus, et ore beatorum de quibus, Psal. CXLIX: *Exaltationes Dei in gutture eorum*, nec est inconveniens quod aliquis aer inclusus in corporibus beatorum ascendat super cœlum, licet elementalis sit, sicut corpora ipsa beata virtualiter continent elementa, quia mixta sunt, ille autem aer licet sit incorruptibilis sicut et alia corpora elementalia post diem judicii, ex defectu motus cœli, poterit tamen addensari, aut rarefieri per compressionem, aut dilatationem partium factam per motum localem sine alia alteratione, sicut etiam si tunc moveatur aqua, partes ejus comprimentur sine addensatione alterativa, vel latius explicabimus infra q. VII. Formata autem voce in illo aere deferetur ad auditum alterius beati per cœlum tanquam per medium secundum species intentionales, non secundum alterationem physicam, vel fractionem corporis cœlestis per sonum. Reliquæ alterationes in corporibus beatis circa passiones, et sensationes erunt solum actiones animales sensuum penes species intentionales vel actus elicitos, non autem alterationes naturales et corruptivæ, ut docet D. Thomas in IV, dist. XLIV, q. II, art. I, q. I ad III.

De corporibus damnatis dicimus, quod patientur non per alterationem naturalem, quæ tunc omnino cessabit cessante primo alterante, quod est motus cœli, in cujus virtute alia inferiora alterant, sed alteratione intentionali per amissionem specierum, quæ tunc non cessabit, quia non dependent a motu cœli, sed a luce, et aliis qualitatibus intentionalibus, ita ignis inferni per species tangibiles maximam sensationem sui causabit in illis corporibus, de quo videatur D. Thomas in IV, distinct. XLIV, quæst. III, art. I, quæst. II et III. De homine creato ab æterno dicimus quod sicut careret generatione per tempus infinitum, ita et motu alterationis per idem tempus carere deberet, et mutatione, quæ aliqua generatione fit.

Denique objicies: Nam qualitas habet essentiam simplicem consistentem in indivisibili, ergo secundum suam essentiam non potest terminare motum, qui divisibilis est, sed mutationem, solum autem poterit terminare motum ratione

alicujus gradus secundum magis, vel minus, quod non pertinet ad alterationem, ut alteratio est, sed ut intensio, vel remissio. Antecedens autem manifestum est, quia qualitas habet speciem constantem ex genere, et differentia, quæ quolibet addito vel subtracto variatur: ergo ipsa in indivisibili consistit.

Respondetur, quod ut dicit D. Thomas I-II, quæst. LII, art. I, qualitas seu forma potest dupliciter considerari. Uno modo secundum se; alio modo in ordine ad subjectum, non quod in re forma sit sine subjecto, sed quia est diversa consideratio formæ, vel secundum se absolute, vel comparative ad subjectum. Et primo modo species ejus, et essentia dicitur indivisibilis, secundo vero modo habet divisibilitatem, ratione cujus potest fieri per motum. Hoc autem bene intelligitur respectu intensionis, et remissionis, quæ, ut dicemus quæstione sequenti, convenit qualitatibus per comparationem ad subjecta; respectu tamen ipsius qualitatis ut absolute, et entitative acquiritur, videtur currere difficultas proposita quomodo acquiratur per modum divisibilem forma indivisibilis in sua specie, et essentia. Respondetur ergo, quod quando ipsa species alicujus rei essentialiter importat contrarietatem et distantiam seu latitudinem respectu alterius oppositæ, tunc licet formaliter consistat in indivisibili, quatenus omnia prædicata essentialiter illi conveniunt, et in hoc modo conveniendi non potest aliquod addi vel subtrahi, comparative tamen ad oppositum terminum, latitudinem et contrarietatem fundat, et admittit transitum non solum de privatione ad aliam; cujus signum est, quia per additionem seu commixtionem unius formæ cum alia fit variatio speciei, et resultat forma aliqua intermedia vel plures intermediæ, quæ latitudinem et distantiam constituunt inter extremas. Ratione ergo hujus latitudinis, et contrarietatis inter aliquas formas, per motum divisibilem acquiri qualitas, quæ licet sit indivisibilis in ipsa formali ratione constituendi speciem, et essentiam suam absolute, comparatione tamen ad suum oppositum, habet modum acquisitionis divisibilem. Et quia ista oppositio et contrarietas exercetur inter formas per comparationem ad subjectum, ideo adhuc respectu acquisitionis qualitatis per alterationem, salvatur dictum D. Thomæ, quod qualitas est indivisibilis secundum se absolute, divisibilis autem per comparationem ad subjectum, prout scilicet in illo exercetur contrarietas.

Circa secundum punctum, scilicet quotuplex sit alteratio, respondetur alterationem esse motum genericum ad tres species motus alterativi, scilicet simplex alteratio, intensio, et remissio. Simplex alteratio respicit ipsam substantiam qualitatis, ut motu acquirendam, scilicet ex aliquo contrario positivo. Intensio respicit augmentum qualitatis penes majorem gradum, seu magis perfectum, remissio autem minorationem penes gradum magis imperfectum. Et hoc ideo est, quia invenitur triplex modus latitudinis, et distantiæ in qualitate; potest enim considerari latitudo, vel inter diversas species quantitatis, vel intra eamdem. Inter diversas, ut inter calorem et frigus, et alias contrarias qualitates, et sic processus ex una ad aliam fundat motum simplicis alterationis. Intra eamdem autem speciem invenitur major vel minor participatio ejusdem qualitatis in subjecto, quæ diversam graduationem, et latitudinem constituit penes magis vel minus, ergo diversus motus fundatur procedendo a minori

ad majorem gradum per augmentum; et a majori ad minorem per decrementum, et primum vocatur intensio, secundum remissio.

Quod si dantur aliæ species alterationis, ut mixtio, addensatio et rarefactio, et aliæ similes, oportet advertere, quod istæ non sunt species dividentes alterationem secundum formalitatem motus, id est, secundum diversum modum latitudinis et distantiæ, sed secundum specificationem desumptam ex parte termini ad quem, sicut addensatio, quia producit densitatem, et rarefactio raritatem, et mixtio qualitatem temperatam, differunt inter se, sicut etiam differt calefactio et frigefactio, et aliæ alterationes ex parte diversorum terminorum a quibus specificantur, licet quia mixtio et addensatio et rarefactio communiores sint et specialiorem habeant difficultatem, ideo specialiter de eis tractatur in hoc opere.

Dices: Cur similiter non dabitur triplex species motus in quantitate, scilicet ad quantitatem secundum se et ad augmentum ejus, et ad decrementum, et similiter in motu locali ad ubi secundum se, et ad ascensum et descensum. Si dicatur, quod ubi semper acquiritur sub aliquo modo situationis, vel recte, vel circulariter vel curve, et ideo ad ubi seorsum non datur motus, contra est, quia etiam qualitas nunquam acquiritur nisi sub aliquo gradu vel intenso, vel remisso, ergo similiter non requiritur distinctus motus ad qualitatem, et ad intensionem vel remissionem ejus. Confirmatur, quia in qualitatibus invenimus alios motus, præter tres istos, scilicet motum extensionis erga diversas partes in qualitatibus corporeis, vel erga diversa objecta in aliquibus habitibus, ergo non est ista divisio adæquata.

Respondetur esse diversam rationem de quantitate et qualitate, tum quia quantitas non habet partes contrarias inter quas fiat transitus de una ad aliam per motum, quia species ejus sunt linea, superficies, et corpus, inter quas non est contrarietas, neque motus transeundo de una ad aliam, imo omnes per se requiruntur in qualibet parte continui; tum etiam quia quantitas quando primo producitur, consequitur ad materiam seu ad substantiam corpoream per modum dimanationis; quando vero præsupposita aliqua quantitate, alia pars superadditur vel tollitur jam est augmentatio vel diminutio, et sic non est locus motui ad quantitatem secundum se; tum denique, quia omnis motus physicus supponit quantitatem, cum fiat secundum contactum, et divisibilitatem, ergo supponit subjectum divisibile et tangibile, quod quantitatem importat. Similiter dicitur de ubi, quod est diversa ratio, eo quod intra idem ubi non datur latitudo, et distantia ut fiat majus vel minus in ratione loci, eo quod locus adæquatus est locato, et sic nisi locatum crescat vel decrescat, non crescit locus, augmentum, decrementum autem vel locati non pertinet per se ad motum localem, ut acquisitivus est talis ubi. Solum ergo datur latitudo et distantia inter unum et aliud ubi, seu inter diversa loca. At vero in qualitate non solum datur latitudo inter duas qualitates contrarias, sed etiam intra eamdem potest crescere magis vel minus, et sic oporteret, quod detur motus intensionis et remissionis in eadem qualitate et simplicis alterationis inter diversas.

Ad confirmationem respondetur, quod motus ille, quo extenditur qualitas aliqua per subjectum, non est motus distinctus ab aliquo ex prædictis, cum enim ista extensio fiat per multiplicationem seu productionem similis qualitatis, non per transitum de subjecto in subjectum extensio illa qualitatis ad distinctam partem subjecti, perinde se habet, ac novæ qualitatis productio, quæ si fiat de contrario in contrarium erit alteratio, quæ est motus, si de privatione ad formam erit generatio accidentis per modum mutationis. At vero quando qualitas aliqua extenditur ad nova objecta, ut fit in habitibus invenitur diversa difficultas in attingendo unum objectum inadæquatum, quam aliud, hoc non fit per alterationem physicam et stricte dictam, de qua agimus in præsenti, sed est alteratio largo modo loquendo, quæ fit per actionem intentionalem, vel appetitivam, quatenus ex parte ipsius habitus, et non solum ex parte operantis, vel applicationis materiæ datur distincta difficultas in attingendo unum objectum, quam aliud. Et in aliquorum sententia hoc non fit secundum perfectionem ejusdem qualitatis, sed secundum additionem formalem, et aggenerationem habitus partialis ad habitum præexistentem, et tunc non est alia difficultas in extensione istius qualitatis, quam in extensione, quæ fit per diversas partes continui, utrobique enim producitur nova pars qualitatis, licet extensio habituum versetur circa diversa objecta inadæquata, verbi gratia, circa diversas conclusiones intra eamdem scientiam. In sententia vero S. Thomæ I-II, quæstion. LIV, artic. IV, quam explicavimus in Logica, quæstion. XXVII, articulo ultimo, per hanc extensionem non fit nova additio formalis per productionem novæ entitatis et qualitatis, sed est virtualis additio, quatenus eadem qualitas seu habitus sub eadem ratione formali magis explicatur et extenditur ad objectum, ad quod antea non se extendebat, quod est novum modum perfectionis acquirere, non novam entitatem, ideoque talis motus, cum non sit alteratio proprie dicta, non est mirum, quod non constituat speciem distinctam, sed reducitur ad intensionem, licet non sit intensio penes magis vel minus circa idem, sed penes extensionem ejusdem circa inadæquata objecta.

ARTICULUS II.

Ad quas species qualitatis detur per se alteratio?

De hac difficultate agit Aristoteles VII Physicorum, capite tertio, ibique a pluribus disputatur, hic tamen videtur esse proprius ejus locus, ubi de alteratione ex professo agitur.

Supponendum est ergo, in prædicamento qualitatis inveniri quatuor species, seu quatuor divisiones specierum, quas in Logica quæstione XVIII explicavimus, scilicet habitum, et dispositionem, potentiam et impotentiam, passionem et passibilem qualitatem, figuram et formam, de quibus ibi videri potest, et inquirimus, quænam ex istis speciebus sint capaces terminandi primo et per se alterationem.

Deinde suppono, quod dari alterationem primo, et per se ad aliquam qualitatem, nihil aliud est, quam alterationem ita attingere aliquam qualitatem tanquam terminum, quod non mediet aliqua qualitas vel aliquis alius terminus, ad quem prius talis actio terminetur, tunc autem datur motus secundario ad aliquam qualitatem quando per aliud immediatius attactum mediate, et secundario aliud attingitur, sicut, verbi gratia, attingendo et immutando calorem, vel frigus, tanquam terminum immediatum, attingitur sanitas, vel ægritudo tanquam resultans ex temperamento frigoris, vel caloris, et sic inquiri-

mus, an omnes istæ species qualitatis, vel solum aliqua sit id, quod immediate, et per se ab alteratione attingitur, an vero solum aliqua ex his possit immediate attingi, aliæ vero secundario, et mediate, et si solum aliqua immediate terminat alterationem, quænam illa sit.

Sit unica conclusio : Alteratio Physica secundum quod de illa loquimur in præsenti solum est ad tertiam speciem qualitatis per se primo, id est, ad passionem, vel passibilem qualitatem. Et Aristoteles, citato loco VII Physicor. ubi etiam videri potest S. Thomas, et I de Generat. lect. X, et in I-II, quæst. III, articul. I ad 3. Et loquimur de alteratione physica, ut excludamus alterationem late sumptam, quæ etiam comprehendit instantaneas mutationes, et actiones spirituales, vel animales, quæ circa habitus vel actus versantur, nec ordinantur ad generationem, et circa hæc potest dari alteratio late sumpta, quæ est productio qualitatis. Et dicimus primo, et per se, quia secundario, et ex consequenti bene potest dari alteratio physica circa aliquos habitus, vel dispositiones, quæ sunt primæ speciei.

Fundamentum hujus sententiæ est duplex. Primum, quia alteratio physica ut dictum est per se, et essentialiter ordinatur ad generationem substantialem, et ad corruptionem, generatio autem substantialis, et corruptio exigit contrarietatem in dispositionibus, si quidem per contrarietatem dispositionum fit expulsio, et introductio formarum, oportet ergo quod alteratio deserviens generationi primo, et per se tendat ad qualitates contrarias, sed contrariæ qualitates contrarietate physica, primo et per se inveniuntur in tertia specie qualitatis, ut patet, tum in qualitatibus, quæ sunt primo contrariæ, ut calor et frigus, siccitas et humiditas, quæ sunt qualitates tertiæ speciei, et similiter qualitates, quæ ex istis resultant tanquam qualitates mediæ, et contrarietatem inter se habentes, quæ omnes ad tertiam speciem pertinent ; tum etiam quia qualitates istæ, quæ habent physicam contrarietatem primo et per se, faciunt transmutationem subjecti, quod maxime ex contrarietate qualitatum transmutatur, et similiter per se immutant sensus secundum contrarietatem quam inducunt, ergo per se habent inducere passionem transmutantem subjecta, vel sensum, et hoc est quod constituit tertiam speciem qualitatis, quæ idcirco dicitur passio, vel passibilis qualitas, quia vel transeunter, vel permanenter transmutat subjectum, et immutat sensum, et ut dicit S. Thomas I p. q. XCVII, a. II, passio proprie dicta est, per quam aliquid a sua naturali dispositione removetur, ergo alteratio quæ primo et per se versatur circa qualitates physice contrarias, ut ita ordinetur ad generationem, directe solum respicit tertiam speciem qualitatis, quæ per se primo facit transmutationem in subjecto, et in sensu per passionem.

Secundum fundamentum sumitur ex Philosophi VII Physic. c. III discurrentis per omnes species qualitatis, in quibus non datur alteratio physica primo et per se. Breviter autem probatur, quia habitus, vel dispositiones aut sunt spirituales, seu vitales et pertinentes ad potentias apprehensivas, sive appetitivas, aut sunt pure corporales, ut sanitas seu pulchritudo. Si primo modo se habent non pertinent ad præsens, quia non acquiruntur per alterationem physicam, de quo loquimur in præsenti, sed per actionem spiritualem, vel animalem, licet præsuppositive aliqua alteratio primarum qualitatum etiam ad istas dispositiones, seu habitus prærequiratur, in eo videlicet, in quo appetitus, vel phantasia ab aliqua dispositione organorum dependet, quæ fit per corporales qualitates. Si vero habitus et dispositio fit pure corporalis, etiam non potest primo et per se acquiri per alterationem, quia tales dispositiones important convenientiam aliquam, vel disconvenientiam ad subjectum ortam ex aliquo temperamento primarum qualitatum, sicut patet in sanitate et pulchritudine, ergo prius terminatur alteratio ad illas primas qualitates, et mediate ad sanitatem, vel pulchritudinem. Et in hoc consistit vis probationis Aristotelis in loco citato, dum dicit, quod ad habitum et dispositionem non datur per se alteratio, quia se habent ad aliquid, non autem datur motus per se primo in ad aliquid, ut probatur in III Physic. quod non est ita intelligendum quasi dispositio, et habitus consistant in relatione prædicamentali, quæ sola non potest terminare motum per se : in hoc tamen parificantur relationi prædicamentali, quia sicut relationes consequuntur ex fundamento, et ideo ad ipsum fundamentum terminatur motus per se primo, ad relationem autem consecutive, ita quia dispositiones istæ corporales resultant ex debita commensuratione, vel proportione qualitatum, id quod primo attingitur per alterationem, erit qualitas illa ut proportionata, vel attemperata, consecutive autem ipsa dispositio conveniens, vel disconveniens.

Quod attinet ad secundam speciem qualitatis, scilicet potentia et impotentia, constat, non terminare primo et per se alterationem, non solum in potentiis spiritualibus quas non attingit physica et corporalis alteratio, sed etiam in potentiis naturalibus, tum quia non invenitur, in potentiis latitudo contrarietatis sicut nec invenitur magis, vel minus ratione sui præcise ; tum quia potentiæ sunt principia innata, tanquam propriæ passiones ab ipsa natura dimanantes, ergo non acquiruntur per alterationem primo et per se, sed ad generationem consequuntur. De hoc tamen vide quæ dicimus quæstione, sequenti, art. I.

Denique, in quarta specie scilicet figura, et forma, non datur per se primo alteratio physica, tum quia figura non admittit latitudinem contrarietatis, sed habet se sicut numerus, quia quolibet addito, vel subtracto variatur, et sic latitudinem non habet ; tum quia figura resultat ex terminatione quantitatis, et ita aliquando producitur ad ipsam quantitatis productionem in ipsa prima generatione rei, ut cum aliquis nascitur cum tali, vel figura ; aliquando vero resultat ex divisione quantitatis, et tunc etiam non terminat alterationem, aliquando denique ex alteratione aliqua consequitur, ut ex nimia densitate, vel raritate, aut aliquo simili, figura ipsa mutatur, et tunc non primo, et per se terminat alterationem, sed et terminatur alteratio primo et per se ad illam qualitatem, ex qua consequitur mutatio in terminatione quantitatis.

Dices : Discursum hunc nimium probare, sequitur enim ex illo, quod ad aliquas qualitates medias, quæ resultant ex primis, non possit dari alteratio primo et per se sicut ad calorem viridem, vel rubrum et alias qualitates, quæ ex frigore et calore resultant, et tamen pertinent ad speciem qualitatis ut densitas et raritas, aliaque similia, ad quæ tamen datur per se primo alteratio.

Respondetur esse diversam rationem, quia istæ qualitates secundæ, quæ resultant ex primis etiam per se alterationem terminare possunt,

nec eodem motu attinguntur primo et per se terminato ad aliam qualitatem, et secundario ad se, sed requirunt distinctum motum præter illum, qui terminatur ad primas qualitates; tum quia aliquando fiunt sine alteratione erga illas, sicut cum aliquid dealbatur, vel denigratur non præcedente aliquo frigore vel calore; tum quia quando fiunt isti colores ex temperie primarum qualitatum, fiunt per mixtionem, sicut aliæ qualitates secundæ, in mixtione autem corrumpuntur qualitates miscibiles, et sic fit una tertia, unde necesse est, quod alteratio non sistat in qualitatibus primis, ut in termino, consecutive autem resultent secundæ, sed potius, quod destituantur primæ, et tanquam ad terminum ad quem tendat alteratio ad secundam quæ est mixta ex illis, et ideo per se datur alteratio ad illam. Secus est in dispositione corporali ut in sanitate, quæ non est qualitas mixta ex corruptione, seu mixtione primarum resultans, sed ex proportione, et commensuratione, sanitas enim calorem non corrumpit, nec frigus, sed commensurata habet.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur : Ad probandum dari per se alterationem ad primam speciem qualitatis, nam quando acquiritur sanitas, vel pulchritudo, aliquo speciali motu, seu mutatione acquiritur, alia est enim mutatio de ægritudine ad sanitatem, quæ est sanatio, quam a frigore ad calorem, quæ est calefactio; invenitur etiam diversa contrarietas inter ægritudinem et sanitatem, quam inter calorem et frigus, et diversus terminus a quo et ad quem; ergo dantur omnia requisita ut dentur distincti motus, præsertim, quia illa mutatio seu actio, quæ identificatur cum sanitate, non identificatur cum calore, et talis motus, seu mutatio, ut ad sanitatem præcise non est nisi alteratio, nec ad aliam speciem motus pertinere potest, ergo datur alteratio per se primo ad primam speciem qualitatis, saltem eo modo quo ad qualitates secundas, seu mixtas datur alteratio, licet resultent ex primis. Et confirmatur, quia in prima specie qualitatis datur proprie et per se intensio, et remissio, ergo et alteratio, siquidem intensio et remissio sunt species alterationis, ut articulo præcedenti diximus. Datur etiam in illa vera contrarietas, ut inter errorem et scientiam, vitium et virtutem, sanitatem et ægritudinem, ubi autem est contrarietas primo et per se, ibi est fundamentum motus primo et per se.

Respondetur negando, quod si diversa mutatio formaliter ad ægritudinem vel sanitatem quam ad primas qualitates, ex quarum proportione, vel disconvenientia consurgunt; et illa contrarietas inter ægritudinem et sanitatem, et diversitas termini a quo et ad quem totum consecutive se habet, et est materialiter diversum respectu alterationis, quæ fit ad tertiam speciem. Quod deducitur ex ratione D. Thomæ I-II, quæst. LII, art. I ad 3, ubi inquit : « Quod alteratio primo quidem est in qualitatibus tertiæ speciei, in qualitatibus vero primæ speciei potest esse alteratio per posterius. » Et subdit rationem : « Quia facta alteratione secundum calidum et frigidum, sequitur animal alterari secundum sanum et ægrum. » Igitur licet attingatur sanitas, et ægritudo ex vi alicujus mutationis, quæ quidem in re est alteratio, tamen quia non attingitur ut terminus primo, et per se attactus, sed ut consecutus, siquidem semper debet fieri mediante aliqua alteratione caloris, aut frigoris, aut alterius primæ qualitatis, ideo mutatio ista prout tangit sanitatem, et identificatur cum illa non est primo et per se alteratio physica, nec sanitas per se immediate attacta, sed consecutive, et ideo potius ex ipso argumento sequitur, quod non detur alteratio primo et per se ad istas dispositiones, sed consecutive. Secus est de qualitatibus mediis ejusdem tertiæ speciei, quæ ex mixtione primarum qualitatum resultant, et ita exigunt distinctum motum terminatum ad ipsas qualitates medias, et corrumpentem ac miscentem primas, quod non contingit in acquisitione sanitatis, vel dictum est.

Ad confirmationem respondetur intensionem et remissionem physicam, et corporalem esse species alterationis physicæ et corporalis, sic tamen non inveniri in habitibus, et actibus spiritualibus; unde nec in illis datur alteratio physica, de qua in præsenti loquimur, et similiter contrarietas, quæ datur, non est contrarietas physica seu corporea, sed communiter dicta et quæ ad generationem et corruptionem non ordinatur.

Secundo arguitur : Nam in secunda specie, quæ est potentia et impotentia, potest dari vera alteratio, nam potentia potest debilitari, et impotens reddi per aliquam novam transmutationem, sicut visus, qui est acutus et vigorosus in juvene, potest fieri debilis in sene, et ingenium etiam potest hebetari, et impotens reddi ex aliquo accidenti, istæ autem transmutationes non possunt pertinere ad aliam speciem motus, quam ad alterationem, ergo alteratio potest versari primo et per se circa potentiam, et impotentiam.

Respondetur quod potentia quæ semel dimanavit a natura tanquam a proprio subjecto non potest tolli nisi vel per impotentiam oppositam vel per extrinsecum impedimentum. Primo modo non potest accidere, permanente una et eadem natura in eodem statu, nec enim potest ab eadem natura, modo dimanare potentia, modo impotentia sicut ab homine risibilitas, et irrisibilitas. Quod si pro diversis statibus dimanaret ab eadem natura, modo potentia, modo impotentia, sicut diversæ passiones solent convenire pro diversis statibus, adhuc tamen non terminarent alterationem primo et per se, sed nova dimanatione resultarent. Si vero impotentia consistat in extrinseco impedimento ejusdem potentiæ, tunc alteratio versabitur circa illud extrinsecum impedimentum non circa ipsam potentiam; extrinsecum enim impedimentum pertinet ad qualitatem aliquam tertiæ speciei, per quam ipsa dispositio debita organi ita alteratur, quod potentia quæ a dispositione organi dependet, non potest stante tali indispositione, debite operari, et hac ratione visus acutus redditur debilis, et ingenium visus impeditur ex aliqua intemperie dispositionum; et similiter imaginativa vel phantasia redditur indisposita ad subministrandum intellectui, quod pertinet ad ingenium, et ad istas qualitates dispositivas potest per se dari alteratio.

ARTICULUS III.

Utrum alteratio sit unus motus, et continuus ?

Unitas alterationis potest considerari, vel in ratione mutationis, quatenus unum terminum destruit et alium producit, vel in ratione motus, qui utramque mutationem includit, quomodo videlicet sit unus motus vel una aut plures mutationes. Continuitas autem potest tripliciter considerari in alteratione.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Uno modo ratione subjecti in quo est, quod scilicet per partes continuas alicujus subjecti diffundatur qualitas. Secundo, ratione temporis, quod scilicet sine ulla interruptione durationis continuetur alteratio. Tertio, ex parte formæ, quod videlicet forma non solum introducatur in instanti, et indivisibiliter tota, sed aliquid illius continuative in tempore, et aliquid in instanti.

Dico ergo primo : Alteratio in ratione motus est unus, includit vero duas mutationes, alteram corruptivam termini a quo, alteram quæ est acquisitiva termini ad quem. Quod istæ duæ immutationes dentur, constat ex his quæ supra diximus agendo de generatione, et corruptione, quæ duplicem istam mutationem important, et in q. XIV Physicor. art. II, ubi ostendimus has mutationes esse necessarias ad motum, quia in illo fit transitus de quodam in quiddam et consequenter acquirendo unum et corrumpendo aliud. Quod vero motus sit unus patet, quia est unus transitus et via de subjecto in subjectum, id est, de termino positivo in terminum positivum, inter quos invenitur latitudo et distantia vel contrarietas, hæc autem est una quando solum sunt duo termini inter quos exercetur, sic autem invenitur in alteratione cum sit transitus de uno contrario in aliud contrarium, ergo datur unus motus. Et eadem ratione est una actio, quia est unum agens, et unum passum, et consequenter una processio causalitatis.

Sed dices : Cur similiter generatio substantialis, et corruptio, quæ sunt duæ mutationes non facient unum motum, sicut in qualitatibus? Respondetur quod etiam mutationes, non efficiunt motum, nisi inter ipsos terminos positivos fundetur aliqua distantia positiva vel contrarietas vincenda, et non solum esse vel non esse mutandum. Cujus ratio est, quia in mutatione, ut præcisa mutatio est, solum intenditur acquisitio alicujus esse de novo, et consequenter ex parte termini a quo solum per se petit non esse, seu privationem. Si vero hæc privatio sit conjuncta alicui formæ positivæ, id erit per accidens ad talem mutationem, quatenus scilicet illa privatio invenitur conjuncta ad aliquam formam. At vero in motu non solum intenditur acquirere esse de novo, sed distantiam vincere inter terminos inter quos versatur, et hi debent esse positivi, nam inter privativum et positivum non datur latitudo, quia sine medio opponuntur tanquam esse et non esse, et si aliquid invenitur de medio, est ratione alicujus positivi præsuppositi : contraria autem habent medium per quod positive distant, et opponuntur. Unde cum inter formas substantiales, non attendatur aliqua latitudo contrarietatis, sicut invenitur in qualitatibus eo quod ex participatione formarum substantialium, tanquam ex extremis non participatur, nec contemperatur aliquod medium, neque in una et eadem forma invenitur magis vel minus, ideo non invenitur distantia, et contrarietas inter formas substantiales fundans motum, sicut inter qualitates.

Secundo, instabis contra conclusionem : Nam sequitur ex illa, intensio et remissio non sint duo motus cum tamen in articulo primo dixerimus illas esse duas species motus. Sequela probatur, nam quando est motus a calore ut uno ad calorem ut speciem, ibi est intensio caloris, qui acquiritur et remissio frigiditatis quæ deperditur, tantum enim deperditur de frigiditate quantum acquiritur de calore, ergo illa frigiditatis mutatio est remissio, et

tamen est unicus motus, siquidem est tantum una via, et unus terminus acquisitus, et unus deperditus, alioquin quoties intenditur qualitas essent duo motus, altera minori calore ad majorem, alter remissius frigiditatis a majori ad minorem.

Respondetur intensionem et remissionem secundum se esse motus distinctos sicut accretionem et decretionem, ascensum et descensum, et tunc sunt contrarii quando versantur circa eamdem formam, v. g. intendendo aut remittendo calorem. Quando autem versantur circa diversas formas, v. g. intendendo calorem, et remittendo frigus, vel habebunt se disparate illi motus, si formæ ipsæ ordinem et connexionem inter se non habeant, vel coordinate se habebunt si formæ ipsæ consecutive se habeant, ita ut una remittat vel expellat aliam. Cæterum quando invenitur motus intensionis corrumpens frigiditatem, vel attenuans, non est per se motus remissionis, quia non est per se minoratio, sed ex consequenti quatenus est corruptio frigoris inventi in subjecto. Quia tamen hoc per accidens est respectu intentionis caloris, ideo ille motus non denominatur remissio, nec fit per modum mutationis corrumpentis aliquid de frigore ex consequenti, et per accidens, cum intendatur calor ; motus autem non sumit speciem suam, neque constituitur in ratione motus penes id quod est per accidens et ex consequenti, sed penes id quod est per se, et ex parte termini ad quem se tenet, non ex parte termini a quo tantum. Et ideo quando intenditur calor licet detur remissio frigoris, non tamen est motus remissionis, quia illa minoratio frigoris præcise se tenet ex parte termini a quo, ut terminus mutatus et destructus, et consecutive se habens ad acquisitionem caloris, non ut motus per se minorativus, cujus terminus ad quem sit minoratio frigoris, et ideo non est per se motus remissionis, sed mutatio destructiva frigoris non per se minorativa, et temperativa illius. Potest autem dari aliquando intensio sine remissione oppositi, ut in intensione lucis quæ jam supponit tenebras expulsas, et in intensione charitatis, quæ supponit peccatum expulsum per sui primam introductionem, unde non semper intensio est conjuncta remissioni etiam per modum mutationis, et per accidens factæ.

De continuitate alterationis.

Dico secundo : Alteratio quæ vere est motus, est continuus, ut opponitur discreto si attendamus ad continuitatem, quæ fit per extensionem qualitatis in partibus continui, sive quæ fit penes durationem temporis, sive quæ fit per intensionem formæ. Et dicimus *ut opponitur motui discreto*, quia si sumamus continuum ut dicit rationem perpetui et non cessantis, sic alteratio non est continua, sed finitur, et interrumpitur sæpissime. Itaque licet qualitas possit produci in instanti, ut quando fit ultima dispositio, tamen quando fit per verum motum, neque fit in instanti, neque per multas instantaneas actiones, ita quod inter instans, et instans nihil producatur de qualitate, sed solum disponatur, ut in instanti fiat productio, ut aliqui senserunt. Sed oppositum tenetur communiter, ut videri potest apud M. Bannez, super primum librum de Generatione, q. VI de alteratione, et Cursum Carmelitanum, disput. II de alteratione, q. X, Conimbricenses et alios.

Duo ergo nobis probanda sunt. Primum, quod alteratio non potest

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fieri in instanti, sed habet successionem in duratione temporis. Secundum, quod in extensione vel intensione qualitatis non solum in instantibus, sed etiam in tempore intermedio inter instans et instans producitur aliquid qualitatis, et non cessat actio alterativa.

Primum probatum est a nobis, q. XXI Phys. a. II, quia motus successivus non habet esse in instanti, quia hoc ipso quod successivus non est indivisibilis, omnis enim successio dicit partem post partem, ergo dicit divisibilitatem, ergo non coexistit, nec mensuratur instantanea duratione. Deinde, deducitur ex doctrina D. Thomæ I p. q. LIII, a. III, ut etiam ibi adduximus, quia non potest stare, quod subjectum aliquod toto tempore quiescat sub una forma, et in ultimo instanti illius temporis sit sub alia forma quasi mutatum ad illam in facto esse, ergo motus nunquam potest perfici in unico instanti, ita quod ante illud instans nihil sit motus et terminus motus, seu mutatum esse; quia non potest dari mutatum esse nisi præcedat aliquod moveri, id est, aliqua tendentia ad illam formam acquirendam et oppositam expellendam, ut autem quiescat toto tempore ante, oportet quod ita sit sub una forma, quod non sit in via corruptionis ad eam, nec tendentiæ ad aliam, sed ita se habeat nunc sicut ante; ergo non potest stare, quod in ultimo instanti aliquid sit mutatum, et toto tempore non præcedat moveri, sed quiescere. Quod etiam in instantaneis mutationibus, si ordine et modo naturæ fiant apparet, præcedit enim aliquis motus, sive per modum dispositionis, sive per modum applicationis, sicut patet in generatione substantiali, et in illuminatione; nam generatio substantialis fit dependenter ab alteratione præcedenti, quæ est motus; et similiter luminosum non illuminat naturaliter in hoc spatio, ubi ante non illuminabat, nisi quia hic de novo producitur, vel quia hic de novo adducitur; si de novo adducitur, præcedit motus localis, si de novo producitur per generationem naturalem, ut si fiat ignis, præcedit alteratio, et ita naturali modo nunquam ponitur aliquid sub nova forma etiam in instanti, nisi præcedat aliquis motus. Si autem virtute Divina aliquid producatur, vel creetur subito, sine aliqua dispositione vel motu præcedenti, hoc non pertinet ad naturalem modum operandi, de quo loquimur in præsenti, sic etiam non est mirum, quod corpus Christi ponatur sub speciebus panis in aliquo instanti, cum ante nullus esset motus ad illud, quia hoc fit supernaturali virtute naturali non modo. Et hac ratione probat D. Thomas loco citato Angelum non posse moveri in instanti quiescendo toto tempore antecedente in alio loco. Si autem Angelus existit in alio loco per totum et integrum instans, sine ullo tempore, vel motu quiescendo, oportet quod aliud sit instans pro existentia in uno loco, et aliud pro existentia in alio, ita quod uno loco quiescat non toto tempore, sed toto instanti, et in alio instanti sit in alio loco; sed tunc desitio unius loci, quæ est in instanti, et per ultimum esse incæptio alterius, quæ est in alio instanti, non mensuratur unico instanti, sed duobus, et ita motus ille discretus non est in instanti, sed in instantibus. Unde nunquam verificatur motus, etiam discretus in unico instanti.

Secundum in hac conclusione probandum est, quod si detur motus continuus continuitate se tenet ex parte formæ in hoc sensu, quod si aliquid formæ producitur in instanti, aliquid etiam illius acquiritur in tempore, et non cessat actio,

et continuatio formæ inter instans et instans; et sic negatur ab aliquibus ista pars. Deducitur tamen ex D. Thoma in II, dist. V, q. III, art. I, ubi probat dispositiones ad generationem substantialem præcedere tempore introductionem formæ, quia alteratio est motus continuus, et ideo principium ejus et medium præcedunt introductionem formæ: ergo alteratio datur in tempore, et non est discreta per instantia. Eamdem continuitatem alterationis per tempus medium inter duo instantia ponit sanctus doctor in quodl. VI, art. IX, et videri etiam potest in primo de Gener. lect. XXIV, circa textum LXXXIV et V Phys. lect. VII et sumitur ex Philosopho in eodem V Physic. tex. XXXIX, ubi dicit: « Quod continuus omnis motus est, et simpliciter quidem unum, et continuum esse necesse est. »

Ratio autem est, quia vel inter duo instantia continuatur aliquis motus, ita quod non cessat actio, neque quiescit, vel cessat inter instans et instans omnis motus, et actio productiva qualitatis. Si primum, ergo ille motus, et fluxus inter instans et instans non potest intelligi sine aliqua forma fluente, quæ in instanti quidem habeat mutatum esse, seu in facto esse fiat, in tempore autem seu motu sit in fieri et moveri, quia motus non est præter res ad quas est motus, et sic si realiter datur motus inter instans et instans, realiter datur forma, cum qua identificatur tanquam cum termino fluente et successive tanseunte de non esse ad esse. Si secundum dicatur, est impossibile, quia si in hoc instanti datur qualitas producta, et immediate post cessat motus, et in sequenti instanti datur aliquid productum, illud non erit acquisitum per motum, nec per alterationem quæ est motus, sed alia actione distincta a successione et motu, quæ non apparet quæ sit. Deinde, quia inter instans et instans agens est debite applicatum ad agendum, et passum capax ad recipiendum, et non impeditum, non minus, quam in sequenti instanti quia ut supponimus, nec passum est mutatum inter instans et instans a sua dispositione, neque agens a sua activitate, quomodo ergo suspenditur ab agendo inter instans et instans? Denique, in motu locali non cessat aliquis moveri inter instans et instans, quia paulatim de uno loco ad alium transitur per medium, et vincitur distantia inter duo loca, ergo similiter distantia et contrarietas qualitatum et intensionis ejus vinci debet per successionem et continuationem motus producendo aliquid inter instans et instans.

Nec potest dici, quod inter instans et instans agens producit aliquid, sed non formam, v. g. calorem, sed dispositionem aliquam ad calorem, v. g. raritatem vel quid simile. Sed contra, nam præterquam quod ad calorem non datur dispositio, cum ipsa sit prima qualitas, adhuc hoc dato idem argumentum fit de illa dispositione, nam vel est qualitas, vel non: si non est qualitas non est assignabile quid sit et ad quod prædicamentum pertineat, vel si est modus ejusdem qualitatis, quis modus sit præter intensionem, et remissionem, isti enim si producuntur in tempore jam motus intensionis erit continus. Si autem illa dispositio est qualitas, verbi gratia, raritas, ergo jam aliqua qualitas producitur inter instans et instans et consequenter eadem ratio erit de ipso calore.

Dices: Licet in intensione qualitatis motus sit continuus et producatur aliquid inter instans et instans, tamen quando alteratio est de una qualitate ad aliam, v. g. inter album et nigrum, quid qualitatis

producitur inter instans et instans? Cum qualitas media non producatur divisibiliter, sed indivisibiliter, est enim species vera qualitatis habens esse indivisibile, et terminans mutatum esse. Respondetur quod cum transitur de albo ad nigrum per mediam qualitatem, v. g. per pallidum, tunc inter instans et instans fit pallidum imperfecte, quatenus incipit albedo deflorescere et deficere a perfectione sua, et est albedo in corrumpi, quod est pallidum in fieri, et hoc fit inter instans et instans, quia habet latitudinem illa corruptio albedinis, et acquisitio palloris, et ita secundum aliquid latitudinis fit in tempore, et in facto esse consummatur in aliquo instanti.

De indivisibilibus alterationis.

Cum continuum constet ex partibus connexis, quæ utique aliquibus indivisibilibus continuantur, oportet explicare, quomodo in qualitatibus, et alteratione successiva dentur ista indivisibilia. Respondetur quod juxta diversos modos indivisibilitatis in qualitate debent considerari ejus indivisibilia. Est enim invenire divisibilitatem extensionis ratione subjecti quanti, et divisibilitatem motus ratione successionis, et denique divisibilitatem formæ penes magis et minus in intensione et remissione. Quantum ad primum, sicut accidentia habent extensionem quantitativam mediante quantitate, quæ afficit substantiam, et extendit eam et accidentia quæ in ea sunt, sic mediante quantitate redditur qualitas extensa, et divisibilis, et consequenter mediante ipsa habebit etiam indivisibilia continuantia talem divisibilitatem quantitativam. Et sicut substantia non habet divisibilitatem, nec indivisibilia, et nisi mediante quantitate, ut probatum est in IX Physicor. quæst. XX, et in quæst. XIX Logicæ, ita neque qualitas, et alia accidentia materialiter extensa habent indivisibilia hujus extensionis nisi mediante quantitate, est enim eadem ratio de ipsis et de substantia quoad hoc.

Quoad secundum dicimus, quod in alteratione quatenus motus est dantur indivisibilia sicut in aliis motibus, scilicet quod indivisibilia sunt ipsa mutata esse in successione qualitatis quæ terminant vel continuant ipsam successionem motus, sicut explicavimus, quæstione vigesima Physicor. articulo primo, hoc autem mutatum esse, ut sumitur ex D. Thoma I part. quæst. LIII, articul. III, explicatur per hoc, quod mobile non sit in eadem dispositione in quolibet instanti illius temporis in quo movetur. Et sic quatenus illa dispositio est in fieri, dicitur esse in moveri, quatenus terminative est in facto esse, dicitur mutatum, et tunc est alia dispositio, et ita sive hoc mutatum esse consistat in aliquo indivisibili in quo finitur et terminatur, sive in aliquo alio modo, vel ratione, tamen illud constituit formaliter mutatum esse, quod constituit mobile in alia atque alia dispositione terminative, et in facto esse, ita quod omnes partes, quæ sunt in fieri per tempus, sint in instanti in facto esse, et ex illo facto esse sequatur aliud fieri alterius partis quæ in facto esse sit in alio instanti, usque ad ultimum in quo sistit. Qualitas ergo sic induens diversa mutata esse, constituit diversa indivisibilia successiva motus alterationis.

Quoad tertium, scilicet, de indivisibilibus ipsius qualitatis seu formæ quæ acquiritur per alterationem, potest esse difficultas vel intra eamdem qualitatem quando intenditur vel remittitur, an ista latitudo

intensionis, vel remissionis quæ divisibilis est, aliquibus indivisibilibus partes suas debeat continuare, et copulare. Et de hoc pertinet ad sequentem quæstionem, ubi de intensione, et remissione qualitatum agemus. Potest etiam esse difficultas, utrum in ipsa latitudine seu distantia, quæ invenitur inter duas contrarias qualitates per quam fit transitus de una ad aliam (ut inter album et nigrum ponitur pallidum, viride, cæruleum, etc.) an etiam ponenda sint indivisibilia, quibus ista latitudo et distantia, quæ divisibilis est coagmententur. Sed tamen in hoc non apparet ratio aliqua constituendi indivisibilia, quia istæ species non sunt continuæ inter se, nec habent partes ejusdem rationis quæ indigeant copulari diversis indivisibilibus, sunt enim diversi colores, vel aliæ qualitates mediæ; inter speciem coloris, datur latitudo de colore imperfecto et inchoato, ad alium colorem medium perfectum, et de illo ad alium usque ad extremum, cum corruptione prioris, qui expellitur, et tunc non acquiritur aliquod indivisibile copulativum partium, sed species quædam determinata, et certa, quæ tamen quia media est et imperfecta, viam parat et transitum ad aliam, quæ ex temperatura, et medietate alterius consurgit, ideoque latitudinem facit motu vincendam, non indivisibilibus copulandam.

Solvuntur argumenta.

Primo objicies contra continuitatem alterationis: Motus alterationis in intensione, non potest esse continuus, ergo falsa est conclusio, quæ loquitur de omni alteratione. Antecedens probatur, nam id quod producitur per talem motum est aliquis modus majoris ac minoris radicationis in subjecto, tales autem modi sunt indivisibiles in se, ut sequenti quæstione probabitur, ergo non possunt terminare motum, quia ad illum terminandum requiritur aliqua divisibilitas, et latitudo in termino, ita ut parti motus correspondeat pars termini et indivisibili motus indivisibile termini. Confirmatur, quia quælibet pars motus vere, et proprie aliquid producit, ergo oportet quod in ipso termino motus aliquid cuilibet parti motus correspondeat, et ita habeat partes priores, et posteriores, ergo si quilibet gradus aliquid indivisibile est, saltem formaliter totus producetur per primam partem motus, et si nihil relinquetur alteri parti, seu medietati quod producat.

Respondetur non repugnare quod partes terminentur ad aliquid indivisibile, quatenus est partium terminus, sicut partes lineæ terminantur indivisibili, et similiter in motu omnes partes motus terminantur ipso mutato esse eo quod omnes partes motus se habent in fieri respectu illius; imo omnis terminus debet esse indivisibilis, et terminare partes divisibiles, non quod cuilibet sigillatim inhæreat, et adæquate, sed inadæquate alicui indesignatæ, ut diximus in q. XX Phys. a. III, et ita licet non adæquetur illis informative, adæquatur tamen terminative, quia omnium illarum terminus est. Sic ergo in qualitate quando intenditur, acquiritur gradus aliquis, seu terminus per motum, qui licet in se sit indivisibilis, utpote terminus, virtualiter tamen divisibilitatem dicit secundum quod partes præsupponit, et illarum terminus est; et sic non requiritur divisibilitas in termino secundum se et formaliter, sed ratione partium, quas terminat et quas successive oportet acquiri per motum.

Ad confirmationem respondetur,

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA
BIBLIOTECA GENERAL DE BIBLIOTECAS

quod quælibet pars motus producit aliquid, nempe illud mutatum esse, non tamen quælibet pars motus producit illud adæquate, licet enim terminus ille indivisibilis sit in se, est tamen terminativum plurium, quæ sub illo stare possunt, et illud respiciunt ut factum esse suum : quod si haberet partes priores et posteriores, non esset terminus earum, sed compars. Nec prima pars motus producit totum indivisibile, seu mutatum esse, tum quia ibi non datur prima pars motus, ubi omnes sunt indesignatæ, et confusæ ; tum quia illa medietas producit terminum inadæquatæ, id est, ut partialiter fieri illius, non integrum fit ejus.

Secundo arguitur : Quia in alteratione, et intensione non est unus terminus tantum, sed plures qui continua ipsa actione acquiruntur, ergo non potest esse unus motus quia non est unus terminus a quo sumatur unitas. Antecedens patet, quia dum continuatur motus alterationis plures termini producuntur, v. g. plures gradus in intensione, vel plures qualitates mediæ in alteratione de una specie ad aliam, ergo terminus non est unus, et consequenter neque motus, sic nec erit continuus. Confirmatur, quia si alteratio esset motus continuus, et duraret, v. g. per horam in fine horæ esset infinita qualitas producta, quia sunt infinita instantia, et consequenter infinita mutata esse, ergo si sit intensio per totam illam horam, attinguntur illa infinita, quorum quodlibet auget intensionem, et gradum, et consequenter in fine horæ qualitas redderetur infinita.

Respondetur quod in alteratione continua datur unus terminus adæquatus, licet plures inadæquati, habet autem unitatem terminus adæquatus ratione ultimi, in quo sistit motus, et ad quem cæteri ordinantur, sicut in motu locali, quando plura loca attinguntur usque ad ultimum, ab illo ultimo sumitur unitas continuata talis motus, et ideo simpliciter est unus, quia simpliciter terminatur in uno, ut latius diximus q. XIX Physicor. Itaque in quolibet instanti potest acquiri diversus locus inadæquatus, inter instans autem et instans fit transitus de loco ad locum, et tunc dicitur esse in loco quasi in mutari, non mutato esse, de quo ibi latius diximus. Ad confirmationem respondetur in primis argumentum illud procedere, etiam si alteratio fit motus discretus, sicut intra unam horam sunt infinitæ partes divisibiles ita sunt infinita instantia indivisibilia eodem modo, quo partes infinitæ, et ideo licet inter instans non sit motus, neque actio, eadem manet difficultas quomodo in infinitis instantibus, quæ includuntur intra horam fiat intensio illa qualitatis, et non sint infinita. Respondetur ergo, quod infinitas illa instantium, et partium infinitarum, quæ in quolibet continuo includuntur, est infinitas in potentia, et non actu, quia est infinitas, quæ includitur, et consumitur in partibus aliquotis, et finitis, et ideo est aliquid finitum in actu, et solum infinitum in potentia, ut latius ostendimus in quæst. XV et XX Physic. Itaque ut sit infinitum in actu oportet, quod constet partibus infinitis aliquotis, quia debent esse æquales uni tertio, et non communicantes inter se ; illæ autem partes infinitæ sunt proportionales, et indesignatæ, et inter se communicantes, ut locis citatis explicavimus, et eodem modo se habent instantia, seu indivisibilia, quæ cum partibus ipsis et ad earum modum multiplicantur in continuo, unde solum ex illis resultat infinitum in potentia, hoc est, quia potest designari ex quæcunque parte in infinitum divisibilitas totius, et sic ex eo, quod tota hora duret intensio,

solum sequitur, quod qualitas habebit infinitas partes in potentia, et similiter indivisibilia, finitas autem in actu, utpote inclusas intra terminos finitos unius horæ.

Tertio arguitur : Quia si alteratio est motus continuus non poterit incipere per primum esse, sed per ultimum non esse, sicut alii motus, hoc autem est impossibile, ergo. Minor probatur, quia si incipit per ultimum non esse, est verum dicere nunc agens non alterat, immediate post alterabit, in illo ergo nunc, vel agens est debite applicatum passo, et tunc non est ratio, quare non aget posita illa applicatione, vel non est debite applicatum, et tunc nec immediate post aget, quia immediate post non potest compleri tota applicatio, quia divisibilis est, cum fiat per motum et in parte divisibili, et sic immediate post non erit totaliter applicatum in facto esse, ergo neque sequetur actio. Similiter etiam est inconveniens quod qualitas quæ est res permanens non incipiat per primum esse, præsertim cum sit dispositio determinata, et in illa assignari debet minimum, et consequenter aliquid certum et determinatum, atque adeo debet incipere per primum esse. Denique confirmatur, quia hæc videtur esse mens Aristotelis VIII Physicor. tex. XXIII, ubi inquit : « Quod dicere alterari continuum, est rebus perspicuis adversari, » et subdit : « Quod alteratio non fit per partes sicut congelatio, sed subito sicut cavatio lapidis ab ultima gutta ; » quam constat non esse motum continuum. Et idem affirmat S. Thomas super eumdem locum lectione V et VI Physicor. lection. V et 1 contra Gent. cap. XLIX, et in aliis locis.

Respondetur quod sine dubio alteratio sicut et alii motus, et qualitas per eam producta incipit per ultimum non esse. Et ad probationem dicitur, quod sive applicatio agentis ad motum fiat in instanti sive non, tamen applicatum esse de facto, pertinet ad mutatum esse, et est in instanti, in illo tamen non incipit intrinsece, atque ita non bene sequitur agens est applicatum de facto in hoc instanti, ergo in hoc instanti intrinsece est actio seu motus, non enim sequitur, quod actio sit in hoc instanti intrinsece, nisi actio ipsa instantanea sit, sed sufficit quod incipiat extrinsece, quia immediate post erit. Quare non est necesse quod motus sequatur ipsum applicatum esse, nisi juxta naturam suam, ita quod si aliquid est applicatum in instanti, motus non dabitur in instanti intrinsece, sed immediate post, et ita in illo instanti incipiet extrinsece sicut grave cum generatur sursum in eodem instanti incipit moveri non intrinsece, sed extrinsece. De facto tamen non datur primum applicatum esse, sicut nec primum mutatum esse in motu, applicatio enim per motum fit. Quod vero dicitur qualitatem esse rem permanentem, et ita debere incipere per primum esse, distinguo ; est res permanens quando est in facto esse determinate, concedo ; quando est in fluxu et fieri, nego : vel secundo est res permanens incipiens modo permanenti, nego ; incipiens modo fluenti, et successivo, ad modum motus, transeat, et nunc accommodatur ipsi modo fiendi qui est per motum, non modo proprio essendi quem habet in facto esse : qualitas tamen quæ est dispositio ad formam substantialem sub statu illo dispositionis, debet dicere aliquid determinatum, præsertim loquendo de dispositione ultima, nam aliæ latitudinem, et indivisibilitatem habere possunt, et ita illa incipiet in instanti, et non per modum motus.

Ad confirmationem respondetur Aristotelem et D. Thomam in citatis

locis solum intendere contra aliquos antiquos Philosophos, qui ponebant omnia semper moveri, et nunquam quiescere, quod alteratio non est motus continuus, id est, non perpetuo durare, non tamen quod quamdiu durat sit discretus; quando vero dicit quod alteratio non fit per partes, sed subito, intelligitur de alteratione pro ultimo effectu, et dispositione, non absolute, et secundum se.

QUÆSTIO IV.

DE INTENSIONE, ET REMISSIONE.

ARTICULUS I.

Quid sit intensio et remissio, et in quibus formis inveniatur?

Generaliter loquendo omne augmentum, vel decrementum dicitur quantitas, in quacunque re contingat, eo quod id quod nobis sensibilius, et manifestius est in augmentis rerum, est quantitas. Tripliciter autem potest inveniri ratio ista quantitatis in qualitatibus, vel formis. Uno modo per extensionem in subjecto, et hoc solum convenit qualitatibus, quæ inhærent in subjecto habente partes quantitativas, sicut cum albedo diffunditur per aliquod subjectum, et crescit in illo, quia est in pluribus subjectis, et hoc modo dicitur qualitas magna, seu quanta per accidens quantitate subjecti. Alio modo attribuitur quantitas, seu magnitudo qualitati ex parte objecti, circa quod versatur, sicut convenit habitibus intellectus vel voluntatis, qui versantur circa aliqua objecta, et aliquando plura, aliquando pauciora comprehendunt, et secundum hoc dicuntur extendi, vel augeri in ordine ad objecta: et hæc vocatur extensio virtualis, seu quantitas virtutis, eo quod magna virtus dicitur per ordinem ad objectum, seu pondus quod ferre potest. Tertio modo dicitur quantitas, seu magnitudo qualitatis secundum participationem majoris perfectionis penes magis et minus, et hoc pertinet ad intensionem, et remissionem, de quo videri potest S. Thomas, q. 1 de Verit. artic. XI ad 10.

De hac ergo intensione duo supponimus in præsenti articulo, et alterum quod difficilius est disputamus. Primo supponimus, dari tale incrementum intensionis, et decrementum remissionis, quod pertinet ad quæstionem an est. Hoc autem constat ex ipsa experientia; nam videmus qualitates crescere, aut decrescere penes magis aut minus, quod non potest reduci ad alias duas extensiones, seu magnitudines dictas, nam videmus calorem, vel albedinem, aut lucem aliquando esse perfectiorem et majorem, non quia plures partes subjecti occupet, sed in eisdem, nec quia subjectum sit densius vel rarius, siquidem in eodem aere lux solis est perfectior quam lunæ, stante eadem raritate aeris, et ita hoc augmentum non pertinet ad quantitatem extensionis formalis; similiter neque pertinet ad extensionem virtualem, quia lux et calor et similes qualitates non habent diversa objecta circa quæ versentur, sed subjecta quæ informent. Relinquitur ergo, quod sit quantitas, et augmentum intensionis penes magis et minus.

Secundo, supponimus definitionem intensionis quod pertinet ad quæstionem quid est. Definiri autem potest intensio, quod est *motus ab imperfectiori esse sive statu ejusdem qualitatis ad perfectiorem eodem subjecto sensibili manente*. Remissio vero e contra *a perfectiori ad imperfectiorem*. Ita tradit M. Banez q. II de alterat. et dicitur *ab imperfectiori esse vel statu*, ut definitio abstrahat ab omni opinione, an fiat intensio penes diversos gradus, vel diversos modos, vel diversam participationem in esse, de quibus postea dicemus. Dicitur autem *motus*, quod est genus ad alterationem, et consequenter ad intensionem, sed quia non omnis intensio fit per alterationem proprie dictam, ut in spiritualibus qualitatibus, ideo utimur generali nomine motus, et excluditur etiam per hoc acquisitio novi status in aliqua qualitate, vel forma non per motum, sed per aliquam elevationem, vel modum operandi diversum, sicut charitas, quæ est in via mutat statum in patria, non per majorem intensionem et motum, sed per novam apprehensionem objecti clare visi. Denique, significatur distinctio intensionis a simplici alteratione per hoc, quod sit ejusdem qualitatis ad perfectiorem statum seu esse, quia alteratio simplex producit ipsam qualitatem primo et per se, et non autem solum perfectiorem statum, vel esse illius.

Inquirimus autem, quænam formæ sint capaces hujus incrementi, et magnitudinis penes magis et minus, quæ est intensio et remissio? Et hæc difficultas per aliquas conclusiones resolvenda est.

Dico PRIMO: Substantia est incapax augmenti intensionis, et similiter quantitas et relatio. Sententia est expressa Philosophi et sequuntur communiter omnes ejus interpretes, nam in cap. de substantia, ponitur inter proprietates ejus non suscipere magis et minus: et de quantitate idem docet in cap. de quantitate: et de relatione etiam docet quod non suscipit magis et minus, nisi ratione sui fundamenti, sicut est intensior similitudo, quando convenientia extremorum est major, licet formæ ipsæ seu res minus sint intensæ in se, et ita sequitur intensio relationis intensionem fundamenti proximi non remoti.

Fundamentum hujus conclusionis, in communi sumi potest, quia ad ista tria prædicamenta primo et per se non datur motus stricte dictus, scilicet qui fit secundum latitudinem positivam, intensio autem motus est. Quod si aliquis motus datur, est secundum extensionem, ut in augmentatione quantitatis, nam substantiam constat fieri per mutationem, et non per motum, cum non fiat ex eodem subjecto sensibili sed ex materia prima. Similiter quantitas, quando primo producitur, consequitur ipsam generationem sine alio motu; quando autem postea extenditur admittit motum augmentationis, sed non alterationis, et intensionis; unde una pars quantitatis addita alteri, non facit perfectiorem gradum, sed ejusdem perfectionis extensionem, facit enim majus, non melius. Et hoc præsertim, quia species quantitatis variantur essentialiter penes diversam terminationem, ut patet in numeris, et figuris, in bicubito, et tricubito, etc. ergo de earum ratione est indivisibilitas, seu terminatio, ergo non admittunt in eadem specie latitudinem. Ad relationem denique non datur per se motus, ut in V Phys. dicitur, et ibidem probavimus q. XIX, solum enim relatio resultat posito fundamento, non ad illam motus datur, ita non habet intensionem per se primo, sed si habet est consecuta ex fundamento.

Secundo, in particulari sumitur fundamentum ex D. Thoma in I-II, q. LII, artic. I, quia videlicet forma ex qua sumitur species rei quam actuat, non potest non consistere in indivisibili, et consequenter non suscipere magis neque minus, si enim id quod speciem constituit

locis solum intendere contra aliquos antiquos Philosophos, qui ponebant omnia semper moveri, et nunquam quiescere, quod alteratio non est motus continuus, id est, non perpetuo durare, non tamen quod quamdiu durat sit discretus; quando vero dicit quod alteratio non fit per partes, sed subito, intelligitur de alteratione pro ultimo effectu, et dispositione, non absolute, et secundum se.

QUÆSTIO IV.

DE INTENSIONE, ET REMISSIONE.

ARTICULUS I.

Quid sit intensio et remissio, et in quibus formis inveniatur?

Generaliter loquendo omne augmentum, vel decrementum dicitur quantitas, in quacunque re contingat, eo quod id quod nobis sensibilius, et manifestius est in augmentis rerum, est quantitas. Tripliciter autem potest inveniri ratio ista quantitatis in qualitatibus, vel formis. Uno modo per extensionem in subjecto, et hoc solum convenit qualitatibus, quæ inhærent in subjecto habente partes quantitativas, sicut cum albedo diffunditur per aliquod subjectum, et crescit in illo, quia est in pluribus subjectis, et hoc modo dicitur qualitas magna, seu quanta per accidens quantitate subjecti. Alio modo attribuitur quantitas, seu magnitudo qualitati ex parte objecti, circa quod versatur, sicut convenit habitibus intellectus vel voluntatis, qui versantur circa aliqua objecta, et aliquando plura, aliquando pauciora comprehendunt, et secundum hoc dicuntur extendi, vel augeri in ordine ad objecta: et hæc vocatur extensio virtualis, seu quantitas virtutis, eo quod magna virtus dicitur per ordinem ad objectum, seu pondus quod ferre potest. Tertio modo dicitur quantitas, seu magnitudo qualitatis secundum participationem majoris perfectionis penes magis et minus, et hoc pertinet ad intensionem, et remissionem, de quo videri potest S. Thomas, q. 1 de Verit. artic. XI ad 10.

De hac ergo intensione duo supponimus in præsenti articulo, et alterum quod difficilius est disputamus. Primo supponimus, dari tale incrementum intensionis, et decrementum remissionis, quod pertinet ad quæstionem an est. Hoc autem constat ex ipsa experientia; nam videmus qualitates crescere, aut decrescere penes magis aut minus, quod non potest reduci ad alias duas extensiones, seu magnitudines dictas, nam videmus calorem, vel albedinem, aut lucem aliquando esse perfectiorem et majorem, non quia plures partes subjecti occupet, sed in eisdem, nec quia subjectum sit densius vel rarius, siquidem in eodem aere lux solis est perfectior quam lunæ, stante eadem raritate aeris, et ita hoc augmentum non pertinet ad quantitatem extensionis formalis; similiter neque pertinet ad extensionem virtualem, quia lux et calor et similes qualitates non habent diversa objecta circa quæ versentur, sed subjecta quæ informent. Relinquitur ergo, quod sit quantitas, et augmentum intensionis penes magis et minus.

Secundo, supponimus definitionem intensionis quod pertinet ad quæstionem quid est. Definiri autem potest intensio, quod est *motus ab imperfectiori esse sive statu ejusdem qualitatis ad perfectiorem eodem subjecto sensibili manente*. Remissio vero e contra *a perfectiori ad imperfectiorem*. Ita tradit M. Banez q. II de alterat. et dicitur *ab imperfectiori esse vel statu*, ut definitio abstrahat ab omni opinione, an fiat intensio penes diversos gradus, vel diversos modos, vel diversam participationem in esse, de quibus postea dicemus. Dicitur autem *motus*, quod est genus ad alterationem, et consequenter ad intensionem, sed quia non omnis intensio fit per alterationem proprie dictam, ut in spiritualibus qualitatibus, ideo utimur generali nomine motus, et excluditur etiam per hoc acquisitio novi status in aliqua qualitate, vel forma non per motum, sed per aliquam elevationem, vel modum operandi diversum, sicut charitas, quæ est in via mutat statum in patria, non per majorem intensionem et motum, sed per novam apprehensionem objecti clare visi. Denique, significatur distinctio intensionis a simplici alteratione per hoc, quod sit ejusdem qualitatis ad perfectiorem statum seu esse, quia alteratio simplex producit ipsam qualitatem primo et per se, et non autem solum perfectiorem statum, vel esse illius.

Inquirimus autem, quænam formæ sint capaces hujus incrementi, et magnitudinis penes magis et minus, quæ est intensio et remissio? Et hæc difficultas per aliquas conclusiones resolvenda est.

Dico PRIMO: Substantia est incapax augmenti intensionis, et similiter quantitas et relatio. Sententia est expressa Philosophi et sequuntur communiter omnes ejus interpretes, nam in cap. de substantia, ponitur inter proprietates ejus non suscipere magis et minus: et de quantitate idem docet in cap. de quantitate: et de relatione etiam docet quod non suscipit magis et minus, nisi ratione sui fundamenti, sicut est intensior similitudo, quando convenientia extremorum est major, licet formæ ipsæ seu res minus sint intensæ in se, et ita sequitur intensio relationis intensionem fundamenti proximi non remoti.

Fundamentum hujus conclusionis, in communi sumi potest, quia ad ista tria prædicamenta primo et per se non datur motus stricte dictus, scilicet qui fit secundum latitudinem positivam, intensio autem motus est. Quod si aliquis motus datur, est secundum extensionem, ut in augmentatione quantitatis, nam substantiam constat fieri per mutationem, et non per motum, cum non fiat ex eodem subjecto sensibili sed ex materia prima. Similiter quantitas, quando primo producitur, consequitur ipsam generationem sine alio motu; quando autem postea extenditur admittit motum augmentationis, sed non alterationis, et intensionis; unde una pars quantitatis addita alteri, non facit perfectiorem gradum, sed ejusdem perfectionis extensionem, facit enim majus, non melius. Et hoc præsertim, quia species quantitatis variantur essentialiter penes diversam terminationem, ut patet in numeris, et figuris, in bicubito, et tricubito, etc. ergo de earum ratione est indivisibilitas, seu terminatio, ergo non admittunt in eadem specie latitudinem. Ad relationem denique non datur per se motus, ut in V Phys. dicitur, et ibidem probavimus q. XIX, solum enim relatio resultat posito fundamento, non ad illam motus datur, ita non habet intensionem per se primo, sed si habet est consecuta ex fundamento.

Secundo, in particulari sumitur fundamentum ex D. Thoma in I-II, q. LII, artic. I, quia videlicet forma ex qua sumitur species rei quam actuat, non potest non consistere in indivisibili, et consequenter non suscipere magis neque minus, si enim id quod speciem constituit

haberet latitudinem vel tota illa latitudo requireretur ad constituendam speciem, vel sine tota posset species constitui, etiamsi aliquid illius deesset. Si primum non salvatur divisibilitas in tali forma, siquidem non constituitur species per ipsam ejus latitudinem, sed totalitatem et consummationem ejus, quod utique indivisibilitatem dicit, ultimum enim semper est indivisibile. Si secundum, ergo sine aliqua parte illius latitudinis salvatur species, et sic illud, sine quo salvatur non spectat ad constitutionem speciei, neque est prædicatum quidditativum, cum sine ipso quidditas salvetur.

Ex quo deducitur, formam substantialem non suscipere magis et minus, quia per se intrinsece ordinatur ad constituendam speciem substantialem rei, cujus est forma. Et licet qualitas et alia accidentia etiam habeant suam speciem, et essentiam, tamen formæ illæ non ordinantur ad constituendam speciem sui subjecti, quod informant, sed supponunt constitutam, et ita per se primo non constituunt speciem ejus in quo sunt. Forma autem substantialis constituit per se primo speciem ejus in quo est et propter hoc forma substantialis habet repugnantiam cum intensione, seu receptione magis et minus, non autem ex hac parte id habet forma accidentalis, licet ut de facto intensio ei conveniat, plures aliæ conditiones requirantur: sed sufficit pro nunc quod forma substantialis in eo, in quo invenitur dat speciem essentialem et per se; forma autem accidentalis non, sed supponit speciem constitutam. Unde signanter D. Thomas loco citato non dixit ideo formam substantialem non suscipere magis et minus, quia habet speciem, vel dat illam quomodocunque, sed quia participans talem formam, habet speciem secundum ipsam. Quare respiciendum est ad munus quod exercet forma in suo participante, seu in suo subjecto, in quo recipitur; si enim subjectum ita respicit aliquam formam, quod per ipsam habet speciem suam, et constitutivum suum, talis forma in tali participante non suscipit magis et minus. Formæ autem aliæ, quæ ita adveniunt subjecto, ut per eas participans non habeat speciem, sed potius speciei constitutæ adveniant, ex hac parte non repugnat, quod aliquam latitudinem habeant in tali subjecto, non obstante quod habeant aliquam speciem, sed non constituentem ipsum subjectum in quo participantur, et ideo ex tali participatione in subjecto non repugnat latitudinem penes magis et minus habere.

Quod si dicas: Nam omnis species constitit in aliquo indivisibili, sunt enim species sicut numeri, qui quolibet addito, vel subtracto variantur. Respondetur aliud esse quod species quantum ad sui constitutionem consistat in indivisibili, aliud quod per ipsum constituatur ipsum subjectum participans talem formam, vel quod ipsa indivisibilitas sit aliquod prædicatum ex constitutivis talis speciei, hoc enim non invenitur in omni specie, et ideo non omnes repugnant divisibilitati, et latitudini, quam habent in participatione subjecti, licet dicatur quælibet species in indivisibili consistere propter integritatem, quam requirit, omnium prædicatorum essentialem ad sui constitutionem, non tamen omnis species divisibilitatem excludit ex parte participationis subjecti unde sumitur latitudo intensionis, ut dicemus statim.

Dico secundo: In sola qualitate invenitur intensio, non tamen in omni specie qualitatis. Et quidem loquendo de intensione physica, quæ est species alterationis, non est dubium, quod sicut alteratio non datur nisi in prædicamento qualitatis ita neque intensio ejus species. Sed tamen ne aliquis dicat quod intensio potest invenire in spiritualibus, et non solum in alteratione, ideo generalius probanda est conclusio. Et in primis quod in hoc prædicamento inveniatur intensio saltem quoad aliquas ejus species, nullo modo dubitari potest, cum manifestæ nitatur experientiæ, sicut videmus calorem aliquando magis intendi aliquando remitti, et idem est de aliis primis qualitatibus et de qualitatibus mediis, ut colore, raritate, et densitate et similibus.

Discurrendo vero per species istius prædicamenti, quæ sunt capaces intensionis non solum alterativæ (hæc enim ad solum tertiam speciem reducitur sicut ipsa alteratio) sed etiam communiter dictæ, constat in primis, quod habitus et dispositio est capax intensionis, quia habitus virtutum aliquando sunt ferventiores aliquando remissiores, et similiter scientia aliquando est profundior et efficacior, aliquando obtusior, non solum penes extensionem ad diversas conclusiones, sed circa eamdem veritatem potest dari major claritas, et resolutio ad sua principia, quod pertinet ad majorem intensionem, et ita denominatur aliquis magis sciens, vel magis virtuosus, et hoc etiam extenditur ad supernaturales habitus, sicut de charitate dicitur ad Philip. I: *Oro ut charitas vestra magis ac magis abundet*; Apoc. ultimo: *Qui justus est justificetur adhuc*, et denique in justitia accepta crescere sanctificatus definit Concilium Tridentinum ses. VI, cap. X.

Quod attinet ad secundam speciem, aliqui existimant, non suscipere magis et minus, ut intellectus et voluntas, potentia visiva, etc. quia sunt propriæ passiones, et immediate sequuntur essentiam rei per dimanationem, non autem per motum, et secundum contrarietatem latitudinis conveniunt subjecto. Oppositum tenet Magister Bannez, I de Gener. cap. IV, quæstion. I, conclusi. ultima, ponitque exemplum in potentia visiva, quam constat magis ac minus suscipere, et modo esse acutioris visus, modo hebetioris. Certe aquila videt intensius, quam homo, et inter homines, quidam melius et fortius alii, et incomparabiliter videbunt acutius oculi ejusdem hominis post resurrectionem, quam modo. Nec obstat, quod sint propriæ passiones animæ, quia etiam calor, et siccitas aliæque primæ qualitates sunt proprietates elementorum, et tamen suscipiunt magis et minus. Cajetanus I-II, quæstion. LII, articul. I, in fine media via incedit, et dicit quod potentiæ naturales, quæ consequuntur immutabiliter substantias non intenduntur, sicut neque ipsæ substantiæ; quæ vero non immutabiliter consequuntur, sed dependenter ab aliqua alteratione, ut durum et molle, aliaque similia non inconvenit, quod suscipiant magis et minus. Et quia potentiæ affixæ organis corporeis dependent a qualitatibus alterativis, quibus organa temperantur, ideo videtur, quod illæ possunt suscipere magis et minus, sicut potentia visiva potest esse acutior, et similiter auditus, etc. Et videtur hæc sententia satis rationabilis, non enim est ratio, cur non suscipiant magis et minus hujusmodi potentiæ, quæ a qualitatibus primis, vel alteratione dependent, præsertim cum experientia suffragetur, quæ in illis intensionem et remissionem sentit, ut in potentia visiva, et molli et duro, et aliis constat. Nec obstat, quod per generationem instantaneam fiunt, quia etiam aliqua

quæ instantaneæ fiunt, possunt intendi ut lux et actus spirituales intellectus et voluntatis. Quod autem aliquæ potentiæ non intendantur, ideo est, ut Cajetanus dicit, quia immutabiliter sequuntur ad aliquam naturam, id est, independenter a qualitatibus alterativis, et præsertim quæ alicui conveniunt secundum ultimum gradum constitutivum naturæ, ut intellectus et voluntas ad gradum rationalem, non suscipiunt magis et minus, quia ipse gradus ultimationem quamdam dicit. Itaque non est hoc regulandum per hoc, quod aliqua qualitas sit propria passio vel non, sed per hoc quod aliqua indivisibilitas sit de ratione alicujus formæ vel non sit, ut supra insinuavimus. Et ita quia quædam potentiæ sunt immediate consecutæ ad substantiam, et independentes ab aliqua alteratione, ideo aliquæ non recipiunt latitudinem, secundum magis et minus, aliæ vero quæ non ita immediate consequuntur, neque independentes sunt ab aliqua alteratione et primis qualitatibus recipiunt magis et minus ratione earum.

Quod attinet ad tertiam speciem qualitatis, non est dubitandum in illa posse inveniri intensionem eamque physice alterativam, siquidem in tertia specie qualitatis, ut probavimus, quæstione præcedenti invenitur proprie alteratio physica, et consequenter intensio inveniri potest, quæ est ejus species, idque etiam ad sensum patet calore, et frigore aliisque qualitatibus sensibilibus, quæ ad istam speciem pertinent.

Denique, in quarta specie qualitatis non invenitur motus intensionis, quia de ratione figuræ, quæ ad talem speciem pertinet, est terminatio quantitatis, ex qua resultat, et hæc variatur in specie, quacunque varietate terminationis facta, terminatio autem secundum aliquid indivisibile fit, et ita non compatitur latitudinem intensionis.

Dico ultimo: Præter intensionem quæ est motus secundum magis et minus et præter extensionem per partes quantitativas corporis, datur etiam augmentum extensivum in aliquibus quantitatibus non penes partes subjecti, cui inhæret, sed penes objecta quæ attinguntur, quia sunt objecta inadæquata, et secundum quod aliquis habitus diversa objecta attingit, magis dicitur augeri extensive. Ita sumitur ex D. Thoma, I-II, q. LII, art. I ad 2 et II-II, q. XXIV, art. V, ubi docet quod habitus quidam augentur per additionem respectu objectorum, sicut scientia quæ paulatim addiscitur, augetur de novo, circa diversas conclusiones, quas antea non attingebat, et hoc augmentum non est intensio; quia non versatur circa eamdem veritatem sed circa diversas: intensio autem scientiæ fit per hoc quod clarius et profundius eamdem veritatem comprehendat. Circa hoc augmentum extensivum nota tres positiones D. Thomæ. Prima, quod tale augmentum non contingit in omnibus formis seu qualitatibus, sed in illis quæ specificantur ab aliquo extrinseco, seu dicunt ordinem ad aliud. Ita docet I-II, quæstion. LII, art. I, in fine corporis. Secunda est, quod neque in omnibus habitibus dicentibus ordinem ad objectum specificans, invenitur istud augmentum; charitas enim dicit ordinem ad objectum, nec tamen admittit additionem per augmentum extensivum, ut docet S. Thomas II-II, quæst. XXIV citata, eo quod quæcunque minime charitas implet totam legem, et omnibus tentationibus resistit, et sic quælibet attingit omnia objecta, scilicet Deum et proximum, non ergo fit major per extensionem ad objecta. Scientia vero indiget ista extensione, quia per distincta media procedit ad distinctas conclusiones probandas, licet omnia coordinata sint inter se, et sub eodem lumine ideoque ad eumdem habitum spectant, sed diversam explicationem objecti petunt et distinctas species, vel ordinationem earum, ac distincta media probativa, de quo latius diximus in Logica quæst. XXVII, art. III.

Quod si dicas: Nam etiam virtutes morales etiam si sint infusæ possunt habere novam difficultatem circa diversa objecta partialia, ut in loco citato Logicæ diximus, imo inde argumentum sumpsimus ad probandum, quod scientia est simplex habitus, licet vincat distinctas difficultates inadæquatas, ergo falso et inconsequenter dicimus in præsenti, virtutes morales non suscipere additionem, sed solum scientiam.

Respondetur quod ut diximus citato loco Logicæ in solutione ad confirmationem primi argumenti, virtutes infusæ ut charitas et fides possunt habere diversam difficultatem circa diversas materias, non ex parte ipsius virtutis, sed ex parte operantis, quæ est difficultas accidentalis, et tamen unica qualitas simplex sufficit ad illas superandas, similiter ergo sufficiet in scientiis ad superandas distinctas difficultates circa distinctas conclusiones, licet requirat ad illas diversa motiva inadæquata, eo quod uniantur sub eadem ratione formali et lumine, sunt enim coordinata inter se illa motiva, quatenus unum deducitur ex alio. Itaque ducitur efficax argumentum a simili ad probandum, quod una qualitas sufficiet ad attingendum diversas conclusiones, licet quælibet habeat suam probationem et motivum distinctum, et diversam difficultatem ex parte ipsius medii, et non solum ex parte operantis, quia adhuc restat locus unitati habitus, quia salvatur principalis ratio, unde sumitur unitas ejus, nempe eadem ratio formalis scientifica, sub qua omnia illa motiva, et probationes coordinantur, et continentur. Unde si non repugnat, quod qualitas una attingat distinctas materias, et vincat distinctas difficultates ex parte operantis, dummodo servetur eadem ratio formalis, ut patet in virtutibus, etiam non repugnabit stante unitate rationis formalis, quod eadem qualitas attingat diversas conclusiones et vincat distinctas difficultates requirentes distincta media sub eadem unica ratione formali et lumine ordinata.

Tertia propositio est, quod hoc augmentum extensivum dicitur a D. Thoma fieri per additionem, qua augetur habitus secundum se, intensio vero per radicationem in subjecto, et non per additionem, non quia nova qualitas addatur in augmento extensivo; id enim negat S. Thomas I-II, q. LIV, art. IV, sed quia additur novum augmentum objectivum, et quia ordo ad objectum dicitur convenire habitui secundum se, participatio vero et radicatio intensionis fiat per ordinem ad subjectum in sententia D. Thomæ, ideo ad distinguendum unum augmentum ab alio dicitur illud augmentum fieri per additionem, hoc vero non, quia ibi additur novum objectum, et nova explicatio habitus ad illud, hic vero non additur novum subjectum, sed in eodem fit intensio, nec etiam nova entitas qualitatis, et ita ex nulla parte fit additio.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur: Quia non stat quod intensio augeat qualitatem secundum magis et minus, nisi ipsa species et essentia qualitatis varietur, ergo ratio intensionis explicata est nulla. Antecedens probatur, quia

illud in quo qualitas fit magis et minus, et ipsa propria ratio et species qualitatis, species autem sunt sicut numeri, ut quolibet addito, vel substracto varientur. Si dicatur fieri intensionem per magis et minus non in ipsa ratione essentiali, et specifica, quæ consistit in indivisibili, sed in aliquo extrinseco, ut in additione gradus vel entitatis novæ, aut in majori participatione, vel radicatione de subjecto, contra est, quia in primis intensio non potest fieri per additionem novæ qualitatis ejusdem speciei, ut dicemus articulo sequenti: diversa autem participatio in subjecto et radicatio, non potest fieri secundum aliquid accidentale, sed secundum ipsam essentiam qualitatis, et oppositum dicit D. Thomas esse propriæ vocis ignorantiam I-II, quæstion. XXIV, artic. IV ad 3, et quæstion. 2 de Virtut. art. XI, ergo in ipsa essentia fit variatio per intensionem. Deinde, quia si intensio non fit secundum variationem in ipsa ratione essentiali seu specie qualitatis, sed in aliquo extrinseco, vel pertinente ad individuationem, sequitur quod formæ substantiales possint intendi, quia potest salvari indivisibilis species quam præbet forma cum augmento penes magis et minus in aliquo extrinseco individuali, ut quia perfectiori modo uniuntur subjecto vel sunt radix perfectioris modi operandi, cur ergo in illis non erit augmentum intensionis? Et idem argumentum fieri potest de quantitate, quia secundum diversum modum terminandi subjectum potest perfectius et imperfectius participari in subjecto modo quodam extrinseco, et non pertinente ad intrinsecam speciem, cur ergo non recipiet magis et minus?

Respondetur negando antecedens. Et ad probationem dicitur per intensionem non variari speciem, sed modum speciei in actuando subjectum, et perfectius reducendo de potentia ad actum, ut sequenti articulo dicetur. Ut autem additio aliqua, vel subtractio variet speciem alicujus formæ debet addere vel subtrahere aliquod prædicatum quidditativum, vel modum talium prædicatorum intrinsecum, et essentialiter requisitum, non autem addere vel tollere solum aliquem modum diversæ participationis in subjecto, vel additionem novæ entitatis quasi integralis, sicut videmus in substantia materiali plures vel pauciores partes integrales addi, vel subtrahi, sine variatione speciei.

Ad primam replicam dicitur, non fieri intensionem per additionem novæ entitatis, sed per majorem radicationem in subjecto, ut dicemus sequenti articulo. Dicit autem D. Thomas ignorare propriam vocem, qui dicunt augeri formam per radicationem in subjecto, et non secundum essentiam, quia radicationem ipsam intelligebant non pertinere ad entitatem accidentis, cum tamen entitas accidentis ex se postulet inhærere, et participari in subjecto, et sic magis radicari sine dubio entitatem ipsam involvit, et ita inquit D. Thomas in II-II locato citato, quod nihil est aliud ipsam secundum essentiam augeri, quam eam magis in esse subjecto, quod est magis eam radicari. De quo plura artic. III.

Ad secundam replicam respondetur obstare formæ substantiali ne intendatur, quia non habet latitudinem et contrarietatem per quam sit capax motus, et consequenter intensionis, ut jam supra dictum est. Et licet species indivisibilis formæ stare possit cum augmento divisibili secundum magis et minus, hoc tamen in forma substantiali locum non habet, quia non solum in se habet speciem, sed constituit suum

compositum, quod informat in specie, unde neque ex parte suæ speciei, neque ex parte suæ participationis, et subjecti participantis, latitudinem fundat, sed si aliquo modo variatur, tota species variatur in se et in participatione subjecti. Secus est in accidente, per cujus participationem subjectum ipsum non constituitur in sua essentiali specie, sed constitutum supponitur, unde ex hac parte non impeditur forma accidentalis intendi et remitti. Nec tamen ex eo sequitur, quod omnes formæ accidentales possint intendi, aut remitti, si alias conditiones non habeant, ut contrarietatem seu latitudinem, ita quod indivisibilitas in constitutione illarum non sit intrinseca, et de ratione earum sicut in constituendis speciebus quantitatis supra advertimus, et in aliis speciebus qualitatis latitudine carentibus, et indivisibilitatem includentibus.

Quod si dicas: Aristotelem in VIII Metap. tex. X, et S. Thomam ibi lect. III, dicere, quod materia forte suscipit magis et minus, respondet D. Thomas I-II, quæst. LII, art. I, id intelligi de materia secundum materiales dispositiones non secundum suam substantiam, secundum quam componit cum forma indivisibilem speciem naturæ.

Secundo objicies: Qualitas secundum se et antecedenter ad respectum ad subjectum habet contrarietatem, verbi gratia, cum frigore, quia habet contrarietatem cum illo, quam non emendicat a subjecto, sed ubi est contrarietas est maxima distantia, ergo etiam est latitudo secundum magis et minus, et consequenter intensio, et remissio; imo ista contrarietas formarum solum est penes gradus, quia in gradibus remissis non contrariantur qualitates, sed in intensis, in quibus solum se non compatiuntur, ergo non per ordinem ad subjectum dicuntur habere magis et minus, sed secundum se. Item si Deus separaret albedinem nivis et albedinem hominis, perfectior esset illa quam ista, et non per radicationem in subjecto, quia extra illud sunt, ergo secundum se; et sic non repugnabit substantiæ intensionem habere. Denique, quia eadem est albedo in concreto et in abstracto: ergo si in abstracto non intenditur nec in concreto, vel e contra si in concreto intenditur etiam in abstracto. Quod si accidens in concreto, ut album sumatur non pro forma existente in subjecto, sed pro composito ex corpore et albedine, hoc non intenditur, quia aliquid quod includit, scilicet corpus non intenditur.

Respondetur quod licet aliquæ qualitates secundum se fundent contrarietatem ut inter formam et formam, et non solum secundum participationem subjecti (licet exerceri non possit contrarietas, nisi in subjecto, quia contraria in eodem subjecto mutuo se expellunt) tamen latitudo et distantia penes magis et minus in intensione formarum non sumitur penes contrarietatem aliquam inter formam et formam, sed penes latitudinem participationis, et radicationis formæ in eodem subjecto. Et quando dicitur, quod ubi est maxima distantia etiam est latitudo penes magis et minus, respondetur quod est penes magis et minus in diversis formis, quæ non sunt extremæ, sed mediæ inter extrema contraria; magis autem et minus in eadem forma non fundat contrarietatem, et distantiam nisi respectu subjecti, in quo radicatur, et participatur: atque ita contrarietas inter formam et formam, sive penes maximam distantiam, sive penes formas medias convenit formis secundum se, distantia autem penes magis et minus in eadem forma, non convenit ei nisi secundum

diversam participationem in subjecto. Contrarietas ergo inter formam et formam provenit ex ipsa natura talium formarum, licet statum perfectum requirat, ut contrarietas exerceatur, quod non fit nisi in gradibus perfectis, quia imperfecti motus compatiuntur in eodem subjecto, ut latius dicemus infra quæst. x. Ad id vero quod dicitur de albedine hominis, et nivis separata, respondetur, quod una illarum erit intensior altera, non propter majorem radicationem actualem in subjecto, qua carent, sed propter aptitudinalem quam retinet ad ordinem quem dicunt ad subjectum. Quando autem D. Thomas dicit albedinem separatam habere omnem perfectionem possibilem et non posse intendi, loquitur de albedine si esset subsistens, et neque actu, neque aptitudine respiceret subjectum. Denique, ad id quod dicitur de albedine in abstracto et in concreto dicimus, quod est eadem forma, sed non in eodem statu, nec cum eodem respectu, quia in concreto respicit subjectum, in abstracto relinquit; unde dicit D. Thomas I-II, quæstion. LIII, art. II ad 3, quod intensio et remissio tribuitur accidentibus in concreto, et ita non dicitur magis albedo, sed magis album: album vero pro composito non intenditur ratione totius, sed ratione partis, scilicet ratione formæ, ut communicabilis subjecto.

ARTICULUS II.

Utrum intensio fiat per additionem gradus ad gradum, vel per majorem radicationem in subjecto?

Conveniunt fere omnes, ad intensionem qualitatis, aut requiri, aut consequi majorem aliquam radicationem in subjecto, quatenus qualitas intensa firmior est, et tenacior in subjecto, et hoc est radicatio. Cæterum difficultas est, an ad istam firmitatem quæ etiam augmentum est qualitatis, requiratur additio novæ entitatis, seu formæ ad eum modum, quo fit augmentum in quantitate addendo novam quantitatem, an vero sine additione novæ entitatis per additionem novi modi fiat hæc major radicatio, et de ipso modo etiam est difficultas, an sit novus modus addens novam vim informativam, seu rationem formalem informandi ipsi formæ, an vero solum addatur novus modus, qui sit nova explicatio, seu applicatio ejusdem formæ sine nova rationis formalis additione. Et utimur nomine *gradus* communiter in omni sententia, quia ly *gradus* non solum significat diversam entitatem superadditam, sed etiam diversum modum, et ita generaliter perfectionem intensionis nomine gradus designamus, sive fiat per additionem entitatis et formæ, sive per additionem modi, quia etiam diversus modus graduat. Unde Cajetanus qui additionem ab intensione relegavit I-II, q. LII, art. I, tamen expressionem graduum non abhorruit, ut ibidem patet §. Ad evidentiam.

In hac ergo parte præcipuæ sententiæ reducuntur ad duas. Prima, quod intensio sit secundum additionem unius qualitatis ad aliam, quæ additio cum non corrumpat præcedentem, sed illi uniatur, et componat cum illa, habet se tanquam partialis qualitas, sicque imaginatur hæc sententia intensionem qualitatis ad modum augmenti quantitatis. Secunda sententia docet, quod intensio fit sine additione novæ qualitatis seu formæ, sed per ejusdem communicationem majorem in subjecto, quæ novam terminationem seu modum inducit in qualitate. Primam sententiam sequitur Scotus in I, distinction. XVII, quæstion. III, et

ex recentioribus Fonseca, Suarez, Vazquez, Rubius, Granados, et alii quos citant Carmelitani hic disput. IV, quæst. VIII. Secundam sequitur S. Thomas in I, dist. XVII, q. II, artic. II, et quæst. I de Virt. art. XI, et I-II, q. LII, art. II, et II-II, q. XXIV, art. V, et communiter sequuntur omnes Thomistæ.

Cæterum in utraque sententia explicanda plures aliæ sententiæ dividuntur. Nam circa primam sententiam quidam existimant illas partiales entitates seu gradus, qui formam intensam constituunt esse ejusdem rationis et æqualitatis, nec plus habere gradum secundum vel tertium, quam primum, reddi autem secundum, quia præsupponit primum, cui superadditur, et sic de reliquis. Alii vero existimant gradus illos esse diversæ rationis, et gradum secundum non esse ejusdem perfectionis, et æqualitatis cum primo. Ita Pater Suarez, disp. XLVI Meta. p. sect. I, a num. XXIX. Ad hæc adduntur indivisibilia, quæ istos gradus tanquam partes uniant, et similiter in ipsis gradibus datur latitudo secundum partes aliquotas finitas, et secundum partes proportionales in infinitum. Et uno verbo, omnia considerantur ad modum augmenti in quantitate. Sunt tamen qui subordinationem admittant istorum graduum inter se; ita ut secundus præsupponat primum, et tertius secundum, naturali quadam subordinatione, et dependentia, ut a materiali dispositione, et sic habent inæqualitatem individualem, de quo videri potest Murzia, disp. II de alterat. q. V. Omitto sententiam illam Scoto antiquiorem cujus meminit S. Thomas citato loco sent. art. I, et postea secutus est Durandus in I, dist. XVII, q. V et VII et alii, quod intensio producat novam qualitatem totalem destruendo antiquam, hæc enim sententia non ponit eamdem qualitatem intendi, et remitti, sed diversam generari et corrumpi.

In sententia autem D. Thomæ explicando non parum etiam laboratur circa id quod intelligitur nomine radicationis, seu communicationis majoris, et communiter intelligitur esse aliquem novum modum, sed valde dividuntur Auctores in explicando, quis modus sit, nam aliqui ponunt esse novum modum qui præbeat qualitati novam vim informandi subjectum quasi rationem formalem se communicandi. Alii vero solum ponunt modum novæ terminationis, vel explicationis formæ in subjecto quod pertinet quasi ad unionem, et applicationem ipsius. Unde aliqui dixerunt esse novam unionem, seu inhærentiam qualitatis; alii novam existentiam; alii novam reductionem subjecti de potentia ad actum, esseque distinctum modum ab inhærentia, et unione; alii putant consistere hunc modum in eo, quod plus abjiciatur de forma contraria, ita quod ipsa forma purior, et impermixtior maneat. Et redit hic eadem difficultas circa præcedentes sententias, an videlicet isti novi modi habeant inter se aliquam subordinationem, nec sint ejusdem rationis et æqualitatis, an vero omnes æquales sint, et solum dicatur secundus vel tertius, quia præsupponit priorem.

DICO ERGO PRIMO: Intensio non fit per additionem alicujus novæ formæ, vel qualitatis sive quæ corrumpat pristinam et novam producat, sive quæ supponendo priorem, aliam producat tanquam partialem illique conjunctam, quæ majorem efficiat. Hæc conclusio est expressa S. Thomæ locis nuper allegatis, ubi ex professo quæstionem istam tractat, et resolvit, et quidem quod non producatur forma quæ corrumpat præcedentem, communiter ab om-

nibus admittitur, quia illa qualitas præcedens non potest destrui a superveniente, quia non est illi contraria, sed ejusdem speciei, nec ex defectu subjecti, vel causæ conservantis, quia manent, ut supponimus ; et quia alias ut diximus non esset intensio augmentum, et perfectio ejusdem qualitatis, sed generatio novæ, sicut non posset duci quantitas augeri si corrumperetur præcedens, et alia de novo produceretur.

Secunda vero pars, quod scilicet non fiat in intensione nova pars formæ, seu qualitas quæ addatur præexistenti, manifeste est D. Thomæ et præsertim videri potest, loco citato ex I-II solum ad 2 ubi inquit : « Quod causa augens habitum, facit quidem semper aliquid in subjecto, non autem novam formam, sed facit quod subjectum perfectius participet formam præexistentem. » Et ad 3 inquit : « Quod id quod est minus calidum, aut album non est in potentia ad formam, cum jam actu formam habeat, sed est in potentia ad perfectum participationis modum, et hoc consequitur per actionem agentis. » Et II-II, q. XXIII, art. V : « Formam, inquit, esse majorem est eam magis inesse susceptibili, non autem aliam formam advenire, hoc enim esset, si forma haberet aliquam quantitatem ex se ipsa non comparatione ad subjectum. » Ergo secundum D. Thomam major radicatio in subjecto non fundatur in nova entitate formæ, sed in novo modo participationis formæ. Unde non solum negat Thomas fieri intensionem per additionem, ne videatur ponere distinctionem formam, eo quod ad intensionem pertinet quod eadem forma remaneat ; sed ulterius se explicavit D. Thomas quod non fit per additionem intensio, quia non acquiritur nova forma, sed novus modus, seu participatio formæ, ergo sentit absolute, non fieri intensionem per novam entitatem, sed per modum.

Nec obstat, quod aliqui objiciunt dixisse D. Thomam, ignorare propriam vocem, qui dicunt qualitatem intendi secundum majorem radicationem in subjecto, et non secundum essentiam. Ex quo inferunt sensisse sanctus doctor quod intensio non fit sine additione entitatis. Cæterum sensus D. Thomæ clarissimus est, redarguit enim eos, qui volebant qualitatem intendi in subjecto sine hoc, quod intrinsece in se perficeretur ; sed solum quia subjectum diversimode se haberet in participando formam, ipsa forma omnino invariata manente, inde ipsa quod repugnat, et est ignorare propriam vocem, nec enim forma potest communicari subjecto per solam extrinsecam denominationem, sed per intrinsecam immutationem, siquidem perficitur forma ex ipsa communicatione subjecti, siquidem ad hoc intrinsece ordinatur ejus essentia, ut subjectum informet, unde loco citato ex II-II, art. IV ad 3, postquam dixit D. Thomas quod ignorant propriam vocem qui dicunt charitatem non augeri secundum essentiam sed secundum radicationem, vel fervorem subdit : « Quia nihil aliud est eam secundum essentiam augeri, quam eam magis inesse in subjecto, quod est magis radicari in subjecto, » ergo augeri secundum essentiam non est apud D. Thomam augeri per additionem, sed est idem, quod magis radicari et inesse subjecto, quod non sine mutatione ipsius entitatis intrinsece invenitur in forma, per modum scilicet ei additum.

Supposito ergo quod hæc est sententia S. Thomæ, restat tradere fundamentum hujus veritatis. Ad illud autem tradendum supponit S. Thomas tanquam certissimum, quod si

augmentum intensionis fiat secundum additionem formæ ad formam, impossibile est hoc intelligere sine aliqua distinctione, et numero formæ ad formam, idem enim sibi ipsi addi non potest, et ipsa separatio graduum quando qualitas remittitur et perdit illos, manifeste ostendit distinctionem aliquam ejus quod perditur, et ejus quod remanet. Quo supposito duo sunt, quæ in sententia D. Thomæ incompossibilem reddunt intensionem per additionem qualitatis ad qualitatem. Primum, quia secundum ipsum D. Thomam, non possunt duo accidentia numero solo distincta, et ejusdem speciei recipi in eadem parte, et indivisibili subjecto, ut ostendemus infra quæstione IX. Si autem intensio fieret per additionem novæ qualitatis ejusdem speciei, necessario reciperet idem subjectum diversa numero accidentia, eo quod quælibet ex istis qualitatibus, si sola sumatur, et sine conjunctione cum altera, est sufficiens facere unum individuum accidentis, ut patet quando ante additionem manebat qualitas in subjecto individuata sine illa nova parte superaddita, id ergo quod postea superaddit, de se etiam individuari postulat a tali subjecto sicut præcedens, ergo jam sufficienter possunt duo accidentia individuari ab eadem parte subjecti : per accidens autem est quod conjungantur in unum. Et in hoc fundatur id quod D. Thomas I-II, quæst. LII, art. II citat ex Philosopho in IV Physicor. text. LXXXIV, quod non potest intensio fieri per additionem : « Quia ex calido fit magis calidum nullo addito in subjecto calido, » repugnat enim D. Thomas pro eodem, quod addatur calor, et quod addatur calidum, eo quod calor non potest addi nisi addatur distinctum subjectum a quo individuatur, et sic perinde est addi calorem, et addi calidum. Sed de hoc infra tractandum est dicta quæstione nona, ideo in præsenti non oportet illud expendere.

Secundum ergo principium in doctrina D. Thomæ est, quia nulla forma potest habere quantitatem, et partes nisi per ordinem ad subjectum, et per accidens, non autem per se, quia alias esset composita ex pluribus partibus, et sic non esset pura forma, sed aliquid constitutum, et compositum, quod est contra rationem formæ, quæ debet esse aliquid simplex, et pars componens, non autem res composita. Si autem forma adveniens non componit cum præcedenti, nec constituit unum per se, solum erit qualitas intensa unum per accidens, id est, plures qualitates remissæ in eodem subjecto constipatæ, unde non esset ita una qualitas intensa sicut remissa, nec motus intensionis esset circa eamdem qualitatem, quæ magis aut minus esset talis, sed circa diversas ; et ulterius qualitas operativa (sicut calor) quando esset intensa non posset unica operatione operari, sed deberet plures operationes facere, quia non procederet ab unica qualitate, sed a pluribus, et sic faciens actum qualitatis intensum, faceret plures actus, et non unum, quia procederet a pluribus formis remissis, quarum quælibet haberet operationem suam, quæ omnia valde absurda sunt, et inconvenientia.

Si ergo plures partes componunt unam qualitatem, vel sunt partes integrantes illius, vel essentiales. Essentiales esse non possunt, tum quia sine qualibet illarum salvatur essentia qualitatis ut patet in qualitate remissa ; tum quia partes essentiales si componunt unum per se habet altera se habere, ut materia, altera ut forma, sive ut potentia, et actus, illæ autem partes sive gradus se habent ut formæ, quia informant subjectum, non autem una se habet

ut materia, altera ut forma, vel ut potentia actus, alias qualitas informaret qualitatem, tanquam forma materiam, neque illa quæ se haberet ut materia, esset activa et operativa per se, sed solum quando haberet actum suum, quo informaret, cum tamen videamus quod tam pars remissa caloris, quæ videtur esse materia, quam intensa, quæ videtur esse forma operativæ sint, et actuales. Partes autem integrales esse non possunt, tum quia forma ex illis partibus non potest esse composita, quia de ratione formæ est, quod sit principium compositi, non autem principiatum et compositum, sed simplex principium; tum etiam quia specialiter repugnat formæ, seu qualitati compositio ex partibus integrantibus, partes integrantes sunt materiales, et ratione materiæ conveniunt, ut infra dicemus quæstione IX, eo quod partes integrales conveniunt in forma, et differunt penes quantitatem, siquidem sine qualibet illarum salvatur quidditas, et substantia rei, et sic additio partis integralis non facit additionem formæ. Cum autem forma sit id, quo aliquid constituitur tanquam principio, additio formæ per modum partis integralis non addit rationem formæ, sed potius materializat ipsam formam, et multiplicat secundum aliquid materiale non formale, et sic non facit formam perfectiorem, et magis talem in ratione formæ quod pertinet ad intensionem, sed materialiter mulplicatam, quod pertinet ad extensionem. Nec potest dici, quod sint partes integrales similitudinarie, eo modo quo in virtutibus assignantur partes integrales a D. Thomæ Theologis II-II, quæst. XLVIII et q. CXXVIII et q. CXLIII. Etenim istæ partes integrales non intendunt virtutes, sed important conditiones quasdam, vel dispositiones seu habitus adjunctos principaliori virtuti, dantes diversas operationes, et hæc etiam in virtute remissa inveniri possunt, sicut temperantia habet honestatem, et verecundiam; fortitudo fiduciam, et magnificentiam; prudentia memoriam, docilitatem etiamsi sint remissæ; qualitas autem intensa, et remissa non ita differunt, sed utraque habet eamdem rationem activitatis, vel operationis, licet non eumdem modum perfectionis, non tamen una se habet ut conditio, vel dispositio ad alteram.

Denique, probatur conclusio, quia multiplicatio entitatum, quanto minor fuerit, tanto est convenientior naturæ, si ergo non fuerit impossibile, neque inconveniens, quod sine additione formæ, et entitatis novæ fiat intensio, talis additio non erit ponenda: quod autem hoc non sit impossibile, neque inconveniens probabitur amplius conclusione sequenti, ubi ostendimus posse fieri perfectiorem unionem alicujus formæ sine additione novæ entitatis, idque magis explicat unitatem, et simplicitatem formæ, quia quanto minor fit additio tanto est simplicior in entitate, licet sit multiplex in virtute, pertinet autem ad rationem intensionis, quod forma eadem manente fiat perfectior, et virtuosior, ergo si hoc potest fieri per majorem communicationem sui ad subjectum, sine additione novæ entitatis, convenientius hoc erit ad naturam intensionis.

Dico SECUNDO: Intensio non fit per additionem alicujus novi modi præbentis formæ novam vim informativam, seu novam rationem formalem informandi, sed novam explicationem ejusdem formæ in subjecto tollendo confusionem, et potentialitatem ipsius et reducendo illam ad majorem unitatem, et subjectum, magis subjiciendo ad talem formam, ex hoc autem consequitur, quod si

habuerit contrarium, expellat illud, non tamen in hoc formaliter consistit intensio. Ita sumitur ex D. Thoma in I, dist. XVII, quæst. II, art. II ad 3, ubi inquit: « Quod non est de ratione intensionis alicujus qualitatis, quod sit per remotionem a contrario, sed hoc accidit qualitati secundum quod est in subjecto participante contrarium, sed hoc est de necessitate intensionis, ut qualitas educatur de imperfecto ad perfectum, sicut patet in diaphano, in quo nihil est contrarium luci, quod potest lumen intendi secundum crementum virtutis dominantis. Hæc autem imperfectio est ex potentialitate ipsius naturæ, quæ subjicitur perfectioni et actui, cum enim omnis potentia receptiva ad multa se habeat secundum istam multitudinem ipsius dissimile est principio agenti, quod est terminatum ad actum unum et secundum quod ista conjunctio potentialitatis magis subjicitur actui, perfectior perficitur actus, et ipsum perfectum magis efficitur unum, et magis assimilatur principio agenti. » Ita D. Thomas, qui etiam in II-II, quæst. XXIV, art. V, in corpore, et ad 3, explicat istam intensionem fieri per hoc quod subjectum magis reducatur in actum, et per hoc quod forma magis insit subjecto, et quod fieri majorem ipsam formam, est eam magis inesse susceptibili, non autem aliam formam advenire.

Ut fundamentum hujus conclusionis tradatur, et explicetur, duo facienda sunt. Primum, ostendere quod non repugnat unionem, et communicationem formæ ad subjectum, habere latitudinem, et posse variari sine hoc quod addatur nova entitas formæ. Secundum, quod modus iste non debeat addere novam vim informativam, sed novum modum communicationis, et unionis. Primum constat aliquibus exemplis, nam videmus quod eadem quantitas sine additione partium, et quantitatis novæ potest mutare terminationem, et modum existendi in subjecto, ut infra dicemus quæstione septima, sicut fit in rarefactione, et condensatione. Similiter forma substantialis animæ sine additione novæ entitatis potest se diverso modo explicare et unire materiæ advenienti per nutritionem, et in una parte unum effectum præbere in alia alium, ut in oculo dat potentiam videndi, in manu tangendi, et potest privari uno effectu et non alio, et rursus effectum illum quem perdidit præbere, si materia debite disponatur. Similiter ergo non repugnabit quod eadem qualitas, diverso modo subjectum actuet communicatione sua, et diverso modo explicet suos effectus in materiam secundum latitudinem quam habet; cujus signum est ipsa contrarietas formarum, quæ potest magis perfecte, vel imperfecte tolli. Itaque non repugnat totam formam communicari subjecto, sed non totaliter, et secundum omnem modum, vel effectum, quem potest illi præbere, et sic magis vel minus assimilare sibi subjectum, et reducere potentialitatem ejus ad unitatem actualitatis, sicut etiam totus Deus videtur a quolibet beato, sed non totaliter, ideoque potest diverso modo uniri, et se communicare sine additione entitatis per majorem explicationem ejusdem. Similiter in gratia videmus, quod unita uni subjecto explicat aliquem effectum, v. g. facere filium adoptivum, quem in alio subjecto ut in Christo propter incapacitatem personæ facere non potest. Et species visibilis in aere non reddit informatum subjectum repræsentative, et intentionaliter, sed solum entitative, in oculo autem etiam intentionaliter informat sine ulla additione entitatis, et similia multa alia exempla suppetunt, quæ

manifeste ostendunt eamdem formam sine additione entitativa posse explicare diversos effectus formales, vel eumdem diverso modo, propter diversam dispositionem subjecti, quæ diversimode subjicitur formæ. Imo addo quod etiamsi intensio fieret per additionem formæ ad formam, adhuc necesse esset variari unionem siquidem cum accrescit una pars ad alteram partem, et ex utraque fit una forma, non potest illa unio, quæ ante uniebat, et solum modificabat formam antecedentem modificare, et afficere illam novam formam, quæ ex utraque conflatur, ergo oportet novam unionem dari, sicut et novam formam conflari, nisi forte dicatur manere plures uniones partiales diversarum partium ejusdem formæ, quod tamen non tollit dari unicam totalem, quæ ex omnibus conflatur, sicut datur unica forma quæ ex omnibus illis partibus fit, unio autem correspondet formæ, ergo sicut formalis totalis est diversa, ita oportet talem unionem variari.

Secundum vero explicatur, quia in defendenda sententia D. Thomæ duo sunt modi dicendi. Quidam enim ponunt, produci per intensionem novum modum, qui non solum se tenet ex parte unionis, sed etiam ex parte ipsius formæ, seu principii informativi, ita quod addat illi novam actualitatem, et vim informandi perfectius, quam sine illo modo, et hunc modum distinguunt ab ipsa unione, et ab existentia, et inhærentia, vocantque illum modum radicationis. Et fundamentum est, quia nulla forma potest præbere effectum formalem perfectiorem, nisi in se ipsa, et tanquam principium *quo* sit perfectior, et actualior, sive entitative, sive modaliter, ergo præter unionem oportet, quod forma ipsa perfectior reddatur, et actualior per modum, qui ipsi formæ det vim, et actualitatem informandi. Alii vero dicunt, quod modus qui de novo producitur, seu resultat per intensionem non addit aliquid actualitatis, et rationis informativæ ipsi formæ, sed solum tenet se ex parte unionis, et explicationis ipsius in subjecto.

Primus modus dicendi non ita est conveniens, neque perfecte videtur salvare sensum D. Thomæ, sed videtur ex parte relabi in sententiam impugnatam de additione entitatis ad formam, quæ intenditur ut intensior reddatur. Etenim si ipsa forma quando redditur intensior, accipit majorem vim informativam tanquam rationem formalem, ergo accipit additionem formæ, siquidem vis informativa non est aliquid superadditum formæ, sed ipsa entitas, et actualitas formæ, non enim forma informat et causat effectum suum formalem per aliquid superadditum sicut efficiens per virtutem superadditam efficit, sed per communicationem suæ actualitatis, et entitatis causat formaliter, ergo idem est accipere majorem vim informandi, quod accipere novam actualitatem, seu entitatem formæ. Et hoc est quod opposita sententia dicit, scilicet fieri intensionem per additionem formæ, seu entitatis. Et confirmatur, quia ille modus non potest perficere vim informandi, quæ erat in qualitate remissa, addendo ei virtutem informativam accidentalem, et distinctam ab entitate formæ, nec enim forma causat nisi per communicationem sui non per virtutem additam ut efficiens, ergo per hoc quod ille modus se habet ut forma, seu formalis ratio dans effectum formalem intensionis, cum tamen remissa forma det effectum realem per aliquam realitatem, quod stare non potest, cum forma intensa tota sit qualitas simplex, non partim qualitas, partim modus, et effectus correspondentes formæ ut intensæ reales sint, non modales tantum, sicut quod sit dispositio ad formam substantialem, quod majores effectus operetur, etc. Ergo correspondent principio reali non modali. Denique, si intensio in ratione intensionis formæ est modus, cum non sit major ratio de isto gradu quam de illo, omnes enim gradus per intensionem crescunt, sequitur quod omnis gradus præsertim certus, et aliquotus erit effectus formalis alicujus modi, et reliquum præter omnes gradus erit effectus entitatis formæ, quid autem est illud quod restat præter omnes gradus in qualitate; certe nihil. Similiter in hac sententia forma non intenditur secundum eamdem formalem rationem, sed unus effectus formalis ejus erit realis, et quasi essentialis proveniens a reali entitate formæ, alius modalis, et non entitativus, scilicet qui pertinet ad argumentum, et sic non sunt effectus formales ejusdem omnino rationis, nec dicetur proprie intendi forma, quia non perficitur in ipsamet ratione formali priori, ut realis est, sed aliam accipit de novo, quæ modalis sit. Quare hæc sententia non multum recedit ab ea, quæ ponit partes entitativas secundum additionem gradus ad gradum, siquidem admittit, quod forma dans affectum formalem remissum, non habet in se sufficientiam, quantum ad ipsam vim formæ, seu rationem formalem præbendi effectum intensum ut tenet se ex parte formæ, sed indiget additione novæ rationis formalis, licet ponat illam in novo modo, non in nova entitate formæ.

Si vero ille modus ponatur tanquam condilio, non ut ratio formalis informans, talis modus non potest distingui inhærentia, ubi seu communicatione formæ, quia conditio requisita non potest esse aliud quam applicatio, seu conjunctio ad passum, qua illa forma se explicat, et communicat subjecto perfectiori modo, et antea tota illa forma, et principium formale in subjecto erat, sed non totaliter, ergo modus qui postea acquiritur non pertinet ad vim informativam, et novam rationem formalem ipsius formæ, sed ad novum modum, qui sit conditio tanquam communicatio, vel applicatio de novo illius formæ, qua non solum sit tota in subjecto, sed totaliter, et modo perfectiori, sine qua conditione, seu applicatione forma non dat illum effectum perfectiorem, qui entitativus quidem est, sicut effectus formalis remissus, et antea præhabebatur in forma, quia tota ibi erat, sed non explicatur totaliter in subjecto.

Et sic intelligitur mens D. Thomæ qui perpetuo explicat intensionem formæ per novam explicationem ipsius in subjecto, non per additionem novæ vis informativæ: dicit enim: « Quod intensio fit per hoc, quod subjectum magis ac magis terminetur illa forma, et magis participet illam, et acquirat perfectum participationis modum, » ut I-II, q. LII, art. II: « Et per hoc quod subjectum magis reddatur in actu ipsius qualitatis, » ut q. I de Verit. art. XI: « Et per hoc quod forma magis educatur de imperfecto ad perfectum, » ut in I, distinct. XVII citata; « Et per hoc quod qualitas magis insit subjecto, et radicetur, » in II-II, quæst. XXIV, art. IV ad 3. Quæ locutiones indicant modum aliquem applicantem diversimode formam subjecto, non dantem novam vim informativam, et mutantem rationem formalem.

Quod si quæras: Quomodo ista unio mutetur per intensionem non addita nova ratione formali informativa, ita quod ille modus sit nova unio et nova existentia, et inhærentia formæ in subjecto, respondetur quod unio

formæ cum subjecto requiritur ad duo. Primo, ut constituatur unum ex forma, et subjecto. Secundo, ut mediante tali unione et conjunctione, forma habeat esse in subjecto, quia ab illo dependet in existendo. Quantum ad hoc secundum non additur nova existentia ipsi qualitati, quia non additur nova entitas, sed tota entitas formæ jam præhabebatur in subjecto, et consequenter tota existentia, quia existentia sequitur ipsam entitatem ut productam extra causas, unde cum in nostra sententia tota entitas formæ sit in subjecto, etiamsi non sit totaliter, consequenter etiam si crescat per intensionem, non mutatur existentia, siquidem non mutatur entitas, et ita quantum ad hoc non mutatur unio, seu inhærentia in ratione medii dantis existentiam entitati formæ. Quantum vero ad unitatem, quam facit forma cum subjecto, in hoc crescit unio ipsa, seu perficitur, vel potius forma, quæ nova actione immutatur, ut subjectum afficiat, eo quod subjectum est in quadam potentialitate et indeterminatione ad multa, et secundum illam potest subjici diversis formis, aut eidem formæ non unico tantummodo et indivisibili, sed vel magis confuse et potentialiter, vel magis actualiter et determinate secundum reductionem ad majorem unitatem, et similitudinem cum forma. Et sic explicat D. Thomas dis. illa XXII citata radicationem istam per majorem reductionem ad unitatem, et ad diversum modum terminandi dissimilitudinem, seu confusionem, et potentialitatem subjecti ad actualitatem et unitatem formæ. Et hoc sufficienter fit per ipsam unionem, seu inhærentiam, quia ad unionem pertinet facere unitatem, et tollere confusionem, seu potentialitatem ad multa, quæ est opposita unitati, ergo tunc perfecte forma communicatur subjecto, quando perfecta fuerit ista unitas per ipsam unionem, et hoc est magis radicari, id est, magis sibi subjicere potentialitatem subjecti, et ejus indeterminationem, seu confusionem ad majorem unitatem reducere ad modum radicis arboris, quæ quanto plus penetrat in terra, tanto firmiorem reddit arborem.

Sed dices: Unio ut diximus, quæst. VI Physic. non est modus medians inter formam et subjectum, ergo si major intensio consistit in majori unione, et illa non est modus, intensio non fiet per additionem modi, cum tamen S. Thomas expresse admittat modum in intensione, ut patet in I-II, quæst. LII, art. II ad 2.

Respondetur unionem in nostra sententia non esse modum tanquam rationem, et medium formale uniendi, quia forma quæ secundum se est actus, secundum se habet rationem formalem faciendi unitatem, sive accidentalem, sive substantialem, prout ipsa forma fuerit, et sic quia unitas quæ resultat non est modalis, sed substantialis, vel accidentalis, ideo nec ratio formalis, nec medium uniendi est modus, sed forma ipsa. Non tamen negamus inveniri aliquem modum in unione antecedentem, vel subsequentem, quatenus extrema debent immutari, vel saltem unum extremorum, ut uniatur, et dependens fiat, et ad unitatem cum subjecto immutetur; ipsa etiam immutatio passive manens in ipso extremo unito est modus subsequens unionem, quod magis pertinet ad dependentiam seu statum, quem accipit ex vi unionis formæ, quam ad rationem formalem, seu medium uniendi, pertinet tamen ad intensionem, quia intensio magis præbet statum formæ in communicando se, quam vim formalem informandi.

ARTICULUS III.

Expediuntur argumenta contra sententiam propositam.

Multi conantur D. Thomam in contrariam sententiam adducere, et præcipue fundatur in auctoritate illa, quam jam supra explicavimus, quando dicit in II-II, quæst. XXIV, art. IV ad 3, quæst. I de Virt. art. XI: « Quod propriam vocem ignorant, qui dicunt qualitatem intendi per radicationem, et non secundum essentiam, ergo vult S. Thomas quod intensio fiat per additionem entitatis non autem per solam radicationem. Sed jam hanc auctoritatem supra explicavimus, et de ea videndus est D. Thomas quodlib. IX, art. XIII, ubi inquit: « Cum dicimus charitatem secundum essentiam augeri, denotatur augmentum subjecti, ut sit sensus, ipsa essentia charitatis augetur, sicut cum dicimus album augetur secundum essentiam suam, non autem designatur forma specificans motum, ut sit sensus, augetur secundum essentiam, id est, augmentum ejus est motus in esse, vel in essentia, et sic dicitur augmentum esse secundum quantitatem. » Ecce quomodo D. Thomas interpretatur, quid sit augeri secundum essentiam, non quidem per additionem novæ entitatis, quasi motus augmenti sit ad novam entitatem sicut ad terminum, sed quia ipsa essentia est res quæ augetur. Nec obstat, quod aliquando negat D. Thomas charitatem augeri tanquam subjectum augmenti, negat enim quod charitas dicatur subjectum augmenti quasi inhæsionis, et ut *quod* et sustentans, non tamen quod dicatur subjectum modificationis, quia ipsa forma est, quæ distincto modo explicatur et communicatur subjecto, et sic modificatur ipsa communicatione.

Minus obstat, quod adducitur ex D. Thoma III p. q. VII, a. XII, ubi expresse admittit dari gradus in calore, et consequenter intensio fiet per additionem gradus non per radicationem. Ac denique additur testimonium Philosophi IV Physic. tex. LXXXV, ubi inquit: « Quod sicut ex calido fit frigidum, et e contra, quia eadem quæ erat in potentia, sic et ex calido magis calidum. » Si ergo parificat Aristoteles eductionem magis calidi ex minus, ipsi eductioni calidi ex frigido, sicut hoc fit per novæ entitatis productionem, ita et illud. Nec sufficit eductio novi modi, quia hæc non potest intelligi in formis realibus, nisi per novam entitatem dependentem a subjecto, ergo ubi datur major eductio formæ, datur et productio entitatis.

Ad hæc facile respondetur, quod in primo loco D. Thomæ non intelligit nomine gradus novam entitatem additam entitati præcedenti, sed novam participationem ejusdem in subjecto, et hoc convenienter appellatur gradus, quia sicut anima per gradus quos habet diverso modo se explicat in materia, stante eadem entitate, et non omnibus partibus præbet eumdem gradum, et formalem effectum, ita qualitas diverso modo explicat actualitatem suam subjecto; et diversus gradus non est diversa entitas formæ, sed eadem diverso modo se communicans, et effectus præbens.

Ad secundum locum dicitur, quod ex minus calido fit magis calidum sicut frigido calidum, non quantum ad entitatem productam, sed quantum ad entitatem producendi, quia utrobique fit aliquid de novo, et habetur terminus *a quo*, et *ad quem*, sed tamen quando fit calidum simpliciter, fit ex potentia ad calidum, quando autem fit magis calidum ex minus calido non est in po-

tentia ad formam, sed ad modum participationis formæ ut S. Thomas dicit I-II, q. LII, art. II ad 3, quod vero dicitur non dari eductionem nisi sit productio, distinguo; eductio formæ quoad entitatem non est sine productione entitatis, concedo; eductio formæ quoad novam explicationem, et modum participationis in subjecto, non est sine productione entitatis, nego; solum enim est melioratio formæ eductæ, et solum productio modi, non entitatis formæ.

Secundo arguitur ratione: Quia intensio est motus realiter distinctus a prima productione qualitatis, et est vera alteratio, ergo debet producere realitatem distinctam prima qualitate, et non solum aliquem modum, quia alteratio primo et per se est ad qualitatem et non ad modum, et quia virtus intensa ratione intensionis habet majorem virtutem producendi, quam non intensa, quia producit perfectiores effectus, modus autem non est virtus, neque producit effectus reales, qui illi specialiter correspondeant. Nec denique potest dari novus modus inhærentiæ seu unionis, nisi addatur nova entitas inhærens, alias eadem entitas duplici inhærentia inhæreret, ergo oportet, quod id quod additur sit distincta entitas sicut est distinctus motus: ubi autem motus sunt realiter distincti, etiam termini realiter debent esse distincti, alias si esset eadem entitas, etiam motus inter se identificarentur, quia quæ sunt eadem realiter uni tertio, sunt eadem inter se. Confirmatur, quia alias si intensio non produceret qualitatem, sed modum posset per solam productionem modi qualitas produci, quod patet, quia motus intensionis non habet minimum, sed incipit secundum successionem, non per primum mutatum esse, sed per ultimum non esse, ergo si per intensionem non producitur entitas, sed modus, potest per intensionem incipere qualitas ab ultimo non esse gradus, et ita tota qualitas incipiet per modos.

Respondetur intensionem esse motum realiter distinctum a prima productione qualitatis cum possit a diverso agente, et pro diverso tempore procedere, et similiter per se terminatur ad qualitatem tanquam vera alteratio, non tamen ad qualitatem absolute et entitative, sed ad qualitatem sub tali modo, scilicet ut perficiendam, et meliorandam, sicut transubstantiatio est actio ad corpus Christi, licet non producat illud absolute, sed sub novo modo; et in hoc differt intensio ab aliis motibus, quia in aliis acquiritur aliquid distinctum ab illo quod inerat, ut in augmentatione nova pars, in motu locali novum ubi, et locus; in qualitate vero id quod prius inerat melioratur, et perficitur. Unde non requiritur, quod novam formam producat, sed eamdem sub perfectiori modo attingat: ad hoc autem, ut motus seu actiones distinguantur realiter, non requiritur quod termini sint realiter, et entitative distincti, quasi materialiter, sed sufficit, quod formaliter, alias omnis modus, qui producitur in subjecto, ut sessio, ubi, etc. non deberet distincta actione reali produci. Quando autem dicitur, quod *quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, in primis intelligitur quando sunt eadem uni tertio simul, et non pro diverso tempore. Deinde, quod sint eadem uni tertio re et ratione, id est, sub eadem ratione et formalitate, non eadem uni tertio, quasi materialiter, et secundum diversas formalitates, vel secundum quod aliquid est virtualiter multiplex, ut intelligit D. Thomas I part. q. XXVIII, art. III, alioquin multas habet instantias illud axioma. Quod vero additur qualitatem intensam ratione intensionis habere plures effectus reales, qui correspondent ei in quantum intensa, respondetur istos effectus non correspondere qualitati secundum se, neque soli modo intensionis superaddito, sed ipsi entitati reali formæ ut subest tali modo, et ideo ut aliqua virtus, vel forma producat novos effectus, non requiritur additio entitatis, sed sufficit eadem entitas secundum diversam formalitatem, et communicationem sui, sicut eadem anima secundum gradum sensitivum producit diversos effectus reales, quam secundum vegetativum, nec tamen requirit novam entitatem superaddi ad illos, sed eamdem diverso modo communicari in materia. Quod vero dicitur, novam inhærentiam postulare novam entitatem, respondetur novam inhærentiam formæ non prohabitæ in subjecto, novam quoque entitatem formæ postulare, formæ vero in subjecto præhabitæ non postulare novam entitatem, sed eamdem novo participationis modo subjecto communicare, et sic non tam dat novam inhærentiam absolute, quam novam inhærentiæ terminationem, ut in ultimo argumento dicetur.

Ad confirmationem respondetur, quod si intensio non inveniat qualitatem in subjecto, sed illam primo producat, tunc non solum producit modum, sed etiam entitatem, si autem invenit qualitatem productam, solum novum modum superaddit, non novam entitatem, sicut transubstantiatio corporis Christi si non supponeret illud in rerum natura, substantialiter illud produceret, modo autem non producit illud, sed convertit panem in illud sub novo modo.

Tertio arguitur: Quia ubi est realis separatio est realis distinctio, sed separatur unus gradus ab alio, v. g. secundus a tertio, vel a quarto, ut patet in remissione qualitatis, ergo isti gradus realiter distinguuntur, et præsertim cum videamus quod continuatio calefactionis est similis primæ productioni, et ejusdem speciei, et vera ac propria actio, et mutatio, ergo realem terminum, et entitatem postulat, nec enim est mutatio sine novitate, neque actio sine termino producto. Confirmatur, quia activitas virtutis agentis fit major per additionem partium, et multitudinem formæ, sicut ferrum candens activius agit, quam flamma stuppæ, ergo etiam intensio fiet per additionem partium, siquidem illa est intensio quæ facit virtutem aliquam magis activam.

Respondetur gradus nunquam separari a qualitate, sed qualitatem ab illis, id est, a quolibet eorum seorsum, licet non a tota collectione, quod est signum distinctionis modalis, sicut corpus separatur a quolibet situ, vel ubi, nullum vero ubi a corpore. Quod vero dicitur de continuatione calefactionis, respondetur quod continuatur ratione ipsius qualitatis seu formæ participatæ, et sic est actio ejusdem rationis cum prima productione qualitatis, est tamen diversa ex parte modi participationis; et ad talem modum producendum requiritur distincta actio et mutatio realis, nam etiam modi per realem actionem producuntur ut diximus, sicut ubi et situs, et alii similes, et sic talis mutatio est cum novitate essendi saltem in modo qui est terminus productus. Ad confirmationem dicemus quæstione sequenti agendo de actione, et reactione, et in quæst. VII, agendo de densitate, ubi ostendemus, quod ratione densitatis, seu multitudinis partium, non datur major intensio qualitatis nisi occasione illarum partium agens producat intensiorem qualitatem, de se enim multitudo partium solum conducit ad

conditiones activitatis, scilicet ut velocius, vel perfectiori applicatione agens operetur, quibus tamen conditionibus positis potest agens perfectiorem, et intensiorem qualitatem producere, ut ibidem latius dicemus.

Quarto arguitur: Quia non potest intensio fieri secundum perfectiorem modum unionis, vel inhærentiæ, ergo debet consistere in aliqua additione novæ entitatis. Antecedens probatur, quia unio et inhærentia qualitatis non est divisibilis, sed semper eadem, quia naturaliter inhæret subjecto, et sic inhæret quantum potest; similiter tota inhæret, et unitur, ergo non apparet quomodo crescere possit ista unio, præsertim quando entitas qualitatis est indivisibilis, ut qualitas spiritualis, et in eodemmet subjecto indivisibili intenditur. Deinde, quia in ipsa remissione non apparet a quo producatur minor illa unio seu radicatio caloris, nam quando calor ut sex remittitur usque ad duo, non est a quo producatur unio caloris ut duo, non ab agente remittente, v. g. ab aqua remittente calorem, cum potius sit agens contrarium, quod non potest producere calorem ut duo, nec ab aliquo alio agenti, v. g. igne vel aere, quia in illam remissionem non habent influxum, si sit casus quod tunc non detur ignis approximatus, sed solum aqua remittens. Et præterea, si quilibet modus gradualis, v. g. ut duo vel ut quatuor esset indivisibilis, tunc si remittitur, aut tota illa unio perit, aut nihil, si tota perit, remissio erit corruptio, quia pereunte tota unione perit tota forma unita, si nihil est intensum. Et confirmatur, quia si intensio consistit in majori unione, ergo qualitas ut intensa, non poterit separari a subjecto, siquidem stante unione non potest separari, sed remota, ergo si intensio consistit in unione, ut intensa, non poterit separari, et sic si Deus separaret albedinem nivis et albedinem hominis, illa non esset perfectior ista.

Respondetur unionem illam habere aliquam latitudinem, sicut supra pluribus exemplis monstratum est. Et cum dicitur, quod inhæret naturaliter quantum potest, distinguo; quantum potest juxta exigentiam subjecti, et dispositionem agentis, concedo; quantum potest absolute ex vi formæ, nego. Et quia exiguntur tales dispositiones ut qualitas intensa sit, ideo naturalis illa unio semper facit quantum potest juxta exigentiam subjecti, et capacitatem; remotis autem omnibus impedimentis et posita dispositione requisita ex parte agentis et passi, non stat qualitatem non intendi, et ista intensio tunc non fit sine intrinseca perfectione qualitatis, quia ipse ordo participationis ad subjectum sic dispositum, aliquid intrinsecum est qualitati.

Ad aliam partem argumenti, a quo producatur gradus remissior remoto agente intendente, dico quod procedit a duplici causa, una per accidens, scilicet ab impediente perfectiorem illum et intensionem modum unionis, quatenus redditur subjectum indispositum, et inhabile sicut qui tollit dispositiones ut anima sit in corpore, occidit hominem. Alia causa est per se, scilicet ipsamet forma ex qua emanat ille modus remissior ex vi prioris actionis, quæ unita fuit subjecto ab agente a quo fuit producta, quæ actio producentis, licet formaliter modo non detur, virtualiter tamen manente forma producta quæ fuit terminus ejus, taliter enim fuit unita subjecto, fortiore illa et perfectiore unione, quod virtualiter retinet unionem inferiorem, et remissiorem, si dispositiones ad perfectiorem tollantur, eo quod minus perfectum virtualiter continetur in magis perfecto, sicut si tollatur punctum terminans lineam, resultat aliud ex vi prioris productionis quantitatis: isti autem modi intensionis quasi terminationes quædam sunt, quibus forma magis terminat, et subjicit sibi potentialitatem subjecti, determinatur autem, ut resultet potius gradus iste, quam ille, verbi gratia, ut duo vel ut tria juxta majus vel minus impedimentum oppositi agentis, et dispositionem subjecti.

Denique, ad id quod additur de illo modo si est indivisibilis, respondetur quod illa unio est indivisibilis entitative, sicut et ipsa forma, divisibilis autem virtualiter, quia ut supra diximus, secundum unitatem, quam facit forma cum subjecto, et actualitatem, qua illud reducit ad sui similitudinem, habet illa unio crescere magis et minus, eo quod licet forma sit tota unita, sed non totaliter, et sic bene stat quod entitative sit indivisibilis, respective autem divisibilis seu virtualiter, quia non sub omni respectu, et formalitate, qua participari potest, forma est unita, etiamsi tota unita sit, ut statim magis explicabimus in sequenti argumento.

Ad confirmationem respondetur, quod qualitas intensa separari potest, et dicetur intensa non ratione unionis actualis ad subjectum, ista enim destruitur facta separatione, sed ratione ordinis et habitudinis ad subjectum cui inesse petit non quomodocunque, sed cum tali vel tali modo participationis, qui pertinet ad intensionem qualitatis. Unde sicut in accidente separato non manet inhærentia in actu, sed in aptitudine, qua respicit subjectum cui debetur, et iste respectus non est in potentia, sed in actu in ipso accidente separato, licet inhærentia ipsa non sit in actu, ita remanet respectus talis, vel talis modi inhærentiæ secundum quem fit intensio, et licet actu non habeat illam unionem, actu tamen habet respectum, et aptitudinem ut sic uniatur, et ratione illius dicitur actu intensa per ordinem ad subjectum non cui actu unitur, sed quod actu respicit, et quod ei debetur, ut uni actui tali modo.

Ultimo arguitur: Quia per hoc quod fiat intensio per istam radicationem non evitamus inconvenientia alterius sententiæ quæ ponit per additionem partium, nam vel ponimus plures uniones eadem forma quæ sic radicatur, et explicatur in subjecto, vel unicam: si plures, ergo jam admittimus in eodem subjecto plures modos numero diversos, quod in alia sententia evitare intendimus, ne ponat plura accidentia numero distincta in eodem subjecto. Si unicam vel est divisibilis, vel indivisibilis, ergo facta intensione, vel remissione, quælibet unio corrumpetur, cum intensio consistat in majori unione, et consequenter corrumpit minorem, et si est divisibilis totam corrumpit, corrupta autem unione corrumpitur forma unita, et sic incidemus in illam sententiam quæ dicebat intensionem fieri per corruptionem unius partis, et additionem alterius. Et deinde, si quilibet motus intensionis est indivisibilis, ergo non potest terminare motum intensionis, quia motus non solum requirit indivisibilia, sed etiam partes, cum motus sit divisibilis. Nec potest dici, quod unio entitativa est indivisibilis, et virtualiter divisibilis: nam cum ipsa qualitas dicatur intendi penes modos, et non penes entitatem, et istos modos dicimus esse uniones, ergo in ipsis debemus ponere divisibilitatem, et latitudinem; si autem ponimus, quod entitative sunt indivisibiles, et virtualiter divisibiles, rursum restabit alius modus talis unionis,

quo divisibilis reddatur, et de illo rursus fiet idem argumentum an sit divisibilis, vel indivisibilis et sic in infinitum. Si vero dicatur unionem esse divisibilem per partes, ruit fundamentum nostræ sententiæ, jam enim ponimus partes in unione, et ita si in illa non repugnat non obstante individuatione ejus in eadem parte subjecti, cur repugnabit diversas partes qualitatis dari in eadem parte subjecti? Imo hinc deducitur argumentum contra nostram sententiam, quia per motum intensionis non solum acquiruntur indivisibilia, sed etiam partes secundum distantiam, et latitudinem quam habet. Postquam ergo acquisivit gradum ut duo verbi gratia, immediate post non potest acquirere aliquid indivisibile, sed divisibile: illud ergo divisibile, vel est pars modi, vel qualitatis, si qualitatis, habemus intentum; si modi, ergo modus est divisibilis, et consequenter etiam res unita.

Respondetur unionem qualitatis intensibilis esse unicam, et eamdem entitative, sicut et ipsa forma unita, cui omnino proportionatur, esse autem divisibilem terminative, et respective, quatenus facit majorem, vel minorem unitatem subjecti, cum forma, eo quod magis illi assimilatur, et tollitur confusio potentialitatis, quæ est in subjecto ad plura et reducitur ad majorem subjectionem ad ipsam formam, quod est facere majorem unitatem, et convenientiam cum illa. Ut enim supra diximus duos effectus sortitur forma ex unione, primus est habere existentiam dependenter a subjecto cui unitur, et quantum ad hoc diximus non variatur unio, quia existentia sequitur ipsam entitatem formæ, quæ entitas indivisibiliter est eadem ut dictum est: secundus effectus est facere unitatem, et convenientiam cum subjecto, et in hoc admittit latitudinem, non in ipsa entitate unionis, quæ non distinguitur a forma, sed in ipsa terminatione et respectu majoris convenientiæ. Neque hoc est dare modum modi, vel procedere in infinitum, sed ipsa qualitas unita diversimode perficitur in unitate, quam facit unio quantum ad ejus terminationem qua fit major convenientia ejus cum subjecto reducendo confusionem potentialitatis ad unitatem formæ; et sic non restat alius modus unionis, sed alius effectus ipsius unionis secundum diversam terminationem ad subjectum, et diversam unitatem, quam facit cum illo, et in hac terminatione, seu effectu participationis, et convenientiæ unio illa divisibilis est, et hoc est virtualiter esse divisibilem, id est, ratione effectus, et terminationis, entitative autem esse divisibilem, id est, ex parte entitatis, seu formæ unitæ. In istis autem effectibus, seu terminationibus non est dare plures simul in subjecto, sed successive, quia cum intenditur qualitas, destruitur præcedens terminatio gradus remissi, et acquiritur nova, quæ perfectior est, et continet totam rationem præcedentis gradus, sicut figura tetragonum continet trigonum, id est, figura sex angulorum figuram trium, et sicut in quantitate quando crescit, destruitur præcedens terminatio, et inducitur nova, non autem duæ terminationes sunt simul, nec duæ figuræ, et sic nunquam salvatur quod duo modi, vel duæ terminationes solo numero distinctæ sint simul eadem parte subjecti.

Ad instantiam quæ fit ex parte motus intensionis, respondetur quod licet quælibet terminatio gradualis sit indivisibilis, tamen inter unam terminationem, et aliam datur transitus per modum latitudinis, et distantiæ in fieri, non quia sint partes qualitatis acquirendæ inter modum et modum, sed quia ipse modus, qui acquiritur dum est in fieri, est per modum divisibilem, dum est in facto esse, est per modum indivisibilem, sicut in motu locali, mutatum esse est indivisibile, et inter duo mutata esse non dantur partes permanentes, sed fluxus et fieri, quod per mutatum esse terminatur, et constituitur in facto esse, nec enim procedit de uno indivisibili ad aliud immediate, sed mediante fluxu et fieri, quod habet latitudinem vincendam. Quare non oportet ad motum sive localem, sive alterationis assignare plures uniones partiales, nec plures partes qualitatis permanentes et in facto esse simul, sed solum in fieri, et tendentia, qua de uno termino, et mutato esse transitur ad aliud per fluxum, et tendentiam, et cum datur alteratio in qualitate de uno extremo ad aliud, seu de qualitate unius speciei ad aliam, et transitur per diversas species medias, inter quamlibet speciem mediam datur motus, et tamen non acquiruntur partes intermediæ, sed de una specie fit transitus ad aliam, medium autem non est species aliqua partialis, quæ ibi inveniatur, sed ipsum fieri qualitatis, et fluxus, tendens de uno extremo ad aliud est latitudo ipsa vincenda per motum, quia inter quodlibet factum esse datur fieri. Si ergo non est necesse in intensione signare indivisibilia, et partes entitativas permanentes, quarum una addatur ad aliam, et componat cum alia, sed sufficit dari transitum successivum, et fluxum, seu fieri de una terminatione ad aliam: sicut cum in quantitate tollitur una superficies terminans, et transitur ad aliam, immediate post non invenitur terminatio, siquidem immediate post sequitur pars, sed invenitur tendentia ad terminationem, id est, ad aliam superficiem. Quæ vero ab oppositæ sententiæ Auctoribus de partibus permanentibus qualitatis, et indivisibilibus eas unientibus dicuntur, est facere qualitatem sicut continuum, et ad modum augmenti extensivi quantitatis, sicut D. Thomas dixit imaginari eos qui qualitatem per additionem augeri putant in I, dist. XVII, quæst. II, artic. II.

QUÆSTIO V.

DE ACTIONE, ET REACTIONE.

De actione, et reactione agit Aristoteles a capite sexto hujus libri usque ad decimum. Nos autem agimus de illa immediate post tractatum de intensione, quia reactio, et repassio est generalis quædam conditio in alterationibus physicis, et ad corruptionem tendentibus, mixtio autem et similiter condensatio, et rarefactio sunt alterationes minus generaliter convenientes, et ideo de illis agemus post actionem, et reactionem.

ARTICULUS I.

Utrum aliquid possit agere in se ipsum saltem per accidens?

Hæc est prima conditio requisita ad actionem, et reactionem, scilicet ut non sit identitas inter agens et passum, et quod talis conditio requiratur ad agendum per se, et directe in aliquod passum tractavimus VII Physic. q. XXII, an vero saltem per accidens, et quasi consecutive possit aliquid agere in se ipsum, quando scilicet agendo in aliud reflectitur ad se ipsum, in præsenti tractabimus; hoc enim fit, vel per reflexionem, vel per antiperis-

quo divisibilis reddatur, et de illo rursus fiet idem argumentum an sit divisibilis, vel indivisibilis et sic in infinitum. Si vero dicatur unionem esse divisibilem per partes, ruit fundamentum nostræ sententiæ, jam enim ponimus partes in unione, et ita si in illa non repugnat non obstante individuatione ejus in eadem parte subjecti, cur repugnabit diversas partes qualitatis dari in eadem parte subjecti? Imo hinc deducitur argumentum contra nostram sententiam, quia per motum intensionis non solum acquiruntur indivisibilia, sed etiam partes secundum distantiam, et latitudinem quam habet. Postquam ergo acquisivit gradum ut duo verbi gratia, immediate post non potest acquirere aliquid indivisibile, sed divisibile: illud ergo divisibile, vel est pars modi, vel qualitatis, si qualitatis, habemus intentum; si modi, ergo modus est divisibilis, et consequenter etiam res unita.

Respondetur unionem qualitatis intensibilis esse unicam, et eamdem entitative, sicut et ipsa forma unita, cui omnino proportionatur, esse autem divisibilem terminative, et respective, quatenus facit majorem, vel minorem unitatem subjecti, cum forma, eo quod magis illi assimilatur, et tollitur confusio potentialitatis, quæ est in subjecto ad plura et reducitur ad majorem subjectionem ad ipsam formam, quod est facere majorem unitatem, et convenientiam cum illa. Ut enim supra diximus duos effectus sortitur forma ex unione, primus est habere existentiam dependenter a subjecto cui unitur, et quantum ad hoc diximus non variatur unio, quia existentia sequitur ipsam entitatem formæ, quæ entitas indivisibiliter est eadem ut dictum est: secundus effectus est facere unitatem, et convenientiam cum subjecto, et in hoc admittit latitudinem, non in ipsa entitate unionis, quæ non distinguitur a forma, sed in ipsa terminatione et respectu majoris convenientiæ. Neque hoc est dare modum modi, vel procedere in infinitum, sed ipsa qualitas unita diversimode perficitur in unitate, quam facit unio quantum ad ejus terminationem qua fit major convenientia ejus cum subjecto reducendo confusionem potentialitatis ad unitatem formæ; et sic non restat alius modus unionis, sed alius effectus ipsius unionis secundum diversam terminationem ad subjectum, et diversam unitatem, quam facit cum illo, et in hac terminatione, seu effectu participationis, et convenientiæ unio illa divisibilis est, et hoc est virtualiter esse divisibilem, id est, ratione effectus, et terminationis, entitative autem esse divisibilem, id est, ex parte entitatis, seu formæ unitæ. In istis autem effectibus, seu terminationibus non est dare plures simul in subjecto, sed successive, quia cum intenditur qualitas, destruitur præcedens terminatio gradus remissi, et acquiritur nova, quæ perfectior est, et continet totam rationem præcedentis gradus, sicut figura tetragonum continet trigonum, id est, figura sex angulorum figuram trium, et sicut in quantitate quando crescit, destruitur præcedens terminatio, et inducitur nova, non autem duæ terminationes sunt simul, nec duæ figuræ, et sic nunquam salvatur quod duo modi, vel duæ terminationes solo numero distinctæ sint simul eadem parte subjecti.

Ad instantiam quæ fit ex parte motus intensionis, respondetur quod licet quælibet terminatio gradualis sit indivisibilis, tamen inter unam terminationem, et aliam datur transitus per modum latitudinis, et distantiæ in fieri, non quia sint partes qualitatis acquirendæ inter modum et modum, sed quia ipse modus, qui acquiritur dum est in fieri, est per modum divisibilem, dum est in facto esse, est per modum indivisibilem, sicut in motu locali, mutatum esse est indivisibile, et inter duo mutata esse non dantur partes permanentes, sed fluxus et fieri, quod per mutatum esse terminatur, et constituitur in facto esse, nec enim procedit de uno indivisibili ad aliud immediate, sed mediante fluxu et fieri, quod habet latitudinem vincendam. Quare non oportet ad motum sive localem, sive alterationis assignare plures uniones partiales, nec plures partes qualitatis permanentes et in facto esse simul, sed solum in fieri, et tendentia, qua de uno termino, et mutato esse transitur ad aliud per fluxum, et tendentiam, et cum datur alteratio in qualitate de uno extremo ad aliud, seu de qualitate unius speciei ad aliam, et transitur per diversas species medias, inter quamlibet speciem mediam datur motus, et tamen non acquiruntur partes intermediæ, sed de una specie fit transitus ad aliam, medium autem non est species aliqua partialis, quæ ibi inveniatur, sed ipsum fieri qualitatis, et fluxus, tendens de uno extremo ad aliud est latitudo ipsa vincenda per motum, quia inter quodlibet factum esse datur fieri. Si ergo non est necesse in intensione signare indivisibilia, et partes entitativas permanentes, quarum una addatur ad aliam, et componat cum alia, sed sufficit dari transitum successivum, et fluxum, seu fieri de una terminatione ad aliam: sicut cum in quantitate tollitur una superficies terminans, et transitur ad aliam, immediate post non invenitur terminatio, siquidem immediate post sequitur pars, sed invenitur tendentia ad terminationem, id est, ad aliam superficiem. Quæ vero ab oppositæ sententiæ Auctoribus de partibus permanentibus qualitatis, et indivisibilibus eas unientibus dicuntur, est facere qualitatem sicut continuum, et ad modum augmenti extensivi quantitatis, sicut D. Thomas dixit imaginari eos qui qualitatem per additionem augeri putant in I, dist. XVII, quæst. II, artic. II.

QUÆSTIO V.

DE ACTIONE, ET REACTIONE.

De actione, et reactione agit Aristoteles a capite sexto hujus libri usque ad decimum. Nos autem agimus de illa immediate post tractatum de intensione, quia reactio, et repassio est generalis quædam conditio in alterationibus physicis, et ad corruptionem tendentibus, mixtio autem et similiter condensatio, et rarefactio sunt alterationes minus generaliter convenientes, et ideo de illis agemus post actionem, et reactionem.

ARTICULUS I.

Utrum aliquid possit agere in se ipsum saltem per accidens?

Hæc est prima conditio requisita ad actionem, et reactionem, scilicet ut non sit identitas inter agens et passum, et quod talis conditio requiratur ad agendum per se, et directe in aliquod passum tractavimus VII Physic. q. XXII, an vero saltem per accidens, et quasi consecutive possit aliquid agere in se ipsum, quando scilicet agendo in aliud reflectitur ad se ipsum, in præsenti tractabimus; hoc enim fit, vel per reflexionem, vel per antiperis-

tasim. Prius oportet fundamenta illa, quæ tradidimus in VII Phys. in præsenti uberius explicare, ex illis enim dependet tota hujus veritatis resolutio.

Igitur tanquam certum in Philosophia proposuimus præfato loco illud axioma Aristotelis tenendum esse *quod omne quod movetur ab alio movetur*, quod diximus verificari universaliter de omni agente per motum, seu procedente de potentia ad actum, explicaturque a D. Thoma de eo quod movet, et movetur per se primo, ad excludendum id quod se movet ratione partium, ita ut una pars sit movens, et alia sit mota, tale enim mobile dicitur non movere, nec moveri per se primo, sed per partem, id autem quod convenit alicui per partem non convenit per se primo, imo motum in partem nominat Philosophus motum per accidens in V Physicor. quia ipsi toti convenit per aliud, id est, per ipsam partem quæ distinguitur a toto: alioquin si intelligimus illud axioma, quod omne quod movetur ab alio movetur, id est, ab alio sopposito distincto, falsificaretur in viventibus, quibus una pars movet aliam, vel ex uno actu proceditur ad alium, et sic dicuntur movere se ipsa. Intelligitur ergo prædictum axioma quod omne quod movetur, non primo et per se ipsum, sed ab alio movetur, sive sit aliud tanquam quoddam distinctum, sive sit tanquam pars, vel tanquam actus diversus ex actu finis fit motus ad media, ex principiis ad conclusiones: quod autem eadem res primo et per se sit movens, et mota est impossibile, et hoc dicimus esse habendum pro principio in Philosophia, quia fundatur in ipsa essentiali natura motus, quæ est de quodam in quiddam, de potentia ad actum, id est, per id quod habet de actu ad id ad quod est in potentia. Unde Philosophus in præsenti libro primo de Generat. tex. XLVIII, intulit contra Democritum, quod si simile ageret in simile, etiam idem ageret in seipsum, quasi hoc sit maximum inconveniens, nec possit ullo modo admitti.

Ex duplici tamen capite potest hoc axioma enervari, et restringi. Primo, dicendo quod non potest idem agere in seipsum, et in eamdem partem motu generativo, vel corruptivo, nihil enim potest se generare, vel se destruere, aliis tamen motibus ut locali, et augmentationis, et multo magis motibus spiritualibus potest idem agere in seipsum, et se movere. Secundo, quod non potest idem agere in seipsum, vel se movere secundum eamdem rationem, bene tamen secundum diversam, id est, secundum quod est in actu potest se movere, et secundum quod est in potentia moveri. Nec sequitur quod erit simul in actu, et potentia eodem modo, sed virtualiter in actu, et formaliter in potentia. In summa sufficit habere virtutem activam in se, ut possit agere in seipsum tanquam in subjectum, et per formam in materiam et favet S. Thomas quæstion. VIII de Verit. articul. VI ad 7, ubi inquit: « Quod licet aliquid quod est in potentia essentiali, non possit seipsum reducere ad actum, sed per aliud, tamen quod est in potentia accidentali sicut habens habitum, dum non considerat, potest per seipsum exire in actum, nisi dicatur quod reducitur in actum per voluntatem, qua movetur ad actum considerandum. » Quod vero dicitur requiri ad motum, quod ex una parte motus transeat ad aliam, et ideo prius ipsa virtus movens debet esse in actu mota, quam moveat, et immutet id quod est in potentia non cogimur intelligere de actu motus, quo constituatur movens in actu,

sed de ipso motu qui est effectus, qui cum successive fiat, prius attingitur pars, quam alia, et sic dicitur exire de uno in aliud.

Nihilominus explicationes istæ sufficientes non sunt, sed intelligi debet propositio allata in tota sua latitudine, et universalitate in quo cunque genere motus; atque ita ubi invenitur progressio de potentia ad actum, oportet quod quod non moveat seipsum secundum eumdem actum. Nec sufficit habere virtutem operativum per quam dicatur aliquid esse in actu ad movendum seipsum ut est subjectum receptum motus, sed oportet quod constituatur in actu ultra ipsam virtutem per aliquem motum, quo moveatur ad aliam partem motus, vel ad alium actum. Et hunc motum per quem est in actum ad movendum, non potest ab ipsamet virtute habere, si quidem illa ut operetur, exigit motum, ergo quando primo operatur, ab alio habet illum, a se enim habere non potest nisi operando, nec operari nisi supponendo motum. Ratio hujus est, quia virtus movens, et agens solum est principium *quo* agendi, et similiter est de se indifferens, et in potentia ad plures actiones saltem in individuo. Ex eo autem quod est principium *quo*, sequitur quod non sit movens, sed ratio qua aliquid movet, quia omne principium *quo* debet esse alicujus quod se habet ut principium *quod*; unde illud quod movet, est subjectum in quo est talis virtus, ergo oportet quod concurrat cum tali virtute activa, non ut in potentia, neque ut patiens ab ipsa, sed in actu et ut principium *quod*, atque adeo prout sic non patitur a tali virtute sed agit mediante illa. Nec oppositum potest percipi, nisi imaginando, quod calor non autem ipsum calidum est calefaciens, seu movens, quod est dicere calorem non esse principium *quo* calefaciendi, quia principium *quo* est id, quod aliquid est ratio agendi, et sic supponit alterum cui conjungitur ut agenti, et moventi *quod* per talem calorem: nunquam ergo virtus quæ est principium *quo* est movens, et subjectum ejus est motum ab ipsa si quidem hoc ipso quod dico virtus movens, ibi jam intelligitur subjectum movens ut *quod*, ergo non distinguitur ibi virtus ut movens, et subjectum ut motum, sed utrumque ut movens respectu materiæ, tum quia forma solum est ratio agendi ut *quo*, ipsa quidem substantialiter, et primario, accidentia autem activa, ut ejus instrumenta, et sic eadem ratio currit, ac de illis; tum quia materia sola non est capax motus proprie dicti, sed solum mutationis; motus enim requirit subjectum completum in actu, ut constat ex Philosopho, V Physic. et ibi advertimus quæstion. XIX.

Ex eo autem quod ista virtus motiva sit indifferens, et ad plura se habens saltem in individuo, sequitur quod ipsa non sufficit movere determinate, et in singulari nisi ut mota, ita ut prius debeat esse in actu determinate, quam se reducat de potentia in actum. Et hujus ratio est, quia si aliqua virtus est in potentia ad producendum aliquid, et non in actu, oportet quod ut producat illud moveatur seu mutetur de potentia ad actum, quia ex potentia ut potentia, id est, ut est in statu potentiali non procedit actio; licet enim ex potentia activa, ut activa est, procedat actio, tamen quatenus habet statum potentialem illa activitas, actio non procedit, nisi talis status tollatur, et ipsum tolli est moveri, vocamus autem statum potentialem, quamdiu aliqua virtus non est ultimo determinata ad aliquam operationem, vel effectum, sed ita potest operari hoc, quod est

adhuc suspensa ut operetur aliud, vel potest etiam impediri, et non operari, tunc enim restat aliquid ut vel expediatur, seu tollatur impedimentum, vel ut tollatur suspensio, et determinetur in singulari ad hoc potius quam ad illud, et multo magis si debeat determinari ad ipsam speciem actus, vel ad aliquam conditionem requisitam. Nihil autem aliud est actuari, seu habere statum actualem agendi, quam ultimo determinari determinatione tollente potentialitatem et suspensionem, non tollente potestatem et universalitatem agendi diversos actus, eo quod potentialitas, quamdiu non est determinata, non est adæquata actui seu effectui faciendo, nec plene proportionata : restat enim aliquid semper, quo ultimate illi adæquetur ut exeat actio in singulari. Illa ergo virtus quæ operatur supponendo potentialitatem ad operandum, oportet quod mutetur de tali potentialitate ad actualitatem, et talis mutatio non potest nasci a se, quia ut nasceretur, deberet esse sublata potentialitas, ergo ab ipsa potentialitate tolli non potest, sed supponere quod sit mota, et sic sublata potentialitate operabitur.

Quod si de se sufficienter sit determinata in actu, et nullo modo in potentia, operabitur non per motum, et transeundo de potentia ad actum (de quo solum loquimur in præsenti) sed vel per simplicem emanationem, vel per actum excludentem omnem potentialitatem ad agendum qui est actus purus. Emanatio autem, licet respectu essentiæ, a qua passio dimanat non dicat motum, sed simplicem dependentiam, tamen quia hæc essentia habetur a generante producentem formam, scilicet proprias passiones, respectu talis generantis et moventis, jam supponitur moveri ab alio, et non a se. Quare virtus procedens de potentia ad actum in operando, oportet quod procedat ut mota prius tollendo talem potentialitatem et hoc non a se, sed ab alio, quia non potest tolli nisi per operationem, operari autem non potest, quamdiu est in potentialitate, ergo prius est sublata potentialitas quam operetur, ergo ab alio debet tolli, et cum non sit processus in infinitum in moventibus, oportet quod primi motus alicujus operantis reducantur ad causas extrinsecas, et illi tandem ad primam causam.

Nec tamen propter hoc reducuntur omnes isti motus ad proprium generans, sed dicimus quod ad primam causam, quia ut reducatur ad generans, requiritur quod sint tales motus, quod pertineant ad ipsum primum statum, seu instans primum naturæ et naturam ut genitam, et ad motus qui sunt naturæ ut natura, quia scilicet sunt motus quibus movetur, non præcise movent aliud, sicut calefactio ignis non est operatio ei data a generante, quia in illa non explicatur motus naturæ, quia in illo non movetur, sed movet aliud.

Ex qua doctrina colligitur primo, quod etiam viventia in suis primis motibus, quibus constituuntur in actu, ut possint se movere in alios actus, indigent movere extrinseco, eo quod etiam in illis primis motibus vere moventur, et operantur exeundo de potentia ad actum. Et bene stat quod vivens eliciat active illum primum motum, et tamen non moveat se, sed ab extrinseco moveatur, quia ille primus motus non se habet ut propria passio ipso vivente mere passive se habente, sed est propria actio, utpote vitalis egrediens, et elicita ab ipso, in virtute tamen generantis, et moventis extrinsece, eo quod est vita habita et participata ab alio, et consequenter potest esse mota et inchoata ab

alio. Et sic motus cordis et primus motus intellectus, et voluntatis ab extrinseco movente sunt licet ab intrinseco eliciantur, quia cum perfectior viventis consistat in eo operari, et in quiescere, et hæc est operatio vitæ, qua scilicet movet se, movetur autem quia per motum movet, necesse est, quod a generante detur illi, non solum virtus movendi, sed etiam virtus mota, id est, constituta in actu ut se moveat, siquidem virtus non est in actu, sed in potentia ut moveat, et operetur, et ita indiget moveri, et esse motam ut moveat, ergo necesse est, quod a generante constituatur virtus viventis mota, quia pertinet ad primum statum naturæ viventis, et non potest esse mota a se ipsa ob rationem dictam, quia ut se constitueret motam, deberet operari; operatio autem cum fiat per motum, supponit esse motam, debet ergo ille primus motus fieri non a se, sed ab alio extra, scilicet a quo se vita ipsa participatur, ideoque in primo motu vitæ participatæ non est necesse, quod se moveat vivens, sed quod participet motum vitæ, et inchoative vivat non complete, et consummate; incipit enim motu illo se movere, quatenus constituitur in actu se ut in sequenti actu moveat, et quia hoc debetur viventi in ipso primo instanti, quia est perfectio propria, et illi debita, ideo sicut res inanimata generatur ut quiescens in loco proprio, quia debetur illi quies, per accidens autem, si non sit in loco proprio, movetur a generante, ut tendat ad illum, ita oportet quod vivens non generetur ut quiescens, sed ut motum ut moveat, et sic pertinet ad causam generantem animal dare motum cordis, qui est primus motus vitæ, et ad generans spiritum pertinet dare primum motum intellectus et voluntatis, quo incipiat se movere in illo genere vitæ, nam etiam vita intellectiva in nobis est participata, et operatur exeundo de potentia ad actum, et sic operatur ut mota.

Secundo colligitur primum illum motum cordis, vel intellectus aut voluntatis, vel quemcunque alium primum motum cujuscunque rei, non posse esse deficientem si de facto datur, nisi efficiat ipsum movens, sicut si generans est debile, poterit quoque producere motum cordis debilitatum, et similiter si intellectus et voluntas posset moveri in primo suo motu virtualiter, vel formaliter ab aliquo agente deficiente posset quoque ille motus esse defectuosus. Et dico *formaliter*, vel *virtualiter*, quia licet in omni operatione quæ de novo incipit, Deus sit primum movens, et prædeterminans formaliter, tamen si supponuntur alii actus præcessisse, ita quod illa operatio non sit simpliciter omnium prima, tunc potest in virtute præcedentium actuum incipere motio istius novæ operationis; nec tenetur Deus movere juxta modum suum, sed potest se accommodare juxta modum relictum virtualiter ex prioribus actibus, et ideo in aliis operationibus quæ de novo incipiunt potest aliquis incipere defectuose sine hoc quod attribuatur defectus primo moventi, sed prius disponenti. Cæterum in motu qui est omnium primus, nec supponit alium etiam ut disponentem, determinatio ejus non potest oriri ex aliquo priori actu, nec juxta illum accommodari primum movens ad movendum, et ita nec formaliter, nec virtualiter movetur a se, sed solum a primo motore operante juxta modum suum, et non juxta accommodationem relictam ex aliquo priori actu in ipso mobili : unde ex vi talis motus non potest sequi aliquis defectus in mobili. Et licet propter indifferentiam suæ potentiæ et li-

bertatem, possit non operari, et non sequi illum motum primi motoris, quia movet non cogendo libertatem, nec tollendo, tamen ex hoc non sequitur, quod possit illud mobile deficere, et peccare, sed solum potest non facere per negationem, aut suspensionem actus, non ex vi dictaminis alicujus deficientis, sine quo nulla omissio, vel commissio peccaminosa est voluntarie. Et ita aliud est posse non facere, quantum est ex meritis potentiæ et objecti, quod pertinet ad libertatem ut non operetur coacte, aliud est posse non facere peccando, quod requirit facere cum deficientia in principio volente et in dictamine proponente, quod dictamen in illo statu primæ operationis non est dabile, cum a solo Deo moveatur, sicut nec in beatitudine ratione status optimi, nec in Christo ratione Personæ Divinæ. Et sic a posse non facere ad posse non facere peccando, semper mutatur appellatio etiam respectu ejusdem actus.

Tertio colligitur, quod actus immanens licet recipiatur in agente, non tamen est idem movens, et motum primo et per se, et similiter in emanatione passionum, ut frigoris ab aqua calefacta. De primo constat, quia licet sit idem agens et recipiens actionem, non tamen est idem movens, et motum, quia ut dictum est aliud est elicere actum, aliud movere et moveri, nam etiam virtus eliciens debet esse mota ut eliciat, et sic prius est moveri quam elicere actionem. Non est autem contra rationem virtutis activæ quod sit in potentia ad sustentandum actionem, et ut sibi inhæreat: est tamen contra rationem potentiæ activæ ut agat, et eliciat actionem si est in potentia determinabili, et suspensa ad agendum, quæ in determinato non potest tolli ab ipsa per suam operationem, siquidem ut operetur exigit determinari, et ideo esse movens, et motum opponuntur circa idem tanquam potentialitas indeterminationis, et actualitas determinationis ad agendum, potentia autem sustentans in esse, et recipiens per inhæsionem, non pugnat cum ipsa virtute activa ad agendum, quia posse sustentare aliquam actionem vel formam etiam fundatur in actualitate essendi, quia perfectius est esse sustentans, quam inhærens. Præterquam quod actio immanens non secundum idem procedit et recipitur, nam procedit in intellectu a potentia et specie, recipitur autem in sola potentia; in voluntate vero procedit ab appetitu ut actuato per propositionem objecti et moto a cognitione, recipitur vero in sola potentia voluntatis.

Quod vero attinet ad emanationem propriæ passionis jam ostendimus in q. XII Physicor. et q. XXIII, quomodo emanatio non distinguatur ab actione generantis, et ita jam supponit aliquid distinctum a quo procedat, et a quo sit, quod iterum ostendemus uberius, q. II de Anima, a. II.

Ultimo, sequitur bene posse aliquid movere seipsum per hoc quod una pars moveat aliam, quod etiam verificari potest de motu corruptivo. Constat hoc, quia in vivente una pars agit in aliam, et una pars ægra potest corrumpere sanam, et nutritio fit per hoc quod una pars corrumpit alimentum, et generat carnem in aliquo sibi propinquiori. Non tamen potest effective aliquid se generare, quia sic esset ut generaret, et non esset, ut generaretur, et consequenter, neque potest effective se corrumpere procedendo non esse ad esse, quia corruptio sequitur ad generationem, quæ semper est circa alterum, non circa se.

De antiperistasi.

Supposito, quod nihil potest agere in se ipsum immediate, et directe, quod est agere per se, restat videre an possit per accidens, scilicet secundum actionem aliquam reflexam. Contingit autem reflexio ista dupliciter; uno modo per hoc solum, quod aliqua actio inveniat aliquod obstaculum ne ulterius transeat, sed qualitas ibi recepta rursus agat in suum agens a quo educta est, vel in medium per quod transivit, et sic in ipso medio intensior reddatur. Alio modo invenitur qualitas aliqua crescere, ex eo quod agens circumdatur a contrario fortiori, qua circumdatione posita, reflectit qualitas ad se, quia non potest transire per contrarium, sed tunc non fit reflexa ejaculatio a contrario, sed solum circumobsistentia, quæ non potest vincere totam activitatem agentis contrarii, et ideo reflectitur ab illa in seipsam, magisque intendit se. Et ista circumobsistentia Græce dicitur *antiperistasis*, quasi circumdatio, et circumobsistentia contrarii. Dari autem istam antiperistasim experientia comprobatur, videmus enim in æstate aquas subterraneas esse frigidiores, in hieme calidiores, quia in hieme circumdante frigore, et constipante terram, calor qui vel ab æstate, vel ab exhalationibus calidis erat ibi inclusus, non permittitur exire, et ita ad se rediens intendit calorem aquæ: in æstate vero laxata permittitur ille calor exire, et aqua redit ad suam frigiditatem. Quæritur ergo quomodo illa qualitas agat in se ipsam, et se intendat, et a quo fiat illa actio antiperistatica?

In quo supponendum est, per talem antiperistasim vere intendi, et perfici qualitatem, non solum secundum apparentiam, nec solum secundum condensationem, neque secundum actionem intentionalem sed vera et propria intensione. Quod licet aliqui negaverint, nihilominus in hac parte experientiæ fidendum est, quæ est mater Philosophiæ, cum in contrarium non obstet aliqua ratio, quæ experientiam sensuum corrigat. Et talem antiperistasim ponit Aristoteles I Meteorum, et ibi S. Thomas XIV et XV, ubi hoc reducit ad experimentum, quod jam attulimus de aqua subterranea in æstate et hieme. Nec potest dici, quod ibi est deceptio sensus, quasi manus calida applicata aquæ fontis videatur sibi frigidior, non quia frigida est, sed quia manus est calida. Nam contra est, quod eadem manus tangens aliam aquam communem et illam subterraneam sentit differentiam inter hanc et illam, ergo non potest reduci ad solam dispositionem manus, quæ unica tantum est, sed ad diversam dispositionem aquæ; imo si manus frigidæ reddantur sicut in hieme, et tangant illam aquam fontis, et aliam calidam discernunt differentiam frigiditatis in illa, et non in ista, ergo non est ibi deceptio sensus. Similiter hoc non fit per majorem addensationem, vel raritatem aquæ, tum quia aqua densior qualis est aqua maris, si non ponatur intra terram non sentitur frigida, ergo non provenit illa frigiditas ex majore densitate neque calor ex majore raritate, quia stante eadem raritate, aqua calida redditur intra terram, et non extra; præterquam quod eadem manet difficultas, a qua causa proveniat ista major addensatio, vel rarefactio, et ridiculum videtur negare experientiam de majore calore, vel frigore, quod experimur in aqua et affirmare de raritate, et densitate, quam non experimur. Denique,

neque hoc fit per solam actionem intentionalem, et non per physicam intensionem caloris vel frigoris, nam species intentionales quæ solum sunt repræsentativæ, non intendunt alterative ipsam qualitatem. Videmus autem per antiperistasim effectus reales et physicos, qui non possunt reduci ad species intentionales, ut quando aqua ita frigescit, quod congelatur, aut exhalatio ita calefit per antiperistasim quod ignitur: ergo hoc non potest reduci ad actionem intentionalem: præterquam quod calor, vel frigus non emittunt ex se species intentionales perfectiores se ipsis, ergo a talibus speciebus non potest fieri major intensio qualitatis realis, quia intensio fit a majori et perfectiore virtute, et ex eadem ratione non potest dici, quod in antiperistasi qualitas reflectens, sine alia causa intendit præjacentem, quia qualitas reflectens cum originetur a præjacente, supra quam reflectit, non potest esse majoris virtutis, quam ea a qua procedit, ergo per se solam non potest eam intendere, quia intensio fit a majori virtute, et simile non potest agere in suum simile, ut sequenti articulo dicemus.

Quare his emissis dicendum est, quod major illa intensio causata in antiperistasi habet causam per accidens, et causam per se: causa per accidens est obsistentia contrarii, ratione cujus impeditur actio ultra transire, et refrangitur quando contrarium obsistens non est ita vehemens, quod possit totaliter extinguere contrarium, ita tamen forte, quod possit refrangere. Causa autem per se talis intensionis aliquando est causa intrinseca et particularis, aliquando extrinseca et universalis. Est causa intrinseca et particularis, quando posita antiperistasi crescit in qualitate sibi innata, et ex ejus visceribus proveniente, v. g. quando aqua circumdante calore amplius frigescit, ut aquæ putuales in æstate. Et tunc dicimus quod sicut frigus emanat ab ipsa aqua, et solum propter impedimentum oppositum non emanabat in tota sua perfectione, ita cum obsistente contrario sit reflexio ipsius frigoris, tollitur magis impedimentum, et melius disponitur ipsa aqua ad emittendum frigiditatem perfectiorem, tum quia natura conatur vincere contrarium, et ita ad majorem sui conservationem fortius agit; tum quia reflectente frigore, manet corpus proximum, quod tangit aquam, minus calidum minusque impediens emanationem ipsius, frigore enim in ipsum reflectente afficitur: tum denique, quia circumdante calore, evaporantur exhalationes adustæ, si quæ ibi sunt relictæ, et sic redditur aqua minus oppressa, et magis libera, ut in suam proprietatem se reducat.

An vero si per antiperistasim crescit aliquid in qualitate non propria, sed extranea, ut quando aqua fit calidior, vel exhalatio sicca magis etiam calefit, quæ qualitas non potest dimanare ex ipsa natura aquæ vel exhalationis, tunc dicendum est, quod causa directa illius majoris intensionis est illud agens, quod ibi primo posuit virtutem caloris, quod si non sit sufficiens ad tantam intensionem, et tamen crescat qualitas in ea, tunc oportet quod adjuvetur ad illam majorem intensionem, vel etiam ad generandum ignem a causa universali, quæ est cœlum, ad quod pertinet hujusmodi defectibus succurrere quando non est agens proximum determinatum a quo fiat effectus. Cœlum autem positis dispositionibus necessariis agit usque ad formam substantialem, sicut quando jugulatur animal, vel suffocatur, laqueus vel ferrum non generant cadaver, sed removendo dispositiones requisitas ad temperamentum animalis, et ponendo quæ sufficiunt ad inanimatum, cœlum ipsum generat formam cadaveris. Sed quia cœlum utpote causa universalis non determinatur ad producendum talem vel talem formam, nisi posita aliqua dispositione ex parte corporis inferioris, ideo qualitas extranea intenditur per antiperistasim, etiam usque ad generationem alicujus substantiæ, ubi gratia ignis, dispositio ibi est major congregatio caloris, et reconcentratio ejus ex circumdatione frigoris, ut docet D. Thomas 1. Meteor. lection. XIV, atque ita congregatio illa calidi est dispositio, productio vero intensioris caloris, vel etiam ignis, est a cœlo, siquidem ponenda est causa extrinseca hujus qualitatis extraneæ, et non sufficit illud agens quod illam primo produxit, quia ut supponimus debilem virtutem produxit: ergo oportet quod reducatur ad cœlum, quod est causa extrinseca universalis. Quod vero aliqui, ut P. Suarez disputat. XVIII Met. sectio IX, numer. XIII, et Rubio hic dicunt aquam reddi calidam in hieme propter exhalationes calidas, quæ a sole extrahebantur a terra, sed fuerunt perfecte elevatæ, et ideo manserunt circa terram vel aquam, et calefaciunt illam, hoc non sufficit: tum quia non semper extrahitur tanta copia exhalationum ex omnibus locis subterraneis, nec de eo nobis constat, et tamen in omnibus subterraneis invenitur aqua calidior; tum quia manet eadem difficultas, quomodo illæ exhalationes possunt intendere illum calorem in aqua ultra proprium gradum caloris, quem habent ex eo solum, quod circumdantur a frigido; tum denique, quia jam assignatur pro causa directa illius caloris agens illud, quod talem calorem illis exhalationibus impressit quod fuit sol; unde si intendatur magis ille calor, nec est recurrere tanquam ad causam directam ad ipsummet solem, qui illum calorem primo produxit, vel ad aliquam causam fortiorem quæ calorem illum intendat, quæ non appareat alia, quam ipse sol vel cœlum.

Ex ista antiperistasi nascuntur multi effectus, qui mirabiles apparent eo quod habent pro causa contrarium obsistens, sicut quod fulmen generetur intra nubem humidam in exhalatione sicca, quod injecta aqua in calcem vivam, vel in prunas fortius erumpat calor, quia per humectationem condensantur aliquæ partes, et resolvuntur plures vapores calidi in calce, vel fortius etiam intenditur calor in prunis contra illud frigus, et humectationem aquæ condensantis partes prunarum: et alia multa exempla possunt occurrere, de quibus in libro Meteor. In his tamen omnibus non est idem movens et motum, sed reducuntur in diversa, tam ex parte causæ directæ, quam per accidens ut ostensum est.

De intensione medii per reflexionem qualitatis.

Contingit interdum qualitatem emissam per aliquod medium, invento aliquo obstaculo ipsum medium fortius alterare, sicut radii solis interdum emissi reflectuntur, et ipsum medium calefaciunt: propter quod ista ultima regio aeris calidior est quam secunda, ubi concrescunt nubes, quia illuc reflexio radiorum non pervenit. Et est dubium a qua causa fiat illa major intensio, si quidem tam radii directi, quam reflexi sunt ejusdem intensionis, atque adeo vel simile aget in simile, vel idem in se ipsum. Et non solum fit per istam reflexionem intensior ca-

lor qui virtualiter tantum continetur in luce, sed etiam ipsa lux magis intenditur, sicut videmus, quod lux candelæ si retro ipsam ponatur corpus opacum intensius illuminat ipsum medium, quia ab opaco resilit lux ad medium. Supponimus autem in ista reflexione vere intendi qualitates istas, sive calorem, sive lucem, quia experientia continua id testatur, cum videamus non solum ipsum corpus opacum, unde fit reflexio, sed etiam medium ipsum reddi clarius aut calidius ut patet, quia si in ipso medio ponatur scriptura facilius legitur, et melius videtur, ergo signum est ipsam lucem intendi in medio, et ita non potest recurri ad majorem densitatem, quia aer ipse non est densior in reflexione radiorum, quam in directa emissione. Dicere autem quod non intenditur lux illa, sed quod plures luces numero distinctæ in eodem subjecto ponuntur, sicut cum plures candelæ accenduntur in aliquo loco, hoc est impossibile, quia duo accidentia numero distincta non sunt in eodem subjecto, ut quæst. IX ostendemus, quod si ponerentur, adunarentur in unum, sicut duæ aquæ fiunt una aqua, quando conjunguntur, plures autem candelæ magis illuminant aliquem locum, quia quælibet diversam partem attingit, in qua erat lumen debilius, et sic plus illuminant quam si esset una tantum candela, et ideo non est simile. Quare inquirendum restat a qua causa proveniat illa major intensio lucis in eadem parte medii, nec enim potest ad solam densitatem corporis opaci unde fit reflexio reduci; tum quia densitas opaca non importat majorem lucem, neque illam quam recipit intendere potest, cum sit qualitas diversæ rationis; tum quia lux non transit superficiem primam corporis opaci, alioquin si transiret, illud per quod transit esset transparens, et non opacum, si autem in sola superficie recipitur, ibi non est densitas, ratione cujus lux ipsa magis congregetur, quia densitas non est proprietas superficiei sed corporis, cujus tamen partes non penetrat illa lux.

In hac difficultate duo involvuntur. Primum et principale est, quomodo in actione reflexa unum simile agat in aliud simile, et magis intendat illud, v. g. lux ut duo reflexa agat in lucem ut duo directam, et de hoc agemus in sequenti articulo, ubi omnes difficultates allatas dissolvemus. Secundum est, an in ista actione reflexa idem agat in se ipsum, saltem per accidens et supposita reflexione. Et ad hoc dicimus in præsenti, quod etiam in actione reflexa, una pars agit in aliam, non eadem in se ipsam; cum enim illa lux emittitur e luminoso, certum est quod lux recepta in una parte, et inhærens illa non transit in aliam, nec enim unum accidens migrat e subjecto, sed producit aliam lucem, et multiplicat illam ab una parte in aliam. Unde quando illa lux tangit corpus opacum ibique inhæret, et propter opacitatem non transit ulterius, agit illa lux reflectendo in medium, et sic nunquam agit in se ipsam, sed in partem distinctam, siquidem intensiorem qualitatem producit in ipso medio, medium autem distincta pars est a corpore opaco unde fit reflexio. Quomodo autem obsistente contrario, et reflectente illuminatione, intensior lux generetur, et a qua causa proveniat illa major intensio, ad sequentem articulum pertinet.

ARTICULUS II.

Utrum simile possit agere in suum simile?

Ostenso, quod idem non potest agere in seipsum, restat videre an possit agere in simile, quod est quasi alterum se. Est autem supponendum, quod tripliciter potest esse aliquid simile vel dissimile alteri: primo, in ipsa specie qualitatis, v. g. quod utrumque habeat, vel non habeat calorem; secundo, quantum ad gradus, ut quod utrumque sit ejusdem gradus caloris, v. g. quatuor, vel ut duo; tertio, quantum ad conditiones agendi, vel patiendi, ut quod sint ejusdem paritatis aut densitatis, figuræ vel situs, et reliquarum conditionum, quæ aliquo modo conducere possunt ad agendum vel patiendum. Inquirimus ergo, an quando agens et patiens habent istam similitudinem, sive omnes istas tres, sive aliquam illarum, possit agens agere in passum: Et loquitur de actione quando incipit non quando consummatur, nam in fine actionis potius agens, et passum debent esse similia cum ad hoc tendat actio ut assimilet sibi passum. Nec est difficultas de agentibus æquivocis, quæ manifeste sunt dissimilia non solum passo, sed etiam effectibus, sed loquimur de univocis, in quibus licet effectus sint similes, ideoque consummatione actionis etiam passum debeat esse simile agenti, tamen a principio debet esse dissimile, ut ad similitudinem istam perducatur.

Dico, ergo primo: Quando agens et patiens sunt similia triplici illo modo similitudinis, non potest dari actio, et ita formaliter loquendo simile non potest agere in simile, sed debet aliquo modo esse dissimile a principio. Est communis sensus Philosophi traditurque ab Aristotele in hoc libro primo, c. VII, et ibi a D. Thoma lect. XIX, et aliis multis locis. Et ratio est manifesta, quia unumquodque patitur in quantum est in potentia, et agit in quantum est in actu, ergo passum ut passum non debet esse simile omnino agenti, quia si esset simile deberet utrumque esse in actu, vel utrumque in potentia, et sic non fundaret unum actionem, et aliud passionem. Confirmatur, nam agens, si veregit, oportet quod aliquid ponat de novo, quod antea erat, ubi enim non fit aliquid de novo, nihil fit, sed actum est, et solum prout id quod antea erat, ergo ut fiat aliquid de novo oportet quod modo sit, quod antea non erat, et consequenter sit dissimile passum in principio actionis ipsi agenti, utpote non habens in principio, quod postea in fine. Et in hoc fundatur commune dictum, quod agens intendit assimilare sibi passum, et quod actio procedit a victoria agentis supra passum, hæc enim omnia requirunt dissimilitudinem inter agens, et passum a principio actionis.

Dices: Inter similia est minus resistentiæ, ergo est facilior actio. Item, similia facilius conservant suam virtutem sicut duæ manus se calefaciunt, et conservant calorem, licet aquæ calidæ sint, ergo simile, agit in simile saltem, quando agendo se conservant. Respondetur inter duo similia esse minus resistentiæ positivæ, magis autem negativæ, quia est incapacitas recipiendi novum terminum, nisi sit aliqua dissimilitudo in recipiente, alias jam illum haberet, non autem de novo recipit, et ideo non est facilior actio quando est tanta similitudo, ut non possit aliquid de novo fieri in subjecto. Ad secundum dicitur, conservationem caloris in manibus non fieri intendendo, et augendo ipsum calorem, nec eumdem producendo, sed a contrariis defendendo: si autem una manus produceret in altera calorem vel illum intenderet, supponeret in altera, vel non esse calorem, vel non esse tantum.

Dico secundo: Si agens sit simile passo in specie, dissimile autem in

gradu, et conditionibus requisitis, potest agere in passum. Conclusio est certa et communiter admissa, ipsaque experientia constat, nam calidum excellens potest agere in calidum remissum, illudque intendere, et assimilare sibi, et tamen constat jam habuisse speciem caloris.

Tota difficultas reducitur ad hoc, an possit simile agere in simile tam in specie, quam in gradu, dummodo sit dissimile ex parte conditionum, puta quia est magis densum, vel rarum, siquidem experientia videtur monstrare, quod calor in materia densa, ut ferrum ignitum, vel carbo vehementiorem calorem producit, quam flamma in stuppa, et non quia habet calorem intensiorem cum flamma habeat calorem ut octo, siquidem est ignis, ergo quia habet materiam densiorem.

In hac difficultate aliqui sentiunt densitatem materiæ conducere ad effectum intensionem, ita ut virtus seu activitas sequatur multitudinem formæ in materia, non autem intensionem formæ ut sentit M. Soto II Phys. quæst. IV ad 5, Toletus, Niphus, et alii. E contra vero alii existimant, activitatem formæ solum desumi penes intensionem, et gradus, non penes densitatem, aut raritatem, atque ita non posse agere calidum ut quatuor, quantumque densum in aliud calidum ut quatuor magis rarum, atque ita dicetur perfecte simile agens et passum, quando assimilantur in specie et gradu qualitatis, etiamsi in densitate, et raritate, aliisque conditionibus dissimilia sint. Ita M. Bannez cap. IX de Generat. quæst. II. Carmelitani disp. VIII, quæst. II, Conimbricenses, Suarez, Rubio, aliique plures quos citant. Quorum fundamentum est, quia ratio formalis activitatis et virtutis sumitur ex forma et ex actu, unumquodque enim agit in quantum est in actu, est autem in actu per formam quæ tollit potentialitatem, ergo quamdiu non crescit in ista actualitate, non crescit ratio formalis agendi, neque activitas; densitas autem, et raritas non pertinent ad formam caloris, v. g. vel frigoris, sed ad aliam qualitatem quæ oritur ex constipatione, vel ampliatione partium materiæ, ergo ex vi illius non est major activitas, nec aliqua dissimilitudo quantum ad rationem formalem caloris respecta passi habentis æqualem gradum caloris. Et ita densitas, et raritas solum pertinebunt ad majorem extensionem qualitatis, non ad majorem intensionem qualitatis, et sic conducent ad aliquos effectus extensivos, ut quod agens velocius, et citius agat et ad majorem sphæram se extendat. Nihilominus

DICO TERTIO : Densitas et raritas, et aliæ similes conditiones ad agendum requisitæ, non augent activitatem, et virtutem agentis formaliter et directe, conducere tamen possunt indirecte, et per modum cujusdam dispositionis, ut virtus aliqua quæ debilior erat fortificetur, et intensior fiat virtute agentis in medio habente talem dispositionem, quæ non potest ita intense producí in medio carente illa. Itaque nonnunquam conditiones istæ conducunt, ut resultet major et intensior activitas non quidem ab ipsis, sed ab agente, præsupposita tamen tali dispositione aut conditione ipsorum, et posita tali intensione, poterit corpus densum fortius, et intensius operari, non ratione densitatis, vel aliarum conditionum, sed ratione majoris intensionis. Prima pars satis videtur convinci fundamento secundæ sententiæ, et constat etiam, quia materia sive densa, sive rara potes esse in potentia ut sit magis vel minus calida, ergo etiam in ipsa densitate potest esse diversitas graduum

caloris : ponamus ergo quod sit calor ut sex in materia densa, inquiro in alia materia rara, vel possunt etiam esse sex gradus caloris, vel non? Hoc secundum dici non potest, quia possunt in materia rara esse usque ad octo gradus, siquidem potest inflammari, et in ignem converti, ergo a fortiori potest habere sex; tunc ergo utraque materia, tam rara, quam densa est in potentia ad perfectiorem gradum, scilicet ad septem, ergo non poterit agere, et producere calorem ut septem, sed solum ut sex, siquidem solum operatur ratione qua est in actu, non qua est in potentia, sed hos etiam gradus ut sex potest producere calor in materia rara, ergo sunt æqualis activitatis, siquidem habent æquales effectus, scilicet calorem ut sex, licet una tardius altera operetur, ad majores autem gradus sunt in potentia, ergo ex præcisa ratione densitatis formaliter, et directe non sequitur, quod aliquis calor intensior fiat, nisi aliquid amplius addatur.

Secunda pars conclusionis difficilior est, nec in ea omnes conveniunt ut videri potest apud P. Suarez disp. XVIII Metaphys. sect. IX, Rubio tract. de reactione et passione, q. VIII, Murcia disp. IV, q. IV. Sunt enim in hac parte duo principia ab aliquibus tanquam certa admissa, quæ omnem intensionem videntur excludere; primum, quod ex majori densitate corporis, et multitudine materiæ, non fit virtus intensior, neque effectus perfectior, licet eumdem effectum velocius producat. Secundum, quod virtus diffusa per medium cum magis, ac magis debilitetur non potest in parte remota intensiorem effectum producere, etiam ibi inveniat majorem dispositionem, v. g. majorem densitatem, aut raritatem, et similia : quæ principia admittit Murcia ubi supra sequens P. Suarez citatum sect. VIII, n. XXXI, sed tamen idem Suarez postea sect. IX, in fine propter argumentum quod deducitur ex actione reflexa, coactus est unum ex illis principiis negare, et magis inclinat ad negandum hoc secundum, et revera nos censemus negandum esse ex doctrina, quam tradidimus VII Physicor. quæst. XXII, art. II, et nunc amplius explicabimus.

Sentio ergo utrumque hoc principium esse moderandum juxta sententiam S. Thomæ, nam in primis, ut omnes fatentur non repugnat virtutem emissam ab aliquo agente habere in remotis aliquem effectum quem in propinquo non potest propter indispositionem subjecti, ut optime tradit S. Thomas III Phys. lect. IV, et in II, dist. XV, quæst. I, art. II ad 6, ubi inquit : « Quod cujuslibet agentis habentis situm, actio prius recipitur in medio, quam in termino, non tamen oportet, quod recipiatur in utroque eodem modo, sed secundum quod existit dispositio utriusque, sicut piscis qui detentus in rete stupefacit manum, præter hoc quod stuperfaciat rete, quod stupefactionis capax non est. » Sicut ergo virtus emissa, licet longius progrediatur, potest effectum aliquem non debilitatum sortiri in distantia remota (intra suam tamen sphæram) quia ibi invenit dispositionem convenientem, et non ante, et tunc virtus illa, quæ transeundo per medium videbatur debilitata, efficaciter operatur inventa congrua dispositione, cur similiter non dicemus, quod licet in medio formaliter sit qualitas debilitata, quia diffunditur uniformiter difformiter, tamen virtualiter in quantum est, virtus fortioris agentis relinet vim efficiendi effectum intensiorem, ubi invenerit densiorem materiam, quæ aptior est, ut producatur intensior effectus, non propter ipsam densi-

tatem præcise, sed propter vim caloris, seu qualitatis diffusæ, qui potest diviso modo explicari, et fortificari in medio diversimode disposito, etiamsi longius distet, quia nunquam illa qualitas amittit quod sit virtus agentis fortioris, et ita quod virtualiter contineat vim producendi effectum intensum, ubi invenerit dispositionem aptam, licet in se formaliter debilitata sit.

Et hoc ipsum in terminis loquens de densitate, et raritate medii ostendit D. Thomas III Meteor. lect. VI, in disgressione de coloribus iridis ubi inquit : » Quod autem lumen in medio habeat debilius esse, quam in corpore lucido, satis manifestum est, quia medium quod est perspicuum est rarum, et lumen propter raritatem medii facile pertransit, et non est multæ permanentiæ in eo, sed in corpore illuminato est densitas, qua corpus lucidum, et etiam lumen aliqualiter terminat, et propter densitatem talis corporis, lumen in eo est majoris permanentiæ. Et in hujus signum, lumen existens in medio debilius operatur, quam existens in corpore lucido vel illuminato, debilior autem operatio consequitur debilius esse, quia modus operandi consequitur modum essendi. » Ita D. Thomas quibus ultimis verbis aperte fatetur lumen reddi intensius in corpore densiori, quam in medio rariori per quod transit, et consequenter in remotiore distantia posse fortius operari, quam in propinquiori propter diversam dispositionem recipientium. Denique, conjunctionem diversorum luminum facere intensius lumen, et multiplicare ipsum, quando radii concurrunt ad idem punctum aperte docet D. Thomas in II, dist. XIII, quæst. I, art. III ad 2, et super caput II Dionysii de divinis nomin. lect. II, ergo in sententia D. Thomæ negandum non est quod propter majorem conjunctionem radiorum vel multitudinem, et spissitudinem materiæ potest agens intendere suam qualitatem quam in medio rariori non intendebat ex defectu dispositionis, quamvis id non fiat formaliter a densitate, vel rarite, sed ab agente diffundente illam qualitatem supposita tali dispositione, idque poterit facere in remoto, etiamsi in propinquiori parte non fecerit ob defectum dispositionis.

Et fundamentum sumitur ex actione reflexa luminis vel caloris, quia quando lux vel calor reflectitur partes illæ propinquiores angulo reflexionis recipiunt intensius lumen, et vehementius, et quanto illud corpus unde fit reflexio fuerit densius aut tersius tanto lumen intensius producit, ut quando reflectitur a speculo, vel ab auro, et hoc non potest fieri ab ipsa densitate, vel opacitate corporis formaliter loquendo, nec est necesse recurrere ad causam universalem, quæ est cœlum, ergo fit ab ipsa virtute agentis quatenus habet producere intensiorem effectum, tanquam instrumentum sui agentis, ubi meliorem invenerit dispositionem. Minor constat, quia densitas, vel opacitas non sunt virtutes productivæ lucis, sed omnino illi dissimiles, nec oportet recurrere ad causam universalem, nisi quando omnino deficit causa particularis, quæ in præsenti non deficit, scilicet ipsa virtus agentis diffusa in quantum instrumentum ejus est. Major autem deducitur ipsa experientia, nam ex reflexione lucis videmus ipsum aerem reddi clariorem, quia melius ibi aliquid videtur, aut legitur : videmus etiam, ex corpore densiore, et tersiore, ita intendi lucem, ut producat et ejaculetur aliud simile lumen usque ad aliud corpus, unde dicitur I Macchabæorum, c. VI : *Refulsit sol in clypeos aureos, et resplenduerunt montes ab eis.* Videmus etiam calorem per

reverberationem radiorum ita crescere, quod aliquando generat ignem, ergo illud calidum intensius fit, et non solum extensius, siquidem etiam ignem producit. Similiter constat ignem inflammare stuppam, vel sulphur distans, et non aerem intermedium, quia invenit dispositionem in stuppa, ratio cujus potest crescere calor usque ad octo, qui in medio non crescit, sed formaliter minor erat calor in parte magis distanti siquidem uniformiter difformiter diffunditur, ergo signum est a qualitate minus intensa formaliter, posse produci intensiorem posita tali, vel tali dispositione, eo quod virtualiter est intensior in quantum est virtus et instrumentum substantiæ, et sic habet vim ad producendam totam intensionem usque ad dispositionem ultimam, si invenerit subjectum aptum, et cum illum invenit in distanti ibi producet illam.

Ad hæc vere respondent Auctores. Aliqui negant in reflexione luminis esse lumen intensius, sed visum videre clarius, quia movetur ab ipso corpore denso a quo fit reflexio, solum autem lumen fieri majus extensive. Sed obstat, quia ipsum corpus a quo fit reflexio non potest clarius, vel melius movere, nisi ratione majoris lucis, quæ est ratio movendi, ergo si intensius et clarius movet, etiam intensius lumen est. Alii dicunt, in reflexione lucis dari quasi duo luminosa, quia illud a quo fit reflexio iterum per aliam lineam emittit lucem et illuminat, et sicut quando dantur duo luminosa, v. g. duæ candelæ in diversis partibus est majus lumen intensive non extensive; ita quando fit reflexio a corporo opaco, fit intensio majoris luminis, quia emittitur per diversam lineam, non quod corpus opacum sit efficiens illius luminis, cum potius opacitas contrarietur luci, sed quia luminosum illud ibi frangens radios, fit quasi duplex in virtute non in entitate. Sed contra, quia illa virtualis generatio luminosi (etiam dato quod fiat per diversam lineam reflexa illa emissio) non potest intelligi, nisi ponatur nova et major intensio in ipso corpore unde fit reflexio, nam quando duo luminosa ponuntur in diversis partibus spatii, ideo fit majus lumen, quia in illa parte ubi ponitur secundum luminosum, erat lux remissior, et ideo potest ibi ab intensiori luminoso intendi, et ita toto spatio intensius lumen videtur, ergo si eodem modo fiat in reflexione luminis, oportet quod intensior lux applicetur illis partibus ubi erat minor, ut clarius et lucidius videatur motum medium. Hoc ergo est quod inquirimus, unde sumatur illa major intensio luminosi in reflexione.

Alii dicunt esse majorem lucem solum extensive, videri autem majorem intensive propter medium ex omni parte illuminatum posita reflexione quod antea non erat. Quod explicat sic, quia aer iste plenus est parvis corpusculis qualia videmus ad radios solis, corpora autem ista ex directa lucis emissione irradiantur etiam ab una parte, cum vero fit reflexio irradiantur etiam ab opposita, et ideo medium clarius videtur, et luminosius, quia magis illuminata sunt illa corpuscula, quod est illam lucem extensive esse majorem, id est, penes diversas partes, non intensive. Sed contra, tum quia ubi nulla est istorum corpusculorum permixtio ut in regionibus frigidissimis, ubi istæ exhalationes, et corpuscula, aut non elevantur aut consumuntur, tamen ibi ex reflexione speculi, vel alterius corporis tersi fit major lux ; tum in corporibus cœlestibus, quæ sunt sine istis atomis, et tamen cum lux solis incidit in partem stellatam, reverbera-

tur major lux, quam in parte diaphana, ut patet in luna, et in stellis, ergo reflexio lucis etiam sine illis corpusculis intensiorem effectum habet; tum denique, quia cum speculum vel aurum recipit in se radios solis, non solum magis illuminat medium, sed etiam corpus oppositum ut videmus in speculo, et Scriptura sacra dicit de clypeis aureis, a quibus montes resplenduerunt, splendor autem ille in montibus non poterat fieri major ex corpusculis illuminatis a lumine reflexo, quia lumem reflexum illuminabat illa corpuscula a parte contraria, et aversa ipsis montibus, ergo major ejaculatio illa luminis, non fit isto modo per illuminationem atomorum.

Denique, alii dicunt quod per reflexionem non solum ipsum medium illuminatur intensius, sed etiam ipsum luminosum, a quo directe lumen emissum fuit nisi sit summe intensum sicut sol, si autem non habet lucem summam, ut lucerna, poterit ab ipsa luce perfici per reflexionem. Sed hoc præterquam, quod non explicat quomodo fiat major intensio luminis in aere a reflexione luminis solaris, adhuc respectu lucernæ patitur easdem difficultates, eo quod a corpore unde fit reflexio, non potest lumen lucernæ intensius fieri, nisi transeat per medium, quod est inter ipsam lucernam, et corpus opacum a quo reflexio fit, et de illo lumine quod transit per medium usque ad lucernam, remanet difficultas solvenda, a quo fiat talis intensio, non enim potest fieri a corpore opaco, unde fit reflexio, quia densitas, et opacitas formaliter non faciunt majorem lucem, neque lucerna, quia non recipit in se intensius lumen nisi per medium illuminatum lumine intensiori; et quia ipsa lucerna se intenderet, quia totum lumen quod ibi est ab ea procedit, ab opaco enim formaliter solum refrangitur, non augetur lux.

Quapropter dicendum est, quod luminosum, vel calidum emittendo directe lucem, vel calorem, et iterum reflectendo non intendit lucem ultra gradus quos in se habet, hoc enim est impossibile, alias excederet virtutem propriam: neque formaliter fit intensior lux a corpore opaco a quo fit reflexio, eo quod densitas, vel opacitas non est ratio formalis producendi majorem lucem; sed dicendum est quod lux diffusa a luminoso per medium magis ac magis debilitatur, quia procedit uniformiter difformiter stante medio in eadem dispositione; si tamen tangit corpus tersum vel densum a quo possit fieri reflexio, intenditur illa lux ab ipsa luce remissiore, quæ erat in medio, non quatenus formaliter remissa, ut de se patet, sed quatenus virtualiter est intensior, quatenus est virtus ipsius luminosi, vel agentis a quo emanavit, a quo habet virtutem, ut ubi invenerit dispositionem talis densitatis, vel tersitatis, possit explicare se in majorem effectum et intensionem, in quantum est virtus agentis intensi, sicut diffusus ab igne in aere intermedio, quia humidus est non producit flammam, et in sulphure, vel stuppa aliquantum distante, producit illam, quia licet ibi calor sit remissior formaliter, quam in aere propinquiori igni, est tamen virtualiter intensior in quantum operatur ut virtus ignis generantis alterum ignem, ubi invenerit materiam habilem, et non impeditam.

Solvuntur argumenta.

Objicies primo: Quia lux tangens corpus opacum solum tangit ejus superficiem, alias si ultra illam

transiret, ultra illam non esset opacum, sed diaphanum, sed in superficie non datur densitas, quia hæc petit partes magis coadunatas, ergo si lux non intrat partes, non recipitur ibi intensius ratione densitatis, ergo ab ipso non potest fieri intensior lux magis, quam ab aere medio quod est rarum.

Secundo: Quia qualitas diffunditur per spatium uniformiter difformiter, ergo non solum debilitatur in se formaliter, sed etiam ut est virtus agentis, et sic etiam virtualiter non potest intensius operari, quia etiam ut virtus agentis est, remittitur: unde etiam videmus, quod calor ignis, si sit multum remotus, non producit ignem, etiamsi ibi ponatur corpus densius, et magis siccum, et lux quæ valde debilitata est non crescit per reflexionem, ergo amittitur illa virtualis intensio.

Tertio: Quia alias idem contingeret in antiperistasi, quod tamen supra negavimus, nam posset dici, quod aliquod calidum per antiperistasim sit calidius, quia calor ille virtualiter potest esse intensior, licet non formaliter, ita potest intensius agere, etiamsi procedat a calore minus intensio. Cur ergo in antiperistasi dicimus majorem intensionem fieri a calo, in actione autem reflexa fieri ab agente directo?

Quarto: Generaliter loquendo ubi corpus est densius, ibi est plus materiæ, ergo est etiam plus formæ, quia omnes illæ partes formam habent, ubi autem est multum formæ est multum actualitatis et consequenter activitatis, ergo intensior actio sumitur a multitudine formæ, et densitate materiæ. Suffragatur etiam experientia, quia videmus ferrum candens non habere calorem ut octo, alias haberet formam ignis, et non ferri quod est falsum, siquidem redit ad accidentia ferri relictum suæ naturæ, et tamen actio ferri candentis est vehementior, quam flammæ, ergo ratione densitatis materiæ, potest idem calor intensius operari.

Ad primum, non desunt qui negant lucem recipi in sola superficie, et consequenter negant dari corpora perfecte opaca, sed aliquid habere transparentiæ, eo quod si lux reciperetur in sola superficie daretur superficies lucis separata ab omni parte divisibili, repugnat autem separari indivisibile a partibus. Cæterum non apparet cur negemus corpora perfecte opaca, sicut dantur corpora perfecte transparentia, si autem est capacitas, et potentia respectu unius contrarii perfecti etiam et alterius, transparentia autem, et opacitas contraria sunt. In perfecte autem opaco, certum est quod in sola superficie recipitur lux, et non in profunditate partium, nec propter hoc dabitur indivisibile separatum, quia qualitas non habet indivisibile speciei per se ipsam, sed per quantitatis superficiem, hæc autem a partibus non est separata; est autem inconveniens, quod naturaliter indivisibile sit separatum a partibus, eo quod est terminus earum; quod vero qualitas subjectetur in superficie conjuncta partibus nullum est inconveniens, quia talis qualitas potest suam habere divisibilitatem in ratione qualitatis, et intensionis, licet in ratione extensionis qualitatis non habeat nisi superficialem.

Quidquid tamen fit de hoc, ad argumentum respondemus, quod si lux recipiatur in corpore non solum opaco, sed etiam terso, ibi non est difficultas, quia corpus tersum aliquid habet transparentiæ, et sic in partes profundiores intrat lux, et propter multitudinem partium, et

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

densitatem geminantur radii, et crescit virtus agentis supposita tali dispositione. Si vero corpus nullo modo sit tersum, sed totaliter opacum, ita quod lux in sola superficie recipiatur dicimus, quod licet ibi non recipiatur plus lucis, tamen propter materiæ densitatem, et opacitatem plus ei resistitur ne ulterius directe generetur, et multiplicetur, et ex tali resistentia retrocedit lux in partem oppositam, et sic geminatur, et multiplicatur, licet non in superficie corporis opaci, tamen ab illa in aerem medium fit explicatio novi effectus, et lucis, non quod ponatur lux similis illi, quæ fuerat producta per actionem directam in aere medio, sed quod ipsa lux a superficie opaca retrocedens et conjuncta cum luce directe producta, ipsa geminatione et reflexione disponitur, ut operetur intensius, in quantum virtus est luminosi, habens in se intensiorem lucem virtualiter, quam in illo medio erat diffusa, et sic operatur ut intensior virtualiter, non formaliter. Cujus signum est, quia lux ista sic reflexa nunquam pervenit ad majorem intensionem quam sit lux ipsius luminosi, unde primo originata est directe.

Ad secundum respondetur quod qualitas diffunditur uniformiter difformiter amittendo, seu diminuendo formalem intensionem, sed non eodem modo diminuitur virtualis, quæ consistit in hoc, quod illamet qualitas etsi diminuta et remissa sit tamen in quantum procedit a tali agente a quo primo et originaliter emanavit, sic est virtus ejus, et operatur in vi illius, a quo primo emanavit si invenit dispositionem convenientem, ubi vero dispositionem convenientem non invenit, quæ eam faciat amplius explicari, qualitas ipsa formaliter diminuitur ob dispositionem passi non potentis eodem modo multiplicare qualitatem. Quod vero aliquando qualitas ita attenuetur, quod non possit etiam ut instrumentum, et virtus agentis ampliorem effectum producere, hoc ideo est, quia requiritur proportio aliqua in qualitate, etiam ut possit excitari in majorem effectum tanquam virtus et instrumentum agentis: potest tamen ita esse via corruptionis attenuata et oppressa, ut non possit amplius agere ut virtus agentis sicut etiam tandem amittit esse, hoc enim a posteriori deducitur ex aliis effectibus, licet enim lux possit excitare calorem in subjecto disposito, potest tamen ita attenuari, quod etiam in nulla dispositione possit calorem excitare; similiter ergo poterit ita attenuari, ut non valeat etiam per reflexionem intendi: quando autem potest intendi, hoc fit in virtute ipsius agentis principalis per se loquendo, quia illa qualitas sic diffusa, non solum est effectus habens formaliter tantam vel tantam intensionem, sed etiam est virtus, et instrumentum agentis, quod quamdiu est in mensura proportionata, potest in tantam intensionem, explicari, quantum habet agens, si passum permittit.

Ad tertium respondetur diversam esse rationem in antiperistasi, quia aliquando fit per intensionem qualitatis extrancæ, et non habentis radicem in ipso subjecto, unde incipit actio, v. g. quando aqua fit calidior in hieme posita intra terram, vel exhalatio in nube igitur per antiperistasim, et tunc vel illa qualitas extranea per antiperistasim non crescit ultra virtutem primam a qua introducta est, ut v. g. si exhalationes calidæ, quæ aquam in hieme reddebant calidam, habebant intensionem ut quatuor, et a frigido circumstante aliquo modo remittuntur sed non omnino extinguuntur, tunc

si crescit calor per antiperistasim in medio, solum usque ad gradus ut quatuor poterit procedere a virtute illa primo impressa, quæ habebat calorem ut quatuor tanquam a causa per se, et in hoc casu eodem modo philosophamur sicut in actione reflexa; vel illa qualitas crescit in illa antiperistasi ultra illos gradus ut quatuor, a quibus primo originata est, sicut quando pervenit ad hoc, ut concipiat ignem, et tunc necesse est suppleri illam majorem vim ab aliqua causa extrinseca, scilicet a causa universali, quæ supplet deficientiam causæ particularis; nec enim est alia, ad quam recurratur quando effectus fit ultra virtutem causæ particularis. Quando vero intenditur qualitas per antiperistasim non in subjecto extraneo sed proprio, ut cum aqua redditur frigidior in æstate, tunc non recurrimus ad causam universalem, sed ipsa aqua est causa per se illius majoris intensionis, sicut de actione reflexa dictum est.

Ad quartum respondetur quod ubi est plus densitatis, et materiæ, est plus de forma, et activitate extensive, quia plures partes sunt participantes illam qualitatem, et virtutem, non tamen est plus intensionis, ex vi solius densitatis formaliter loquendo, sed est dispositio, ut posita illa concurrentia, et coadunatione partium participantium eamdem qualitatem, virtus agentis in majorem, et intensiorem effectum se explicet, coadunationem enim qualitatis ad talem effectum majorem conducere constat ex D. Thoma primo Meteor. lectione decima quarta et aliis locis supra citatis. Ad argumentum ergo dicitur, quod solum probat multitudinem formæ, seu densitatem per se conducere ad extensionem caloris seu virtutis, dispositive autem et per accidens etiam ad intensiorem effectum potest conducere, ut explicatum est.

Ad experientiam de ferro cadente, vel alia materia valde densa, multi dicunt producere majorem calorem etiam usque ad inflammationem, et calorem ut octo, quia retinet aliquid ignis intra poros ferri, cum enim per ignem evacuetur aliquid ex ferro, consequenter dilatantur ejus partes et aperiuntur pori, et in illis particulæ quædam ignis intrant; quod constat ex scintillis, quas ferrum emittit, et splendore seu rubore igneo quo tingitur. Neque obstat quod materia quo densior est minus habet de poris, et tamen facilius comburit stuppam sibi applicatam. Dico enim, quod licet pauciores habeat poros materia densior quantum est de se, tamen quia plus caloris imbibit plus etiam resolvuntur et evaporantur partes tenuiores, et sic aperiuntur pori per calorem, sed et si pauciores aperirentur tamen hoc ipso quod aperiuntur et recipiunt ignem ex consortio partium densarum, quæ fortius calorem cbibunt, efficiunt ut fortius agat ignis circumdatus tota densitate partium, quam si per modum flammæ ponerctur in aere. Secundo, dicitur quod materia densa aliquando potest ignire, vel ut instrumentum ignis cujus virtutem defert et participat, vel ut instrumentum lucis, quæ virtualiter est ignitiva, sicut cum ex speculis per reflexionem radiorum ignis accenditur; et quia materia densa perfectius retinet et conservat virtutem ignis seu calorem, et a contrariis defendit, ideo etiamsi sit distans ab ipso igne potest ignire, quia virtualiter agit ut instrumentum seu virtus ignis, et producit calorem ut octo in materia apta, quem in ferro, vel in alia non potest, sicut etiam sulphur distans ab igne accenditur non accenso aere medio, quia virtus unius agentis

melius operatur in una materia, quam in alia.

ARTICULUS III.

Quæ proportio resistentiæ requiratur inter agens, et patiens ad reactionem?

Supponendum est ex M. Bannez I de Generat. cap. V, quæst. III, et aliis resistentiam triplicem esse, negativam quæ nihil aliud est quam incapacitas, et repugnantia ad aliquid recipiendum, et positivam duplicem, alia passiva, seu materialis, quæ est indispositio subjecti seu improportio respectu agentis, et ejus virtutis, sicut magna moles lapidis difficulter movetur propter excessum gravitatis ad virtutem motoris. Alia resistentia positiva est activa seu in genere causæ efficientis, sicut unum contrarium resistit alteri, et expellit illud, sicut frigus resistit calori et e contra. Solet etiam vocari resistentia passiva ab aliquibus formalis; materialis quidem, quia tenet se ex parte subjecti; formalis autem, quia convenit passo ratione alicujus formæ, quam habet, quæ reddit illam inhabilem, et indispositam. Itaque resistentia negativa non est superabilis ab aliquo agente, quia supponit incapacitatem, et repugnantiam in subjecto, sicut Angelus, et cœlum resistunt corruptioni, resistensia autem passiva et activa superabiles sunt tanto magis vel minus, quanto est major, vel minor proportio agentis erga passum, vel e contra. Et istam duplicem resistentiam admittit D. Thomas in IV, dist. XI, quæst. I, artic. III, quæst. III ad 2, et dist. XVII, q. I, artic. V, q. I ad 3. Et ratio est manifesta, quia resistere nihil aliud est, quam tetardare seu impedire aliud ne faciat quod potest vel non ita facile: ubi autem agentia sunt contraria, cum detur pugna inter illa, quia actio unius conatur destruere, vel minuere alterum, consequenter datur debilitatio virtutis unius ab altero; debilitata autem virtus retardatur, et impeditur, ergo resistitur illi, sicut cum ignis agit in aquam vel e contra. Similiter invenitur aliquando talis dispositio ex parte alicujus subjecti, quod impedit agens ne agat, vel ne explicet totam suam virtutem, sicut cum calor informans aquam resistit illi, ne redeat in suam frigiditatem, et illa resistentia non est activa, quia accidens non agit in suum subjectum, ergo est formalis, et sic datur resistentia sine actione.

Quod si dicas: Nam ista resistentia passiva non potest intelligi, neque antequam agens agat, neque postquam egit, neque dum agit, ergo non datur. Antecedens quoad primam et secundam partem constat, quia antequam agens agat nondum ei resistitur, et postquam egit, jam resistentia est superata, vel transacta. Quoad tertiam vero probatur, quia quando agens agit, actu ponit effectum, alias non ageret, et sic vel tollit totam formam oppositam resistentem sibi, et tunc tota forma introducitur, ut in actione instantanea, vel tollit partem seu gradum aliquem, ut in actione successiva, et tunc illa pars quæ tollitur non resistit, aliæ vero quæ non tolluntur nondum resistunt, quia nondum eis applicatur agens. Et confirmatur, quia non apparet, quomodo passum habens formam resistat oppositæ ratione suæ propriæ informationis, sed potius ratione actionis, qua conservatur in esse a causa prima, et sic reducitur ad resistentiam activam, conservatio enim illa actio quædam est. Secundo, quia resistentia activa non est aliud, quam actio contraria ut debilitat virtutem agentis, ut citatis locis docet S. Thomas, ergo qualitas, quæ est activa tantum habet resistere quantum agere, et ejusdem erit activitatis ac resistentiæ, nec dabitur unum elementum, vel qualitas magis activa, et alia magis resistitiva contra Aristotelem II de Generation. text. VIII et IV Metaph. cap. I, ubi ponit calorem et frigus esse qualitates activas, siccitatem et humiditatem passivas.

Ad primum, omissa aliorum longa solutione, respondetur quod resistentia passiva fit, dum agens applicatur passo, et ex illo conatur elicere actionem, cum enim agens non possit sine subjecto actionem elicere, quia ab eo ut a causa materiali dependet, et hoc subjectum oportet, quod sit debite proportionatum et dispositum, ut virtus possit ex eo operari, inde est quod cum agens inchoat, seu facit conatum ad eliciendam actionem ex materia, si non invenit eam ita dispositam, ut possit, vel absolute, vel secundum totam virtutem emittere actionem dicitur impediri vel absolute, vel quoad totam explicationem virtutis, et hoc impediri est resistentia ex parte passi, seu ex parte indispositionis, et conditionis materialis requisitæ, non ergo impeditur actio, quando jam actu agit, siquidem impeditur ne agat, non quando agit, unde aliud est resistere agenti ex parte materiæ, aliud resistere actioni, eamque retardare seu debilitare, hoc enim fit in resistentia activa, in qua unum pugnat, et consequenter agit contra aliud, in passiva autem resistentia, ipsum agens impeditur exire in actionem, vel in tantam actionem propter indispositionem subjecti, vel si ista indispositio supervenit post elicitam actionem, impeditur ejus conservatio seu continuatio, et tunc incipit resistentia passiva, seu impedimentum non eliciendi, sed continuandi actionem, sive in totum, sive in partem. Nec impeditur ut actio facta non fiat, sed impeditur, vel ne incipiat, vel ne conservet et continuet actionem.

Ad confirmationem respondetur, quod non oportet istam resistentiam seu impedimentum reducere ad actionem conservativam formæ, sed ad ipsam formam quatenus non solum præbet informationem sui, sed etiam causat expulsionem alterius cum tali dispositione, qua reddatur difficilior expulsio formæ a tali subjecto, et sic dicitur impedire seu resistere oppositæ agenti, ratione dispositionis illius improportionatæ virtuti agentis, licet verum sit requiri actionem causæ conservantis formam in subjecto, non ut rationem formalem resistendi, sed ut præbentem existentiam indispositioni illi, a qua fit resistentia.

Ad secundum respondetur qualitates primas non esse æqualiter activas, sed quasdam esse magis activas, ut calor et frigus, quasdam minus activas et magis passivas, ut humiditatem, et siccitatem; et hoc est quod dixit Aristoteles; non vero dixit quod humiditas et siccitas sunt magis resistitivæ; sed intelligendum est, quod calor et frigus, quia sunt magis activæ, sunt etiam magis resistitivæ resistentia activa; siccitas autem et humiditas magis resistunt resistentia passiva, et ideo elementa ubi istæ qualitates prædominantur, dicuntur magis resistere active vel passive, prout eis prædominatur qualitas active vel passive resistens. Quando autem ita comparamus istas qualitates, loquimur in sensu formali, et ex meritis propriis, potest enim juvari, vel infirmari virtus illa, seu activa vel passiva resistentia ex conditionibus requisitis, et concurrentibus ad agendum, vel patiendum, ut ex majori vel minori densitate, applicatione, situ et aliis similibus, de quibus jam supra dixi-

mus, et amplius de istis qualitatibus elementorum agemus infra quæstione decima.

Hoc supposito currit difficultas principalis, quænam proportio requiratur inter activitatem et resistentiam ut exeat actio, quod aliis verbis solet inquiri, an semper a proportione victoriæ agentis supra passum fiat actio, hoc est an requiratur, quod activitas sit major quam ipsa resistentia passi, an vero sufficiat quod sit æqualis, vel etiam minor. Et dato quod requiratur inæqualitas seu major activitas, secundo est difficultas, an requiratur, quod sit determinata proportio, et superioritas, an vero sufficiat quæcunque indeterminata.

Circa primum est duplex sententia extrema, et duplex media. Prima extrema tenet etiam a minori activitate dari posse actionem. Probatur exemplo guttæ cavantis lapidem, cujus major est resistentia quam activitas guttæ; secundo, quia alias non posset dari mutua actio, et reactio inter agens et passum, cujus oppositum sequenti articulo ostendemus. Probatur sequela, quia si agens, ad hoc ut agat in passo, debet supponere illud esse inæquale, et inferius sibi, ut agat in illud, ergo tale passum non poterit rursus reagere in ipsum agens, quia inferius est illo, vel si potest, aliqua actio a proportione minoris inæqualitatis.

Secunda sententia extrema asserit, omnem actionem esse a proportione majoris inæqualitatis, ita quod omne quod agit vincit passum in eo in quo agit. Fundatur, quia hoc ipso, quod aliquod agens agit in passum ponit in eo aliquem effectum et imprimit aliquam formam, vel partem formæ: ergo in eo quod imprimit subjicit sibi passum. Patet hoc, quia tale passum non impedit exire actionem ab agente, ergo subjicitur ei. Et confirmatur, quia intentum resistentis est impedire actionem agentis, intentum vero agentis imprimere effectum passo, et assimilare sibi saltem in aliquo, ergo si agit, saltem in aliquo consequitur suum intentum, etsi passum in eo non resistit; ergo in eo manet inferius, et agens superius, atque ita agens in quantum agit semper vincit, et passum in eo quod patitur semper subjicitur, licet secundum aliam rationem possit esse e converso.

Sententiæ mediæ sunt duæ: prima distinguit duplex genus actionis, altera perfecta, et plena, qua agens totaliter vincit passum, et hæc semper est a majori activitate, siquidem totaliter excedit passi resistentia et ex omni parte alia actio est imperfecta, et remissa quæ non potest vincere resistentiam passi sed conatur, et hæc non procedit a majore activitate, quia potius cedit resistentiæ passi.

Secunda sententia media distinguit de resistentia passiva et activa, et dicit quod in passum in quo est sola resistentia passiva, agens non potest agere nisi sit major activitas et excedat resistentiam passi. Ratio est, quia resistentia passiva est, quæ impedit agens ne agat: ergo si agit non impedit, et sic non datur resistentia, sed vincitur, etiamsi violenter fiat, ergo excedit activitas resistentiam passi. Si vero resistentia sit activa, potest fieri actio etiam a minore proportione, quia resistentia activa seu reactio non solum fit quando utrumque agens est æqualis virtutis, sed etiam quando alterum est excedens, et alterum inferius, ergo ab agente inferiore potest esse actio. Constat hoc manifeste, quia si ponatur calidum ut octo, et frigidum ut septem, non solum agit calidum ut octo, sed etiam frigidum, alias ad reactionem requireturomnimoda æqualitas inter agentia, quod

est absurdum, nam potius tunc non dabitur actio et reactio cum stante æqualitate mutuo se impediant, et neutrum agat. Ratio autem hujus est, quia quando dantur duo agentia, activitas unius non agit in aliud, quatenus etiam habet activitatem, sed ut passum est, in quantum autem passum potest esse inferius, licet in agendo sit majus, ergo inter resistentias activas potest dari actio a minore activitate.

Inter has sententias secunda et quarta parum aut nihil differunt, quia quarta concedit, quod agens semper est formaliter superius patiente. Quare dicendum est cum secunda sententia, quod agens in eo in quo agit formaliter loquendo superius est, et majorem activitatem habet quam passum resistentiæ, licet materialiter aliquid minoris activitatis possit agere in magis activum, non in quantum magis activum est, sed in quantum in aliquo cedit alteri, eique subjicitur. Et hæc quidem præter fundamenta allata, ipsa experientia actionis et reactionis, de qua in sequenti articulo, aperte eam comprobat, cum non semper utrumque agens sit æqualis virtutis, sed inæqualis, et tamen etiam quod est minus, reagit in id quod majus est.

Sed difficultas est, in intelligendo quomodo minus activum possit debilitare virtutem magis activi, siquidem magis activum se toto agit, et sic videtur totaliter impedire actionem minoris activi. Ad quod respondetur, quod licet activum se toto agat, non tamen potest instantanee destruere oppositum activum, licet sit minus, sed successive, eo quod per motum agit in illud, et cum non consistat in indivisibili, sed habea latitudinem graduum, paulatim, et divisibiliter debet illam amittere, et sic relinquit locum, ut etiam minus activum agat in majus, non quidem vincendo seu superando totum, sed partem aliquam saltem minorem respectu cujus, quia minor est, habet superioritatem, et illam vincit, licet plus perdat de sua activitate, quia a fortiori agente invaditur. Quare quod se toto agat, non infert quod destruat totum de activitate oppositа, sed juxta proportionem majoris excessus, quem habet illud totum majus supra hoc totum minus, plus confirmet de ipso, sed non ita extinguet subito, ut non relinquat aliquid quod vicissim agat in illud saltem quantum ad aliquid ejus, in quo ei proportionatum est, et sic quantum ad hoc patitur agens intensionis virtutis, non tamen in quantum intensioris virtutis est, sed quoad aliquid minus. Nec tamen ex hoc sequitur, quod agens minoris virtutis poterit consumere activitatem majoris, agendo paulatim in partes ejus, quia cum a majore agente debilitetur, non semper durat in eadem virtute, sed magis et magis debilitatur, quousque totaliter extinguitur, antequam possit consumere majus activum.

Sed dices: Ex hoc sequi, quod non distinguitur resistentia activa a formali seu passiva, quia si agens fortius resistit secundum activitatem suam, tantum resistit quantum agit, agit autem secundum omnes partes, ergo secundum se totum resistit, et ita non poterit superari in aliquo ab agente inferiori. Si vero superatur in aliqua parte, ideo est, quia secundum illam partem non agit, sed patitur, et recipit actionem alterius, ergo resistentia activa non distinguitur a passiva illius partis. Respondetur resistentiam activam consistere in hoc, quod agens præsertim fortius debilitat virtutem passi reagentis in se, et sic debilitando et agendo impedit, ne ulterius agat in se; in eo autem, in quo tale agens repatitur a minori agente, non resistit, sed potius ei aliquo modo ce-

dit. Resistentia autem passiva, non fit debilitando virtutem, sed impediendo actionem ex improportione dispositionis, ne agens agat in tale subjectum, seu passum.

Ad primum fundamentum oppositum pro prima sententia respondetur quod gutta cavat lapidem, non quia agat quælibet gutta tollendo aliquid a lapide, sed quia ultima agit in virtute præcedentium, ut D. Thomas docet II-II, quæst. XXIV, art. VI ad 2, quarum quælibet non tollit, et dividit aliquam partem lapidis, sed humectando lapidem, et siccitati ejus se opponendo, deponit lapidem, ut ultima gutta tollat particulam lapidis, introducit enim aliquam humiditatem, licet valde parum, quousque continuando solvitur aliquid siccitatis, et mollificatur duritia, ita ut ipso ictu ultimæ guttæ cadentis aliqua particula separetur. Et similiter, cum parva aliqua animalia ut formicæ de cursu suo lapidem, vel terram terunt, id faciunt impulsu pedum sæpissime multiplicato, quo particulas aliquas minutissimas terræ, vel lapidis dividunt, impulsus enim divisivus est, et per multiplicationem, notabilem seperationem faciunt.

Ad secundum respondetur posse agens inferius, et quale reagere in superius activum non quatenus magis activum est, sed quatenus in aliquo remanet passivum, et inferius quia passive non resistit. Quod si dicas: Nam illud agens magis activum, habet de opposita qualitate plures gradus, v. g. ignis habet calorem ut octo et omnes gradus simul resistunt oppositæ qualitati, scilicet frigori, siquidem omnes agunt, ergo non remanet in se passivum respectu agentis minoris activitatis, et sic non poterit reagere in illud, propter totalem ejus resistentiam, sicut non potest quis movere lapidem magnum, etiamsi aliquali impulsu id conetur, quia lapis ille se toto resistit, et sic nec multum, nec parum movetur, nisi impulsus omnes partes afficiat, alias terra quolibet motu moveretur contra id quod diximus quæstione XXIII Phys. ergo similiter ignis, quia habet calorem in summo, non poterit admittere aliquid de frigore, ita quod corrumpatur aliquid caloris, respondetur quod licet omnes gradus caloris operentur, et resistant active, tamen quia subjectum non habet aliam resistentiam quam activam, non inhabilitatis, et indispositionis passivæ, et activitas resistens, et debilitans oppositum, non destruit totum simul, sed paulatim, et per motum, ideo relinquit locum, ut possit recipere in se aliquid frigoris per rationem passi in ipsam licet multo debilius, quia est minoris activitatis. Et sic debilitatur aliquid de calore, licet parum, et id quod debilitatur, seu tollitur de calore, non agit, quousque crescente actione et victoria in frigidum, restauratur. At vero in gravitate lapidis non invenitur resistentia activa, sed passiva reddendo subjectum improportionatum ipsi moventi et cum non possit moveri una pars aliis non motis, quia continuum est et inamine, ideo non est simile.

Quod si instes: Ergo aqua nunquam poterat vincere terram, quia terra in resistentia formali seu passiva cætera elementa superat, passiva autem resistentia nisi tota tollatur non recipit actionem agentis, quia subjectum est indispositum, respondetur quod siccitas terræ non potest vinci per impulsum, bene tamen per aliquam alterationem, sicut gutta cavans lapidem, ut dictum est. Et ideo distinguendum est resistentia passiva divisibiliter resistente, et per gradus, qui possunt diminui, vel intendi, sicut in qualitatibus alterativis quæ habent contrarietatem,

hæc enim resistentia successive tolli potest, et admittere aliquid de opposito, quia paulatim diminuitur, ut cæteræ qualitates contrariæ. Resistentia vero passiva gravitatis, et ponderis non fit divisibiliter, et per gradus respectu impulsus, sed per modum totius, eo quod in continuo inanimato non potest una pars moveri seorsum ab alia, et ideo nisi agens impediat totum et afficiat impulsu omnes partes non movet, nec vincit resistentiam ponderis passivam in continuo.

Ad reliqua fundamenta aliarum sententiarum responsum est ex dictis, secundæ enim et quartæ sententiæ fundamenta concedimus, excepto quod dictum est de resistentia passiva.

Quantum ad secundum punctum supra propositum, an requiratur determinata, et aliquota proportio, ut agens vincat resistentiam passi, respondetur requiri, ita quod sicut non potest substantialis forma suscipi sub qualibet quantitate, sed requiritur determinata quantitas juxta exigentiam formæ, ita ad agendum supra passum requiritur determinata virtus, habens determinatum aliquem excessum, nec sufficit quælibet proportio, etiamsi divisibilis sit, sed potest esse tam minima virtus, ut non sufficiat ad agendum in aliud. Probatur ratione D. Thomæ I-II, quæst. V, art. VI ad 2, ubi inquit: « Quod non omnia calefacta et illuminata possunt alia calefacere, et illuminare, sic enim illuminatio et calefactio essent in infinitum. » Quæ sequela manifesta est, quia si quælibet virtus quantumvis minima, potest agere, ergo virtus communicata, et impressa ab ista quantumvis minima, iterum posset agere, et similiter iterum communicata ab illa, et cum sit divisibilis in infinitum, agere posset.

Dices: Impedietur illa virtus minima ab aliquo contrario, et sic non aget in infinitum, sed tunc solum aget, quando non inveniet contrarium, seu passum non resistens, et in hoc dicit opposita sententia, non requiri determinatum excessum, ut agens agat, requiri tamen aliquem, quicunque ille sit. Si autem ita diminuatur virtus aliqua ut nullum excessum habeat supra passum, tunc non aget, sed hoc non est contra oppositam sententiam quæ dicit non requiri quod excessus determinatus sit, licet ipsa virtus in se determinata esse debeat.

Sed contra, nam si ipsa virtus debet esse determinata ut agat, ergo et excessus supra passum, nam virtus non excedens, est perinde ac si virtus non esset, ergo eadem ratio est de virtute, et de excessu, ideo enim virtus debet esse determinata ut agat, ne sequatur processus in infinitum, ergo eadem ratione excessus debet esse determinatus, ne posito quolibet excessu agat, quia cum excessus sit in infinitum divisibilis sicut et virtus, poterit de se agere in infinitum. Quod si impediatur ab alio, id erit per accidens, et sic terminus, et sphæra activitatis in agentibus limitatis non ponetur ab intrinseco, et per se, sed ab extrinseco impediente, et per accidens. Unde in illuminatione per diaphanum, ubi non est impedimentum, poterit minima lux, v. g. candelæ, illuminare usque ad cœlum, et in infinitum.

Si dicas: Quia quicunque excessus ad resistentiam passi sufficit, ut dicatur agens plus posse agere, quam passum resistere, ergo sufficit ad actionem, quia tollitur aliquid de resistentia passi, in eo scilicet in quo agens excedit, ergo in eo aget. Item quæcunque proportio et excessus constituit majoritatem in virtute, ergo sufficit ad agendum, quia ubi est major proportio virtutis,

sequitur actio. Respondetur ad primum negando antecedens, quia ille excessus licet sit major quasi mathematice, non tamen physice, et prout requiritur ad agendum, sicut neque res naturalis potest esse in quacunque minima quantitate, licet mathematice sit in infinitum divisibilis. Ad secundum respondetur, quemcunque excessum constituere majoritatem quasi mathematicam, et indeterminatam, non physicam et virtuosam, qualis requiritur ut ens naturale sit, et operetur.

ARTICULUS IV.

Utrum omne agens in agendo repatiatur ?

Repati agens in agendo nihil aliud est quam ita agere in aliquod passum quod vicissim passum agat in illud, et ita illa actio qua passum rursus agit in suum agens, dicitur reactio, quasi rediens ad suum agens, et utens illo tanquam passo. Unde ad istam actionem et reactionem concurrere debent tres conditiones. Prima, quod agens et passum communicent in materia, id est, quod si agens operatur in passum, habeat agens materiam, quia possit pati ab actione passi defectu cujus cœlum est agens in inferiora, nec tamen patitur ab illis, quia non habet materiam capacem actionis horum inferiorum, v. g. calefactionis aut infrigidationis, et multo minus spiritus repati potest a corpore, quia caret ejus materia. Secunda est quod agens et passum non solum sint ejusdem materiæ, sed utrumque se habeat in potentia ad formam seu effectum alterius, v. g. frigidum est in potentia ad calorem, et calidum ad frigus, quia carent illis formis, et contrariæ se habent. Si autem calidum agat in minus calidum ut illud intendat, non repatitur ab ipso, quia non caret eo calore, quem præbet, et lucidum non repatitur a diaphano quod illuminat, quia diaphanum non opponitur luci. Debet ergo passum, et agens contrario modo se habere ut detur actio, et reactio. Tertia conditio est, ut agens et patiens sint intra sphæram activitatis utriusque, extra sphæram enim actionis non sequitur actio, ut per se notum est.

His positis, unum in hac parte est certum apud omnes Philosophos, scilicet inter agens et patiens, in quibus hujusmodi conditiones concurrunt dari mutuam actionem et reactionem, id enim continua experientia approbat, et ratio persuadet. Experientia quidem, quia videmus pomum frigidum calefieri a manu, et similiter gelu liquefieri, manum vero ab utroque frigefieri ; aciem gladii percutientem alterum gladium ad invicem hebetari ; et alimentum communicare corpori suas qualitates, ab ejus vero calore in carnem converti. Similiter constat quod mixtio fit per alterationem miscibilium ad invicem, ut sequenti quæstione ex Aristotele dicemus : si autem elementa mutuo in se non agerent, mixtio non fieret, nec ad invicem elementa pugnarent, nisi mutuo in se agerent. Denique, ratio ipsa id ostendit, quia ex eo quod aliquid sit agens ratione activitatis propriæ, non amittit, quod sit in potentia ad aliam oppositam qualitatem, et ex eo quod aliud sit passum, non amittit activitatem qua possit agere in aliud, ergo si ista duo debite applicentur, mutuo poterunt agere et pati, quia concurrunt in eis conditiones ad agendum, et patiendum, scilicet utriusque activitas, et utriusque potentialitas ; et nullum est impedimentum ad mutuo agendum, cum non sit impedimentum ad pugnandum ad invicem.

Tota difficultas consistit in explicando, quomodo ista mutua reactio, et repassio fieri possit. Nam propter argumenta quædam quæ in hac parte sunt difficilia, Auctores divisi sunt. Et quidam dixerunt, agens et patiens mutuo agere, sed non penes easdem partes, sed agere secundum unam, et pati secundum aliam, quod est simpliciter non reagere, sed secundum diversas partes habere actionem et passionem. Imo alii addunt omnino non agere, et pati ad invicem, sed si agens repatitur, id esse ex virtute cœlestium corporum. Alii dicunt, quod agens et patiens eliam secundum eamdem partem agunt, et reagunt, sed non secundum eamdem contrarietatem qualitatum, verbi gratia, calidum, et frigidum non agere mutuo ratione istarum qualitatum, sed ignis agit ratione caloris in summo, quem habet, patitur autem non a frigore contrario calori, sed ab humiditate in quantum est siccus.

Nihilominus communis sententia absolute tenenda est, quod ubi concurrunt conditiones supra positæ etiam penes easdem partes et secundum eamdem contrarietatem qualitatum datur actio et repassio. Sumitur ex Philosopho 1 de Generat. text. XIV, et D. Thoma ibidem lect. XX ; et communiter interpretes in hoc primo libro de Gener. qui videri possunt apud Conimbricenses hic capit. IX, quæst. III ; Carmelitani disp. VIII, quæst. IV. Idque constat ex experientiis, et fundamento allato. Neque evaditur difficultas dicendo, quod non datur actio, et reactio secundum qualitates contrarias, sed secundum disparatas, ut quod aqua per humidum agat in ignem calidum, nam etiam hoc modo contrarietas debet poni, siquidem humidum immediate agit in siccum, et destructa siccitate destruit ignem, sicut ergo inter humidum et siccum datur actio et reactio, et tamen est contrarietas immediata inter illa, cur non etiam dabitur inter alia contraria immediata, ut inter calorem et frigus ? Similiter etiam secundum easdem partes fit actio et reactio, scilicet penes illas, penes quas se tangunt, nam ubi non se tangunt, saltem per virtutem non est applicatio agentis et passi, ergo neque actio et reactio quæ agendo et patiendo fit, nec tamen sequitur, quod etiam idem possit agere in seipsum secundum eamdem partem, quatenus est in potentia et in actu ; hoc inquam non sequitur, quia idem non potest moveri a se respectu ejusdem qualitatis, seu formæ, sic enim esset in potentia, et in actu respectu ejusdem sed respectu diversorum, agit enim, v. g. calorem, et patitur frigus.

Contra hanc autem resolutionem sunt aliqua argumenta, quæ difficilem semper habent solutionem et ex eis magis dilucidabitur sententia proposita : reducuntur autem ad duas classes. Quædam procedunt ad probandum, quod non potest dari actio et reactio secundum eamdem partem, sed secundum diversam. Quædam vero ad probandum quod non potest dari secundum eamdem contrarietatem qualitatum.

Ex primo capite arguitur : Quia si mutuo agerent aliqua contraria, posset idem subjectum, secundum eamdem partem moveri duplici motu contrario, verbi gratia, frigefieri et calefieri ; ponamus enim quod ignis diffundit suum calorem per aerem, et aqua per eumdem aerem diffundit suum frigus, et mediantibus virtutibus sic diffusis ad invicem agunt et patiuntur, ergo ille aer medius simul frigefit et calefit, quod est moveri motibus contrariis, qui si sint in gradibus intensis sunt incompossibiles, unde inter agentia

contraria intensa non poterit dari actio, et reactio per aliquod medium. Confirmatur, quia si agens calidum agit in frigidum, et repatitur ab eo, sequitur quod pars ultima illius agentis calidi infrigidetur a passo frigido, et sic manet minus calida, quam reliquæ partes talis agentis, ergo reliquæ partes quæ calidiores sunt, agent in illam partem minus calidam, seu infrigidatam, una enim pars ejusdem continui potest agere in aliam, dummodo non sit ejusdem similitudinis, et actualitatis, ergo simul eadem pars caleflet ab aliis partibus talis continui, et frigeflet ab agente frigido a quo repatitur.

Varie ad hoc argumentum solet responderi. Quidam dicunt quod non potest dari actio et reactio, nisi agens et patiens sicut conjuncta, non autem per medium, ut evitetur difficultas argumenti. Sed hoc in se est falsum, et non evitat inconveniens. Est falsum, quia actio et reactio datur, quandocunque passum est intra sphæram agentis, ut in tertia conditione diximus, et sic non requiritur, quod sint immediata, sed sufficit quod intra sphæram. Non evitatur inconveniens, quia si virtus utriusque diffunditur per aerem, tandem pervenient ad aliquam partem, seu punctum, ubi immediate se tangant, ergo ibi curret eadem difficultas quomodo moveatur illa pars duplici motu contraria. Curret etiam difficultas tacta in confirmatione, quando utrumque agens se contingit, et pars ultima tangens movetur a contrario, et moveri potest a partibus ejusdem agentis. Alii dicunt illud medium moveri ab utroque agente contrario, sed penes diversas partes medii, et non per eamdem lineam, illa enim diversa agentia diversas partes medii tangunt, et per illas diffundunt suam virtutem, et sic penes diversas partes movetur medium motu contrario; cum autem illæ virtutes sic diffusæ perveniunt ad hoc, ut invicem conjungantur, tunc partes medii agunt ad invicem reducendo se ad aliquid temperamentum, quousque fortius agens vincat, et totum medium ad se reducat. Addunt alii, quod cum pervenerint illæ virtutes sic diffusæ ad unum punctum, seu terminum (antequam enim perveniat non moventur eædem partes, sed diversæ illis motibus contrariis) tunc illa pars seu terminus non movetur duplici motu contrario, quia cum illa duo contraria pugnent inter se, unum resistit, et aliud agit, unde tantum movetur ab uno contrario, resistit vero per aliud cujus virtutem in se recepit, et conatur expellere alterum, ne recipiat.

Utraque tamen solutio non solvit punctum difficultatis. Et supponimus ex supradictis, quod actio et reactio non salvatur, si ita fiat per diversas lineas, et partes quod nunquam conjungantur, nec immediate nec mediate per virtutem suam, hoc enim non est ad invicem agere, sed unam partem agere, aliam pati, quod est idem ac disparate se habere, vel sicut diversa supposita, quorum unum agit, aliud patitur. Loquendo autem de agentibus quæ ad invicem se tangunt, et unum applicatur alteri penes eamdem lineam, seu partem, tunc prima solutio non tenet, quia licet toto illo tempore, quo illa virtus per diversas partes diffunditur, eadem pars non moveatur motibus contrariis, tamen quando postea miscentur, et in aliquo medio, seu puncto temperantur, et modificantur, ibi mutua actio debet esse, nec enim fit temperamentum nisi per mutuam actionem, et curret argumentum de motibus contrariis in illa parte. Secunda autem solutio corruit, quia quando illæ virtutes diffusæ perveniunt ad idem punctum, et se reducunt ad temperamentum, hoc faciunt, quia ad invicem se debilitant, et pugnant inter se, ergo ista resistentia non est passiva, sed activa, siquidem fit penes virtutes activas, ergo fit duplex motus contrarius, quorum unus resistit altori debilitando, et agendo, ergo in illa parte, ubi datur pugna ista, et resistentia activa, datur ille motus contrarius.

Quare cum tota differentia inter agentia, quæ immediate se tangunt, et quæ per medium agunt in eo consistat, quod quando conjunguntur, datur mutuus contactus illorum duorum agentium, et consequenter datur duplex superficies, quia ea quæ se tangunt non in eadem superficie conveniunt, sed si se tangunt, sunt contiguæ, et consequenter plures superficies petunt quæ sunt simul, tunc in istis superficiebus non est inconveniens, quod una patiatur ab alia, et simul una agat in aliam; patitur enim unum, verbi gratia, calorem et agit aliud, verbi gratia, frigus. Cæterum quando per modum diffunduntur virtutes, et qualitates oppositæ perveniunt ad unam superficiem in quam exercent suos diversos motus, qui cum diffundantur per idem medium, seu continuum, et in ipso continuo non dantur duæ superficies immediatæ, sicut cum duo agentia se tangunt, oportet quod in una ad invicem conjungantur, et operentur; et tunc diximus quod illa superficies in qua conjunguntur illæ virtutes non movetur motibus contrariis intensis sed remissis, quia temperantur, et modificantur, et in hoc non est inconveniens, sed solum ne moveatur idem mobile motibus contrariis intensis; moveri autem duplici motu contrario remisso, vel altero intenso, altero remisso non repugnat, ut diximus quæst. XIX Phys. art. v, quo ideo est, quia qualitates in gradibus remissis se compatiuntur, ergo et actiones: si autem unus gradus fuerit intensus, dummodo non sit in summo, compatitur secum aliquem gradum remissum oppositum, ergo bene potest esse quod eadem superficies moveatur duplici illo motu caloris, et frigoris; si uterque quidem temperatur, et mitigatur, ab utroque motu remisso movebitur: si autem alter manet intensus, alter vero remissus, etiam ab utroque movebitur, licet non sentiatur, nisi motus intensus, quia prædominatur; et in summa, si subjectum est capax duplicis qualitatis contrariæ in gradibus remissis, vel unius in gradu remisso, alterius in intenso, non repugnabit tali duplici motu contrario moveri, et ad mediocritatem reduci, quousque alterum vincat, et totaliter destruat alterum, de quibus plura dicemus infra quæst. x, art. II.

Sed instabis: Quia quando duæ virtutes in gradibus intensis conjunguntur, non potest ex utraque exire unica actio, et unus motus, quia diversa agentia sunt, ergo neque unus effectus, seu qualitas, v. g. lepiditas, ergo duæ qualitates exibunt, calor scilicet et frigus, et sic movebitur illa superficies, vel pars duplici motu contrario.

Respondetur, quod illæ qualitates oppositæ non uniuntur per se ad faciendum unum effectum, sed quælibet conatur suum producere, sed quia ad invicem impediuntur, operantur remisse, et faciunt illam qualitatem sic temperatam; nec enim impediuntur omnino operari, sed impediuntur operari intense, ideo possunt reduci ad operandum remisse, et subjectum moveri potest duplici motu contrario remisso, quousque prævaleat una ex illis qualitatibus, et aliam consumat. Quod si omnino manerent æquales, ita ut neutra remitteretur, non daretur actio propter æquale impedimentum utriusque.

Ad confirmationem principalis argumenti respondetur, quod illa pars ultima aquæ quæ calefit ab igne non frigescit a partibus suis immediatis effective, neque per emanationem a se propter impedimentum contrarium ignis calefacientis; et ita sive sit qualitas nativa et emanans, sive extranea, dum occupatur a contrario intense agente, non potest simul recipere contrariam qualitatem.

Sed dices: Quomodo illa ultima pars aquæ impeditur frigefieri, et recipere suam propriam qualitatem et non impeditur frigefacere seu reagere in contrarium, siquidem aqua mediante illa ultima parte, quæ tangitur ab igne reagit in ignem, est enim pars immediata illi, ergo debet habere similem frigiditatem qua reagit in ipsum ignem, ergo a partibus immediatis, vel per emanationem naturæ a se. Respondetur quod impeditur illa ultima pars frigefieri, id est, superaddi sibi frigus propter agens contrarium, v. g. ignem, quod fortius est ad impediendum motum contrarium frigefactionis, et receptionem frigoris. Non tamen impeditur pars illa ultima frigefacere, quando a principio applicatur igni, quia tunc nondum est totaliter destructa sua frigiditas, quam habebat, et ita donec destruatur ab igne, reagit per illam et aliquo modo frigefacit, quousque calore ipso superante totaliter vincatur, et tunc etiam impedietur, seu desinet frigefacere, nisi frigus ipsum instauretur per aliquam causam vincentem fortitudinem ignis, et tunc vicissim impediet ignem, ne ab illo calefiat, et sic nunquam movebitur motibus contrariis intensis.

Secundo arguitur: Quia sequuntur plura inconvenientia ex eo, quod mutua actio, et reactio detur primum, quia non posset aliquid agere secundum totam suam intensionem, v. g. ignis non poterit agere calorem ut octo in aerem, vel in aquam, quia dum agit, repatitur, et per passionem aliquid diminuitur, alias nihil reparceretur, ergo illud minus producit, et non qualitatem eamdem. Quod si dicatur vinci illam diminutionem a naturali virtute agentis, et sic demum producere qualitatem intensam, contra est, quia sic prius aget ipsum agens in partem sui, quæ repatitur, utpote proximiorem, quam in agens contrarium, et sic dum conatur expellere illius ultimæ partis repassionem, vel non agit in contrarium, vel illa pars movebitur motibus contrariis, quia continuo repatitur a contrario, et a se reducitur ad pristinam virtutem. Secundum inconveniens est, quod idem subjectum maneret superius et inferius respectu ejusdem, siquidem eadem qualitas quæ patiendo movetur, agendo intenditur, quia actio non est nisi a proportione majoris inæqualitatis. Tertium, in casu quo subjectum esset præditum calore ut quatuor, et frigore ut quatuor, si aqua et ignis ageret in tale subjectum, uterque aliquid produceret de novo, quia ageret et reageret, et non produceret, quia neuter posset excedere illum gradum ut quatuor, quia de calore et frigore non potest haberi ultra octo gradus, tunc autem sunt octo habendo quatuor ex uno, et quatuor ex alio. Quartum, non possent elementa agere in invicem nisi per mixtionem, nam cum aliquid agit, et repatitur ab alio, illa pars quæ repatitur temperatur, et modificatur ex illo quod recipit et ex eo quod habet, ergo fit mixtio, et sic idem esset actio et reactio quod mixtio. Denique, quia ignis, v. g. non solum resistit aquæ contrariæ per calorem, sed etiam per suam substantiam a qua ille calor conservatur, ergo habet majorem resistentiam quam aqua activitatem, siquidem resistit per calorem et per substantiam, ergo aqua non poterit per frigus agere in ignem, quia major est resistentia passi quam virtus, seu activitas agentis, quæ sola est qualitas frigoris, substantia enim non agit nisi per accidentias, recipit autem ratione substantiæ, et sic ratione sui resistit.

Ad primum inconveniens negatur antecedens. Ad probationem dicitur, quod quamdiu agens repatitur, et aliquo modo temperatur ejus virtus non poterit agere secundum totam suam intensionem, eo quod modificatur a reagente, sed postea remoto hoc impedimento, et crescente virtute vel ex nativa emanatione, vel ex causa extrinseca, tunc aget secundum totam suam intensionem. Et ad instantiam in contrarium respondetur, quod illa pars ultima, quæ repatiebatur, fortificatur et vincit per hoc quod reducitur ad totam suam virtutem a causa intrinseca, si sit virtus nativa per emanationem, vel a causa extrinseca fortificante, si sit virtus extranea, et tunc illa pars simul patitur intense ab uno et remisse ab alio; contrarium enim agens remissius agit, quando illa virtus sui passi, vel a nativa emanatione, vel ab extrinseca virtute fortificatur. Nec repugnat ut supra diximus, idem moveri duobus motibus contrariis, altero remisso altero intenso, vel utroque remisso, quia tunc non se expellunt.

Ad secundum inconveniens negatur, quod idem sit superius, et inferius respectu ejusdem in eodem tempore, sed cum patitur diminuitur qualitas, cum vero fortificatur ut intensius operetur, fit major, et tunc non manet minor, quia vincit oppositum. Unde nunquam verificatur, quod idem sit superius et inferius formaliter.

Ad tertium negatur sequi illud inconveniens, quia illud agens quod agit in subjectum calidum ut quatuor, et frigidum ut quatuor, vel est fortioris virtutis ut possit vincere aliquem gradum caloris, vel non. Si non, tunc nihil aget, sed conservabit calorem in illo gradu ut quatuor, nec aliud faciet de novo, quia non est unde faciat. Si vero est fortioris virtutis, plus vincet de frigore quam patiatur ab ipso, et in illo plus quod facit, intendet calorem et remittet frigus non ultra gradum ut octo, sed proportionaliter ut si auget calorem ad quinque, remittet frigus ad tria et sic de aliis.

Ad quartum respondetur, in omni actione, et reactione aliquam mixtionem dari saltem imperfectam, id est, ipsarum qualitatum sine corruptione substantiæ, præsertim a principio, postea autem, vel unum ex agentibus totaliter vincit, et sic solvitur mixtio, etiam quoad qualitates; vel manent in aliquo temperamento; quod si tale sit, quod substantiam mutet erit perfecta mixtio, sin minus erit imperfecta, solum quoad qualitates.

Ad ultimum respondetur, quod ignis in resistentia activa parificatur aquæ, quia utrumque agit per qualitates formaliter, et per substantiam radicaliter; quantum ad resistentiam autem passivam, licet ignis per substantiam, et siccitatem resistat passivæ receptioni frigoris, tamen illa resistentia passiva non est tanta in igne, quanta est activitas frigoris ad agendum, quia in resistentia passiva non multum eminet ignis sicut in activa. Si autem sit aliquod passum quod magis resistat passive, quam agens agat active, tunc magis retardabitur ejus actio quousque vincat illam resistentiam.

Ultimo arguitur: Quia si sint duo agentia inæqualia, unum non rea-

get in aliud, quia a proportione minoris æqualitatis non fit actio, et sic illud minus non reaget; si autem æqualis virtutis sint, mutuo se impedient, ergo nunquam dabitur reactio, et repassio, quia semper actio est a proportione majoris inæqualitatis; et de igne dicit Aristoteles II de partibus animi, c. II, quod nunquam est frigidus, ergo saltem ignis non repatietur. Et confirmatur, quia in aliis motibus, ut locali, et augmentationis non est necesse dari actionem, et repassionem, si enim manus movet lapidem non est necesse moveri ab eo, et quod crescit in augmentatione, non decrescit ex alia parte per diminutionem, ergo nec erit idem in motu alterationis.

Respondetur quod agens in æquale reagit in agens fortius, non quatenus agens est, sed ut in potentia existit respectu qualitatis contrariæ, et respectu talis potentiæ agens illud remissum fortius est in activitate. Sed tamen quia in agendo, simpliciter aliud agens est fortius, ideo agens minoris activitatis non agit simpliciter in aliud, sed agit remisse, et imperfecte et in corrumpi, siquidem debilitatur, et destruitur a fortiori agente, et talis modus agendi potest esse a minori activitate. Quod si dicas: Quomodo frigidum ut quatuor potest diminuere de calido ut octo ipsum gradum octavum, qui cæteris est perfectior, siquidem reducit calidum ut octo ad calorem ut septem, et ut sex, ergo tollit gradum octavum, respondetur, quod licet gradus ut octo, vel unio ut octo sit perfectior cæteris, tamen hoc ipso quod perfectior est, necessario compatitur minus de opposito, et destruit non solum id quod majus est; sed etiam quod minus de forma opposita, si autem aliquid de ipsa compatitur hoc ipso minus perfectionis habet. Et sic minor gradus non opponitur, nec destruit minorem oppositum, quin potius cum eo compatitur cum simul sint in gradibus remissis, sed opponitur perfectiori, ut perfectior est, et imperfectum excludit.

Ad id vero quod Aristoteles dicit de igne, quod non dicitur frigidus, intelligitur quantum ad denominationem, sicut aqua dicitur calida etiam denominative, eo quod frigus nunquam potest prædominari igni, sicut calor aquæ, ut ab ea denominetur frigidus, quia semper denominatio fit ab excellentiore prædominante, bene tamen potest ignis recipere aliquid frigoris, alias nunquam extingueretur, si oppositam dispositionem non susciperet.

Ad confirmationem respondetur in aliis motibus non semper dari contrarium agens a quo fiat reactio, nec enim si ego projicio lapidem, necesse est quod lapis habeat vim motivam respectu mei, nec est necesse, quod quando aliquid augetur agendo in alimentum, ipsum alimentum habeat vim diminuendi id a quo immutatur. Et ideo non semper sequitur in aliis motibus repassio; sicut inter qualitates contrarias, quæ ad invicem agunt ratione contrarietatis activæ.

QUÆSTIO VI.

DE MIXTIONE.

Quia mixtio fit per mutuam actionem et repassionem, ideo valde affinis est mixtio actioni, et reactioni, et sic agimus de illa, antequam de rarefactione, et condensatione.

ARTICULUS I.

Quid sit mixtio, et quomodo fiat.

Communis et accepta mixtionis definitio est, quod mixtio *est miscibilium alteratorum unio*, quam diffinitionem tradit Philosophus in hoc libro de Gener. cap. x, et ibi D. Thomas lect. XXV, et communiter Philosophi consentiunt.

Pro qua definitione explicanda, duo adverte. Primo, quod mixtio dupliciter fieri potest, uno modo improprie, et large pro omni conjunctione aliquorum in unum, etiamsi ex illis non fiat unum simpliciter, quod potius est constipatio quædam plurium, quam vera mixtio, fit enim per juxtapositionem partium minimarum congregatarum in unum, sicut cum diversa grana miscentur, hoc est, simul confuse aggregantur, ut farina hordei, et tritici, vel alia grana minuta; secundo modo sumitur mixtio stricte et rigorose, prout non solum aggregantur plura per juxtapositionem in uno loco et constipationem, sed per veram unionem, hoc est, resultantiam unius per se; et ad hoc requiritur mutatio extremorum, ut non maneat unumquodque in se ipso. Primo modo aliqui ex antiquis acceperunt mixtionem, ut refert et impugnat Aristoteles loco citato tex. LXXXV et LXXXVI, quæ tamen non est proprie mixtio, sed aggregatio multorum, quia quodlibet granum, vel quælibet pars minima non manet continuata alteri, sed contigua et seorsum separata, mixtum autem quod simpliciter est, tale debet esse ejusdem rationis in toto, et in parte, et consequenter habere partes continuas, in illa autem mixtione quælibet pars minima conservat suam speciem, non ergo ex illis fit mixtum, sed aggregatum, ergo neque ibi est vera mixtio.

Secundo est notandum, ad mixtionem rigorose dictam quatuor requiri conditiones. Prima, pertinet ad substantiam. Secunda, ad quantitatem. Tertia, ad qualitatem. Quarta, ad ubi. Prima est, quod mixtio præsupponat diversas substantias ex quibus fiat et tendat ad unam quæ ex illis facienda est, hoc enim est quod dicit Philosophus loco citato, text. LXXXIII, quod oportet miscibile existere separabile, si enim separata non essent, non oporteret mixtionem facere ex pluribus. Quod vero tendant ad unum patet, quia si unum non fierent, mixtio non esset, sed vel aggregatio multorum, vel generatio simplex unus ex alio, non mixtio, quando enim elementum generatur ex aliquo, non est ibi mixtio, quia non fit mixtum, eo quod non generatur ex pluribus inter se immutatis, et unitis, sed potius resolutis in tale elementum. Secunda conditio est ex parte quantitatis, requiritur enim ad mixtionem quod miscibilia mutuo dividantur ad hoc, ut unum intret per partes alterius, quia si extra manet, poterit quidem alterare vel generare ex illo aliquid, sed non misceri cum illo; unde quando duo liquores miscentur, videmus unum dividere alterum, et permeare illud, et Aristoteles in textu ultimo hujus capitis decimi inquit, quod oportet miscibilia esse terminabilia et passiva, hoc autem ut ait D. Thomas est bene terminabile, quod est bene divisibile in parva, sicut corpora humida, quæ idcirco sunt magis miscibilia. Tertia conditio est, ex parte qualitatis, quod scilicet sint activa, et passiva secundum qualitates, non ita tamen quod unum prædominetur alteri, adeo ut trahat illud ad se tanquam partem, sicut fit in augmentatione, sed requiritur quod ex utroque fiat unum tertium temperamentum; et ideo requiritur ista qualitatum activitas et passibilitas, quia quando ex elementis fit mixtum vel ex liquoribus, non debent manere qualitates in toto suo vigore et cruditate, sicut sunt in elementis, sed temperari ad invicem, et sic requiritur mutua alteratio, sicut explicat

get in aliud, quia a proportione minoris æqualitatis non fit actio, et sic illud minus non reaget; si autem æqualis virtutis sint, mutuo se impedient, ergo nunquam dabitur reactio, et repassio, quia semper actio est a proportione majoris inæqualitatis; et de igne dicit Aristoteles II de partibus animi, c. II, quod nunquam est frigidus, ergo saltem ignis non repatietur. Et confirmatur, quia in aliis motibus, ut locali, et augmentationis non est necesse dari actionem, et repassionem, si enim manus movet lapidem non est necesse moveri ab eo, et quod crescit in augmentatione, non decrescit ex alia parte per diminutionem, ergo nec erit idem in motu alterationis.

Respondetur quod agens in æquale reagit in agens fortius, non quatenus agens est, sed ut in potentia existit respectu qualitatis contrariæ, et respectu talis potentiæ agens illud remissum fortius est in activitate. Sed tamen quia in agendo, simpliciter aliud agens est fortius, ideo agens minoris activitatis non agit simpliciter in aliud, sed agit remisse, et imperfecte et in corrumpi, siquidem debilitatur, et destruitur a fortiori agente, et talis modus agendi potest esse a minori activitate. Quod si dicas: Quomodo frigidum ut quatuor potest diminuere de calido ut octo ipsum gradum octavum, qui cæteris est perfectior, siquidem reducit calidum ut octo ad calorem ut septem, et ut sex, ergo tollit gradum octavum, respondetur, quod licet gradus ut octo, vel unio ut octo sit perfectior cæteris, tamen hoc ipso quod perfectior est, necessario compatitur minus de opposito, et destruit non solum id quod majus est; sed etiam quod minus de forma opposita, si autem aliquid de ipsa compatitur hoc ipso minus perfectionis habet. Et sic minor gradus non opponitur, nec destruit minorem oppositum, quin potius cum eo compatitur cum simul sint in gradibus remissis, sed opponitur perfectiori, ut perfectior est, et imperfectum excludit.

Ad id vero quod Aristoteles dicit de igne, quod non dicitur frigidus, intelligitur quantum ad denominationem, sicut aqua dicitur calida etiam denominative, eo quod frigus nunquam potest prædominari igni, sicut calor aquæ, ut ab ea denominetur frigidus, quia semper denominatio fit ab excellentiore prædominante, bene tamen potest ignis recipere aliquid frigoris, alias nunquam extingueretur, si oppositam dispositionem non susciperet.

Ad confirmationem respondetur in aliis motibus non semper dari contrarium agens a quo fiat reactio, nec enim si ego projicio lapidem, necesse est quod lapis habeat vim motivam respectu mei, nec est necesse, quod quando aliquid augetur agendo in alimentum, ipsum alimentum habeat vim diminuendi id a quo immutatur. Et ideo non semper sequitur in aliis motibus repassio; sicut inter qualitates contrarias, quæ ad invicem agunt ratione contrarietatis activæ.

QUÆSTIO VI.

DE MIXTIONE.

Quia mixtio fit per mutuam actionem et repassionem, ideo valde affinis est mixtio actioni, et reactioni, et sic agimus de illa, antequam de rarefactione, et condensatione.

ARTICULUS I.

Quid sit mixtio, et quomodo fiat.

Communis et accepta mixtionis definitio est, quod mixtio *est miscibilium alteratorum unio*, quam diffinitionem tradit Philosophus in hoc libro de Gener. cap. x, et ibi D. Thomas lect. XXV, et communiter Philosophi consentiunt.

Pro qua definitione explicanda, duo adverte. Primo, quod mixtio dupliciter fieri potest, uno modo improprie, et large pro omni conjunctione aliquorum in unum, etiamsi ex illis non fiat unum simpliciter, quod potius est constipatio quædam plurium, quam vera mixtio, fit enim per juxtapositionem partium minimarum congregatarum in unum, sicut cum diversa grana miscentur, hoc est, simul confuse aggregantur, ut farina hordei, et tritici, vel alia grana minuta; secundo modo sumitur mixtio stricte et rigorose, prout non solum aggregantur plura per juxtapositionem in uno loco et constipationem, sed per veram unionem, hoc est, resultantiam unius per se; et ad hoc requiritur mutatio extremorum, ut non maneat unumquodque in se ipso. Primo modo aliqui ex antiquis acceperunt mixtionem, ut refert et impugnat Aristoteles loco citato tex. LXXXV et LXXXVI, quæ tamen non est proprie mixtio, sed aggregatio multorum, quia quodlibet granum, vel quælibet pars minima non manet continuata alteri, sed contigua et seorsum separata, mixtum autem quod simpliciter est, tale debet esse ejusdem rationis in toto, et in parte, et consequenter habere partes continuas, in illa autem mixtione quælibet pars minima conservat suam speciem, non ergo ex illis fit mixtum, sed aggregatum, ergo neque ibi est vera mixtio.

Secundo est notandum, ad mixtionem rigorose dictam quatuor requiri conditiones. Prima, pertinet ad substantiam. Secunda, ad quantitatem. Tertia, ad qualitatem. Quarta, ad ubi. Prima est, quod mixtio præsupponat diversas substantias ex quibus fiat et tendat ad unam quæ ex illis facienda est, hoc enim est quod dicit Philosophus loco citato, text. LXXXIII, quod oportet miscibile existere separabile, si enim separata non essent, non oporteret mixtionem facere ex pluribus. Quod vero tendant ad unum patet, quia si unum non fierent, mixtio non esset, sed vel aggregatio multorum, vel generatio simplex unus ex alio, non mixtio, quando enim elementum generatur ex aliquo, non est ibi mixtio, quia non fit mixtum, eo quod non generatur ex pluribus inter se immutatis, et unitis, sed potius resolutis in tale elementum. Secunda conditio est ex parte quantitatis, requiritur enim ad mixtionem quod miscibilia mutuo dividantur ad hoc, ut unum intret per partes alterius, quia si extra manet, poterit quidem alterare vel generare ex illo aliquid, sed non misceri cum illo; unde quando duo liquores miscentur, videmus unum dividere alterum, et permeare illud, et Aristoteles in textu ultimo hujus capitis decimi inquit, quod oportet miscibilia esse terminabilia et passiva, hoc autem ut ait D. Thomas est bene terminabile, quod est bene divisibile in parva, sicut corpora humida, quæ idcirco sunt magis miscibilia. Tertia conditio est, ex parte qualitatis, quod scilicet sint activa, et passiva secundum qualitates, non ita tamen quod unum prædominetur alteri, adeo ut trahat illud ad se tanquam partem, sicut fit in augmentatione, sed requiritur quod ex utroque fiat unum tertium temperamentum; et ideo requiritur ista qualitatum activitas et passibilitas, quia quando ex elementis fit mixtum vel ex liquoribus, non debent manere qualitates in toto suo vigore et cruditate, sicut sunt in elementis, sed temperari ad invicem, et sic requiritur mutua alteratio, sicut explicat

Philosophus loco citato, textu LXXXIX et D. Thomas ibi lect. XXV. Quarta denique conditio tenet se ex parte ubi, scilicet quod conveniant in unum locum miscibilia, alias non fiet mixtio, nec resultabit unum, nec dabitur mutua actio et passio, si non applicentur localiter in uno loco. A quo autem agente fiat mixtio præsertim elementorum, dicemus respondendo ad argumenta.

His positis, DICO PRIMO : Datur de facto mixtio qualis a nobis explicata est. Ita Aristoteles contra aliquos antiquos, qui mixtionem negabant, ut patet in textu LXXXIII, ubi pote st videri D. Thomas et constat tum experientia, quia videmus multa ad invicem misceri, id est, ex pluribus in unum tertium convenire, ut ex variis liquoribus in quibus simplicia non penitus extinguuntur quoad virtutem, licet formæ substantiales non remaneant, quod est signum manifestissimum mixtionis, in generatione enim quæ mixtio non est, unum penitus extinguitur quoad formam et virtutem, sicut si ex terra fit ignis nihil de terra manet, si gutta vini cadat in fluvium, nihil de vino manet, et ideo illa non est mixtio, sed simplex generatio, ergo ut mixtio sit aliquid manere debet; tum etiam, quia videmus corpora aliqua non esse simplicia, sicut elementa, sed mixta seu composita, siquidem in eis invenitur aliquid de omnibus elementis, videlicet qualitates elementales, ergo oportet quod talium corporum generatio sit mixtio non simplex generatio ; tum denique, quia in corporibus datur mutua actio, et reactio, ut in quæstione præcedenti ostensum est, ergo oportet dari mixtionem, siquidem ex ista mutua reactione ipsæ qualitates miscentur, et temperantur, ergo tanta potest esse corruptio, quod illa corpora non maneant, in suo statu, nec cum debitis dispositionibus, et consequenter quod fiat aliquod tertium ex illis, quod est mixtum. Quod si inquiras, an omnia quatuor elementa concurrant ad compositionem mixti, de hoc dicemus amplius, quæstione XI, non enim desunt qui id negent solum, qui existimant ignem non posse descendere ad locum mixti, id est, ad terram, ubi sunt mixta, quia alias ignis violenter moveretur. Sed tamen hoc fundamentum debile est, tum quia in terra verus datur ignis, qui non est mixtum, sed corpus elementale, licet nonita purum sicut in sua sphæra, ergo ex illo possunt mixta generari ; tum quia non repugnat aliquam exhalationem inflammari sursum ab igne elementali, et decidere in alias exhalationes, aut etiam usque ad terram, sicut fulmen, quæ licet sint exhalationes ignitæ, tamen secum deferunt ignem, cum videamus comburere, et inflammare multa ergo non est negandum posse ignem descendere, et in mixtis ex tali inflammatione generatis virtualiter manere, et ad alia communicari.

DICO SECUNDO : Optima est definitio Aristotelis, tradita de mixtione. Eam acceptant communiter omnes Philosophi, licet non defuerit aliquis, qui illam reprehenderit tanquam vitiosam, eo quod traditur per æque ignotum, scilicet per miscibile tam ignotum est enim quid sit miscibile, quam quid sit mixtio; et quia in ea circulus committitur, quia mixtio definitur per miscibile, et miscibile per mixtionem. Cæterum conclusio nostra manifesta est, quia per hanc definitionem explicatur natura mixtionis, ut distinguitur a simplici generatione quæ simpliciter fit ex uno quod corrumpitur, sicut cum ignis generatur ex ligno. At vero in mixtione datur generatio ex contemperatione, et congregatione aliquorum quæ inter se divisa sunt, unde oportet fieri per modum

unionis seu congregationis contemperantis, et conjungentis multa divisa in unum tertium. Unde hæc definitio præsupponit definitionem generationis substantialis in communi, scilicet quod sit mutatio de non esse substantiali ad esse substantiale in materia, explicat autem id in quo differt generatio mixtiva a simplici generatione non miscente, neque congregante aliqua, ex quibus unum tertium formetur. Et ideo D. Thomas in hoc primo libro de Generatione lect. XXV, in fine explicans hanc definitionem Aristotelis dicit : « Quod mixtio est miscibilium alteratorum corruptorum secundum formas, unio. » Itaque ly unio idem est quod actio congregativa seu factiva unius ex multis substantialiter, et ita non significat unionem materiæ cum forma quæ est communis omni generationi, sed ex pluribus quæ corrumpuntur contemperationem, et congregationem in unum, et ideo requiritur, quod alterentur miscibilia, non quacunque alteratione, sed corruptiva illorum, et redigente illa ad unum tertium.

Sic ergo, in ista diffinitione tria essentialiter requisita ad mixtionem explicantur, scilicet ex parte termini *a quo*, ex quibus fiat ; ex parte termini *ad quem*, quid fiat ; ex parte actionis, quomodo fiat, quod est plene explicare mixtionem. Ex parte termini *a quo*, quod non fiat ex uno tantum quod totaliter corrumpatur, sed ex pluribus miscibilibus, id est, in se quidem distinctis, sed in unum congregabilibus. Additur *alteratorum*, propter duo. Primo, ut intelligatur quod mixtio primo et per se debet fieri in qualitatibus, quæ alteratione ipsa confunduntur, et in unam virtutem seu qualitatem mediam conveniunt, hæc enim debet manere in mixto, si verum mixtum fiat, ad distinctionem eorum quæ miscentur sine alteratione solum per divisionem minimarum partium simul congregatarum. Secundo, ut significetur talis alteratio quæ sit corruptiva miscibilium, ut ex D. Thoma advertimus, alias non fieret unum ex ipsis miscibilibus. Ex parte termini *ad quem* explicatur, quod fiat unum tertium ex illis, et non quodlibet eorum maneat. Ex parte etiam actionis seu modi procedendi significat ipsa unio actionem mixtivam, id est, quæ non solum sit unitiva formæ, et materiæ, sed congregativa plurium miscibilium in unum.

Ex quibus colligitur quomodo mixtio differat a generatione substantiali, et quomodo illam includat ; differt enim a generatione substantiali simplici, non a generatione substantiali communiter dicta, quam tanquam genus includit, addit autem supra generationem simplicem fieri per modum unitivi, et congregativi, manentibus qualitatibus ad medium redactis. Et quando Philosophus probat mixtionem differre a generatione, non loquitur de generatione in genere, sed de generatione simplici, quæ est species generationis, et nomine generationis absolute nominatur, sicut dispositio dicitur species condivisa contra habitum, cum tamen etiam detur dispositio generica, ad habitum. Nec propterea negandum est dari formam substantialem in mixto cui qualitas temperata debita sit, nam ut docet S. Thomas IV contra Gent. c. LXXXI : « Forma mixti dupliciter intelligi potest, uno modo, ut per formam mixti intelligatur forma substantialis corporis mixti. Alio modo dicitur forma mixti, qualitas quædam composita, et contemperata ex mixtione simplicium qualitatum, quæ ita se habet ad formam substantialem corporis mixti, sicut se habet qualitas simplex ad for-

mam substantialem corporis simplicis. » Atque ita mixtio non ad solam qualitatem terminatur, sed ad substantiam, et ita differt ab alteratione, quia non solum illam præsupponit, sed etiam simplex dicitur illa, quæ vel generat corpus simplex, scilicet elementum, vel quæ generat modo simplici, id est, non per congregationem et temperationem multorum, sed simpliciter corrumpendo unum et generando aliud, sicut si gutta aquæ injiciatur in magnam quantitatem vini, non fit ibi unum tertium ex miscibilibus, sed ex uno fit aliud, scilicet ex aqua vinum.

Unde colligitur Philosophum non definisse mixtionem per aliquid ignotius, nam miscibile prius explicavit per suas conditiones, deinde mixtionem per miscibile. Et similiter non commisit circulum, quia miscibile non per mixtionem ipsam notificavit præcise, sed per alias conditiones ad miscibilia requisitas, ut constat ex textu, et sic potuit Aristoteles per miscibile jam aliunde explicatum mixtionem explicare.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur: Ad probandum mixtionem non dari in rerum natura argumento illo antiquorum, quia vel corrumpuntur miscibilia ad mixtionem, vel non: si non corrumpuntur, ergo non magis sunt mixta quam prius, sed solum congregantur in unum, non fiunt unum; si corrumpuntur, ergo ex illis non fit mixtio, quia ex non entibus non fit mixtio. Confirmatur, quia mixtio, vel fit per divisionem partium vel per penetrationem, hoc secundum naturaliter esse non potest: primum vero si fiat, imprimis solum mixtio erit per juxtapositionem unius partis ad aliam; deinde vel solvitur continuum in omnem suam partem vel non. Primum esse non potest, quia quælibet pars est divisibilis, et sic non potest dividi in omnem suam partem, ita ut amplius dividi non possit; nec secundum, non est major ratio cur dividatur in istas partes, quam in illas.

Respondetur miscibilia corrumpi formaliter, sed manere virtualiter in mixto ratione qualitatum; et mixtio fit ex miscibilibus quæ actu existunt in principio, quando mixtio inchoatur, non existunt autem in termino quando generatur mixtum ex illis corruptis. Ad confirmationem respondetur mixtionem fieri per divisionem in partes minimas, nec tamen una solum manet juxta illam, sed agit in illam, quia actio et reactio facilius transmutat rem sic divisam et comminutam in partes minimas, et inde resultat forma mixti. Quando autem quæritur an dividatur in omnem suam partem, respondetur non dividi in omnem suam partem quasi mathematice, hoc enim est impossibile, cum omnis pars sit semper divisibilis, sed solvitur in partes minimas naturales, in quibus scilicet conservari potest species talis corporis, ut ad invicem agant; aliquando etiam fiet in majores partes, prout agens, a quo fit mixtio, magis vel minus comminuerit illas, et materia ipsa patiatur, et ad mutuam actionem, et reactionem sufficiat.

Secundo arguitur: Mixtio quæ fit ex elementis non est naturalis, neque violenta, ergo nulla. Non est violenta, quia sic non esset a natura ordinata ad producenda corpora mixta, nec productio mixti esset productio rei naturalis. Non est naturalis, quia elementa aliqua debent extra locum suum poni, ut ex eis fiat mixtum, sicut aer et ignis debent descendere

ad locum inferiorem, ubi fit mixtum, et præsertim non apparet, quomodo mixta quæ fiunt intra mare ex concursu aeris, et ignis geri possint. Confirmatur, quia si elementa conveniunt ad mixtionem, oportet quod moveantur ad locum, in quo fit mixtio ab aliquo movente; non a se, quia de se unumquodque elementum tendit ad suum centrum, non ad locum cujuscunque mixti, neque elementa intendunt formam mixti, sed suam propriam generare quantum est de se, præsertim cum elementum sit imperfectius quam mixtum, et sic non potest ex propria virtute intendere ejus generationem et se movere ad illam, neque moventur elementa ab alio mixto, quia loqui possumus de primo mixto, quod factum est ex elementis, et non supposuit aliud prius mixtum, a quo moverentur elementa; neque moventur a cœlo, quia est causa universalis, et remota, nec potest esse immediata causa omnium mixtorum, ut patet in animalibus perfectis.

Respondetur mixtionem esse naturalem utpote a natura ordinatam, et ad naturalis entis productionem terminatam. Nec obstat, quod alicui elemento fiat violentia, quia hæc violentia tenet se ex parte elementi, quod corrumpitur, et transit in mixtum, non autem ex parte ipsius mixti, quod producitur; nullum est autem inconveniens, quod in generatione naturali corruptum aliquam patiatur violentiam, licet enim sit violentia respectu corrupti, est tamen naturalis materiæ, et ad bonum universi ordinata et ita simpliciter est naturalis mixtio, licet præsupponat aliquam violentiam ex parte ejus, quod corrumpitur. Nec est necesse, quod elementa omnia formaliter intrent in quemcunque locum ubi formatur mixtum, sufficit quod virtualiter, et per suas qualitates intrent, sicut in profundo maris invenitur calor in piscibus ad operationes vitales, qui calor est virtus quædam ignis, et potest participari a cœlo.

Ad confirmationem respondetur, quod elementa ex propriis non moventur ad mixtionem, bene tamen a causa superiori, v. g. a cœlo, vel a Deo, qui in principio produxit omnia mixta ex elementis, et licet aliqua dicantur facta esse ex aqua vel ex terra, non propter hoc tollitur, quod omnia elementa saltem virtualiter concurrant ad mixta, cum etiam in piscibus ut diximus inveniatur calor, qui est virtus ignis, sed dicuntur fieri ex illo elemento, quod magis prædominatur in tali mixto, de quo D. Thomas I p. q. LXXI, in corpore et ad primum.

Ad instantias autem confirmandas respondetur, quod elementum secundum se, et ex propriis solum movetur ad suum centrum, et ad generandum suum simile, tamen ex impressione causæ superioris potest agere ad productionem mixti, sicut sola terra non germinat herbam nec producit metalla, sed ex impressione cœli. Et quando dicitur, quod cœlum est causa universalis, et remota, et non potest in omnia mixta, respondetur quod respectu aliquorum mixtorum est sufficiens causa ut respectu herbæ, et metalli, et similium, respectu vero animalium perfectorum non est causa sufficiens, et ita oportuit quod prima animalia producerentur a Deo, deinde cœlum cum prædictis animalibus concurrit ad generandum.

Tertio arguitur, contra definitionem mixtionis: Quia unio non est aliquid præter relationem, ut diximus in quæstione VI Physicor. sed relatio non pertinet ad speciem generationis quæ est actio, ergo mixtio quæ est species generationis inconvenienter definitur per unionem.

Confirmatur, quia mixtio differt a simplici generatione ex parte termini *ad quem* seu formæ ad quam terminatur, scilicet ad formam mixti, ergo sicut generatio definitur, quod est transitus a privatione formæ substantialis ad formam substantialem in materia, ita mixtio quæ est species generationis deberet definiri quod sit transitus a privatione formæ mixti ad formam mixti, non autem per hoc quod sit unio, formaliter enim est transitus, quia est generatio, non autem unio, quia non est relatio.

Respondetur quod ly *unio* in definitione mixtionis non significat ipsam relationem, vel modum unitivum extremorum, sed est actio unitiva et generativa tali modo, id est, ex congregatione miscibilium in unum, quod temperatur, et congregatur ex omnibus, non autem ex uno tantum generatur, et sic sub nomine unionis non intelligitur unio in facto esse, quæ de formali importat relationem inter extrema convenientia in unitatem, quam per unionem acquirunt, quatenus ad invicem se communicant, et ideo præsupponere debent actionem aliquam et passionem, qua unum communicetur alteri ad talem unitatem constituendam, non quidem per aliquem modum superadditum tanquam per rationem formalem, eo quod ista unitas in qua extrema conveniunt, non est formaliter unitas modalis, substantialis, vel accidentalis, et ideo non habet pro medio, et ratione formali modum, sed ipsam extremorum communicationem quæ fit per eorum entitates tali actione, vel passione applicatas; et ista actio sic tendens ad communicandum vocatur etiam unio activa, et hæc intelligitur nomine unionis in definitione mixtionis, non quidem actio uniens materiam formæ, quia hoc est commune omni generationi, sed qua uniuntur miscibilia, ad hoc ut corrupta inter se unum mixtum faciant, et ideo stat, quod uniantur per mixtionem, licet corrumpantur, quia non uniuntur formaliter tanquam extrema componentia, sed virtualiter in uno tertio, quod resultat ex talibus miscibilibus in unum contemperatis.

Ad confirmationem respondetur, quod mixtio est transitus de forma miscibilium ad formam mixti, sed quia non est simplex transitus, sed congregativus ex multis, nomine unionis designatur, eo modo quo dictum est.

ARTICULUS II.

Quomodo mixtio fiat in liquoribus tam ejusdem, quam diversæ speciei?

Duplex est genus miscibilium, quædam sunt ut liquores, quædam ut elementa: in hoc articulo agemus de liquoribus, in sequenti de elementis. Circa mixtionem liquorum, supponimus posse in illis dari mixtionem late sumptam, quæ fit per solam aggregationem partium in unum locum, id enim manifeste constat experientia, cum videamus aliquos liquores in se confundi. Difficultas est in duobus. Primum, an inter istos liquores intercedat propria mixtio, quæ facit unum tertium ex corruptione eorum. Secundo, specialiter quando miscentur duo liquores ejusdem speciei, et eorumdem accidentium, an possit fieri vera et propria mixtio, cum corruptione miscibilium, et generatione unius tertii.

Dico primo: Inter liquores diversæ species habentes contrarias qualitates datur vera, et propria mixtio. Conclusio est satis nota, sumiturque ex D. Thoma III p. quæst. LXXVII, art. VIII, ubi inquit: « Quod si permisceatur aliquis liquor in tanta quantitate, quod possit diffundi per totum vinum, totum fieret permixtum, quod autem est commixtum ex duobus, neutrum miscibilium est, sed utrumque transit in quoddam tertium ex his compositum, unde sequeretur quod vinum prius existens non remaneret, sed liquor permixtus esset alterius speciei, puta si permisceretur aqua, solveretur species vini et esset liquor alterius speciei. » Et idem docet in IV, distinct. XII, q. I, a. III, q. VI. Ratio est, quia inter liquores habentes contrarias qualitates concurrunt conditiones veræ mixtionis; siquidem ex parte quantitatis cum sint humida facile possunt dividi, ut advertit Philosophus in hoc primo libro, text. LXXXIX, similiter ex parte qualitatis habent quidditates contrarias, ergo sunt capaces alterationis corruptivæ, quia hæc fundatur in contrarietate qualitatum, et consequenter sic possunt temperari, ut corrumpantur liquores, et fiat unum tertium.

Circa liquores vero ejusdem speciei, qui non habent qualitates contrarias, et tamen ad invicem dividuntur, et copulantur, difficultas major est, nam ex una parte videtur fieri unum mixtum simpliciter ex illis quia fit unum numero per copulationem partium, sicut ex duabus aquis in uno vase fit una aqua numero. Ex alia vero parte non datur alteratio, cum non habeant qualitates contrarias, ergo neutrum alteratur alteratione corruptiva, quæ essentialiter requiritur ad mixtionem, corruptio autem non datur de uno individuo in aliud, quia simile non agit in simile, sed de una specie in aliam. Item, quia alias si fieret mixtio ex duobus liquoribus ejusdem speciei cum corruptione utriusque, sequeretur quod si vinum consecratum adderetur alteri vino consecrato, ibi desineret esse corpus Christi, cum tamen utrumque consecratum sit. Sequela patet, quia fit alterum numero distinctum ab utroque miscibili, et illud tertium non est consecratum, quia de novo fit, ergo sub illo non manet corpus Christi. Quod a fortiori sequitur si aliquod vinum non consecratum misceatur consecrato, tunc enim etiam resultabit unum numero distinctum, quod consecrationi non fuit subjectum. Et ita aperte affirmat S. Thomas citato loco ex tertia parte. Quod confirmatur, quia ut dicitur cap. Cum Marthæ, de celebrat. missarum, quando vino consecrato infunditur aliud vinum, hoc secundum nec transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur, ergo supponit decretalis, quod non fit mixtio ex liquoribus ejusdem speciei. Ad hoc

Dico secundo: Quando conjunguntur duo liquores ejusdem speciei, non habentes qualitates contrarias, tunc non fit corruptio neque mixtio, sed sola continuatio unius liquoris ad alium, et in tali casu non dicit D. Thomas fieri aliud numero, vel destruere sanguinem sub speciebus consecratis si eis misceatur aliud vinum. Prior pars, quæ est communis Thomistarum ut asserit M. Nunno III part. quæstion. LXXVII, articul. VIII, circa quartam conclusionem D. Thomas probatur, quia ad mixtionem de qua in præsenti loquimur, non sufficit divisio partium, et continuatio earum, ut fiat mixtio sicut probat Philosophus in hoc primo libro, text. LXXXIV et LXXXV, alias mixtio esset aggregatio partium, et juxtapositio, et sic quando ignis aggenerat sibi alium ignem, diceretur ibi fieri mixtio, cum tamen nullum fiat mixtum. Quare mixtio generativa essentialiter requirit alterationem miscibilium, et talem quæ corrumpat miscibilia, ut fiat; ergo ubi non est alteratio et corruptio penes formam non est mixtio, ubi autem non est

contrarietas qualitatum, non potest esse alteratio corruptiva, quia omnis corruptio in contrarietate fundatur, ergo inter liquores non habentes qualitates contrarias, non potest fieri mixtio, de qua loquimur in præsenti, quæ fit ex contemperatione, et corruptione miscibilium, sed solum poterit dari continuatio unius partis cum alia, ut cum aqua miscetur aquæ nullo mixto producto, sed elemento continuato.

Secunda pars ex eodem contextu D. Thomæ quæst. illa LXXVII citata, art. VIII, dicit enim : « Quod corpus et sanguis Christi manet in speciebus, quamdiu illæ species manent eadem numero, quia consecratur hic panis, et hoc vinum, unde si fiat tanta permixtio liquoris cujuscumque, quod pertingat ad totum vinum consecratum et fiat permixtum, erit aliud numero, et non remanebit ibi sanguis Christi. » Quæ verba procedunt ex suppositione, quod fiat mixtio liquoris cum liquore, et fiat permixtum, atque adeo supponendo corruptionem, et non solum continuationem utriusque liquoris. Et solutione ad II inquit, « Quod permixtione facta corrumpuntur species vel in toto, vel in parte, » ergo supponit fieri permixtionem corruptivam, et consequenter alterationem fundatam in contrarietate qualitatum, non vero solam continuationem specierum, de hac enim non dicit quod sufficit ad hoc ut desinat ibi corpus Christi, imo oppositum approbare videtur in IV, ad Annibaldum disp. XII, quæstione unica art. III, ad III.

Dico TERTIO : Quando liquores sunt ejusdem speciei, sed habent qualitates contrarias, potest dari vera mixtio et corruptio miscibilium, et in hoc casu loquitur S. Thomas quod non manebit sanguis in speciebus consecratis, si misceatur alius liquor ejusdem speciei, qui facit ut sit aliud numero, ut patet ex verbis ipsius citato loco : « Si esset, inquit, ejusdem speciei liquor adjunctus, puta si vinum permisceretur vino, remaneret quidem eadem species, sed non remaneret idem numero vinum, quod declarat diversitas accidentium, puta si unum vinum esset album, et aliud rubrum, » ergo ex hac declaratione colligitur, quod loquitur S. Thomas de liquoribus ejusdem speciei habentibus diversa accidentia. Præsertim hoc adjuvatur ex alio loco in quodl. X, art. III, ubi tractans eamdem quæstionem et impugnans eos qui dicebant per quamlibet guttam liquoris mixtam speciebus, desinere ibi esse sanguinem Christi inquit : « Quod ipsa additio non tollit essentiam dimensionis, sed variat terminationem ejus, quæ quidem variatur non solum per additionem, sed etiam per divisionem, unde si talis variatio sufficeret ad hoc, quod desineret esse sub speciebus corpus, vel sanguis Christi, sequeretur quod per divisionem specierum, desineret esse similiter, quod patet esse falsum. » Quare secundum D. Thomam per additionem, vel continuationem liquorum non solvitur substantia miscibilium, vel specifica, vel numerica, per mixtionem autem solvitur, quia est cum corruptione. Et ex hoc probatur prima pars conclusionis quia in liquoribus ejusdem speciei si dentur accidentia opposita, ratione quorum unum sit activius altero, sicut indicat diversus color, vel acrimonia talium liquorum, tunc datur sufficiens contrarietas ad corruptionem in qualitatibus, et datur etiam divisio partium inter ipsos liquores, ut videmus fieri, ergo datur quidquid requiritur ad veram mixtionem, scilicet divisio, alteratio, et corruptio. Nec obstat quod sint ejusdem speciei, quia bene potest unum individuum sortiri qualitates oppositas alteri, ratione quarum agat ad corruptionem alterius in aliud tertium, in quo illæ qualitates maneant temperatæ, cum non solum unum individuum, sed etiam una pars possit agere in aliam in eodem individuo, ut patet in viventibus, deficiente enim alimento una pars agit in aliam, et consumit illam, unde redditur animal macilentum et tenue, ergo similiter poterit unum individuum esse fortius altero, sicut unum vinum est fortius altero, et per suam qualitatem agit in illud, et dissolvere illud, contemperando in uno tertio, tunc enim non agit simile in simile, quia dissimilia sunt secundum qualitates oppositas.

Ex quo patet ad rationes dubitandi a principio. Ad primum enim respondetur, quod quando duo liquores sunt omnino similes in specie, et qualitatibus, tunc unum non corrumpitur ab alio, nec miscetur, sed continuatur præcedenti, et sic non fit aliquid distinctum numero, sed idem numero fit majus per continuationem, sicut animal crescit per augmentationem; si vero sint diversarum qualitatum, quæ possunt in unum contemperari, tunc fit mixtio, et resultat unum tertium individuum corruptis miscibilibus. Neque est necesse, quod omnis corruptio sit de una specie in aliam, sed potest esse de uno individuo in aliud, ut jam explicavimus.

Ad secundum dicitur, quod si vinum consecratum misceatur alteri consecrato, potest hoc fieri dupliciter; uno modo quando utraque species vini habet easdem qualitates, v. g. est ejusdem acrimoniæ, caloris, etc. alio modo quando habet diversas qualitates quarum una potest alteri misceri, et contemperari. Primo modo est certum quod non fit mixtio, sed continuatio unius speciei ad aliam, et sic non corrumpit miscibilia; illis autem non corruptis, non desinit esse sanguis, sicut argumentatur S. Thomas, quia etiamsi dividatur, et fiant plura individua ex speciebus vini, vel panis, non desinit ibi esse corpus Christi. Si secundo modo fiat, ita quod inter ipsas species vera mixtio conficiatur, tunc censent aliqui esse probabile, quod ibi desinat esse sanguis Christi, eo quod fit unum tertium individuum corruptis miscibilibus, et super illud non cecidit consecratio; quod videtur insinuare S. Thomas dicta quæstione LXXVII, et expresse tenet M. Nunno citatus, licet dicat non esse certum. Existimo tamen non loqui in illo casu s. doctorem, quo duæ species consecratæ miscentur, quia licet fiat unum tertium individuum, quia tamen omnes partes fuerunt consecratæ, totum remanet consecratum ratione partium, sicut e converso quando dividitur hostia, et fiunt duo individua, quodlibet retinet consecrationem, quia licet non fuerint consecrata ut duo individua, quia tamen fuerunt consecrata in suo principio a quo dividuuntur et multiplicantur, ideo retinent consecrationem. At vero si vinum non consecratum habens diversas qualitates misceatur consecrato, ita quod totum pervadat, et perfundat, in hoc casu fit alterum individuum ex utroque, et cum non sit consecratum in omnibus suis partibus, et in se sit aliud numero distinctum ab eo quod consecratum fuit, probabile est desinere in illo toto esse sanguinem, et in hoc casu loquitur S. Thomas, sed quia non est omnino certum, vinum illud religiose servandum est.

Ad confirmationem respondetur, decretalem solum dicere, quod vinum appositum speciebus non consecratis non miscetur sanguini intus contento, nec illud perfundit, aut tangit, cum non sit ibi modo

connaturali et extenso : non tamen docet non misceri speciebus, ut fiat unum tertium, quo resultante desinat ibi esse sanguis.

ARTICULUS III.

Quomodo fiat mixtio inter elementa, et quomodo illa maneant in mixto?

De elementorum mixtione duæ possunt esse difficultates. Prima, an vere omnia quatuor elementa misceantur, ita quod ex illis componatur mixtum. Secunda, quomodo dicantur manere elementa in mixto virtualiter, et non formaliter, et quid sit virtualiter manere.

De primo, disseruit Aristoteles in hoc libro secundo, c. VIII, text. 1., ubi ostendit omnia elementa esse in quolibet mixto, et ad illud concurrere. Et quidem quod omnia elementa possint esse in quolibet mixto, seu concurrere ad illud jam supra diximus ostendendo quomodo etiam ignis possit ad constituendum mixtum concurrere. Quod vero de facto in omni mixto inveniantur omnia elementa asserit Aristoteles citato loco; quod non est intelligendum, ita ut quando quodlibet mixtum generatur, ibi formaliter conveniant omnia elementa, cum hoc vix accidere possit, ut in animalibus, et his quæ generantur intra aquam manifestum est, sed sufficit quod virtutes elementorum, quæ in prioribus mixtis fuerunt contemperatæ, de uno mixto ad aliud transfundantur. Et quidem ex eo quod inveniatur in mixtis gravitas, manifestum est in illis concurrere elementa gravia, et non solum terram sed etiam aquam, quia alias haberent siccitatem sine aliqua humiditate, et sic non possent continuari, et coagulari, sed magis in pulverem reducerentur, quia nimia siccitas in pulveres reducit. Alia autem duo elementa, scilicet ignis et aer etiam concurrunt in mixto, quia si terra, et aqua concurrunt, oportet quod concurrant contemperata, et alterata, non possunt autem alterari, ita ut temperentur, nisi a suo contrario, quia si frigus aquæ, verbi gratia, est in summo, non poterit temperari a calore modico, sed a concursu alterius caloris summi, qualis est in igne, si enim esset calor modicus consumeretur a frigore summo, non autem temperaretur. Ut ergo ex elementis fiat temperatio mixtorum, necesse est omnia elementa concurrere, si duo concurrunt ut terra, et aqua propter gravitatem mixtorum, et coagulationem, quæ elementa communiter dominantur in mixtis, ut infra dicemus ex D. Thoma, si quæ enim mixta ascendunt, ut quædam meteora ignita, aut etiam vapores, hoc non fit ex propria earum natura, sed ex virtute solis elevantis, vel ignis deferentis; unde vapores relicti suæ naturæ resolvuntur in aquam, sicut etiam aves, licet virtute vitali volare possint, tamen naturali pondere decidunt.

Secunda difficultas longior est, pluraque habet explicatu difficiliora; nam cum mixtio fiat ex substantia elementorum et qualitatibus dubitatur, tam ex parte formarum substantialium, quam ex parte qualitatum quomodo fiat mixtio. Ex parte quidem formarum dubitantur duo. Primum, an formæ elementorum substantiales formaliter maneant in mixto. Secundo, an dato quod formaliter non maneant, an maneant virtualiter, et per modum gradus, sicut vegetativum, et sensitivum in anima. Ex parte vero qualitatum similiter dubitantur duo. Primum, an qualitates elementorum maneant in mixto formaliter, vel solum virtualiter ratione alicujus tertiæ qualitatis ex illis resultantis. Secundo, an hoc sufficiat, ut dicantur elementa manere in mixto.

Ad primam difficultatem respondetur, certum esse quod in mixto non manent actu formæ substantiales elementorum. Est communis fere omnium Philosophorum, licet Avicenna senserit manere formas elementorum substantiales integras in mixto, qualitates autem ad medium reduci. Averroes autem dixit manere easdem formas elementorum, sed non perfectas et integras, sed remissas et imperfectas. Nihilominus oppositum constat ex D. Thoma 1 part. quæst. LXXVI, art. IV ad 4 et II contra Gent. distinct. XV, quæstione 1 et communiter omnes sequuntur, de quibus videri potest M. Bannes in hoc primo libro de Generat. cap. X, quæstione II. Ratio est tum generalis, quia plures formæ substantiales non possunt esse in eodem composito, quia alias non esset per se, et simpliciter unum ut probabitur in libris de Anima, quæstione 1. Tum simpliciter, quia formæ elementorum non possunt simul actuare eamdem materiam, quia petunt qualitates contrarias in summo, atque adeo non possunt compati in eadem parte materiæ. Quod si sunt in diversis partibus, quarum quælibet habet diversam formam elementi, non dicetur mixtum, sed congregatum ex pluribus partibus, habentibus diversas formas specie, quod non est facere unum mixtum per se. Similiter etiam non possunt manere istæ formæ imperfectæ, tum quia formæ substantiales non possunt intendi ; et remitti, sed vel tota forma est in materia, vel nihil, si autem non remittuntur, ergo vel manent integræ, vel sunt aliæ, et non ipsæ formæ elementorum; ponere enim aliquas entitates quæ sint principia formarum, et non formæ ipsæ, omnino absurdum est, cum ad compositum naturale solum concurrant tanquam extrema materia et forma, non autem alia entitas : præterquam quod totum hoc est ponere plures formas substantiales, licet imperfectas in eadem materia, et sic inciditur in idem inconveniens.

Quare ex substantia elementorum sola materia manet in mixto formaliter, formæ autem miscibilium corrumpuntur, ideo enim alterantur miscibilia, ut corrumpantur, et sic explicavit D. Thomas in hoc libro primo, lection. XXV in fine definitionem mixtionis, quod *sit miscibilium alteratorum, et secundum formam corruptorum unio*. Nec Aristoteles unquam docuit miscibilia manere actu in mixto, sed in potentia et virtualitate, quod explicat ratione qualitatum suarum, in quibus tanquam in virtute formæ continentur, ut infra dicemus. Nec obstat, quod secundum hanc doctrinam ex duobus elementis, aut ex tribus poterit fieri mixtum, et non requiritur, quod semper concurrant omnia quatuor, quia illud quod habet aliquam qualitatem in summo, etiam poterit temperari per reactionem a minori qualitate, verbi gratia, frigidum aquæ quod est summum poterit temperari a calido aeris quod est excellens, vel ab alio minori, et sic fuit fundamentum quod Aristoteles et nos ante posuimus, omnia quatuor elementa esse necessaria in mixto. Respondetur enim, quod si elementum habens calorem in summo patitur ab opposito quod non est etiam in summo, licet primo congressu repatiatur, et contemperetur, non tamen sistit in illo temperamento, sed ulterius procedet usque ad vincendam illam qualitatem minorem, eo quod illa qualitas in summo habet activitatem fortiorem emanentem continuo a natura, et per illam continuam emanationem

vincet repassionem minoris, et remissioris qualitatis; unde ut redigatur ad temperamentum et mixtutam permanentem, oportet quod alia qualitate etiam summa habente similem emanationem a natura resistatur illi, vel suppleatur a causa universali, id quod deberet fieri ab elementali, quod est recidere in idem, illa enim virtualiter est tale elementum. Quare si duo elementa concurrant ad aliquod mixtum, oportet alia duo opposita concurrere, ut temperamentum permanenter fiat ex utraque.

Circa secundam difficultatem dissensio est inter Scotum, et Cajetanum, aliosque Thomistas, nam Scotus in II, dist. XV, quæst. unica, videtur concedere, quod formæ elementorum manent virtualiter in mixto, non solum virtualitate accidentali ratione qualitatum, sed etiam virtualitate substantiali ratione graduum, quia forma substantialis mixti continet formam elementorum per modum gradus sicut anima continet vegetativum, et sensitivum. Cajetanus vero prima parte, quæstione LXXVI, art. IV, et alii Thomistæ tenent formam mixti non continere substantialiter formas elementorum virtuali illa continentia, sed solum accidentali, et ratione qualitatum elementalium, ut postea dicemus.

Fundamentum Scoti est, quia etiam antecedenter ad mixtionem qualitatum forma ipsa substantialis est essentialiter forma mixti, ergo essentialiter est ex formis elementorum et continet illas, mixtum enim ut mixtum continet virtualiter miscibilia ex quibus est, alias esset corpus simplex, ergo cum antecedenter ad qualitates detur ista forma mixti, et corpus mixtum, antecedenter ad qualitates datur virtualis continentia elementorum. Deinde, quia qualitates, et formæ elementorum pereunt, et id quod de illis manet est in gradu ita imperfecto quantum ad qualitates, quod nullo modo potest virtualiter continere ipsam formam elementi, siquidem qualitas mixta, et temperata non est virtus elementi, ergo non potest elementum manere in mixto virtualiter ratione qualitatum, siquidem qualitates quæ manent non sunt virtutes elementorum, sed deficientes ab illis, ergo solum possunt contineri elementa in mixto virtualiter ratione gradus substantialis. Quod si sufficit retinere qualitates elementorum debilitatas, et in statu imperfecto, ut dicantur elementa manere in mixto, posset aqua quando calefit dici mixtum, quia retinet omnes quatuor qualitates, licet in statu imperfecto, scilicet calorem quia calefit, et aliquid frigoris quia totum non expellitur, et humidum in gradu excellenti cum aliqua siccitate, tum naturaliter habita, tum ab igne augmentata.

Fundamentum vero sententiæ Cajetani ex eo desumitur, quia si daretur in forma mixti continentia illa substantialis elementi, oporteret quod mixtum haberet gradum elementalem sicut anima habet gradum vegetativum, ita quod natura mixti esset principium operationum propriarum mixti et operationum propriarum elementalium ratione gradus elementalis, sicut ratione gradus vegetativi operatur anima, ea quæ sunt propria naturæ vegetantis vere enim et proprie nutritur, generat, etc. et sic lapis, v. g. ratione gradus elementalis deberet ignire, aut madefacere sicut aqua, quod nequaquam habet, ergo non habet gradum illius elementi siquidem non habet operationem. Præterea, vel contineret mixtum per modum gradus omnes formas quatuor elementorum, vel solum alicujus determinati elementi. Si omnium, deberet omnium operationes exercere, quæ tamen ob sui contrarietatem se impedirent, sicut ob gradum ignis deberet ignire, ob gradum aquæ infrigidare, et humectare, etc. quod est contra experientiam. Si alicujus tantum elementi, ergo jam virtualiter contineret reliqua elementa sine continentia substantiali virtuali, atque adeo bene stat aliqua elementa contineri in mixto, et non ratione gradus substantialis, idem ergo dicetur de omnibus elementis. Denique, elementum non est aliquid commune respectu mixtorum, sicut vegetativum, aut sensitivum respectu animalium, sed elementa sunt corpora condivisa contra mixtum: ergo non potest contineri elementum in mixto tanquam gradus.

Ad primum fundamentum Scoti respondetur, ante qualitates dari formam mixti, quæ ex elementis seu miscibilibus corruptis resultat, et quia fit ex corruptione illorum, non continet ea per modum gradus, continentia substantiali, sicut neque liquor mixtus liquores ex quibus miscetur, sed solum illa forma, quæ resultat ex talibus miscibilibus continet virtualiter, et radicaliter qualitates illas, quæ erant in elementis seu miscibilibus, et hoc modo dicitur continere virtualiter accidentaliter elementa, non virtualiter substantialiter.

Ad secundum respondetur, quod formæ elementorum pereunt in substantia, et manent in virtute seu qualitate, non quod maneat eadem qualitas numero, sed quod succedat aliqua similis a primis miscibilibus derivata. Et cum instatur, quod illa qualitas, sic derivata non est virtus elementi, sed mixti, cum sit modificata et temperata, respondetur esse virtutem elementi non in statu perfecto, sicut est in ipso elemento, sed cum aliqua modificatione, sicut aliquid ab elemento derivatum, ejus dem tamen essentialis rationis cum ipsa virtute elementi, si enim haberet illam in summo, haberet illam per modum ultimæ dispositionis ad elementum, et sic non esset virtus participata, sed propria ipsius elementi. Quia tamen est ab elemento ipso derivata, licet modificata juxta naturam mixti, dicitur virtualiter continere elementum, sicut multæ qualitates quæ a cœlo participantur in inferioribus, ut lux vel aliæ similes participative sunt qualitates cœlestes, licet non in ea perfectione, qua in cœlo sunt. Quod vero additur, quod hoc modo posset unum elementum dici mixtum quando participat omnes qualitates elementales, negatur consequentia, quia quamdiu tale elementum non corrumpitur, licet disponatur per qualitatem alterius elementi ad corruptionem, non potest dici mixtum, quia non habet illas qualitates, ut redactas ad temperamentum ex vi suæ formæ, sed quasdam ut proprias, alias ut disponentes ad corruptionem.

Circa tertiam difficultatem, aliqui existimant, qualitates elementorum non manere formaliter in mixto, sed virtualiter ratione alicujus qualitatis mixtæ seu mediæ virtualiter continentis illas extremas, et hoc ideo, quia forma mixti substantialiter est una, ex corruptis miscibilibus consurgens, ergo debet ei correspondere tanquam propria una qualitas etiam mixta, quod etiam videtur asserere Aristoteles in hoc secundo libro, text. XLVIII, dicens quod ex calido et frigido fit unum medium, quod non est alterum illorum simpliciter.

Nihilominus oppositum dicendum est, manere scilicet in mixto formales qualitates elementorum, verbi gratia, formalem calorem, vel formale frigus, redactas tamen ad mediocritatem. Itaque cum frigidum

et calidum miscentur, utrumque amittit intensionem suam, quod pertinet ad modum, sed non amittit substantiam suam, scilicet rationem ipsam caloris et frigoris, sine illa tamen perfectione, et excellentia intensionis, et sic censet S. Thomas I part. quæst. LXXVI, artic. IV ad 4: « Manent, inquit, qualitates propriæ elementorum, licet remissæ, in quibus est virtus formarum elementalium, » et q. V de Malo, art. V ad 6 inquit: « Quod ita contrariæ sunt qualitates in corpore mixto, sicut sunt contrariæ elementa in mundo. » Unde sumitur ratio, quia in corpore mixto videmus qualitates non solum quoad sensum habere eamdem immutationem, quam in elementis, scilicet calidi et frigidi sed etiam pugnare, et contrariari inter se, sicut in corpore animalis contrariæ qualitates pugnant et agunt ad invicem, ergo signum est formaliter manere qualitates elementales. Denique, si istæ qualitates non essent formaliter in mixto neque esset formalis contrarietas, et consequenter non corrumperetur mixtum ex causa intrinseca, si quidem corruptio accidit penes contraria, quæ mutuo in se agunt, una autem qualitas ex omnibus conflata non agit in se ipsam, ut se corrumpat, ergo si intrinseco corrumpuntur, ab intrinseco habent contrarietatem et consequenter qualitates elementorum formaliter, quia in illis solum contrarietas ista exercetur.

Ad oppositum fundamentum respondetur, non debere formæ mixti correspondere unam qualitatem, sed sufficere quod correspondent una proportio, et temperamentum plurium qualitatum, eo quod ex earum temperamento consurgit mixtum, et ideo retinet illas ad mediocritatem redactas, quia tamen forma mixti est una, poterit etiam sortiri aliquam qualitatem, quæ una fit, verbi gratia, aliquam virtutem activam, sicut magnes attrahit ferrum, vel aliquem colorem proprium ipsius mixti, aut aliquid simile, sed istæ qualitates consequuntur formam mixti, non ex earum temperamento mixtio fit.

Ad testimonium Aristotelis respondetur, Aristotelem non dicere, quod ex calido, et frigido fit unum medium, quod non contineat formaliter ipsum frigus, et calorem, sed quod utrumque continet in uno medio, id est, redacto ad unum temperamentum, vel mediocritatem, non vero quod aliqua tertia qualitas resultet eminenter continens frigus, et calorem.

Instabis: Quomodo sunt qualitates illæ elementorum, siquidem propriæ passiones nequeunt communicari aliis subjectis, istæ autem qualitates elementorum sunt propriæ passiones eorum; et dato quod possent communicari, non tamen exercendo contrarietatem, quod impedit ut formaliter sint simul, adhuc autem ut remissæ, contrariantur illæ qualitates. Respondetur, quod propriæ passiones alicujus bene possunt esse in proprio subjecto essentialiter, in aliis autem participative, sicut lux est in sole ut in proprio subjecto connaturaliter, in aere autem participative. Ad aliam partem argumenti respondetur, quod qualitates remissæ exercent quidem contrarietatem inter se, sed non perfecte, et adæquate, sed imperfecte, et quantum ad aliquid, quia enim remissæ sunt, non subjiciunt sibi totaliter, nec replent totam latitudinem subjecti, unde non omnino se expellunt ab illo, id enim esset simpliciter, et perfecte contrariari, de quo latius dicemus infra q. X. Oppositio autem modo se habet in qualitatibus intensis. Datur tamen aliqua contrarietas in qualitatibus remissis, quia aliquo modo ad invicem agunt, et patiuntur, quod sine aliqua contrarietate fieri non potest, et ita est ibi contrarietas essentialiter, sed non in omni perfectione.

Circa ultimam difficultatem respondetur, elementa dici virtualiter manere in mixto, quia manent qualitates quæ sunt virtutes elementorum in ipso. Ita sumitur ex D. Thomæ I, de Gener. lect. XXIV in fine, et I p. q. LXXVI, a. IV ad 4, ubi inquit: « Quod secundum Philosophum in I de Gener. formæ elementorum manent in mixto non actu, sed virtute, manent enim qualitates propriæ elementorum licet remissæ, in quibus est virtus formarum elementalium. » Et videri etiam potest II contra Gent. c. LV, et opusc. XXXIII, et aliis locis. Itaque elementa manent in mixto non formaliter aut virtualiter substantialiter, sed virtualiter accidentaliter, sicut dicitur aliqua forma manere in sua dispositione non ultima, ultima enim semper est annexa ipsi formæ, sed remota, et ad mediocritatem redacta. Ratio sumitur ex dictis, quia non est alius modus continendi elementa, nisi vel substantialiter, vel accidentaliter; substantialiter non possunt contineri elementa in mixto, neque formaliter, neque virtualiter tanquam in gradu: ergo virtualiter accidentaliter eo modo quo dictum est.

Sed dices: Virtus manens in mixto non potest producere elementa, nec enim calor lapidis vel ferri est talis ut possit producere ignem; ergo prout est in mixto non continet virtualiter elementa, illud enim continet virtualiter, quod continet aliquid tanquam in virtute productiva illius. Secundo, mixtum factum ex liquoribus non continet illos, eo quod non potest illos producere ex quibus factus est; ergo neque dicetur continere elementa virtualiter, quia elementa producere non potest. Tertio, quia si ex eo dicitur mixtum continere virtualiter elementa, quia continet qualitates eorum in gradu remisso, etiam dicetur mixtum continere virtute omnia mixta, et unum elementum aliud; consequens est falsum, ergo. Sequela patet, quia mixtum continet omnes quatuor qualitates, ex quibus alia mixta componuntur, similiter unum elementum continet qualitatem alterius, verbi gratia, aer habet calorem non in summo sicut ignis, sed minus intensum, ergo dicetur continere ignem virtualiter, quia in gradu remisso continet virtutem ejus, scilicet calorem.

Ad primum respondetur, virtutem mixti posse virtualiter producere elementum, non immediate, sed mediate, et crescente dispositione, quam habet, quæ non est ultima respectu elementi, sed remota ut diximus, et ita crescente ejus intensione, et perveniente ad eam perfectionem, quam habet in elemento, poterit produci ex mixto, et sic ab extrinseco habent mixta resolvi in elementa saltem mediate.

Ad secundum respondetur, quod quando unum mixtum fit ex aliis mixtis, ut ex liquoribus, si retinet non solum qualitates elementales, quæ sunt communes omni mixto, sed etiam particulares, et proprias illorum liquorum, dicetur etiam continere illos liquores virtualiter, sicut vinum temperatum ex aqua continet ejus qualitatem, si vero temperetur ex alio liquore, illius qualitatem imbibit. Si autem ita solvatur species liquorum, quod non maneant qualitates propriæ, sed solum qualitates communes elementorum, tunc non dicetur mixtum virtualiter continere illa mixta. Et quia certum est qualitates elementales semper manere in omni mixto, quia sunt omnibus communes, non autem est certum manere semper proprias vir-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
FONDO UNIVERSITARIO

tutes mixtorum in aliis mixtis, ideo absolute dicitur, quod elementa manent virtualiter in mixto, non vero quod unum mixtum maneat in alio.

Ad tertium respondetur ex dictis, non posse dici, quod unum mixtum continet virtute alia mixta, nisi eorum qualitates retineat, quod non semper fit, sicut si aliquid fiat ex magnete non continet virtutem attractivam ferri, continet autem qualitates, seu virtutes communes elementorum, et ideo absolute dicitur de mixtis, quod continent elementa, id est, proprias virtutes elementorum. Unum autem elementum non dicitur continere aliud virtute, tum quia qualitas, quam habet, non derivatur ex alio elemento, et sic non est virtus ejus; tum quia, etsi unum elementum habeat aliquid de una qualitate alterius, sed non de omnibus, quæ in tali elemento sunt, sicut aer licet contineat aliquem calorem, qui invenitur in igne, non tamen continet aliquid de siccitate ignis, et sic non continet virtute elementum ignis, quia non participat de omni ejus qualitate, sed solum de parte. Plura de mixtis dicemus quæstione XI, hic enim non de natura mixtorum, sed de mixtione agimus.

QUÆSTIO VII.

DE CONDENSATIONE ET RAREFACTIONE.

ARTICULUS I.

Utrum rarefactio, et condensatio terminetur primo, et per se ad qualitatem?

Nihil notius est densitate, et raritate in corporibus, id enim quotidie videmus, et experimur, earum quoque sensibiles effectus penes quos definiuntur, seu describuntur notissimi sunt, scilicet dilatatio partium quantitatis in raro, contractio, seu compressio in denso. Unde Philosophus in prædicamento definit rarum esse *id quod habet parum materiæ sub magnis dimensionibus*: densum autem e contra *quod habet multum materiæ sub parvis dimensionibus*. Unde autem proveniat quantitati sic disponi, quod possit multum materiæ sub parvis dimensionibus concludere, vel parum materiæ sub multis, an ex aliqua qualitate superaddita, vel ex aliqua alia entitate, vel modo, obscurum est et difficile.

In eo autem auctores divisi sunt, et reducuntur omnes opiniones ad tres. Prima affirmat, novam quantitatem acquiri per rarefactionem, et perdi per condensationem. Quod aliqui ex antiquis sic acceperunt, ut dicerent in quacunque condensatione, vel rarefactione totam quantitatem perdi, et novam subrogari. Alii vero solum partem aliquam acquiri, et partem perdi. Quod tribui solet Scoto in quarto, distinctione duodecima, quæstione quarta, Mars. Ilervæo et aliis, quos citat P. Rubio tractat. de rarefact. quæstione prima.

Secunda sententia affirmat raritatem, et densitatem fieri penes diversam positionem partium, et ad illam terminari. Sed hoc explicatur dupliciter. Primo, dicendo quod raritas, et densitas fit per solam compressionem, aut dilatationem partium, eo quod in corporibus inveniuntur pori, id est, subtilissima quædam foramina, quæ aliis subtilioribus corporibus replentur, et cum fit addensatio constipantur isti pori, cum vero fit rarefactio laxantur, et totum hoc pertinet ad positionem partium in loco secundum majorem, vel minorem compressionem.

Alii vero sic explicant, quod addensatio, et rarefactio non consistunt in sola compressione, vel dilatatione partium, quod pertinet ad situm, sed in ipsa præsentia locali majori, vel minori, quod pertinet ad extensionem in ordine ad locum seu ad ipsum ubi.

Tertia denique sententia affirmat condensationem, et rarefactionem non terminari ad quantitatem, vel ad ubi, sed ad quamdam qualitatem sic disponentem ipsam quantitatem, quod petat majorem extensionem ad locum vel minorem. Itaque non negat hæc sententia dari in densitate contractionem præsentiæ, et extensionis localis, in rarefactione autem dilatationem, sed dicit hoc esse effectum ortum ex aliqua dispositione quantitatis, quæ sic disponitur per aliquam qualitatem, ut illum effectum habeat, sicut quantitas terminatur per superficiem, et inde resultat qualitas aliqua quæ est figura. An vero semper requiratur ista qualitas, ut detur iste effectus, vel solum connaturaliter petat illam, postea disquiretur.

Dico primo: Addensatio, et rarefactio non important aliquam additionem, vel diminutionem quantitatis, neque totalem, neque partialem. Assertio est constans inter Auctores secundæ, et tertiæ sententiæ, quos postea referemus, sumiturque ex diffinitione Philosophi supra allata: *Densum est quod habet multum materiæ sub parvis dimensionibus*. Ubi nomine dimensionis non intelligitur ipsa quantitas, ut ordinat partes in ordine ad totum, sed ut extendit, et diffundit illam in ordine ad locum, ratione cujus sumitur externa mensura quantitatis, seu dimensio ejus, nam si loquamur de ipsa quantitate secundum se, hæc non additur, nec tollitur, nisi addita, vel ablata materia, cujus partes extendit; unde repugnat habere multam materiam' id est, multas partes materiæ, et non multam quantitatem, vel e contra. Et fundamentum conclusionis hinc desumitur, quia quando acquiritur nova quantitas, vel pars quantitatis, acquiri debet nova materia, in eadem enim parte materiæ non potest dari nova quantitas, vel pars quantitatis, sic enim penetraretur cum præcedenti, ergo oportet pro nova quantitate, novam addi materiam, quæ de novo ordinetur in ratione partis, et ideo semper augmentatio est conjuncta cum aliqua aggeneratione, vel nutritione, ergo si in rarefactione, et condensatione, nova pars quantitatis adderetur, vel diminueretur, oporteret etiam addi novam materiam, et sic deberet fieri nova mutatio substantialis, quod tamen est falsum, cum videamus rarefieri, vel condensari aquam et ceram, sine nova generatione aquæ vel ceræ, alias maneret augmentata illa materia, esseltque multum materiæ, non parum, sub magnis dimensionibus contra definitionem, et ideo optime S. Thomas. rarefactionem comparavit intensioni, sicut enim intensio fit non addita qualitate, nec in diversa parte quantitatis, ita rarefactio fit eadem materia manente, et non augmentata. Denique, si fieret nova accessio materiæ seu substantiæ sicut et quantitatis, oporteret disponi illam materiam aliis accidentibus ut videlicet converteretur, vel adderetur præcedenti, sicut videmus fieri in nutritione, et aggeneratione, sine quibus tamen rarefactio fit, et condensatio, et sine corporum circumstantium corruptione, ergo non aggenerat sibi novam substantiam, et consequenter neque novam quantitatem.

Dico secundo: Rarefactio, et condensatio non terminantur solum ad ubi, sive ad distantiam, vel propin-

tutes mixtorum in aliis mixtis, ideo absolute dicitur, quod elementa manent virtualiter in mixto, non vero quod unum mixtum maneat in alio.

Ad tertium respondetur ex dictis, non posse dici, quod unum mixtum continet virtute alia mixta, nisi eorum qualitates retineat, quod non semper fit, sicut si aliquid fiat ex magnete non continet virtutem attractivam ferri, continet autem qualitates, seu virtutes communes elementorum, et ideo absolute dicitur de mixtis, quod continent elementa, id est, proprias virtutes elementorum. Unum autem elementum non dicitur continere aliud virtute, tum quia qualitas, quam habet, non derivatur ex alio elemento, et sic non est virtus ejus; tum quia, etsi unum elementum habeat aliquid de una qualitate alterius, sed non de omnibus, quæ in tali elemento sunt, sicut aer licet contineat aliquem calorem, qui invenitur in igne, non tamen continet aliquid de siccitate ignis, et sic non continet virtute elementum ignis, quia non participat de omni ejus qualitate, sed solum de parte. Plura de mixtis dicemus quæstione XI, hic enim non de natura mixtorum, sed de mixtione agimus.

QUÆSTIO VII.

DE CONDENSATIONE ET RAREFACTIONE.

ARTICULUS I.

Utrum rarefactio, et condensatio terminetur primo, et per se ad qualitatem?

Nihil notius est densitate, et raritate in corporibus, id enim quotidie videmus, et experimur, earum quoque sensibiles effectus penes quos definiuntur, seu describuntur notissimi sunt, scilicet dilatatio partium quantitatis in raro, contractio, seu compressio in denso. Unde Philosophus in prædicamento definit rarum esse *id quod habet parum materiæ sub magnis dimensionibus*: densum autem e contra *quod habet multum materiæ sub parvis dimensionibus*. Unde autem proveniat quantitati sic disponi, quod possit multum materiæ sub parvis dimensionibus concludere, vel parum materiæ sub multis, an ex aliqua qualitate superaddita, vel ex aliqua alia entitate, vel modo, obscurum est et difficile.

In eo autem auctores divisi sunt, et reducuntur omnes opiniones ad tres. Prima affirmat, novam quantitatem acquiri per rarefactionem, et perdi per condensationem. Quod aliqui ex antiquis sic acceperunt, ut dicerent in quacunque condensatione, vel rarefactione totam quantitatem perdi, et novam subrogari. Alii vero solum partem aliquam acquiri, et partem perdi. Quod tribui solet Scoto in quarto, distinctione duodecima, quæstione quarta, Mars. Ilervæo et aliis, quos citat P. Rubio tractat. de rarefact. quæstione prima.

Secunda sententia affirmat raritatem, et densitatem fieri penes diversam positionem partium, et ad illam terminari. Sed hoc explicatur dupliciter. Primo, dicendo quod raritas, et densitas fit per solam compressionem, aut dilatationem partium, eo quod in corporibus inveniuntur pori, id est, subtilissima quædam foramina, quæ aliis subtilioribus corporibus replentur, et cum fit addensatio constipantur isti pori, cum vero fit rarefactio laxantur, et totum hoc pertinet ad positionem partium in loco secundum majorem, vel minorem compressionem.

Alii vero sic explicant, quod addensatio, et rarefactio non consistunt in sola compressione, vel dilatatione partium, quod pertinet ad situm, sed in ipsa præsentia locali majori, vel minori, quod pertinet ad extensionem in ordine ad locum seu ad ipsum ubi.

Tertia denique sententia affirmat condensationem, et rarefactionem non terminari ad quantitatem, vel ad ubi, sed ad quamdam qualitatem sic disponentem ipsam quantitatem, quod petat majorem extensionem ad locum vel minorem. Itaque non negat hæc sententia dari in densitate contractionem præsentiæ, et extensionis localis, in rarefactione autem dilatationem, sed dicit hoc esse effectum ortum ex aliqua dispositione quantitatis, quæ sic disponitur per aliquam qualitatem, ut illum effectum habeat, sicut quantitas terminatur per superficiem, et inde resultat qualitas aliqua quæ est figura. An vero semper requiratur ista qualitas, ut detur iste effectus, vel solum connaturaliter petat illam, postea disquiretur.

Dico primo: Addensatio, et rarefactio non important aliquam additionem, vel diminutionem quantitatis, neque totalem, neque partialem. Assertio est constans inter Auctores secundæ, et tertiæ sententiæ, quos postea referemus, sumiturque ex diffinitione Philosophi supra allata: *Densum est quod habet multum materiæ sub parvis dimensionibus*. Ubi nomine dimensionis non intelligitur ipsa quantitas, ut ordinat partes in ordine ad totum, sed ut extendit, et diffundit illam in ordine ad locum, ratione cujus sumitur externa mensura quantitatis, seu dimensio ejus, nam si loquamur de ipsa quantitate secundum se, hæc non additur, nec tollitur, nisi addita, vel ablata materia, cujus partes extendit; unde repugnat habere multam materiam' id est, multas partes materiæ, et non multam quantitatem, vel e contra. Et fundamentum conclusionis hinc desumitur, quia quando acquiritur nova quantitas, vel pars quantitatis, acquiri debet nova materia, in eadem enim parte materiæ non potest dari nova quantitas, vel pars quantitatis, sic enim penetraretur cum præcedenti, ergo oportet pro nova quantitate, novam addi materiam, quæ de novo ordinetur in ratione partis, et ideo semper augmentatio est conjuncta cum aliqua aggeneratione, vel nutritione, ergo si in rarefactione, et condensatione, nova pars quantitatis adderetur, vel diminueretur, oporteret etiam addi novam materiam, et sic deberet fieri nova mutatio substantialis, quod tamen est falsum, cum videamus rarefieri, vel condensari aquam et ceram, sine nova generatione aquæ vel ceræ, alias maneret augmentata illa materia, esseltque multum materiæ, non parum, sub magnis dimensionibus contra definitionem, et ideo optime S. Thomas. rarefactionem comparavit intensioni, sicut enim intensio fit non addita qualitate, nec in diversa parte quantitatis, ita rarefactio fit eadem materia manente, et non augmentata. Denique, si fieret nova accessio materiæ seu substantiæ sicut et quantitatis, oporteret disponi illam materiam aliis accidentibus ut videlicet converteretur, vel adderetur præcedenti, sicut videmus fieri in nutritione, et aggeneratione, sine quibus tamen rarefactio fit, et condensatio, et sine corporum circumstantium corruptione, ergo non aggenerat sibi novam substantiam, et consequenter neque novam quantitatem.

Dico secundo: Rarefactio, et condensatio non terminantur solum ad ubi, sive ad distantiam, vel propin-

quitatem partium vel ad situm, et positionem earum, neque consistunt in sola repletione vacuitatum, quæ sunt pori, aut compressione partium, sed hæc sunt effectus consecuti ad densitatem, et raritatem, et aliquando possunt fieri sine formali densitate, et raritate. Ratio conclusionis est, quia raritas, et densitas est aliquid pertinens ad partes corporis in ordine ad se, et non in ordine ad locum, licet effectum aliquem habere possint etiam in ordine extensionis, vel situationis in loco, ergo non potest primo, et per se terminari ad ubi vel situm. Antecedens probatur, nam in corpore Christi Domini in Eucharistia, in quo nulla est commensuratio ad locum, est raritas, et densitas, nam ossa densiora sunt carne, sicut et duriora, et sanguis rarior utroque, alioquin si ista diversitas in partibus non servaretur, non manerent diversæ partes eterogeneæ, et organicæ. Similiter densitas, et raritas non solum sunt in externa superficie aut ordinatione circa locum, sed etiam intra partes; facta enim divisione inveniuntur partes intra constipatæ, et densæ, ergo non solum terminantur ab ubi, densitas, et raritas. Quod amplius constabit ex sequenti assertione ostendendo, quod raritas, et densitas sunt qualitates.

Quod vero non consistat in repletione vacuitatis, vel dilatatione, ita quod rarum sit quod dilatat poros, densum quod replet, vel comprimit, manifestum est in aere, et in cœlo, nam partes aliquæ cœli inveniuntur densæ sicut partes stellatæ, et aliæ minus densæ, scilicet diaphanæ, et tamen ibi non sunt pori, quia non replentur alio corpore subtiliori, quod non sit cœleste, cum ibi non sit corpus elementale. Aer similiter est rarus, et non habet poros, um quia est fluidæ substantiæ, et fluendo repleret illos, alias detineretur aer vel aqua inter porum et porum ne flueret; tum etiam quia in aere si essent pori deberent repleri alio corpore subtiliori, quod tamen non est dare, nisi forte ignis, qui tamen non in omni parte aeris esse potest. Denique, non consistit densitas in compressione partium tantum, ut patet de densitate corporis Christi in Eucharistia, in qua partes non possunt comprimi, et in cœlo densitas non fit per compressionem partium localem. Denique, compressio partium, vel fit per localem motum, sive situationem, ut quia una occupat minus, vel magis de spatio, vel fit per internam dispositionem partium, sicut ex majori frigore fit constrictio, et ex calore dilatatio, licet sequatur tanquam effectus diversa illa occupatio loci. Si primo modo tantum, constat non salvari raritatem, et densitatem ut patet si in duobus vasis ejusdem positionis ponatur liquor densus in uno et rarus in alio, tunc uterque occupat eamdem positionem loci, et non habet eamdem raritatem, nec densitatem. Si secundo modo, ergo densitas, et raritas non dicunt solam compressionem partium et situalem positionem, sed internam aliquam dispositionem, et hæc pertinet ad qualitatem, ut jam dicemus, et simul explicabimus, quando sine formali densitate vel raritate possit manere compressio, vel dilatatio partium extrema.

Dico tertio: Raritas, et densitas formaliter sunt physicæ, et naturales qualitates, et ita rarefactio et addensatio sunt alterationes, datur tamen etiam densitas, aut raritas situalis et extrinseca, quæ non est qualitas, sed situs, et se habet ut effectus densitatis et raritatis quæ est qualitas, licet aliquando non repugnet hos effectus sine qualitate fieri. Hæc conclusio quantum ad

primam partem, quod densitas et raritas sint qualitates, est expressa Philosophi VII Physic. text. XXI, et IV Physicor. text. LXXXIX, et D. Thomæ ibidem, et I de Generat. lection. XIV, ubi inquit: « Quod transmutatio rarefactionis non potest dici augmentum, sed alteratio, fit enim secundum transmutationem passibilium qualitatum, scilicet rari et densi.» Et III parte, quæstion. LXXVII, articl. II ad 3: Rarum, inquit, et densum sunt qualitates quædam consequentes corpora ex hoc quod habent multum vel parum de materia sub dimensionibus. Et eamdem sententiam sequuntur communiter Auctores, qui videri possunt in Cursu Carmelitano, I de Gen. disp. VII, q. II et III, Conimbricenses lib. de Gen. c. V, q. XVII, Rubio tractat. de rarefaction. qu. II. Nec obstat quod Aristoteles in capite de qualit. inquit: « Quod rarum et spissum, asperum et lene quamdam positionem magis videntur partium monstrare; » et D. Thomas II de Gen. lect. I super text. VIII, dicit: « Quod rarum, et densum non sunt qualitates physicæ, sed positio partium materiæ secundum propinquum in denso, et remotum in raro. » Non inquam obstat, loquuntur enim de raritate, et densitate situali quæ solet esse effectus raritatis et densitatis formalis, sicut datur figura externa situalis, et interna, quæ est qualitas, nam contracta manu vel extensa variatur figura situalis, non autem intrinseca, quæ est qualitas. Similiter datur raritas et densitas, quæ pertinet ad dispositionem internam partium quantitatis et conducit ad generationem et corruptionem et communiter conjuncta est cum aliqua mollitudine vel duritia, et sic debet esse qualitas. Ipse autem situs compressionis, vel dilationis partium, situalis densitas, vel raritas est. Et sic probatur ista conclusio, quia in densitate et raritate invenitur contrarietas, invenitur intensio et remissio, unum enim est magis densum quam aliud, invenitur dispositio conducens ad generationem, vel corruptionem, sicut animal si nimium rarefiat, et intumescat, corrumpitur; si partes solidantur, convalescit, et in diversis partibus exigit diversam densitatem vel raritatem, sicut ossa debent esse densiora quam carnes, et carnes quam sanguis, ergo conducunt ad conservationem, et ad generationem et corruptionem. Et sicut hac ratione locus naturalis addit supra mathematicum, qualitates aliquas conservativas, quia conservat locatum, ita raritas et densitas, quia ad conservationem, et ad generationem, et corruptionem disponunt, ad qualitatem pertinebunt. Denique, sunt tangibiles per sensum, ut experientia demonstrat, ergo ad qualitatem pertinent, sicut molle et durum, frigidum, et calidum.

Et si quæras ad quam speciem, respondetur quod ad tertiam, eo quod resultare possunt ex mixtione aliarum qualitatum, puta ex frigore, vel calore, per se etiam ordinantur ad generationem, vel corruptionem et sensibus passionem inferunt, ergo passibiles qualitates sunt. Unde sequitur quod alterationem per se terminare possunt, quia alteratio est ad tertiam speciem qualitatis. Nec obstat, quod in cœlo invenitur raritas, et densitas, quia æquivoce dicitur in cœlo et in nobis rarum et densum, ut dicit D. Thomas in II, disp. II, q. II, art. I ad 5. Et constat eamdem qualitatem posse quandoque ex diversis causis provenire, vel ad effectus diversos ordinari, sicut figura aliquando resultat ex alteratione qualitatum dissolventium partes quantitatis, aliquando sine tali alteratione ex sola

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

divisione per motum localem; et similiter lux in inferioribus deservit ad generationem, et corruptionem non in cœlo: sic densitas et raritas in inferioribus deservit ad hoc, ut res sit generabilis, vel corruptibilis, in cœlo autem ut sit active generans, vel corrumpens, quod est æquivoce dici quoad hunc effectum, simpliciter tamen sunt ejusdem speciei, quia eodem modo immutant sensum quod est principale in qualitate passibili.

Quod vero aliquando detur densitas et raritas situalis penes diversam positionem partium sine qualitate, constat, quia id quod pertinet ad positionem partium, et situm, est effectus hujus densitatis, vel raritatis, quæ est qualitas, non repugnat autem effectum aliquem ex diversis causis provenire, sicut de figura diximus. Similiter ergo potest per compressionem partium, vel laxationem fieri aliquis effectus raritatis, vel densitatis, qui sit situalis densitas, vel raritas sicut quando aquam, vel aerem dividimus, tunc partes divisæ non penetrantur cum aliis, sed comprimuntur, alias non posset fieri divisio, et hæc compressio densitas quædam est, sumpta densitate pro effectu, seu positione situali, non pro qualitate, nec requirit alterationem corruptivam, sed motum localem, alias omnis motus localis, qui fit extra vacuum exigeret alterationem producentem densitatem, aut raritatem, siquidem motus localis non potest fieri, nisi dividendo aliquod corpus, et partes divisæ non possunt penetrari cum aliis, ergo debent comprimi, et condensari, et tamen ibi non datur alteratio, sed solum motus localis. Unde etiam post diem judicii dabitur motus corporum præsertim gloriosorum, qui motus dividet aerem, vel aquam faciendo dictam compressionem partium, et tamen tunc non erit alteratio physica. Si tamen talis compressio, vel laxatio partium fieret, quod etiam ad corruptionem vergeret, tunc non fieret sine alteratione, et consequenter nec sine qualitate.

Dico ULTIMO: Densitas, et raritas non se habent ut qualitates activæ, sed passivæ, ita tamen disponentes subjectum, ut qualitates activæ illis adjunctæ magis, vel minus disponantur ad operandum. Conclusio hæc deducitur ex dictis in quæstione præcedenti, quia raritas, et densitas sequuntur ordinationem partium quantitatis, sicut figura terminationem, facit enim densitas multas partes materiæ sub parva dimensione loci, et raritas e contra, ergo sicut quantitas non est activa, neque figura, ita neque densitas, et raritas. Unde non videmus, quod raritas, et densitas per se solum similes qualitates producant, sed utuntur activitate aliarum, v. g. calore, vel frigore etiam ad producendam raritatem, vel densitatem, lapis enim quantumcunque adjungatur ceræ, vel luto, non addensabit illa, sed mediante frigore addensantur, vel per compressionem partium, ergo densitas et raritas non sunt activæ. Si vero qualitas activa recipiatur in quantitate densiori, celerius, et efficacius operabitur, ut ipsa experientia testatur, et quæstione præcedenti diximus, quatenus partes sic addensatæ conducunt ad efficaciorem operationem, sicut etiam figura rotunda magis conducit ad motum, quam quadrata, et ad penetrandum magis acuta, quam obtusa.

Solvuntur argumenta.

Primo arguitur: Ad probandum per rarefactionem acquiri majorem quantitatem, quia posita rarefactione aquæ in vase, cujus medietatem solum occupabat ante rarefactionem, postea crescit terminatio quantitatis, et correspondentia ad alia puncta, seu indivisibilia vasis, vel loci ad quæ antea non correspondebat, ergo sunt nova indivisibilia, nam antiqua correspondent eisdem quibus antea, et non possunt diversis indivisibilibus vasis correspondere.

Confirmatur, quia per addensationem minor locus occupatur, quam antea, ergo si non diminuitur quantitas, partes illæ penetrantur. Patet consequentia, quia tunc quantitas major occupat idem spatium, quod minor, ergo intra locum minorem ponuntur partes, quæ antea plus loci occupabant, ergo penetrantur in illa. Nec potest dici, quod hoc fiat per qualitatem sic disponentem partes quantitatis, vel per novum situm. Nam contra est, tum quia non pertinet ad qualitatem ordinare, et extendere partes quantitatis; si autem fiat sola situatione, non pertinebit rarum, et densum ad qualitatem; tum etiam, quia restat explicandum, quomodo ista qualitas tollat penetrationem partium, quæ modo occupant minorem locum, quam antea.

Respondetur circa hoc argumentum diversimode Auctores sentire. Quidam censent tot puncta, et indivisibilia inveniri in actu in quantitate majori, et minori, exemplo illo vulgari de circulo minori incluso in majori, omnes enim lineæ, quæ transeunt a centro ad circulum majorem transeunt per minorem, ergo tot puncta, seu lineæ sunt in uno atque in altero. Ita Conimbricenses I de Generat. capite quinto, quæstione decima septima, articulo quarto. Alii ut Rubio censent e contra non esse tot puncta in minori quantitate quam in majori, posse tamen eamdem quantitatem cum eisdem punctis respondere pluribus, vel paucioribus punctis alterius corporis, vel quantitatis solum ratione diversæ dispositionis, vel situationis ejusdem quantitatis, ut in illis circulis patet, quia si ex illis fierent lineæ rectæ extendendo ipsos circulos, tunc non omnes lineæ unius transirent per lineas alterius, quia una illarum excederet alteram, si tamen in circulum redigantur, quidquid transit per majorem circulum, transit per minorem, et eadem ratione eadem puncta aquæ condensatæ, facta rarefactione correspondent aliis punctis vasis, vel loci propter diversam dispositionem quantitatis.

Neutra tamen solutio intelligibilis est. Nam quantitas major excedit minorem in multitudine partium designatarum, et aliquotarum, ergo debet excedere in punctis designatis, quibus partes illæ uniuntur, non enim stat ponere plures partes actu, nisi addantur plura puncta, et indivisibilia, quibus tales partes uniantur, et certe illud quod dicitur de duobus circulis inæqualibus, quorum unus includatur in altero si extendantur in lineas rectas manifeste hoc demonstrat; manebit enim linea illa circuli minoris multo minor quam linea circuli majoris, et tunc si una ex illis juxta aliam ponatur manifeste videbitur, quod lineæ minoris circuli non omnibus indivisibilibus, et lineis alterius correspondent, ergo plura puncta, vel plures lineæ sunt in majori circulo, quam in minori; ex quo etiam convincitur, quod ratione diversæ situationis, et positionis linearum, non potest punctum unius correspondere

pluribus punctis alterius, diversa enim positio non potest tollere naturam talium indivisibilium, ergo si in utraque positione manet indivisibile unum, et idem non potest pluribus alterius correspondere, siquidem unum indivisibile non potest correspondere parti, quia est illi improportionatum, ergo neque pluribus indivisibilibus, quia plura indivisibilia pertinent de facto ad diversas partes, unum enim non est immediatum alteri, ergo non potest correspondere pluribus nisi correspondeat parti interjacenti. Et ad argumentum de lineis quæ ducuntur ad centrum a majori circulo per minorem, respondetur omnes illas divisive transire per circulum minorem, sed tamen non omnes quæ inveniuntur in circulo majori in actu inveniuntur in minori, nec est possibile quod omnes, quæ sunt in majori circulo collective sumptæ transeant per minorem ad centrum, nisi una linea transeat super aliam, licet quælibet divisive, quæ transit ad centrum, per minorem circulum transire debeat, sed collective non omnes capiuntur in circulo minori, nisi una sit super aliam, siquidem plures partes in actu, et consequenter plures lineæ, et puncta debent esse in majori circulo, quam in minori. Sunt autem in potentia infinitæ partes, et puncta in utroque circulo, loquendo de partibus proportionalibus, et se communicantibus, non de partibus, et lineis in actu componentibus, ut late monstravimus in quæstione decima quinta et vigesima Physic. Nos autem in præsenti loquimur de lineis, et punctis, quæ sunt in actu, et de his dicimus non esse tot in majori quantitate, et in minori, nec unam posse correspondere adæquate multis.

Ad argumentum ergo factum respondetur, aquam rarefactam plura puncta et indivisibilia habere, quam antea, non tamen plures partes, sed majorem explicationem, et dilatationem earumdum partium. Explicatio enim, et extensio partium quoad locum fit per novam terminationem quantitatis, et consequenter per additionem indivisibilium, et punctorum, quibus fit nova terminatio, et extensio quantitatis ad locum, quia ut statim dicemus eadem pars, quæ nectitur unico indivisibili cum alia, potest pluribus connecti, eo quod indivisibile inadæquate correspondet parti, et non adæquate, ideoque locum habet, ut pluribus indivisibilibus correspondeat eadem pars, et tunc dicitur dilatari, cum pluribus indivisibilibus explicatur extensio partis in loco, tunc autem contrahitur, quando unico indivisibili, vel paucioribus connectitur. Et ita non est bona consequentia, sunt plura indivisibilia, ergo plures partes, sed vel plures partes, vel major explicatio earumdem erga locum.

Ad confirmationem respondetur, in condensatione comprimi partes non penetrari, nec occupare locum alterius quantitatis totalis, sed locum sibi adæquatum, et commensuratum juxta partium dispositionem. Quomodo autem compressio partium intelligatur sine penetratione, cum partes quæ ante diversum spatium occupabant, modo occupent unum, difficile intelligitur. Sed omissis aliis explicationibus, probabilius videtur, juxta doctrinam a nobis traditam vi Physicorum, quæstione vigesima, articulo secundo et tertio, quod punctum afficit partem lineæ non adæquate, sed inadæquate, quia non proportionantur adæquate pars divisibilis et punctum indivisibile, et idem est de aliis indivisibilibus respectu suarum partium. Quia ergo quodlibet punctum afficit aliquid de parte, quia immediate post punctum sequitur pars, quæ divisibilis est, et non adæquatur illi, in hoc potest esse magis, et minus, ut videlicet illa entitas divisibilis, quæ afficitur immediate ipso puncto, afficiatur magis, vel minus inadæquate, si enim non totaliter, et adæquate illi correspondet, utique nec indivisibili, et unico modo correspondet, sed potest plus, vel minus correspondere. Quare quando quantitas rarefit, non est necesse addere plures partes, ut dictum est, sed plura puncta, quia pars quæ correspondebat inadæquate uni puncto, fit correspondens pluribus, et sic laxatur. Quando autem addensatur, fit illa pars correspondens inadæquate uni puncto, cum tamen possit correspondere pluribus. Et ideo non penetrantur illæ partes, quia ad penetrationem requiritur, quod existentibus pluribus partibus distinctis secundum diversa indivisibilia, secundum eadem ponantur sub eodem spatio, sed si minuuntur puncta, seu indivisibilia, et partes reducuntur, ut sint sub paucioribus punctis, tunc dicuntur comprimi, seu addensari, nec tamen penetrantur, quia nunquam sub diversis punctis, vel indivisibilibus existentes, in eodem spatio ponuntur, quod ad penetrationem requiritur, penetratio enim exigit quod plures partes in actu, id est, terminatæ diversis indivisibilibus ponantur sub eodem spatio, non autem penetratio fit per hoc, quod partes quæ antea habebant plures terminationes modo habeant unam, et fiant partes quasi in potentia. Unde dicit Philosophus IV Physicorum, text. LXXXIV, quod rarefieri est, quod magna dimensio, quæ prius erat in potentia fiat in actu, quod utique intelligitur de dimensione quoad terminationem localem, quod fit per puncta, et indivisibilia.

Secundo arguitur: Ad probandum quod rarefactio, et condensatio per se primo terminentur ad quantitatem, non ad qualitatem; nam rarum diffinitur *quod habet parum de materia sub magnis dimensionibus*, densum vero e contra, ubi nulla mentio fit qualitatis, sed solum dimensionis, dimensio autem, sive in ordine ad totum, sive in ordine ad locum, ad quantitatem pertinet, vel saltem ad situm. Deinde, quia videmus per rarefactionem magis explicari, seu extendi quantitatem quoad locum, ergo acquiri debet nova quantitas, nam extensio quoad locum est propria passio, et modus quantitatis, ergo nova extensio, ad locum, novam requirit quantitatem. Denique, quia alias quantitas susciperet magis, et minus, siquidem eadem quantitate existente, magis, vel minus explicat partes substantiæ, sicut intensio albedinis consistit in hoc quod magis, vel minus se explicat in actum, et radicatur in materia, imo sicut intensio non acquiritur, nisi acquisito novo gradu ex parte qualitatis, ita nec rarum, et densum sine nova parte quantitatis. Confirmatur, quia sine aliqua qualitate ponitur rarum, vel densum, ergo superflue qualitas ponitur. Antecedens constat, tum quia ista qualitas raritatis non suscipitur nisi in subjecto habente partes dilatatas, et densitas in habente partes compressas, ergo non provenit a qualitate illa partium dispositio, seu positio, sed supponitur; tum quia posita ista dilatatione partium sive alia qualitate, intelligitur sufficienter rarefactio, ad quid ergo illa qualitas deservit? Dilatatio enim per situationem, vel positionem partium in loco sufficienter intelligitur; tum denique, quia si extensio in loco est modus, et proprietas quantitatis, non indiget qualitate, ut ab illa dimanet.

Respondetur ad principale argu-

mentum, negando assumptum. Ad primam probationem dicimus, nomine dimensionum rari, et densi non intelligi ipsam quantitatem secundum se, sed secundum commensurationem ad locum, quam eadem quantitas variare potest secundum densitatem, et raritatem. Cæterum, raritas ipsa, et densitas non consistunt in hoc, quod de facto quantitas sit ita extensa, et situata, hoc enim est effectus illius, et in corpore Christi in Sacramento datur densitas, et non situatio in loco, sed consistit in tali dispositione partium, quæ petit illam situationem pro effectu. Et ita licet non fiat mentio qualitatis in definitione rari, et densi explicite, intelligitur tamen implicite, quia idem est dicere rarum est quod habet parum materiæ, ac dicere quod est dispositum habere parum materiæ sub magnis dimensionibus. Quomodo autem in speciebus Eucharistiæ detur rarefactio, et addensatio cum nulla ibi sit materia, respondetur non esse ibi substantiam formaliter, sed suppleri in quantitate, quatenus per separationem gerit vices substantiæ.

Ad secundam probationem dicitur extensionem ad locum esse propriam passionem quantitatis, sed quod sit tanta vel tanta, accidit illi, et per aliquam qualitatem disponitur, neque est necesse ut detur major extensio, quod addatur nova quantitas, sicut etiam ut grave moveatur velocius circa finem, quam in principio, non indiget additione gravitatis, ita quælibet quantitas ut diversimode extendatur, et situetur erga locum, non indiget additione quantitatis, et partium, licet qualitas aliqua detur sic disponens partes, ut novis indivisibilibus correspondeant, ita quod magis laxentur, vel minus.

Ad tertiam probationem dicitur, quantitatem non suspicere magis, vel minus per hoc, quod fiat illa major vel minor extensio, sed raritatem ipsam, vel densitatem suscipere magis, vel minus. Ipsa autem quantitas in ratione ordinandi partes extra partes, non radicatur magis vel minus in subjecto, ut illa major, vel minor extensio fiat, quantitas enim in ratione quantitatis non potest magis radicari in eadem parte subjecti, neque accipere aliud augmentum quam penes additionem partium, quæ non est intensio, cum non fiat in eodem parte subjecti, sed in diversis, alias penetrarentur illæ partes. Rarefactio autem quæ magis dilatat partes non facit magis radicari, et perfici quantitatem in subjecto, sed facit magis radicari ipsam raritatem, quæ est qualitas, et in ordine ad locum dilatati quantitatem.

Ad confirmationem respondetur negando antecedens. Ad primam probationem dicitur, raritatem non subjectari nisi in habente partes dilatatas, non ante ipsam raritatem, sed per ipsam, sicut anima dicitur actus corporis organici, quod tamen per ipsam animam, et corpus est, et organicum. Nec tamen raritas petit partes esse dilatatas actu, sed solum aptitudine, sicut in corpore Christi in Sacramento habet raritatem, et densitatem sine situatione in loco. Ad secundam probationem dicitur, quod posita dilatatione partium quoad situm intelligitur raritas, et densitas præsuppositive, quia qualitas, quæ est raritas, est causa illius dilatationis et situationis partium, quæ est effectus ejus, si tamen aliquando detur ista situatio sine tali qualitate non erit raritas formalis, quæ est dispositio partium ordinata ad conservationem vel corruptionem, sed erit aliquid pertinens ad situationem partium ex motu locali consecutum sine formali raritate, ut supra expositum est. Ad tertiam probationem dicitur, quod licet extensio ad locum sit passio quantitatis, tamen quod sit tanta, vel tanta est accidens, et pertinet ad qualitatem, quatenus conducit ad temperamentum partium, ut melius conserventur, vel corrumpantur. Nec esset repugnans dicere, quod qualitas sit passio quantitatis, sicut patet in figura, licet raritas et densitas in corporibus inferioribus, quatenus fiunt ex mixtura primarum qualitatum, non possit sequi immediate ad quantitatem, sed mediantibus primis qualitatibus.

Si quæras: An rarefactio requirat motum localem, quo fiat illa major extensio loci præter alterationem qua fit raritas ipsa, affirmant Conimbricenses hic quæst. XVII, art. V. Cæterum non est necesse ponere motum localem distinctum ab ipsa alteratione, sed hoc est in commune omnibus motibus, seu mutationibus, quæ terminationem quantitatis attingere, vel variare possunt, quod habent vim producendi aliquod ubi non directe, et per se, sicut motus localis, sed consecutive, et mediate prout ubi sequitur ad extensionem quantitatis, sicut generatio substantiæ producit ubi mediate, quatenus generat substantiam in loco, et augmentatio producit ubi, quatenus addendo quantitatem, ponit illam in loco, et similiter id habet illa alteratio quæ laxat, vel contrahit partes quantitatis. Quare non est necesse assignare terminum a quo localem, qui deseritur; quia non acquiritur locus seu ubi per motum localem, qui deserat unum locum, et acquirat alium, sed per actiones variantes terminationem quantitatis, quæ mediate acquirunt ubi, non destruendo antiquum absolute et totaliter, sed addendo novum, destruunt tamen antiquum quoad terminationem, quam ante habebant.

ARTICULUS II.

Utrum sine rarefactione, et sine additione quantitatis possit aliquid fieri majus altero?

Aliqui affirmant, citaturque pro ea sententia Durandus in II, distinct. XVIII, quæst. I, Mag. Sententiarum, ibi Henricus, et alii. Et sumitur fundamentum ex dictis articulo præcedenti, quia rarefactio est motus ad qualitatem non ad quantitatem vel extensionem ad locum, nisi ex consequenti: ergo poterit Deus, sine rarefactione extendere quantitatem in loco, et eam magnam facere, neque additis partibus quantitatis, neque addita qualitate rarefactiva, nam sicut materia est in potentia ad magnum, et parvum mediante raritate vel quantitate secundum agens naturale, ita per potentiam obedientialem poterit fieri majus non addita quantitate vel raritate, quia hæc solum est medium naturale seu naturalis agentis. Confirmatur: Probabile est Deum posse ponere unum corpus in diversis locis stante eadem densitate, ergo etiam poterit ponere illud in loco immediato sibi, et tunc continuabitur cum eo et erit majus, quia occupabit plura loca, et sine additione quantitatis, quia est idem corpus, et sine rarefactione, quia retinet eamdem densitatem. Confirmatur secundo, quia Deus fecit Evam ex costa Adami, non per rarefactionem, sic enim non esset similis carnis et ossium, si ita rarescceret, neque ex materia alia adjuncta, quia hæc debuisset esse major, quam costa Adami, atque adeo ex illa potius diceretur facta Eva quam ex costa, ergo, etc.

Oppositam sententiam tenet S. Thomas I part. quæst. XCII, art. III, ubi inquit: « Dicere materiam mul-

tiplicari absque rarefactione, est dicere contradictoria esse simul, scilicet diffinitionem absque diffinito, » et in II, distinctione XVIII, quæstion. I contra Mag. Sent. et alios affirmat, quod est in intelligibile, sine additione materiæ seu quantitatis fieri aliquid majus nisi per rarefactionem. Et D. Thomam sequuntur plures qui videri possunt apud Conimbricenses cap. V de Generat. quæst. XVIII, artic. I, et Rubio in tractatu de condensat. quæst. III, intelligitur autem hoc de rarefactione tam secundum qualitatem, quam secundum situm seu positionem loci, ut statim dicemus. Et probatur, quia implicat intelligi quantitatem fieri majorem sine novis terminis quantitatis, qui antea non erant; termini autem quantitatis non sunt nisi, vel in ordine ad se vel in ordine ad locum. Si in ordine ad se, id est, ad ipsas partes secundum se, necessario additur nova pars, stantibus enim eisdem partibus, non mutantur termini intrinseci quantitatis, qui consistunt in hoc, quod est habere plures vel pauciores partes, ergo stantibus eisdem partibus, et non habendo plures quam ante, quantitas non est major secundum ordinem partium ad intra, quam ante. Si vero mutantur termini in ordine ad locum, additur major dimensio, seu extensio ad locum, sive additione partium, et hoc est rarefieri, quia in hoc consistit diffinitio rarefactionis. Itaque id quod est majus altero secundum quantitatem, in conceptu suo essentiali dicit, vel quod habeat plures partes, quam id quod est minus, vel quod correspondeat pluribus partibus loci secundum extensionem, et primum est additio quantitatis, secundum rarefactio.

Sed inquires : An dilatatio partium, vel compressio actualis in loco necessario debeat fieri per ipsam qualitatem, quæ est raritas, et densitas, tanquam per medium naturaliter requisitum vel etiam essentialiter. Aliqui affirmant, esse essentiale ut Rubio tractat. de rarefact. q. III, n. CLXIV, et Conimbricenses hic q. XVIII, ar. II et III, licet oppositum etiam probabile putent. Et cum urgetur argumentum, quia effectus formalis illius qualitatis quæ est raritas non est ponere partes sic extensas quoad situm, sed reddere corpus sic dispositum, ut illam situationem petat, ac proinde separari posse illam situationem ab illa qualitate, respondent quod qualitas illa necessario connotat illam partium situationem, et sine illa intelligi nequit, sicut nec effectus albi sine albedine, alias posset manere densitas, quæ est qualitas, corpore ipso situaliter rarefacto, et laxato, quod repugnat, non autem repugnaret si hæc situalis extensio inveniri posset sine raritate quæ est qualitas, hæc enim sola contrariatur densitati. Sed contra hoc urgeo, quia extensio situalis, vel compressio est secundarius effectus raritatis, vel densitatis, et est separabilis ab illa, ut patet in corpore Christi in Eucharistia, ubi manet densitas carnis, et ossis, aut raritas sanguinis, sine ulla extensione quoad locum, ergo si potest manere raritas sine extensione ad locum, etiam cum parva extensione manere poterit, aut densitas cum magna. Et hoc ideo est, quia raritas non dicit ipsam actualem extensionem ad locum, sed aptitudinem ad illam, quæ stare potest cum opposito actu sicut gravitas cum ascensu, et aptitudo accidentis ad inhærendum cum actuali separatione a subjecto, sic raritas quæ est aptitudo ad dilatationem loci stat cum actuali compressione partium, ergo non est qualitas medium essentiale ad actualem extensionem dilatandam, vel comprimendam, sed sine qualitate, quæ est raritas et aptitudo ad dilatationem situs partium, imo cum opposita qualitate quæ est densitas poterit dari illa major situatio in loco, licet connaturaliter exigat qualitatem quando fit cum alteratione, sicut ascensus sursum potest dari in gravi, non media levitate contraria. Et ideo sine additione partium, vel raritate situali, sive cum qualitate fiat, sive non, non potest fieri aliquid majus, quam antea. Unde D. Thomas locis supra citatis in raro et denso non nominavit qualitatem, sed solum dimensiones, quod pertinet ad situm, alias ejus ratio non concluderet, scilicet quod esset ponere diffinitionem sine definito, siquidem definitio raritatis, ut est qualitas non est habere actu partes materiæ sub magnis dimensionibus, sed habere dispositionem, seu aptitudinem ad magnas dimensiones sub parva materia.

Ad rationes dubitandi in oppositum. Ad primam respondetur rarefactionem alterativam esse motum ad qualitatem, et ideo sine illa non inveniri, rarefactionem autem non alterativam posse sine qualitate inveniri, non tamen sine dilatatione aliqua situali, quæ connaturaliter exigit qualitatem, non essentialiter, ideoque sine rarefactione saltem situali, vel additione partium, non poterit fieri aliquid majus, bene tamen sine qualitate. Et quando dicitur, quod materia est in potentia obedientiali ad magnum, et parvum sine raritate, negamus antecedens, quia non solum raritas est medium naturale, sed etiam essentiale loquendo de raritate, non solum ut est qualitas, sed etiam ut est situs, ut dictum est; est enim pertinens ad ipsam diffinitionem rari, ut S. Thomas dicit habere magnas dimensiones cum parva materia.

Ad primam confirmationem respondetur illam opinionem a nobis non admitti, ut ostendimus IV Phys. quæstion. XVI, sed ea data non concessa respondetur, quod si idem corpus poneretur in duplici loco immediato ita quod non solum esset contiguum, sed continuum, hoc ipso reducerelur ad eumdem locum, et non occuparet majorem, quia esset continuum sibi ipsi, nihil autem sibi ipsi continuatum facit additionem; si autem esset contiguum, et non continuum esset duplex superficies et non una, et sic non esset eadem quantitas, sed divisa utpote duplici superficie terminata, unde non facit majorem rem, sed quasi duplicem.

Ad secundam confirmationem respondetur, costam Adami fuisse ædificatam in mulierem per accessionem novæ materiæ, vel factæ per creationem de novo vel per conversionem alterius, ut censet D. Thomas locis citatis. Et ad replicam respondetur dist. illa XVIII citata ad 2, quod non dicitur facta mulier ex illa materia superaddita, sed ex costa, quia costa fuit primum mediante quo reliqua materia pertinuit ad formationem mulieris, sicut licet embryo accessione novæ materiæ crescat, et fiat in debita quantitate, non tamen dicitur fieri ex materia accedente, sed ex semine, et prima materia, quæ se habet ut fundamentum formationis totius corporis.

FINIS TOMI PRIMI PHILOSOPHIÆ NATURALIS.

INDEX

INDEX

QUÆSTIONUM ET ARTICULORUM OMNIUM, QUÆ IN HAC PRIMA PHILOSOPHIÆ NATURALIS PARTE CONTINENTUR.

PRIMA PARS

PHILOSOPHIÆ NATURALIS

PROŒMIUM. 1
Ordo primæ partis philosophiæ. 2
Liber primus. 2
Liber II, III, IV, V et VI. 3
Liber VII et VIII. 4

QUÆSTIO I.

De scientia philosophiæ et ordine cognoscendi.

ART. I. — Utrum ens mobile sit objectum formale philosophiæ. 5
Solvuntur argumenta. 10
ART. II. — Utrum philosophia sit unius speciei atomæ in ratione scientia. 14
ART. III. — Utrum magis universale, atque ideo ipsum ens ut sic, sit primo cognitum ab intellectu nostro. 16
Solvuntur argumenta. 23

CIRCA LIBRUM PRIMUM PHYSICORUM.

QUÆSTIO II.

De principiis rerum naturalium in communi.

ART. I. — Quid sit principium rei naturalis, et quomodo definiatur. 30
Solvuntur argumenta. 33
ART. II. — Utrum prima principia sint contraria. 33
ART. III. — Utrum principia naturalia sint tantum tria. 40

QUÆSTIO III.

De principiis in particulari et primo de materia prima.

ART. I. — An sit et quid sit materia prima. 46
ART. II. — Utrum materia prima ex se ita sit pura potentia, quod careat omni actu formali, et entitativo. 49
Solvuntur argumenta. 54
ART. III. — Utrum materia possit existere sine omni forma, saltem de potentia absoluta. 58
Solvuntur argumenta. 61
ART. IV. — Explicantur propriæ conditiones materiæ primæ. 65
Potentia materiæ. 65
Appetitus materiæ. 66
Ingenerabilitas et incorruptibilitas materiæ. 68
Unitas et differentia materiæ. 69

QUÆSTIO IV.

De forma quæ est principium entis naturalis.

ART. I. — Quid sit forma et quomodo contineatur in potentia materiæ, et educatur ex illa. 74
Solvuntur argumenta. 74
ART. II. — Quæ formæ educantur de potentia materiæ. 76
De forma rationali. 77
De formis cœlestibus et elementalibus in prima productione. 78
De reliquis formis sublunaribus. 80
De formis accidentalibus. 81

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

QUÆSTIO V.

De privatione

ART. I. — Quid sit privatio ut est principium entis naturalis. 84
ART. II. — Utrum in materia sit tantum una privatio vel plures. 87

QUÆSTIO VI.

De toto compositio substantiali.

ART. I. — Quæ sint partes substantiales componentes totum. 89
ART. II. — Utrum totum distinguatur a partibus simul sumptis. 92
ART. III. — Quid sit unio partium in toto. 95
Corollaria ex dictis. 102

QUÆSTIO VII.

De subsistentia et existentia.

ART. I. — Quid sit subsistentia conveniens ipsi composito. 104
ART. II. — Quomodo actiones conveniant suppositis. 109
ART. III. — An subsistentia in rebus compositis sit unicus simplex terminus, vel compositis ex pluribus subsistentiis. 110
Solvuntur argumenta. 113
ART. IV. — Utrum existentia distinguatur a parte rei ab essentia, seu composito. 115
Solvuntur argumenta. 121
ART. V. — Utrum unica existentia sufficiat toti composito. 125
Solvuntur argumenta. 128

QUÆSTIO VIII.

De terminis magnitudinis et parvitatis.

ART. I. — Explicantur principia et præsupposita hujus quæstionis. 132
ART. II. — Quo pacto terminentur corpora naturalia penes magnitudinem. 135
ART. III. — Utrum detur terminus parvitatis intrinsecus, tam in animatis quam in inanimatis. 141
Solvuntur argumenta. 144

—

CIRCA SECUNDUM LIBRUM.

DE NATURA ET CAUSIS.

QUÆSTIO IX.

De natura, arte et violento.

ART. I. — Explicatur definitio naturæ. 148
ART. II. — In quibus ratio naturæ invenitur. 151
De composito. 151
De materia et forma. 153
De anima rationali. 157
De cœlo. 159
De gravibus et levibus. 161
De Angelis. 161
ART. III. — Utrum sit legitima differentia constituta inter naturalia et artificialia. 162
ART. IV. — Quomodo violentum distinguatur naturali. 164
Prima difficultas. 165
Secunda difficultas. 168
Tertia difficultas. 171

QUÆSTIO X.

De causa in communi.

ART. I. — Quæ sit definitio causæ in communi, et quæ conditiones causæ. 173
ART. II. — Quotuplex sit causa. 176
ART. III. — Utrum omnis causa debeat esse prior, perfectior, et distincta a suo causato. 179
Solvuntur argumenta. 181
ART. IV. — Utrum causæ ad invicem sint causæ. 183
Solvuntur argumenta. 195

QUÆSTIO XI.

De causa materiali, formali et exemplari.

ART. I. — Quid sit causa et causalitas materialis. 197
Causalitas materiæ. 199
Effectus materiæ. 204
ART. II. — Quid sit causalitas formæ et ejus effectus. 206
Causalitas formæ. 206
Conditiones formæ ad causandum. 209
Effectus formæ. 210
ART. III. — Ad quod genus causæ reducatur idea seu exemplar. 213
Solvuntur argumenta. 216

QUÆSTIO XII.

De causa efficienti.

ART. I. — Quid sit causa efficiens, et quotuplex. 220
ART. II. — Utrum in causis creatis principium efficiendi ut quo sit accidens. 222
Solvuntur argumenta. 226
ART. III. — Utrum accidens indigeat peculiari influxu substantiæ ad operandum. 230
ART. IV. — Quæ sit causalitas efficientis. 234
Appendix. 238
De dimanatione. 238
Nota. 241

QUÆSTIO XIII.

De fine.

ART. I. — Utrum apprehensio finis sit ratio causandi, solum conditio. 241
Solvuntur argumenta. 244
ART. II. — Quæ sit causalitas finis. 246
Solvuntur argumenta. 250
ART. III. — Ad quæ objecta se extendat causalitas finis, an solum ad media, vel etiam ad ipsum amorem finis. 253

—

CIRCA LIBRUM TERTIUM.

DE MOTU ET INFINITO.

QUÆSTIO XIV.

De motu et actione.

ART. I. — Explicatur definitio motus et ejus essentialia constitutiva. 258
ART. II. — Utrum motus distinguatur ab actione et passione, a termino a quo et ad quem. 262
Solvuntur argumenta. 267
ART. III. — Quid sit actio, et quotuplex, et quid sit formalis terminus ejus. 269
ART. IV. — Utrum actio transiens subjective sit in agente. 273

QUÆSTIO XV.

De infinito.

ART. I. — Quid sit infinitum, et in quo sit punctus difficultatis. 278
ART. II. — Utrum implicet dari infinitum actu secundum quantitatem vel intensionem. 281
Implicationes circa infinitum multitudinis. 284
ART. III. — Expediuntur difficultates, et argumenta contra nostram sententiam. 285

—

CIRCA LIBRUM QUARTUM.

DE LOCO, VACUO, ET TEMPORE.

QUÆSTIO XVI.

De loco, et ubi.

ART. I. — Quid sit locus extrinsecus, et immobilitas ejus. 289
ART. II. — Quid sit ubi seu locus intrinsecus. 295
ART. III. — Utrum omnibus corporibus conveniat esse in loco et habere ubi. 299
ART. IV. — Utrum duo corpora possint penetrari in eodem loco Divina virtute. 303
ART. V. — Utrum implicet unum corpus esse in pluribus locis circumscriptive. 307

QUÆSTIO XVII.

De vacuo.

ART. I. — Utrum vacuum naturaliter sit dabile. 312
ART. II. — Utrum corpus in vacuo possit moveri. 317

QUÆSTIO XVIII.

De tempore.

ART. I. — Utrum tempus sit aliquid reale in genere mensuræ durationis. 324
Secunda difficultas. 324
Tertia difficultas. 325
ART. II. — Utrum realis existentia temporis solum invenitur in instanti, vel etiam in aliis partibus. 327
ART. III. — Quod sit subjectum intrinsecum et extrinsecum temporis. 334

—

CIRCA LIBRUM QUINTUM.

DE DISTINCTIONE, UNITATE, ET CONTRARIETATE MOTUS.

QUÆSTIO XIX.

De unitate, et contrarietate motus.

ART. I. — Utrum genera motus sumantur penes diversa prædicamenta ad quæ est motus. 336

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ART. II. — Ad quæ prædicamenta non detur motus per se. 340
ART. III. — Ad quæ prædicamenta detur per se motus. 344
De motu ad quantitatem. 345
ART. IV. — Unde sumatur unitas numerica motus. 349
ART. V. — Quæ sit contrarietas in motibus, et unde sumatur. 351

—

CIRCA LIBRUM SEXTUM.

DE DIVISIONE MOTUS IN CONTINUI PER PARTES

QUÆSTIO XX.

De partibus et indivisibilibus continui.

ART. I. — Quid sint partes proportionales et indivisibilia. 354
Prima difficultas. 354
Secunda difficultas. 356
Tertia difficultas. 357
ART. II. — Utrum indivisibilia et partes proportionales sint actu infinitæ in continuo. 359
ART. III. — Utrum continuum componatur ex solis indivisibilibus. 364
Solvuntur argumenta. 366

QUÆSTIO XXI.

De incœptione et desitione rerum.

ART. I. — Explicantur regulæ incœptionis et desitionis in permanentibus. 370
ART. II. — Regulæ incœptionis et desitionis in successivis, instantaneis, et quiete. 374
Solvuntur argumenta. 377

—

CIRCA LIBRUM SEPTIMUM.

DE COMPARATIONE MOVENTIUM, ET MOBILIUM.

QUÆSTIO XXII.

De conditionibus requisitis ad movendum.

ART. I. — Utrum omne quod movetur, ab alio moveatur. 379
ART. II. — Utrum requiratur approximatio moventis ad mobile, ut operetur. 384
Solvuntur argumenta. 386

—

CIRCA LIBRUM OCTAVUM.

DE MOTU ÆTERNITATE, ET REDUCTIONE IN PRIMUM MOTOREM.

QUÆSTIO XXIII.

De motu rerum naturalium, et projectorum.

ART. I. — Utrum gravia et levia moveantur a se vel a principio extrinseco. 388
Solvuntur argumenta. 392
ART. II. — Qua vi moveantur projecta. 397
Secunda difficultas. 399
Tertia difficultas. 401

QUÆSTIO XXIV.

De æternitate motus, et primo ejus motore.

ART. I. — Utrum res permanentes potuerint esse ab æterno. 402
ART. II. — Utrum repugnet res successivas fuisse ab æterno. 406
ART. III. — Quid Philosophus demonstret de Deo ex vi motus. 409

QUÆSTIO XXV.

De subordinatione causæ secundæ ad primam.

ART. I. — Quid sit concursus simultaneus, et quomodo distinguatur a concursu causæ primæ. 413
ART. II. — Utrum detur realis et physicus concursus prævius in causa determinans illam ad causandum. 417
ART. III. — Expediuntur difficultates circa præmissa. 427
ART. IV. — Utrum causa per accidens, ut casus et fortuna inveniatur in subordinatione causarum. 432

QUÆSTIO XXVI.

De instrumentis.

ART. I. — Quæ sit propria differentia causæ instrumentalis a principali. 436
Solvuntur argumenta. 442
ART. II. — Utrum in omni instrumento requiratur aliqua propria operatio ad affectum principalis agentis. 446
Solvuntur argumenta. 448

—

SUMMA TEXTUUM

LIBRORUM PHYSICORUM ARISTOTELIS

—

Summa primi libri.

Summa capitis I et II. 453
Summa capitis III et IV. 454
Summa capitis V et VI. 455
Summa capitis VII, VIII et IX. 456

Summa secundi libri.

Summa capitis I. 457
Summa capitis II et III. 458
Summa capitis IV. 459
Summa capitis V et VI. 460
Summa capitis VII et VIII. 461
Summa capitis IX. 462

Summa libri tertii.

Summa capitis I. 46
Summa capitis II et III. 464
Summa capitis IV. 465
Summa capitis V. 466
Summa capitis VI. 467
Summa capitis VII. 468
Summa capitis VIII. 469

Summa libri quarti.

Summa capitis I. 469
Summa capitis II et III. 470
Summa capitis IV. 471
Summa capitis V. 472
Summa capitis VI. 473
Summa capitis VII et VIII. 474
Summa capitis IX. 475
Summa capitis X et XI. 476
Summa capitis XII. 477
Summa capitis XIII et XIV. 478

Summa libri quinti.

Summa capitis I. 479
Summa capitis II. 480
Summa capitis III. 481
Summa capitis IV et V. 482
Summa capitis VI. 483

Summa libri sexti.

Summa capitis I. 484
Summa capitis II. 485
Summa capitis III et IV. 486
Summa capitis V. 487
Summa capitis VI et VII. 488
Summa capitis VIII et IX. 489
Summa capitis X. 490

Summa libri septimi.

Summa capitis I. 491
Summa capitis II, III et IV. 492
Summa capitis V. 493

Summa libri octavi.

Summa capitis I et II. 494
Summa capitis III. 495
Summa capitis IV. 496
Summa capitis V et VI. 497
Summa capitis VII, VIII et IX. 498
Summa capitis X. 499

INDEX

QUÆSTIONUM ET ARTICULORUM OMNIUM QUÆ IN HAC SECUNDA PHILOSOPHIÆ NATURALIS CONTINENTUR

—

SECUNDA PARS

PHILOSOPHIÆ NATURALIS.

—

PROŒMIUM. 502
De materia et subjecto horum librorum. 503
Ordo quæstionum. 505

QUÆSTIO PRIMA.

De generatione substantiali.

ART. I. — Quid sit generatio communiter dicta. 505
De generatione viventium. 509
ART. II. — Quibus principiis Philosophia assequatur dari generationem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

substantialem. 511
Art. III. — In qua actione et mutatione consistat generatio substantialis. 513
Secunda difficultas. 520
Art. IV. — Quis sit terminus formalis et quis adæquatus generationis substantialis. 521
Solvuntur argumenta. 525
Art. V. — Quod sit subjectum generationis, de ejus distinctione et creatione. 534
An creatio sit ejusdem rationis in simplicibus et compositis. 534
Art. VI. — Utrum in generatione substantiali fiat resolutio omnis formæ usque ad materiam primam. 538
Art. VII. — Quomodo ultima dispositio causetur vel causet generationem substantialem. 545

QUÆSTIO II.

De corruptione.

Art. I. — Quomodo differat corruptio in ratione mutationis a generatione et ab annihilatione. 553
Art. II. — Utrum corruptio et generatio sint eadem actio ratione cujus generatio unius sit corruptio alterius. 559
Solvuntur objectiones. 562
Art. III. — Utrum corruptio sit naturalis et per se intenta a natura. 564

QUÆSTIO III.

De alteratione in communi.

Art. I. — Quid sit alteratio et quotuplex. 571
Art. II. — Ad quas species qualitatis detur per se alteratio. 577
Solvuntur argumenta. 580
Art. III. — Utrum alteratio sit unus et continuus. 581
De continuitate alterationis. 583
De indivisibilibus alterationis. 586
Solvuntur argumenta. 587

QUÆSTIO IV.

De intensione et remissione.

Art. I. — Quid sit intensio et remissio, et in quibus formis inveniatur. 592
Solvuntur argumenta. 593
Art. II. — Utrum intensio fiat per additionem gradus ad gradum vel per majorem radicationem in subjecto. 598
Art. III. — Expenduntur argumenta contra sententiam proposita. 607

QUÆSTIO V.

De actione et reactione.

Art. I. — Utrum aliquid agere posset in seipsum saltem per accidens. 613
De antiperistasi. 619
De intensione medii per reflexionem qualitatis. 621
Art. II. — Utrum simile possit agere in suum simile. 622
Solvuntur argumenta. 628
Art. III. — Quæ proportio resistentiæ requiratur inter agens et patiens ad reactionem. 632
Art. IV. — Utrum omne agens in agendo repatiatur. 638

QUÆSTIO VI.

De mixtione.

Art. I. — Quid sit mixtio et quomodo fiat. 644
Solvuntur argumenta. 648
Art. II. — Quomodo mixtio fiat in liquoribus tam ejusdem quam diversæ speciei. 650
Art. III. — Quomodo fiat mixtio inter elementa, et quomodo illa maneant in mixto. 654

QUÆSTIO VII.

De condensatione et rarefactione.

Art. I. — Utrum rarefactio et condensatio terminetur primo et per se et qualitatem. 660
Solvuntur argumenta. 664
Art. II. — Utrum sine rarefactione et additione quantitatis possit aliquid fieri majus altero. 669

Sancti Amandi. — Ex typis de DESTENAY.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.

B765
.T5
C8
V.2 1883
45010
AUTOR
TOMAS DE AQUINO, Santo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS